THE LIBRARIES

COLUMBIA UNIVERSITY

GENERAL LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

(168

NATALE SOLUM
MAGNI ECCLESIÆ DOCTORIS SANCTI HIERONYMI

IN
RUDERIBUS STRIDONIS
OCCULTATUM,
PROBATORUM NIHILOMINUS
HISTORICORUM, ET GEOGRAPHICORUM
OPINIONIBUS,
AC
BREVIS ILLYRICANÆ CHRONOLOGIÆ
ADJUMENTO
ERUTUM,
ATQUE
CUM VITA EJUSDEM
PURPURATI DALMATÆ
PER

A. R. P. JOSEPHUM BEDEKOVICH,
Ordinis Fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ
Definitorem Generalem patefactum,

ANNO REPARATÆ SALUTIS, M. DCC. LII. – 1754 –

NEOSTADII AUSTRIÆ,
EX TYPOGRAPHEO MÜLLERIANO.

Digitized by Google

BR
1720
.J5
B4

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO,
ET
ILLUSTRISSIMO
DOMINO COMITI
CAROLO
DE
BATTHYAN,
PERPETUO IN NEMETH - UJVAR
AUREI VELLERIS EQUITI,
REGNORUM DALMATIÆ,
CROATIÆ, ET SLAVONIÆ
BANO,
CONFINIORUM COLAPIANO - VUNNANORUM
SUPREMO CAPITANEO,
Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis
ACTUALI INTIMO STATUS CONFERENTIARUM
MINISTRO,
GENERALI CAMPI MARESCHALLO,
Unius Legionis Dimarcharum, duorum Pedeſtrium, & unius
Equeſtris Banalium Regiminum
COLONELLO,
SERENISSIMORUM ARCHI - DUCUM
SUPREMO AULÆ PRÆFECTO,
Comitatus Caſtriferrei Perpetuo, Simeghienſis verò
SUPREMO COMITI.
AC TABULÆ JUDICIARIO - BANALIS
PRÆSIDI,
DOMINO PATRONO,
ET MOECENATI
COLENDISSIMO, GRATIOSISSIMO.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIME,

AC

ILLUSTRISSIME

DOMINE COMES,

REGNORUM DALMATIÆ, CROATIÆ, AC SLAVONIÆ

PRO-REX.

NOvus Illyrii TUI partus, dum purpuratum obſtetricante calamo ſui ſoli reparturit Decus in folio, TE Patrinum vix invocavit humiliter reveritus, jam ultro Patronum ſimul expertus devotiſſimè veneratur. Hinc Partus iſte non ſequitur ventrem, à quo fuſus, ſed graviſſimam, nobiliſſimamque EXCELLENTIÆ TUÆ Dignitatem, à qua gratioſiſſimè levatus mutuavit lucem.

Et

Digitized by Google

Et verò cui conſonans foret magis ejuſmodi ſua cum purpura fœtus? quàm TUÆ inter Purpuratos Amplitudini, ad tria plane Regna lumen, Pro-Regia Poteſtate diffundenti. Ad quem Vocales hujuſmodi Liberi Illyrico in ſolo fuſi, primas emitterent voces? niſi ad TE, quem PATRIÆ tellus univerſa Illyrûm, ut EXCELLENTISSIMUM Genitorem TUUM, conclamat PATREM. Profecto ſi Nobilis hic (Liber) Partus, de ſua gloriatur illuſtri purpura, deque Purpurati Illuſtris Proſapiæ vetuſtate, cui cognatione jungeretur ſpirituali conſultius, quam TIBI PRO-REX EXCELLENTISSIME? Cujus antiquitatem ſtemmatis, & claritatem, graviſſimi Hiſtoricorum in BATTANATIO, è Gallorum Ducibus uno, fundatam Annis 278. ante Nativitatem Chriſti non ſine fundata probabilitate conjiciunt, ut tuto dici poſſit:

Quis Venerabilior ſanguis? quæ major Origo?
Quam quæ nata decus priſco de culmine Ducum,
Signa Leonis habet.

Quoniam vero & Pelicanus in Domo TUA Illuſtriſſima veluti in celſiore cæteris monte nidificat, qui

Parte aliâ roſtro terebrans ſibi viſcera acuto,
Fœta Avis implumes pabulatur vulnere natos.

Ideo meus inde etiam Partus TE Patrinum ambiit ſymbolo adumbratum pietatis, ut in una, eademque Proſapia, & fortitudinem Leonibus propriam ſuſpiceret, & nativam Pelicano adoraret pietatem.

Tanta nimirum eſt Domûs TUÆ Gloria neſciens infantiam, ut & pietatis pulli TUAS confugiant ſub

)( )(alas

Digitized by Google

alas auxiliarem præſtollaturi manum, & fortitudinis Æmuli TUO ſe inclinent Leoni inimicas contrituro vires. Experta hoc fatetur cum Fœderatis Britannia M. quæ TE unum, tot inter Heroes DUCEM contra hoſtes expetiit: Illud tum Apoſtolici Regni, cum Bohemici plurima quamvis Divorum teſtentur Delubra, celeberrimum tamen Slavonia TUA decantat, in EXCELLENTISSIMI Fratris TUI, moderni Hungariæ Pro-Regis Arce, Romanis olim JOVIA, nobis LUDBREG dicta, Prodigiorum Princeps monumentum, tum Sacratiſſimum inhumanati Sanguinem Pelicani ſuo conſervans in Oratorio, Toti, non modo Croatiæ, & Slavoniæ, ſed etiam vicinis in conſolationem Regnis adorandum Avitâ pietate proponit.

Princeps profecto felicitate Domus, quam coeleſtis inhabitare dignatur Pelicanus, tantóque Gethæi Obededom domo ab Arca Teſtamenti benedictionibus locupletata felicior, quando conſervandi in BATTYANIANA JOVIA habitaculi Pelicanus noſter eſt tenacior. Quid proinde mirum, quod ſanguinem, quem à Majoribus clarum Gens BATTYANIORUM accepit, pro Fide, pro Regibus, pro Chriſtiana Republica, toties invicta fortitudine fudit, ut Purpuram non tam SIBI non deeſſe pateretur, quàm pareret, & gloriam, quam tot Oraculis Regum habuit domeſticam in Occidente, invitis licet hoſtibus, totô buccinandam in Oriente extorqueret.

Celeberrimus ille Memorabilium Apoſtolici Regni Scriptor Iſtvanffius, octodecim Libris hæc TUÆ GENTIS Decora, Patriæ Propugnacula, Reipub-

licæ

Digitized by Google

licæ Chriſtianæ Columnas, Auguſtiſſimorum Hungariæ Regum Illuſtres quà Sago, quà Toga Miniſtros, fide incontaminatos, vigilantia Argos, perſpicacia Aquilas, dexteritate Attilios infracta fortitudine Leones, PETROS, BENEDICTOS, JOANNES, URBANOS, CHRISTOPHOROS, plurismosque alios veluti è Trojano emiſſos Equo, fortiſſimos, ſimul lectiſſimosque numerat Heroës, Fidei, Regibus ſacræ Coronæ cum immortali Nominis, & Sanguinis SUI commendatione integerrimam devoventes operam.

Unus reliquos inter Wolffgangus ſua complexus eſt fortitudine, quidquid olim in Achille admirabunda ſtupuit Græcia, quidquid in Hectore obtutu defixi ſuſpexêre Trojani: nam poſt fortiter propugnatam Temesvarienſem Saguntum, confectus perfide, manibus, pedibusque abbreviatus, longiſſimum toti poſteritati reliquit fortitudinis Heroicæ paradigma, dum in eo Magnanimitatis gradu conſtitit, ad quem triumphalibus alii quadrigis provehi, vix potuêre; eas gloriæ decerpſit laureas, quas ne ingentes quidem Heroum animæ, & centimani Gigantes Jovis oppugnaturi Regiam ſibi polliceri ſunt auſi; eam Spartanæ conſtantiæ magnitudinem, & infractum Excelſi robur animi Glorioſo ſuo aſſeruit Nomini, quod ILLUSTRISSIMA Gens BATTYANIORUM teſtamento ſanguine Wolffgangi ſignato Hæreditarium acciperet.

Digna procul dubio Gens ILLUSTRISSIMA, cui pro Sanguine fuſo, ſuum crederet pro Depoſito, cederet pro Theſauro, Victor Principum, & Poteſtatum, nec non mundi Rectorum tenebrarum ha-

Digitized by Google

rum; tantum videlicet ſincera ſalutis Galea ponderat apud Regem ſæculorum immortalem, quæ BATTYANIORUM Genti cana

Portat ducta Viros, antiqua ab Origine Gentis.

Seneſcere neſcit ad Laureas, quippe quam ſemper celſius erexit honoratæ virtutis privilegium, idem expertam, quod radio in ſpeculum illapſo evenit, reciproca Cryſtalli luce ſuas amplius augentem opes.

Id quod meridiana luce clarius in Franciſco Seniore innotuit Orbi, qui Anno reparatæ Salutis 1557. Ferdinandum Regem ad Comitia Poſonium indicta ſecutus, in Proceſſione Theophorica, occaſione Feſti Sacratiſſimi Corporis Chriſti, Habſpurgicæ pietatis Æmulus, roſas ſanguineo fulgore micantes, in obſequium Altiſſimi ſingulari devotionis affectu ſanctiſſimum verſus ſparſit, ut eas SIBI, SUÆque POSTERITATI colligeret ad Corollam, Fidelibus in odorem ſuavitatis, inimicis Chriſti ad ignominiam, & confuſionem. Nullus quippe Hungariæ hoſtis, ſibi acinaces earum formidandos non intellexit. Nullus Hungariæ Regum ſuo adſertos Miniſterio, non amplius aut Latifundiis, aut Honoribus, ut Uladislaus BENEDICTUM Ærarii, Ludovicus FRANCISCUM Illyrii Præfecturâ, Maximilianus BALTHASAREM Dapiferorum Magiſterio, Leopoldus ADAMUM dulciſſimum Genitorem TUUM Banali Præeminentiâ, Glorioſæ memoriæ Carolus LUDOVICUM Fratrem TUUM amantiſſimum Aulæ Cancellariatûs ſplendore condecoravit, illuſtravit. Et merito, nam Gloriam illi ſuam in Majoribus collegêre, qui nihil Achilli concedere, & Ajacibus

Aja-

Digitized by Google

Ajaces eſſent, Priami queis Regna ſtetiſſent

Gens equidem TUA Curiæ Conſos, Bello Scipiones, Regno Proceres, Tribunalibus Numas, Arenæ Duces, Areopago Sapientes edidit non interruptâ ſerie longe clariſſimos, rectè dixerim:

Quam bene conveniunt, & in iſthac Æde morantur
Gloria, Nobilitas, Meritum, Sapientia, Virtus.

Quis perennaturorum in gloriam TUÆ Gentis Annalium memor neſcit, ruiturum fuiſſe poſt Mohachianam cladem Hungariæ, totiusque Illyrii Cœlum? nì Magnus ille FRANCISCUS, Regnorum horum Pró-Rex, glorioſiſſimus, Pannoniæ ſuppoſuiſſet

Humeros oneratus Olympo.

Certe non aliter Marius olim Romanis contra Cimbros, quam contra Ottomanicæ cornua Lunæ accidit Præſidio FRANCISCUS Croaticæ genti, toties

Qui profligavit phlegetontica ſemina Turcas.

Defenſoris Illyrii Titulum ad Jajczam jure cum Frangepano conſorte promeritus. Felix ſane Croatia, pro qua contra Ottomanicum Aprum tuenda, honorificâ Clementem VII. Summum Pontificem, tanquam univerſæ Chriſtianitatis Patrem legatione interpellavit. Felix cui tantus Hannibal præfuit, quem nulla emollivit Capua. Felix denique, cui tam clara in FRANCISCO illuxit Pharus, ut ad humanitatem, & Litteraturam erudiretur, poſtquam illius potiſſimum opera, & virtute tota cum Illyrio Auguſtæ Domui Auſtriadum aſſerta fuiſſet.

)()()(Sed

Digitized by Google

Sed & illud BATTYANIANORUM Gloriæ Auctarium eſt in honoris calculo præcipuum, quod Maximiliano Ferdinandi filio in Regem Hungariæ Anno 1563. inaugurando FRANCISCUS BATTYAN, gravi aſpectu, & veneranda canitie ſenex, demortui loco Palatini, Coronam Sacram, & prætulerit, & vertici coronando cum Archi-Præſule Strigonienſi impoſuerit. Dignus ſane Ferdinandi voto jam in Anno Salutis 1554. qui id muneris, ut Apoſtolici Pro-Rex Imperii præſtitiſſet, ni attritæ à Martia ſollicitudine vires alteri honorem ceſſiſſent, Regiis, Regnique votis honorari contentæ,

Quererentur ut omnes
Imperium ſibi ſerò dari.

Excellentiſſimus porro Comes ADAMUS BATTYANI Genitor TUUS deſideratiſſimus, veluti Excelſior Pannoniæ, & Illyrii Cupreſſus, in omnium vivit animis, omnium ſpectatur oculis. Jubar namque virtutum ejus occaſum neſciens adhuc Pannoniam æque, ac Illyrium noſtrum irradiat. Cujus Heroicæ Magnanimitatis fulgor, in diſſipatis ad Legradinum aliquot millium nubibus, vicinæ tenebras Stiriæ offundere minitantibus relucet, in profligato ad Nyerges-Uj-Falú Ottomanorum Exercitu: in cæſis ad internecionem Ertſinenſium Turcarum, obſeſſæ per Carolum Lotharingiæ Ducem Budæ, opem ferre volentium copiis: in Alba Regali, & Caniſa ad deditionem coactis: in expugnatis Glorioſe Vranograd, Neo-Tudorovo, Pozvezd, Claduſſáque Præſidiis, verbô:

Huîc

Huîc ego non Decios pulchros, fortesque Metellos
Prætulerim; non qui Pœnum domuêre feraces
Scipiadas, Gallisque genus fatale Camillos.

Etenim quó ferrô non pertigerat, fama pervicit Nominis, ut audiviſſe ſuffecerit, & viciſſe.

Quid de altero dicam ADAMO, Genitoris TUI Clariſſimo Anteceſſore, Sacri Romani Imperii Equite, Dapiferorum Regalium Magiſtro, partium Regni Hungariæ Cis Danubianarum, & Confiniorum Caniſæ oppoſitorum Supremo Generali, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliario, & Camerario? niſi quod poſt celeberrima Militaris, & Politicæ Virtutis facinora, Totum ſe promovendæ Regis Regum Gloriæ mente generoſâ mancipaverit, dum Fanum Divi Franciſci Profeſſoribus cum Aſceterio non ignobili ex fundamentis Nemet-Ujvarini adjectis omnibus, quæ neceſſaria forent, acceſſoriis, erectum, & celebri Bibliothecâ ex propriis Libris, quorum ingentem variarum claſſium poſſidebat copiam, proviſum poſuit. Scilicet

Conſulit paci, famulatur armis
Opprimit motus, ſtabilit quietem,
Jura conſervat pietas, agendi
Regula recti.

His talibus, ac tantis, tamque bonis Hungariæ Optimatibus, TU Pro-Rex Excellentiſſime ſucceſſiſti ſemper Optimus, ita meritus audire par Summis, ut eligeres audire non impar Optimis; ab hoc videlicet Optimi cognomento in TE Optimatis Nomen defluxit & gloria. TU quidem tantæ Virtutis radio, ne in publicum erumperent famæ, obtentu

Modeſtiæ premebas; ſed ipſa ſe luce ſua Virtus ab umbris vindicavit, nec illi aliter, quam Soli latere contigit. Habet hoc primum debitus virtuti honor, quod nihil tectum, nihil occultum patiatur, Proborumque vel intimos recludat receſſus:

Omnia cum arcanis Famæ noſcenda proponat.

Repoſitum ergo TUÆ Virtuti prœmium, ne ſola rectè factis ex conſcientia merces conſtaret, ſed haberet inſuper Theatrum auguſtius evecta in arduum virtus, in quo & plauſum ex æquo referret, & ad pulchram æmulationem animos inflammarent. Scilicet non imbellem feroces progenerant Aquilæ Columbam, nec fortitudinis, ac pietatis Exemplar Aſcanium gignit niſi Æneas. Hic TU Pro-Rex Excellentiſſime Majorum meritis Ornatiſſimus, ab eis Virtutum accepiſti paradigmata, tanquam Ectypon abſolutiſſimum, ut TUA in Poſteros transfunderes, & quorum ex aſſe Virtutis quà Martiæ, quà Politiæ Patrimonium hæreditaſti, illud opimô Heroicorum facinorum incremento melioratum in TUOS jure ſanguinis derivares. Equidem ut Auriga Famularetur TIBI Fama, quæ TE jam in vernantiſſimo juventutis flore, poſt hauſta ad ſobrietatem Sapientiæ documenta, clarum fecerat, cum

Jam tunc Canities animi, jam dulce loquendi
Pondus, & attonitas ſermo, qui duceret aures,

pateret, ſub Auſtriaco Scipione ad Belgradum, & Temesvarinum cum Excellentiſſimo Fratre TUO LUDOVICO

Mavortis ſigna ſecutus,

Bel-

DEDICATIO.

Bellonam TIBI feciſti pediſſequam: nam vix Rudimenta Hectoris inſtar poſueras, jam ducendis cum Hannibale Ordinibus par videbâre

Caſtrenſibus utilis armis

Verùm

Poſtquam pax felix ramum prætendit Olivæ
grata Camænis,

Reipublicæ gerendæ ſuccolaſtis humeros, & animum Excellentiſſimi Fratres, bene gnari, eam duobus veluti Polis circumagi, *Juſtitiâ*, & *Fortitudine*, utraque illuſtrari. Itaque partitione, quaſi ex pactis mutuo conventis, factâ, Excellentiſſimus Comes LUDOVICUS Togâ cambiavit Sagum, gladio calamum, à Gradivi Papilionibus, ad inculpatæ Conclavia Minervæ, juſſu Glorioſiſſimi Regis Caroli, tanquam alter

Emathion æqui Cultor, timidusque Deorum,

rediit, Galeam, circumſtantiâ temporum poſtulatura, reaſſumpturus.

TU verò in eodem Militaris vitæ perſeverans tenore, gladio aſſeruiſti, quod ille in Sacrario Themidis ad bilancem expendit. Et licet Threicii Vexilla Ducis

Cuncta ſuo, qui bella ferus ſub Numine torquet,

ſecutus pro Republica fueris, ita tamen TE vendicare TIBI conſueveras, ut inter otia pacis almæ, velut Iliadem Alexander Homeri

Veterum monumenta revolvens

Juri, & Juſtitiæ adjiceres animum, & Palladem Togâ indueres, Martique Palladem copulares ſagatam.

Fe-

Digitized by Google

Felix profectoConnubium Litteras inter, & arma Veſtra, Excellentiſſimi Fratres, quia ex illo Reſpublica & Celebritatem hauſit, & Præſidium accepit, hodieque immenſæ ſibi vendicat incrementum Gloriæ.

Sic vos Lucidiſſima Cœli Pannonici Sidera LUDOVICE, & CAROLE (Caſtor, & Polux) Antenatorum Veſtrorum redivivi Phœnices pro veſtro virili communi Patriæ Serenitatem inducitis longe Illuſtriſſimam. Sic Gentilitiis DOMUS VESTRÆ Inſignibus ad amuſſim reſpondetis, Vigilantiâ, & Fortitudine, Amore, & Pietate, non modo Leonem & Pelicanum, ſed & Petram Refugii, ac immobilem ſervatæ Fidei, & Catholicæ Religionis Montem exprimitis. Inde factum eſt, ut TUAM quidem CAROLE! pro merito ornatura Virtutem Auguſtiſſima Hungariæ Regina MARIA THERESIA trium, videlicet *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* Regnorum ſuorum Pro-Regem, nec non Sereniſſimi Regii Principis JOSEPHI Supremum Aulæ Archi-Ducalis Moderatorem renunciaret. LUDOVICUM vero Tota cum Croatis Palatinum acclamaret Hungaria, & Clementiſſima Votis annueret Regina eò libentius, quo in Votis Heroica Virtus Aviti Nominis relucet luculentius. Quid ni relucet, cui Regnum non ſufficit, ſicut Macedonum Alexandro

Unus non ſufficit Orbis.

Dicat, ſi fallor, Bohemia teſtis, ex cujus viſceribus Gallorum Præſidia toties miniſterio Gentis noſtræ glorioſe profligavit. Dicat Bavaria, quam ad exorandam ab invicta Auſtriadum Domo adegit pacem, ut non tantum anguſtiis preſſa ſentiret, ſed plane cognoſceret, quod ſit,

Pax una Triumphis

Innu-

Digitized by Google

DEDICATIO.

Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,
Et cives æquare potens.

Dicant, quos in varia fluctuantes TU Excellentiſſime Pro-Rex

Concordiæ vinculo ſtatus Imperii Tibi devincis,
Lauroque cum Oliva ſtateræ appenſis,
Gratiſſimo populis Emblemati Lemma adſcribis
POTIOR PAX AUREA FERRO.

Certe TE plurimum cooperante noſtra admodum

Aſpera compoſitis miteſcunt ſæcula bellis.

Ita nempe TE ſupra communem reliquorum fortunam Politicæ Sapientiæ, & Virtutis Heroicæ provexit commendatio, ut nihil in TE ſuſpiciat quiſquam, quod non eſſet Maximum, nihil tam dicat Magnum, quod præclariſſimis TUIS non foret meritis inferius.

Verum enim vero, ne TIBI Excellentiſſime Pro-Rex tædium longiori pariam oratione, Cujus glorioſa facinora toti Europæ nota volumina fatigarent, hunc, quem cernis, de Purpurati Eccleſiæ Doctoris Natalibus partum, à TE gratioſiſſime levatum, & ſublevatum, TIBI iterum, quia TUI opus Illyrii, dum humili reverentia dedico, pro Coronide dico:

Stem̄a TUUM Indigetem, quâ ſervat rupe Leonem,
Nomen in hac ſculpat, poſthuma fama TUUM.
Quam Natalitio ſervas in Stemmate famam,
Remige TE penna vel ſuper Aſtra ferat.

EXCELLENTIÆ TUÆ

Devotiſſimus Servus, & Capellanus
Fr. JOSEPHUS BEDEKOVICH,
O. S. P. p. E. S.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

FAcundus quod quondam de Troja cecinit Vates: *Jam ſeges eſt, ubi Troja fuit.* Idem mihi de nobiliſſimi olim *Dalmatiæ* Regni, tot opulentiſſimis urbibus, ſplendidiſſimis civitatibus, magnificisque oppidis, quot ferme virorum illuſtrium ſanctitate, atque doctrinâ conſpicuorum, togâ, ſagóque præſtantium continuis ſeminariis, alto cum gemitu profari fas ſit: *Seges eſt, & culmus flaventis ariſtæ.* Ubi namque hæc, aut illa tam illuſtris opibus, tam ſplendida domibus, exculta amœnitatibus, locuples civibus, ſecura propugnatoribus urbs, vel civitas, oppidumve ſtetit, floruitque: ſola rudera, ceu cadavera quædam, ruinæ ſuæ molibus conſepulta viſuntur; multorum ne rudera quidem. Miratur quis? Eam vixit *Dalmatia*, tot aliquando plurium Europæ partium ſpoliis dives, tot præliis celebris, tot victoriis clara, viditque, & deguſtavit ætatis ferreæ iniquitatem, ut & amplitudinem ſuam reſtrictam, potentiam diminutam, ſplendorem obfuſcatum repente quaſi deplorare ſit coacta. Illam etenim vetuſtioribus ſæculis, teſte ipſo *Divo Purpurato Dalmata Hieronymo*, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunnus, Vandalus; dein etiam Slavus, atque Croatus: ac tandem recentioribus temporibus, ut ipſimet à Parentibus noſtris intelleximus, Thrax, Tartarus, Turca multifariis laceravit ruinis, ferro, & igne vaſtavit, quod exinde nonniſi illam ipſam toties, tamque gravibus percuſſam caſibus cogamur hodie cum dolore intueri, vel certe auribus uſurpare. At utinam vel oculis ipſa rudera, ſcriptis ad minus conſignata, contemplari liceret viris eruditis! ingens profecto ſolatium foret, quatenus glorioſorum; atque virtuoſorum facinorum, locorumque olim celebrium memoria, vel inter diſcurſus familiares refricari quiret. Verum in tam atroci, ac diuturna, imo continua quaſi funeſtiſſimorum bellorum calamitate, ſcripta quoque, ſi quæ fuere, cum hominibus, imo & famoſiſſimorum locorum nominibus, interiêre. Eapropter, quis quæſo, eruditiſſimus etiam virorum, divinabit? Ubi quondam extiterit, & eſto locum, ac loci rudera indicaverit, quis vaticinabitur? Quid, ac in quo flore fuerit? quemve Illuſtrium virorum genuerit, nutrie-

Digitized by Google

trierit; aut edocuerit *Pegantium*, *Incerium*, *Æquium*, *Variana*, *Endrena*, *Crita*, *Thermodula*, *Ramula*, *Turres*, *Metullum*? univerſa hæc, ac plura alia *Vetuſtæ Dalmatiæ* Urbes, aut oppida, à pluribus quidem priſcis Hiſtoricis, & Geographis, ſed nonniſi nomine, notata. Atque ut plura lachrymabundis oculis deploranda *Dalmatiæ* ſicut *antiquiſſimæ*, ita *ampliſſimæ* ornamenta miſſa faciam: producatur in medium noſtro ævo celeberrimum illud, ob celeberrimi Eccleſiæ Doctoris S. Hieronymi domicilium, oppidum *Stridon*. Ubi illud ſit, aut fuerit? Ingenia Hiſtoricorum, & Geographorum accuratiſſimorum, ut ſunt: *Pyrrhi Ligorii*, *Marci Maruli*, *Joannis Lucii*, *Inchofferii*, *Schönlebenii*, aliorumque plurium, ante centenos annos deſudarunt ad indigitandam *Stridonem*, hodierna tamen die in dubiis ruderibus occultatam jacere fateri cogimur: nullus enim eorum, vel locum quidem genuinum ita indicavit, quin ſucceſſoribus ſuis diſputationis fomitem reliquiſſet: idque non alia de ratione, quam quod (ut *Joan. Lucius* in Hiſtoria ſua *de Dalm. Croat. & Slav.* profitetur) tanta in geſtis Illyriorum (in Illyrio namque, præter alias ampliſſimas Provincias, *Dalmatia* quoque Divi Hieronymi Patria continebatur) ſit diverſitas opinionum, ut ob defectum vetuſtorum Scriptorum cum magna difficultate ad legitimam coincidentiam combinari valeant. Ego his tam eruditione, quam conditione longe inferior, qui nec gloriam, nec utile meum, ſed unius unicè Dei, atque S. Hieronymi honoris augmentum, nec non Patriotarum meorum, erga Divum Compatriotam, devotionis incrementum inquiro: cum unius oppidi *Stridonis* locum perſpectum habeam, opuſculum præſens, idque levidenſe, *De Natali Solo* præattacti Sancti Illyri, totius nationis Illyricæ ſupremi decoris, atque coronæ Hieronymi, Illyrus ipſe compilandum ſuſcepi, opinionis tantùm, & non concluſionis gratiâ, multo minus, ut vel prædeceſſores meos Scriptores eruditiſſimos confundere, vel cum quopiam hac de materia diſceptare intendam, verùm ut id, quod veritati hiſtoricæ conforme eſſe exiſtimo, in medium proferam, atque hodiedum *Stridon* oppidum, quod *Dalmatiæ* quondam, & *Pannoniæ confinium*, ac memorati S. Hieronymi *Natale ſolum* extitit, actu ſtare, & inhabitari demonſtrem; idque ex probatiſſimis, potiſſimum vetuſtioribus Authoribus, cum *Guiliel. Rhanchino*, qui *lib.* 1. Var. *cap.* 15. ſuadet, dicendo: *Ex vetuſtioribus Scriptoribus haurire ſatius eſt, quam ex novis quibusdam Rhapſodiis, qui multa obtruderunt nobis, quæ nunquam fa-*

)()()()(*cta*,

cta, ficta, picta, aut ſcripta fuere. Malo etenim cum *Ortelio* Theſauri Geographici compilatore aliorum ſententias colligere, quam meam pro Sybillino oraculo protrudere. Ut autem propoſitum meum eo faciliùs aſſequar, *Chronologiam Illyrici* brevibus adjungendam judicabam, quatenus ex ea *Origo*, *Situs*, *Progreſſus*, *Viciſſitudoque* ejusdem, nec non variorum populorum *Inhabitatio*, ac *Migratio*, ex ſententiis pariter priſcorum Hiſtoricorum combinata, dignoſci valeat. Motivum porro ſcriptionis meæ primum, & principale eſt (ut paulo ante inſinuavi) unius gloriæ DEI, & noſtri purpurati Sancti Dalmatæ honoris augmentum, quatenus moderna natio Illyrica propenſiori erga Sanctum ſuum Patriotam ſuis in gravaminibus, atque neceſſitatibus devotione feratur, acceptura haud dubie ab eodem, utpote, juxta communiorem Theologorum ſententiam propenſiorem præ reliquis Sanctis pro ſuis compatriotis apud Altiſſimum curam gerente, in cunctis adverſitatibus levamen. Aliud motivum, quantumvis aliquam intereſſentiam ſpirare videatur, eſt ipſe locus *Oppidi Stridonis*, Conventûs Ordinis noſtri S. Helenæ ſupra Chaktornyam Beneficium, ex vetuſtiſſima Incolarum traditione pro *Patrio Solo* S. Hieronymi habitus, neque, ut Critici quidam, quibus nullum ſæculum caruit, modernumque abundat, ad oculos etiam aſſerere præſumunt, à Patribus Paulinis commentitius: Quis attamen, vel modice in Hiſtoricis verſatus, prudentum hanc atram plicam candido Paulino habitui adſuere auſit? ubi diſputationem præſentem inter gravioris notæ Hiſtoricos ante centenos annos, dum fors Paulino Ordini locus iſte *Stridonis* ignotus fuit, viguiſſe adverterit. Utut ſit, ſi ego huncce genuinum, opinative tamen, ſicut dixi, non concluſive indigitavero, benevolentia eruditi Lectoris conatum meum boni conſulet, gratoque ſuſcipiet animo; ſin minus, præſumptionem meam, & ſimul ineruditam ſcriptionem peritiore pro, & contra ſtylo, vel diſcurſu excuſabit: authoritatibus tamen, quas in opuſculo præſenti pro fundamentis opinionis meæ adductas legerit, ſpero, fidem, quam probati Authores merentur, adhibebit. Cæterum dum benevolo Lectori, ut exiguo, ac levidenſi hoc labore meo in longas annorum ſeries feliciter perfrui valeat, ſincere precor, Allocutionem meam verbis *Marci Maruli Patritii Spalatenſis* in eos, qui Beatum Hieronymum *Italum* eſſe contendunt, ſcribentis, finio: *Diſceptationem hanc noſtram, conteſtationemque licet ex animi pietate ſuſceptam, ipſum Hieronymum non tam reprehendere, quam ridere reor: quippe, qui jam aliam*

pa-

patriam agnoſcit, nempe in qua tam feliciter Civis perpetuus, atque perennis adſcribi meruit; hoc eſt: Cæleſtem illam Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra; unde ipſum dicentem mihi audire videor: Ille meus eſt, & ego ſuus, qui ea, quæ docui, magis naviter exequi contendit; ille meus eſt, & ego ſuus, qui Sanctorum vitam, quantum poteſt, imitari non deſiſtit; ille denique meus eſt, & ego ſuus, qui Chriſti Domini mei eſt, & Dei mei: cui ſoli cum Patre, & Spiritu Sancto laus, & gloria ſit in ſempiternum, Amen.

PROTESTATIO AUTHORIS.

QUandoquidem nihil præſenti in Opuſculo ſcribatur, vel producatur, quod ad materiam fidei, aut morum, id eſt: ad Quæſtionem juris, ac Controverſias fidei, & mores pertineret (in his namque quæri ſolet: Quid à DEO revelatum? Quid credendum, quid non? Quid æquum, & juſtum, quid honeſtum, & iniquum? Quid licitum, vel illicitum? &c.) in ſimilibus namque quæſtionibus, aut controverſiis decidendis, infallibilis agnoſci debet S. Matris Eccleſiæ authoritas per Spiritus Sancti aſſiſtentiam Eidem communicata. Scribitur autem, legendaque proponitur Quæſtio, & Controverſia particularis, puri facti, non revelati, quæ nullo modo in verbo DEI ſcripto, ſed neque vel explicite, vel implicite tradito continetur: Ubi videlicet & in quo Dalmatiæ oppidp Stridonis natus ſit S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor? in qua, & paribus diſceptationibus dijudicandis, & decidendis Summi Romani Pontifices, & S. Mater Eccleſia non innituntur revelationi Divinæ, ſed ſolis duntaxat rationibus, relationibus, informationibus, traditionibus, & teſtimoniis humanis, quæ cum erroneæ eſſe poſſint, judicia quoque & deciſiones Pontificum, ac Eccleſiæ in his fundata erroneæ appellari poſſunt. Omnia tamen, & ſingula, quæ opuſculo hoc continentur, quemadmodum me imperitum profiteor hiſtoricum, ita non tantum Benevolorum Lectorum, verum etiam, & præcipue, ad promptiſſimam præſtandam obedientiam, S. Romanæ Eccleſiæ judicio humiliter, lubensque ſubjicio. Et quia per contextum operis hujus aliqua recenſui, quæ à Sacra Sede Apoſtolica necdum ſub titulo, aut cultu publico Sanctitatis fuere approbata, ea etiam non aliter retuli, quam veritate hiſtorica Authorum fide humana dignorum, atque taliter SSmi D. noſtri Urbani VIII. declarationem omnimode ſervatam cupio: ita, ut ſi unicum jota, aut unus apex ab ejuſdem ſenſu deflecteret, illud revocem, damnem, & tamquam non ſcriptum habere velim.

Digitized by Google

CENSURÆ THEOLOGORUM
ORDINIS SANCTI PAULI PRIMI EREMITÆ.

PRIMA.

DEmandatum mihi à Reverendiſſimo Patre noſtro Vicario Generali Gubernante Librum perlegi, intitulatum: *Natale Solum Magni Eccleſiæ Doctoris Sancti Hieronymi, in Ruderibus Stridonis occultatum &c.* Atque in eo per Adm. R. Patrem Joſephum Bedekovich Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Definitorem Generalem, conſcripto, nedum nihil Romano-Catholicæ Fidei, vel Sanctionibus Canonicis, aut doctrinæ morum adverſum deprehendi; verum, quæ in Natali Solo Purpurati Dalmatæ indicando, à præclaris cæteroquin Hiſtoricis varie, pro uniuscujusque affectu, vel opinione, hactenus diſtracta ſunt, adeo clare diſcuſſa animadverti, ut quaſi digito diſputatum Natale Solum demonſtret, & è ſuis erutum ruderibus, pro gloria gentis Slavicæ, in apricum ponat. Dignum propterea cenſeo, qui & ipſe lucem publicam, typis mediantibus, videat. Datum Ulimiæ die 20. Decembris, 1750.

Fr. CHRYSOSTOMUS KRIS,
O.S.P. p.E. Def. Prov. SS. Theol. Doct. m.p.

SECUNDA.

EX mandato Reverendiſſimi Patris noſtri Vicarii Generalis Gubernantis perlegi Opus in duas partes diviſum, cui Titulus: *Natale Solum Magni Eccleſiæ Doctoris S. Hieronymi, in ruderibus Stridonis occultatum:* Nunc porro per Adm. R. Patrem Joſephum Bedekovich, Ordinis noſtri S. Pauli primi Eremitæ, Definitorem Generalem, ſedulum rerum Scrutatorem, magna induſtria, & indefeſſo plurium annorum labore, erutum, ac ſcripto patefactum. Et ſiquidem in eo nihil Fidei Catholicæ, Sacris Canonibus, aut bonis moribus adverſari invenerim: imo potius cuncta poſterorum indelebili memoriâ digniſſima, præclaro ordine, & accurata annorum ſerie ſervata compererim: ideo ad explenda plurimorum deſideria, ut publico typo quantocius mandetur, dignum omnino cenſeo. In Conventu Ulimienſi die 10. Februarii, Anno 1751.

Fr. BARTHOLOMÆUS SAMUEL,
O. S. P. p. E. Concionator Ordinarius,
SS. Theol. Doct. m. p.

FA-

Digitized by Google

FACULTAS

Reverendiſſimi Patris Vicarii Generalis Gubernantis, ob obitum Prioris Generalis, Officio Generalatûs vacante.

Frater Matthæus Ittingar, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ Vicarius Generalis Gubernans, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor.

OPus inſcriptum: *Natale Solum Magni Eccleſiæ Doctoris Sancti Hieronymi in Ruderibus Stridonis occultatum, &c.* ab Adm. Rev. Patre Joſepho Bedekovich, Ordinis noſtri Definitore Generali compoſitum, ac à duobus, quibus commiſimus, Ejusdem Ordinis noſtri Theologis reviſum, dignumque typis probatum, ut iisdem typis mandari valeat, præſentibus, quantum in nobis eſt, facultatem impertimur. In Conventu noſtro Mariæ Tallenſi die 9. Martii, Anno 1751.

(LS) Fr. MATTHÆUS ITTINGAR, qui ſupra, m. p.

CENSURA ET APPROBATIO
CELEBERRIMÆ AC ANTIQUISSIMÆ UNIVERSITATIS VIENNENSIS.

OPus, cui Titulus: *Natale Solum Magni Eccleſiæ Doctoris S. Hieronymi in ruderibus Stridonis occultatum,* conſcriptum ab A. R. P. Joſepho Bedekovich, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Definitore Generali, cum nihil contineat, quod Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus adverſaretur, cenſeo imprimi poſſe, ſi ita videbitur Reverendiſſimo Perilluſtri ac Magnifico Univerſitatis Rectori. Datum Viennæ in Coll. Academico S. J. 30. Junii 1751.

JOSEPHUS GUNDL è S. J.
AA. LL. Philoſophiæ & Theol. Doctor, p. t. Inclytæ Facult. Art. Pro-Decanus m. p.

IMPRIMATUR.

JOSEPHUS ANT. DE HACK,
SS. Theol. Doctor, p. t. Univerſitatis Rector m. p.

PLAU-

Digitized by Google

APPLAUSUS METRICUS,
QUO
Adm. Rev. & Clariſſimo Patri JOSEPHO BEDEKOVICH, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Definitori Generali, præſentis Operis Authori ſincere aggratulatur infra ſignatus.

SEptem Urbes certant, & adhuc ſub Judice lis eſt
Patria quæ fuerit Grandis Homere tibi?
Certatum eſt pariter retro compluribus annis
Quod Natale Solum Dalmata Doctor habet?
Doctor præcipuus, quem Purpura Sacra decorat,
Deſertum nudus, Pectore ſaxa premunt.
Sed bene Bedekovich Joſephus ſcriptor acutus
Hanc litem dirimit, quam bene noſſe cupis?
Hoc, quod ſcripſit Opus (tantum ſis Arbiter æquus)
Inſpice comperies conſona cuncta loqui;
Huc vires omnes, lapidem moviſſe videtur
Omnem, quô vero ſterneret ille viam.
Adria ne certa, numquid tua finibus arcta,
Quæ nunc Dalmatia eſt, prendet Hieronymum?
Eſt Stridone ſatus, Joſepho cede probanti,
Pannonis ad fines, quam minuere Gothi,
Quæ fluvios inter Muram, Dravumque locata
Gaudet vitiferis undique cincta jugis.
Id mihi, dum fueram Parochus Stridone, relatum
Gentis ab antiqua Traditione fuit.
In reliquis pariter, quæ ſcriptor candidus affert,
Quæ te delectent, plurima Lector habes.
Nunc Venerande Pater tibi ſortem gratulor iſtam:
Tanto Doctori, tali paraſſe decus.
Ut nova, collapſo veteri, Sacraria ſurgant
Divo, ligna alii, multaque ſaxa vehant,
Rurſum labentur cum tempore, ſtabit Honoris
Æternum Templum, quod tua dextra ſtruit.
Hunc tua Gentilis Rota (*) ſignat forte triumphum,
In quo cum Divo poſſis ad Aſtra vehi.

(*) Inſigne Familiæ Bedekovichianum.

ENCOMIASTICON.
In Vitam Divi Hieronymi, quo ipſe loquens de ſe inducitur operâ Ejusdem aggratulantis.

STridon conſpicuo genuit me ſtemmate clarum,
Dalmata Pannonicis fines cum jungeret oris,
Roma dein ſacro luſtravit Fonte ſalutis,
Artibus ingenuis, & moribus imbuit æquis;
Eloquio facundus eram, Ciceronis amator
Præcipuus, Cœlo, quem poſtea vindice luxi;
Docta Sophos inter coluit me Græcia primos,
Quod facile poteram ſapiens octavus haberi.
In Syriam veniens cœpi contemnere mundum,
Tractus amore DEI, punctusque timore gehennæ,

In-

Ingreſſus vaſtam, plenamque horroris Eremum,
Annorum quatuor ſpatio cum carne rebelli
Conflictum tenui, tundebam pectora ſaxo,
Sicca fame, lachrymis manantibus ora rigabam.
Annis ter denis effectus Presbyter omnes
Impendi vires, ut Biblia Sacra, prophanis
Sepoſitis libris, poſſem cognoſcere, quantum
Mens humana capit, quo ſenſu Spiritus illa
Sanctus dictavit, cujus depoſcere lumen
Non intermiſi, cupiens diſcernere veros
Libros à falſis, & ſic ſermone latino
Edere de variis linguis, quo fine profectus
Ad terram Sanctam, Divino ſanguine tinctam
Jam Græcæ gnarus linguæ conamine multo
Hebræam didici, Chaldæâ non minus auctus;
Cuncta Palæſtinæ relegens veſtigia priſca
Quidquid ubique fuit dictum, geſtumve notabam,
Immenſum tandem, Domino miſerante, laborem
Complevi, florens quo nunc Eccleſia Christi
Gaudet, & errorem nullum deprendit in illo.
Doctrinæ, cauſa, ſolidæ, & pietatis ad Ortum
Solis ab Occaſu peragravi climata mundi
Præſtantes quærendo viros, tum laſſus in Urbe
Inveni requiem, quæ dicitur inclyta Bethlem,
In ſtabulo dulci juxta Præſepe reclinis,
In quo dignatus fuerat captare quietem
Salvator Mundi natus, ſapientia Patris
In gremio recubans Matris prius ubere paſtus
Virgineo; cujus capti dulcedine multi
Me de longinqua fuerant regione ſecuti.
Hic ego conſtruxi vicina cubilia plura
Apta Peregrinis, & Christi caſtra ſecutis
Fratribus, unde dabam multis reſponſa per orbem
In rebus dubiis conſultus, & unde vibrabam
Contra hoſtes Fidei, pugnacia tela, rebelles;
Hic ego præ ſtudio, ſenio, morboque frequenti
Membra ſuper duro ponebam languida ſtrato,
Hic mea, quod petii ferventius oſſa recepit
Alma Domus gremio placidæ poſt funera mortis.
Bis ego non modico verſatus tempore Romæ
Summo dignus eram reputatus honore, nec hoſtes
Defuerant nobis, merito gens invida tanto.
Demum Roma memor noſtræ virtutis honorem
Exhibuit nobis amplam poſt funera, quando
Transtulit ex Bethlem ſacrum Præſepe, decenter
Et noſtrum corpus juxta Præſepe locavit.
Iſta Bovem decuit Præſepis gloria laſſum.
Sed neque noſtra carent cultu cunabula, poſtquam
Conſignata piæ ſunt curæ Religionis
Paulinæ, Fabricam quæ nobis ſtruxit honorem;
Inſuper, & calamo ſtatuit monimenta per ævum.
Hæc DEUS in terris etiam dat præmia nobis,
Ut quia nos Pauli vitam bene ſcripſimus, Ordo

Hujus Eremitæ primi, ſtudioſus honoris
Sit noſtri pariter, noſtroque favore perennet.

Dabam in Præpoſitura Ruaenſi, Via Angelorum nuncupata, ſupra Græcium. Die 25. Martii, Anno à Chriſto nato, hodie Incarnato 1751.

Thomas Dollár Presbyter indignus, ex Parocho Stridonenſi, & Vice-Archidiacono Inſulæ Muro-Dravanæ humilis Oblatus Ciſtercienſis. m. p.

ELOGIUM IN AUTHOREM LIBRI.

ILlyrii veteris, quænam ſit gloria noſtri?
Innotuit ſcriptis fortiter illa tuis.
Quare age, quo tantum cœptum eſt pede, fortiter aude
Et tua quo virtus te vocat, iſta pete.
Fruſtra omnis labor eſt, ni ſcripto corpore notum
Illyrio faceres te, Illyriumque ſibi.
Hoc facis, in Vitam Sancti Doctoris, & ejus,
Scribens, & pandens limina grata Soli.
Fors hac Illyricas volitantia ſcripta per oras
Accendent animos, & pietate viros.
Creſcet in immenſum divinæ gloria laudis
Slavica, ſi Sancti, gens ſciet eſſe Solum.

A L I U D.

EXplicat Illyricum, Patriamque per avia quærit
Cardinis Illyrici, Doctoris & Orbis, & Urbis
Filius Illyrii; ut voto, ſic candidus ipſo
Eſt calamo: at mirum non eſt, nam ſcripſit Joſeph;
Cujus honor Libro hoc, nomen, laudesque manebunt:
Dum Natale Solum, peregre luſtrando profectus,
Doctoris Sancti reperit, digitoque probavit.
Abdita namque nihil prodeſſent limina; ſicut
Abdita quid prodeſt generoſa vena metalli
Si cultore caret? quid inerti condita portu
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta egerat, tereti que fluentia malo
Poſſit, & excuſſo dimittere vela rudente?

Ita accinuit

Humilis in Chriſto Servus
Fr. Chryſoſtomus Kris, Ord. Ejusd. Prov. Croat. Def. Provincialis. m. p.

TERTIUM TERTII.


JOſeph Ægyptum percurrit tramite recto,
Sic & percurrit Joſeph hic Illyricum.
Nazareth ad Natale Solum fuit inde reductus
Joſephus ſenior, nunquid & eſt junior?
Plane eſt, cum rediit, quo priſca hiſtoria traxit,
Jucundum ad collem, candida jura Patrum.
Pauli, qui ſcripſit vitam, tunc murice fulgens,
A Pauli nato, ſcribitur ille modo.
Candidus hic Patriam cujus ſcribendo reviſit,
Illam candentis candida palma dedit.
Quem candor morum, commendat in Orbe proborum,
Hunc patriamque tenet candor in Orbe ſuus.

Ita applaudebat

Humilis, & veteranus Servus
Fr. Bartholomæus Samuel Concionator Ulimienſis. m. p.

PARS

Digitized by Google



Digitized by Google

PARS PRIMA
NATALE SOLUM
MAGNI ECCLESIÆ DOCTORIS
SANCTI
HIERONYMI
DALMATÆ STRIDONENSIS

PROOEMIUM.

ILlyricanæ gentis decus, & ornamentum Divus Hieronymus in *Dalmatia* prognatus, *Dalmata* in Breviario Romano ad *diem 30. Menſis Septembr.* nuncupatur. Cui, tanquam per ſacram ſedem Apoſtolico-Romanam approbato, contradicere nefas ſit; quandoquidem & ipſe Sanctus vir, de quo agitur, ſe Euſebii filium *Stridone* in *Dalmatia* genitum fateatur. Quia verò pro Eodem non minùs, ac olim pro Homero certarent Urbes, ac Oppida, juxta illud Poëtæ:

Septem Urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.

Idque non alia de cauſa, quàm, quòd plura oppida diverſis in Provinciis eodem nomine *Stridonis*, vel ſaltem ad ſimilitudinem ejuſdem vocabuli appellarentur: indéque ingens orietur dubium, cuinam *Stridoni* Divi Hieronymi *Natale ſolum* adjudicandum foret?

Primò namque *Blondus* non longè à *Juſtinopoli* in *Iſtria*, intra *Petram piloſam*, *Portulam*, & *Primontem* ponit oppidulum *Strignam*, olim, ut is aſſerit *Stridonium* dictum, aitque hoc eſſe *Patrium ſolum* Divi Hieronymi. Hunc ſequitur *Petrus Ribadeneira* in Florib. SS. *pag.* 456. Item *Lilius*, quin & *Moletius*, & paſſim *Commentatores Ptolomæi*, qui *Sidronam* vocat, eámque reponit in *Liburnia*, proximam *Blanonæ*, ut habet *Moletius*, qui interpretatur *Lauranam*. Ejuſdem opinionis eſt *Caſimirus Freſchot* in Geograph. *Dalmatiæ* deſcriptione Tit. *Sidrona*. His recentiſſimè ex integro ſubſcripſit *Joan. Diſmas Floriantſchitz*, Parochus, & Conſiſtorialis officii *Sitticenſis* in ſua *Ducatûs Carnioliæ* Tabula Chorographica, juſſu, ſumptuque Inclytorum Provinciæ Statuum Geometricè exhibita, &

 Labaci

Digitized by Google

Labaci per *Abrahamum Kaltſchmit* A. C. 1744. æri inciſa, locans *Stridonem* in alti cujusdam *Iſtriæ* montis vertice cum hac expreſſa adnotatione: *Sdregna*, *Stridonium. Patria S. Hieronymi.*

Secundò: *Philippus Bergomen.* in ſupplemento Chronicorum ſcribit: Hieronymum non fuiſſe *Dalmatam* immemor authoritatis *Breviarii Romani;* ſed *Italum.* Quem admiratus *Marcus Marulus*, dum ipſum hæc ex *Blondo* excerpſiſſe cognoviſſet, pium ejus, & ſimplicem affectum excuſat, diſcipulique errorem, Magiſtri culpam fuiſſe profitetur.

Tertiò: Ipſemet *Marcus Marulus*, contendit patriam S. Hieronymi eſſe *Sidronam* à *Ptolomæo* ſic nuncupatam *Liburniæ* Urbem, quæ tempore S. Hieronymi contermina fuit *Dalmatiæ*, & deinde *Strigoum* dicebatur, nunc verò *Blanda* vocitatur. Quem ſequitur *Ortelius*, & *Sidronam*, nunc *Belaſi* dici aſſerit cum *Nigro* & *Villanovano.*

Quartò: *Ludovicus Vergelius* Iſtriota, in Epiſt. ad *Sebaſtianum Munſterum* A. C. 1549. ſcripta, & per eundem in ſua Coſmographia *de Illyride* per extenſum relata, *Stridonem* locat in moderna *Dalmatia* non procul à *Salona*, celeberrima quondam Romanorum Colonia, ibidem *Patriam* Divi Hieronymi ſtatuens ex ſententia cujusdam *Eraſmi.* Hoc *Stridon* fortè erit citati *Freſchoti* Urbs *Scardona.* Nam hic idem *loco cit.* Tit. *Scardona.* Hanc quóque Urbem ſcribit eſſe *Natale ſolum* S. Hieronymi, non reflectens ſe, hominem unum eundémque non poſſe bina habere nativitatis ſuæ loca.

Quintò: *Pyrrhus Ligorius*, cui ſubſcribit *Melchior Incheffer* in Annal. Eccl. Regni Hung. ad *A. C. 341. Stridonem* Beati Hieronymi *Patriam* ita figit, ut unius diei itinere vix diſtet à *Patria* S. Martini Epiſcopi Turonenſis *Sabaria* dicta, minùs *Petoviô*, & multo minùs *Csaktornyâ.* Accedit *Lazius* cum *Joanne Sambucco*, qui *Stridonem* in hodierna *Pannonia* locant; quibus concinit *Steph. Brodericbus Ep. Vacien.* qui in Deſcriptione cladis Mohachianæ ait: *Slavoniam* Divorum Martini, & Hieronymi *Patriam* exiſtere: Idipſum confirmat *Antonius Vramecz*, in Poſtilla Sanctor. *ſerm.* de *S. Hieronymo.* Plures etiam hujus ſententiæ fautores, ſuo loco citandi, multis, non contemnendis argumentis, ſuam firmavêre opinionem.

Sextò: *Joan. Lucius Traguriens.* quaſi Arbiter accedit, atque *Pyrrhum Ligorium*, *Incbofferum*, & *Marcum Marulum* erroris arguere conatur; attamen poſt plurimas contra hos deductas opiniones, nullibi locorum deſignare voluit *Patriam* S. Hieronymi. Metuebat probabiliter Replicam.

Septimò: Ipſemet tandem *S. Hieronymus* Lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. ſe, ut ſupra inſinuatum eſt, *Stridonenſem* nominat, natum à Patre Euſebio, in oppido *Stridonis*, quod à Gotthis everſum *Dalmatiæ* quondam, & *Pannoniæ* confinium fuit; nullibi tamen ſui temporis metales *Dalmatiæ*, vel *Pannoniæ*, eſtò & Chronicam ſcripſerit, definivit: adeóque textum hunc poſteris diſputandum reliquit. Néque tamen ipſemet, ſed néque ullus præcitatorum Scriptorum, ſi unicum *Philippum Bergomen.* cum ſuo Magiſtro *Blondo* excipiamus, *Patriam* D. Hieronymi *Illyricô* excluſit.

Porrò, pro Theſis hujus declaratione id certiſſimum dignoſcitur, quòd per temporum ſucceſſiones, atque innumerabiles viciſſitudines variâ metamorphoſi Provinciarum, & Regionum fines aliqui dilatati, aliqui conſtricti, imò & mutati totaliter ſint, ut exinde diverſitas metalium, quia non æqualiter ab omnibus ſignatorum, apud ſcriptores non exiguam pepererit confuſionem. Hinc ortum habuêre tot æquivocationes de *Illyrio*, *Dalmatia*, & *Pannonia* apud pleróſque Hiſtoricos, ac Geographos, ut vix aliquid certi, vel diſtincti,

Digitized by Google

ſtincti percipi queat. Eapropter, antequam probabilior opinio pro genuino loco *Natalis ſoli* S. Hieronymi determinetur, neceſſum duxi, ex probatiſſimis Authoribus inveſtigare vetuſtos confiniarios *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* limites. Siquidem autem ipſa *Dalmatia*, & *Pannonia* in *Illyrico* concluſa fuiſſet, primô locô agendum exiſtimavi de ipſo *Illyrio*, ejusdem originem, progreſſum, amplitudinem, ac in diverſas Provincias diviſionem inveſtigando. Sed cum neque hoc absque Chronologica temporum, rerùmque geſtarum elucubratione fieri queat, eam propoſitæ Theſi, Ductore plerumque eruditiſſimo Patre noſtro *Mathia Fhurman*, Chorographiæ veteris, & novæ Auſtriæ laudatiſſimo Scriptore, immiſcere intendo; partium ſtudio nullatenus abreptus, verùm omnia ſolius amore veritatis indagaturus, ut per hoc, pro vili poſſe meo, Patriæ quóque meæ honorem aliquem adaugeam.

CAPUT I.

De Origine Illyrii.

I. QUantumvis Scriptores non ejusdem ſint opinionis, undenam *Illyricum*, aliis *Hylliricum*, quibusdam *Illyris*, & *Illyria* ſuæ nomenclaturæ deſumpſerit principium? paſſim tamen majoris notæ Hiſtorici fatentur, Gentem, ac Regionem *Illyriorum* à Duce *Illyro* cognominatam fuiſſe: ambiguum tamen apud eosdem manet cujus is filius extiterit, à quove *Japheti* filio, nepoteve per ſucceſſivæ generationis ſeriem traxerit originem? *Appianus* námque *Libro* de Bellis Illyricis apud *Joan. Lucium pag.* 460. ſic ſcribit: *Fama tenet Illyriorum cognomen ab Illyrio Cyclopis Polyphæmi filio demiſſum.* Atque hæc inter plurima fabularum, quæ hoc loco referri ſolent, maximè probantur *Appiano.* Hanc tamen *Appiani* opinionem *Lazius* de Migrat. Gent. *lib. 4. pag.* 113. tanquam ridiculam, fabuloſámque ſuſpicit. Alii hoc nomen ſumpſiſſe *Illyrios* ſcribunt ab *Hylo*, uno ex filiis *Wolheimbs Galatarum*, ſeu *Celtarum* (qui ſe nunc *Germanos* nuncupant) Ducis. Aliqui originem hujus nominis adſcribunt cuidam *Illyro Celtarum* Belliduci, de quo *Cluverius* Germ. Antiquit. *lib. 1. cap.* 9. ſic diſſerit: *Quarta Celtarum pars nomen accepit ab Illyro, Celtæ filio, qui apud Appianum falsò dicitur fuiſſe frater, quum filius potius Celtæ ſit habendus.* Ex quo textu citatus *Cluverius* videtur probare velle, *Illyrum* ex *Thuiſcone Germanorum*, & *Sarmatarum* conditore deſcendere, ex eo, quòd *Beroſus Chaldæus* apud *Nuclerum vol. 1. Gen.* 16. hæc habeat: *Janus Pater, aliàs Noa miſit in Europam, & Regem Sarmatiæ fecit Thuiſconem à Tanai, ad Rhenum fluvium: junctíque ſunt illi omnes filii Iſtri ab Adula monte, uſque ad Menſembriam Ponticam.* Sed ex hoc capite vix inferri poteſt *Illyrum* ex *Thuiſcone* deſcendiſſe, ſiquidem uno, eodémque tempore *Noë Pater* non tantum unicum *Thuiſconem*, unicámque ejus familiam, verùm & alios Nepotes ſuos, cum ſuis familiis in *Europam* expedire potuerit: atque ideo probabiliter *Beroſus Chald.* addit: *Junctique ſunt illi omnes filii Iſtri.* Quaſi ſimul eâdem miſſionis, & expeditionis occaſione in *Europam* migrâſſent. Alii iterum *Illyrum* non *Polyphæmi*, ſed *Cadmi*, *Thebarum* conditoris filium fuiſſe ajunt: ut *Lazius loc. cit* & *Euſtathius*, quem citat *Ambroſ. Calep.* verbo: *Illyricum.* Author recentiſſimus *R. P. Alexius à S. Maria Magd. Piariſta cap.* 2. §. 3. ſequi videtur *Lazium*, atque cum *Rabbi Kimchi*, &

Digitized by Google

Hornio originem *Illyriorum* ad *Phœnices* refert opinionem *Suidæ*, *Appiani*, *Cluverii*, & *Henrici Coccei* rejiciens, aſſeritque *Cadmum* cum *Harmonia* uxore ex *Phœnicia* in *Boëtiam*, inde verò in *Illyridem* conceſſiſſe, occupatâque inter *Naronem*, & *Drilonem* fluvios Regione Maritimâ *Gentem Illyricam* condidiſſe, ubi tacitè inſinuare dignoſcitur *Illyrum* fuiſſe *Cadmi* filium; quam aſſertionem firmam haberi vult authoritatibus *Philarchi* Hiſt. *lib.* 22. apud *Athenæum Deipnoſoph. lib.* 11. *pag.* 463. Item *Apollodori lib.* 3. & *Steph. Byzantini* voce *Budua*. Præterea, idem *P. Alexius cap.* 2. §. 13. tradit *Cadmum Phœnicem* primum omnium *Illyriis* præfuiſſe. Sed qualiter hæc ſubſiſtere poſſint? prudentis Lectoris judicio diſcutiendum relinquitur; quandoquidem *Illyricum* ab *Illyro* cognominatum fuiſſe, antequam *Cadmus* in *Illyricum* veniſſet, in comperto habeatur. *Philipp. Brietius* námque *lib.* 3. *cap.* 4. ad *A. M.* 2637. Nomenclaturam *Illyrici* jam extitiſſe docet, tum exponit: qualiter *Cadmus*, ab *Amphyone*, & *Zetho Thæbis* pulſus in *Illyricum* fugerit, ibidémque ad quasdam rupes maritimas, quæ hodiedum ab eodem *Cadmeæ* nominantur, conſederit, ínque ſerpentem (ut *Ovidius* ſcribit) unà cum conjuge ſua *Harmonia* mutatus fuerit; id eſt: ut *Rhaphaël Rhegius* Metamorphoſeos *Ovidianæ* expoſitor declarat, miſerrimam duxerit vitam. Et certè *Illyrus* ipſe, ſi *Cadmi* fuiſſet filius, ſuæ nationis Conditorem, aut Ducem miſerè vivere haud ſiviſſet, verùm eò omnem ſuam operam impendiſſet, quatenus, poſſibili ad minùs, hoſpitalitatis officio honoratus fuiſſet. Hinc vacillare etiam ſentitur opinio *P. Alexii Piariſtæ*, qui *loc. cit.* *Cadmum* primum *Illyriorum* Regem, aut Ducem fuiſſe ex ſententia *Apollodori* dicentis: *Et Illyriis imperat Cadmus*, tradit. Qualiter etenim is, qui miſerè vixit, imperare quiviſſet? Quòd autem *Cadmus* miſerè vixerit, teſtatur *Brietius loc. cit.* ita diſſerens: *Amphion, & Zethes, filii Jovis, & Antiope, hoc anno Thebis regnare cæperunt, Cadmo depulſo, & in Illyricum fugiente, ibidem ſenex, & pauper cum inopi conjuge Harmonia, item vetula, miſerrimè victitavit, & obiit.* Neque ex eo, quod hic loci *P. Alexio Piariſtæ* viro eruditiſſimo contrariari videar, is mihi in vitium vertet, ſpero, commune námque univerſis eruditis eſt, ut unus unius, alter alterius ſcriptoris opinionem, cum probabilitate tamen majori, vel minori ſequatur, ex quo luculentioris veritatis lumen ſenſim, & ſenſim poſteris affulgeat. Ad *Cadmum* redeo, quem plurimi Authores Hiſtorici in eo celebrem referunt, ſignanter *Suidas*: quòd è *Phœnicia*, in *Græciam* 16. Litteras attulerit (idipſum eum feciſſe etiam crediderim, dum è *Græcia* in *Illyricum* migrare coactus eſt,) quibus *Palamedes* 4. adjecit. Item: ferunt quidam, & cum ipſis *Szentivanius* in Obſervationib. curioſis *Synopſi Chronol.* §. 12. *Cadmum* in *Illyrico* inveniſſe auri metalla, eorúmque conflaturam.

II. In tanta igitur de Origine *Illyrii* opinionum diverſitate vix aliquid certi concludi poteſt. Ego nihilominus plus conjecturando, & divinando, quàm genuinæ veritati, cum hæc ob defectum veridicorum Scriptorum invenibilis non ſit, inſiſtendo, paratus ſemper revocare, ſi meliora, & probabiliora ab aliis produci videro. Igitur cum *Beroſo Chaldæo* ſcriptore perantiquo, quem in Hiſt. Regni Slavor. citat *Marcus Orbinus*, dico: *Illyrium*, qui in *Bonfinio Dec.* 1. *l.* 1. errore vel Amanuenſium, vel Librariorum legitur *Elorus*, fuiſſe filium *Iſtri*, aſſerente idipſum *Philoſtrato*, ſententiam *Homeri* ſequente: cui ſubſcribere videtur *Hederich. Reatinus ſchol. Lex.* verbo: *Illyricum*, ubi univerſas alias præmiſſas opiniones dubias, adeóque incertas aſſerit. A quo porrò parente *Iſter* genitus ſit?

Aven-

Digitized by Google

Aventinus Annal: *lib.* 2. exponit his verbis: *Thuiſco Germanorum, & Sarmatarum conditor Iſtrum filium Ebri in hanc regionem* (ab *Adula* monte, qui eſt ad fontes *Rheni*, uſque ad *Meſembriam Ponticam*, quæ ad *Pontum Euxinum* urbs eſt, *Thracibus* dicta *Bria*, ut vult *Stephanus* à *Gesnero* in Onomaſtico voce *Meſembria* citatus) *cum coloniis miſit, qui Iſtro celebre ad poſteros nomen dedit.* Ex quo textu colligitur *Ebrum* Patrem *Iſtri* fuiſſe. Quis autem *Ebri* extiterit genitor? nullus Hiſtoricorum meminit. Hunc tamen ex *Javan* filio *Japhet*, & nepote *Noë* proceſſiſſe non improbabilis conjectura docet. *Javan* etenim, qui & *Jon* apud pleróſque ſcriptores nominatur, quartus *Japheti* filius *Jonum* in ora *minoris Aſiæ*, aliorúmque *Græcorum* parens fuit, ut ait *S. Hieron.* & *Euſeb.* apud *Tirinum* in Chron. ſacro *Tab. 1.* Quòd ſi dixerimus *Javani*, vel *Joni* poſteros ex *Aſia* trajecto mari *Græciæ* Regnum inchoâſſe, nihil à vero aberrabimus, cum id paſſim *Javani* filiis, vel nepotibus tribuatur, ut teſtatur *Fl. Joſeph.* Antiquit. Judaicar. *lib. 1. cap. 11.* dicens: *De Jano omnes Jonii, & Helladici deſcendunt, qui & Græci, unde & mare Jonium appellatur.* Temporibus quòque *Homeri*, ut ipſemet *Illiad.* 546. notat: *Athenienſes* in ſpecie *Jonii*, & eorum diſtrictus *Jonia* vocabatur, quod nomen à *Javano* conditore *Græcorum* uſque ad ſua tempora apud prædictos *Athenienſes* conſervatum fuiſſe aſſeverat. Atque ea de cauſa *Hebræi* hodiedum *Græciam* appellant *Javan.* Ut ergo Genealogiam *Illyri* noſtri deductam habeamus, recurrendum eſt nobis ad *Moyſen*, qui in ſacris Codicibus Genealogiam à *Noë* deſcendentem texens, ſcribit: *Javanum* habuiſſe quatuor filios, eosque hoc ordine *Gen. cap. 10.* recenſet: *Eliſa, & Tharſis, Cethim, & Dodanim.* De duobus prioribus *Javani* filiis *Eliſa*, & *Tharſi*, nihil eſt, quod ad noſtrum propoſitum adnotetur. De binis poſterioribus *Cethim*, & *Dodanim* plura memoranda veniunt.

III. Veniat itáque primus *Cethim*, ſeu, ut quidam ſcribunt *Kythim* in obtutum. Hic tertius *Javani* filius Pater fuit eorum Græcorum, qui ab ipſo *Cetii*, & *Citii* nominabantur, ſub quorum nomine *Cyprii* quóque, & *Cretenſes* comprehendebantur. Hi ſucceſſivè multiplicati, dilatavêre ſeſe per varias Regiones, ſignanter per *Macedoniam*, quæ primitùs ab iisdem *Macethim*, in ſacris verò codicibus *Jerem. cap.* 20. & 1. *Machab.* 1. dicebatur *Cethim:* prouti & Inſula *Cyprus* apud *Epiphanium Hæreſi* 30. nominabatur *Citium*, atque ſub eadem appellatione non tantùm *Cyprus*, ſed & omnes aliæ Inſulæ in *Jonio*, & *Adriatico mari* ab *Hæbreis* apud *Fl. Joſ.* Antiq. Jud. *lib. 1. cap.* 11. intelligebantur. Hinc, quia *Italia* pro Pen-Inſula, ſeu media Inſula reputabatur, pari nomenclaturâ gaudebat. *Et bene*, (inquiunt *Svidas* verbo: *Latinus*, & *Melanhton lib. 1. pag.* 23.) *Quia Latini, & Romani à Javano, ejusdémque filio Cethim deſcendunt.* Quapropter non ſolum *Macethidi*, ſeu *Macedoniæ*, néque tantum *Cypro*, & *Italiæ*, aliíſque *Jonii*, & *Adriatici maris* inſulis, ſed pluribus quóque locis, variis in diſtrictibus *Cethim* nomen, non ab alio, quàm à ſupranominato *Cethim*, *Javani* filio, ejusdémque deſcendentibus *Cetiis*, & *Citiis* impoſitum dignoſcitur. Nam in Provincia *Aſiæ minoris Cilicia* fuit urbs nomine *Cethis* apud *Ptolomæum lib. 5. cap. 8.* & in vicinia *Trojæ* notus *Plinio lib. 5. cap. 30.* fluvius *Citius*, uti & in *Cypro* ejusdem nominis civitas, de qua *Fl. Joſ. loc. cit.* ſic diſſerit: *Cethim, autem Cethinam Inſulam habuit, quæ nunc dicitur Cyprus, & ab ea, omnes inſulæ, & maritima loca Cethim hebraicè nominantur. Teſtis eſt enim ſermonis mei una in Cypro civitatum, quæ antiquam appellationem voluit retinere. Cythis enim ab his, qui*

ei *Graecum nomen impoſuerunt*, *vocatur*, *neque ſic fugiens Cethi nomen:* Quæ urbs fuit natale ſolum *Zenonis* Stoici Philoſophi, ideo *Cythienſis* cognominati. In Macedonia quóque urbs *Citium* apud *Livium Dec.* 5. *lib.* 2. *cap.* 40. legitur. Atque hinc, ſignanter *Macedonia* appellatur *Cethim*, ut notum eſt de *Alexandro M.* de quo in ſacris Literis *Lib.* 1. *Machab. cap.* 1. dicitur: *Egreſſus eſt de terra Cethim.* In *Ægeo mari* Inſula *Cythnus* apud *Strabonem lib.* 10. & *Plinium lib.* 4. *cap.* 12. Item in *Peloponeſo* binæ *Cetiæ*, juxta eund. *Plin. loc. cit.* In Inſula *Creta* duæ urbes una *Cetia*, altera *Cythæum*, apud *Ptolom. lib.* 3. *cap.* 17. In *Italia* quóque habentur veſtigia *Cethim* & *Cetiorum*: Binæ urbes, quarum una eſt *Cetia*, alia *Echetia*, apud *Dionyſ. Halicarnaſſ.* Fluvius etiam *Cetus* propè *Cumam*, juxta *Ariſtotel. lib.* de Mirabilib. & apud *Steph.* verbo: *Cethim.* Porrò *LXX. Interpretes* omnes populos in præattactis Inſulis habitantes *Cethæos*, & *Cythios* nominabant. Ab hoc igitur *Cethim* filio *Javan*, præter colonias, quas *Gomer Gallus* frater *Javani* in *Italiam* traduxit, *Umbros*que vocavit, deſcendunt etiam omnes alii *Itali*, *Latini* & *Romani*. De quibus *Svidas*, voce: *Latinus* ſic loquitur: *Telephus filius Herculis, qui cognominatus eſt Latinus, olim dictos Cetios, ſive Citios, Latinos, mutato nomine nuncupavit, qui rurſus Itali.* Imò ipſa *Roma* uſitatiùs, & magis propriè ſub nomine *Cethim* intelligenda videtur, quia *Vulgata* in *Danielem* tam bene *Urbem Romanam*, quàm *Populum Romanum* per *Cethim* exponit, ut teſtatur *Alexander Natalis* Hiſt. Eccl. *Tom.* 1. *Art.* 4. Præterea *Homerus Odyſſ.* 518. ſcribit de quibusdam populis, quos *Cetios*, & *Cethæos* appellat, hos tamen incognitos eſſe opinatur *Strabo* de Æolia *lib.* 13.

IV. Ex *Aſia*, *Græcia*, & *Italia* paſſum facio ad noſtras partes *Danubium* fluvium uſque, ubi etiam mox nobis memoria *Cethim* occurret. Nam quemadmodum in *Aſia minori*, *Græcia*, & *Italia* præmemorata nomina à *Cethim*, filio *Javan* derivata, in Inſulis, Fluviis, Urbibus, & Populis longiſſimo tempore perſeveràſſe tradunt Scriptores, ita etiam paria in noſtris inveniuntur partibus, quorum aliqua ad vetuſtatis memoriam hodierna die conſervantur. Atque hac de cauſa conjecturare licet, inquit *Ludov. Schönleben.* Annal. Carniol. *Par.* 2. *pag.* 24. Quòd à ſæpefato *Cethim* progeniti populi in partibus tam moderni, quàm vetuſti *Illyrii* habitaverint. Pro hac conjectura probanda non exiguum argumentum adferre videtur Mons, qui in latino idiomate generali nomine *Cetius* vocitatur, quíque à *Danubio* ſupra *Viennam Auſtriæ inferioris* Urbem initium ſumens, per ipſam *Auſtriam*, *Styriam* quòque *ſuperiorem*, & *inferiorem*, item in parte per *Slavoniam ſuperiorem*, ſignanter autem per *Vindorum Marchiam* concatenatus, in plures tamen ramos ſub diverſis nomenclaturis diffuſus, uſque ad *Æmonam*, ſeu *Labacum Carnioliæ* Metropolim protenditur, atque ad ripam *Savi* amnis terminatur, creditúrque paſſim non aliunde, niſi à præmemoratis *Cetiis*, ſeu *Citiis*. poſteritate nimirum *Cethim*, generalem ſuam nomenclaturam ſortitus fuiſſe: ídque quaſi certum apparet ex *Ptolom.* qui Geographiæ *lib.* 2. *cap.* 15. Europæi orbis *Tab.* 5. eos populos, qui tempore ejusdem in *inferiori Auſtria* cis *Danubium*, & ad moderna confinia *Hungariæ* habitabant, *Cythenos* appellat, atque ab ipſis Inſulam *Schüt*, quamvis corruptè cognominatam dicit, quæ ex hac ratione etiam à recentioribus ſcriptoribus ſignanter *Lazio* Reipub. Rom. *lib.* 12. Item *Hejdmano* in Manuduct. ad veterem Geograph. *cap.* 8. & *Matthia Bellio*, Notit. Hung. nov. *pag.* 78. Pro *Inſula Cituorum* habetur. Néque obſtat, quòd præfatus Mons *Cetius*

Digitized by Google

tius in idiomate Germanico *Gallenberg* vocitetur, id námque contigit ex eo, quòd poſterioribus temporibus etiam *Aſchenaſi*, & *Cymbri*, dein *Galli* dicti circa eundem montem colonias quasdam habuerint, montique à nomine ſuo nomen indiderint. Hoc tamen non obſtante, & *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtriæ *Par. 4. lib. 1. cap. 2.* atteſtante, ſatus Mons à *Græcis* primis, & vetuſtiſſimis Hiſtoricis, quos *Romani*, & *Latini* immitabantur, nomine à *Cethim* derivato, *Cetius* compellatus fuit, cum è contra à *Latinis* nunquam mons *Gallatus*, aut *Gallicus* nominatus ſit. Poſt *Cetium* montem reperitur adhuc hiſce in partibus memoria *Cethim*, & *Cetiorum* in *Cetia*, ſeu *Cetio Norici* urbe ſupra prænominatum montem *Cetium* in ruderibus hodiernis *Zeislmaur*, qua mediis temporibus apud Hiſtoricos, & Geographos nominatur *Cetius murus*. Pariter *Cetium*, ſive *Citium* alia urbs ad pedem ejusdem montis *Cetii* modicè ſupra *Viennam* in ripa *Danubii*, vicina hodierno vico *Gallen*, in quam Colonia *Romanorum*, juxta *Itinerarium Antonini* apud *Weſſelingum pag. 234.* & *Peutingerum in Tab. Geogr.* apud *Cluverum* Vindel. & Noric. *pag. 20.* introducta fuerat. Magnam quóque nominis affinitatem oppido *Köpchinio* non procul à *Poſonio* urbe *Hungariæ* ſituato, quod *Kitzé* vulgariter appellatur, appropriavit *Ptolom. loc. ſupra cit.* Ex quibus hucusque expoſitis colligere licet, quod primævi incolæ non tantùm partium, quæ ſub initium nomenclaturarum uno, aliove vocabulo deſignatæ ſunt, & in ſpecie partis, quæ *Illyricum* dictum eſt, verùm etiam modernæ *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carnioliæ*, *Liburniæ*, *Croatiæ*, *Slavoniæ*, *Dalmatiæ*, *Japidiæ*, & in parte etiam *Hungariæ* alii non fuerint, quàm *Græci Cetii* à *Cethim* filio *Javan* deſcendentes, qui partim per caſus varios, eósque vel neceſſarios, vel accidentales, partim per inquiſitionem fructiferarum terræ plagarum ad has partes penetrârunt. Ita *Lazius* de Migr. Gent. *Lib. 2. ſub init.* Item *Schönleb.* Apparatu in Annal. Carniol. *cap.* 6. §. 1. ubi ſic diſſerit: *Eliſa Javano natus poſſedit inſulas Jonii maris, Cethim verò Italiam, Epirum, Macedoniam, & ut veriſimile eſt, etiam propinquas mari Regiones, quæ hodie vocantur Carniolia, Styria, Auſtria, uſque ad Danubium, & à parte meridionali Liburniam, Dalmatiam, Macedoniam. Certè Italia, quæ mari cingitur Jonico, ab Hebræis Cythim, & Chythim appellatur. Ex quo ſubit opinari montem Cetium, qui à ripa Danubii in Carnioliam uſque protenditur, ab hoc Cethim, vel, Cythim nomenclaturam habere, ac fuiſſe primos harum regionum inquilinos, Japheti poſteros ſenſim latè diffuſos, Citios appellatos.* Et hæc ſunt, quæ de *Cethim*, filio *Javan* notanda erant.

V. Diximus *Cethim*, fratrem fuiſſe *Dodanim*, ex *Javan* progenitum. De eodem *Dodanim Tirinus* in Chron. ſacro *Tab. 1.* hæc habet: *Pater Dod, nomen Doloneis dedit Illyridos incolis apud Plinium. Item Doribus, & Rhodo, quæ inſula vi maris ſeparata eſt à Doribus. Ezech. cap. 27. Ita S. Hieron. Euſeb. Iſidor. & LXX. Interpretes, qui vertunt Rhodios, quaſi legerint Rhododini.* Hucusque citatus *Tirin.* cujus priora verba bene notanda ſunt, quibus, ex ſententia *Plinii* exprimit Patrem *Dod* nomen dediſſe *Dodoneis Illyridos* incolis. *Fl. Joſeph.* nullam de *Dodanim* progenie mentionem facit, præterquam, quòd eum agnoſcat filium eſſe *Javan*, nepotem *Japhet*. Alii Scriptores, juxta *Cornelium à Lapide* in Gen. *cap. 10.* à *Dodanim*, *Dodoneos* in *Epiro* derivant, & ſucceſſivè generico nomine *Epirotas* cognominatos aſſerunt, eósque in plures familias diviſos, à ſuis probabiliter Progenitoribus nominibus aſſumptis, *Chaones*, *Thesprotos*, *Antigonenſes*, *Ceſtrinos*, *Caſſiopes*, *Driones*, *Sellos*, *Hellopes*, & *Moloſſos*

appellatos prætendunt. Habuerunt hi ab ipſo *Dodanim* apud *Moloſſos* conditam civitatem nomine *Dodonam*, juxta quam fuerat in propinquo nemore *Dodonei Jovis* ſimulacrum, & Templum oraculo illuſtre. Ita *Steph. Calep.* & *Gesner.* voce: *Dodona.* De eodem Templo *Plinius* quoque in Proœmio Hiſt. ſuæ *lib.* 4. agit, & *Brietius* ad *A. M.* 3835. ab Æolis everſum ſcribit. *Ortelius* Geograph. *Tab.* 112. ponit in *Illyrico* ad *Naronem* fluvium civitatem ſub nomine *Doda.* Quis novit, an non à *Dodoneis* nepotibus in *Illyricum* migrantibus pro memoria Patris ſui *Dodanim* conditam? cum non ineptè præcitati Scriptores, prout *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag.* 25. aſſerit, fratri fratrem *Cethim Macedonum* Authori, Authorem *Epirotarum Dodanim* proximum faciant in *Illyrio*, hæ etenim terræ Regiones ſibi hodiedum conjunctæ ſunt. Qualiter autem ex eodem *Dodanim* incolæ *Illyridos*, ut *Plinius* à *Tirino* citatus tradit, prognati ſint? non niſi meris conjecturis in ſumma rerum antiquarum caligine deduci poteſt. Ad firmandam porrò meam conjecturam adduco *Strabonem*, apud quem citantur plures Authores, qui primævos *Illyricos* populos *Macedones* compellant, eam producentes cauſam, quòd & tonſura, & linguâ, & clamyde, aliiſque id genus *Macedonicis* uſi fuerint: quare? quia ex *Græcorum*, *Macedonum*, & *Epirotarum*, id eſt *Javani*, *Cethim*, & *Dodanim* poſteritate, à quibus tonſuram, idioma, & veſtitum, propter ſanguinis conjunctionem, participabant, prognati. Neceſſum igitur judico, ut juxta has, quales quales conjecturas (ſi quis meliores deprompſerit, ei non reluctabor) ſuprafatum *Dodanim* pro Parente ſuo omnes *Illyri* agnoſcant, quantumvis à *Dodanim* nomen non uſurpaverint, verùm ab uno ex nepotibus ſuis, qui fuit *Illyrus*, filius *Iſtri.*

VI. Sed qualiter *Iſter* cum filiis ſuis inter ſuos *Dodoneos* natus potuerit à *Thuiſcone Germanorum*, & *Sarmatarum* conditore, ut *Num.* 2. ex *Aventino* propoſitum eſt, mitti in Regionem ab *Adula* monte uſque ad *Meſembriam* ſe extendentem? incompertum eſt. *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 1. ſcribit *Gomerum*, & *Javanum Japheti* filios, atque ex his progenitos *Thuiſcones*, & *Græcos* primos fuiſſe, qui ad utramque *Danubii* ripam ſe locaverunt: qui ſucceſſivè, & quidem ex *Gomer* nati, aliqui *Sarmatæ*, ſed pleríque *Gomeritæ*, & *Aſchenaſi*, *Cimbri*, & *Galli*, item *Thuiſcones*, & *Theutones*, ac tandem *Germani*: ex *Javan* verò deſcendentes *Cetii* & *Citii*, ac tandem *Græci* dicti ſuêre. Opinionem hanc citatus *P. Fuhrman* pluribus firmat, ſignanter authoritate *Beroſi*, qui *Aſchenaſem*, ſeu *Thuiſconem* ſcribit cum ſuis poſteris omnes Regiones intra *Danubium*, & *Mare magnum*, quod eſt ad ſeptentrionem, intra eundem *Danubium*, & *Rhenum* fluvios, hoc eſt: hodiernam *Europæam Tartariam*, *Beſſarabiam*, *Moldaviam*, *Valachiam*, *Moſchoviam*, *Poloniam*, *Tranſylvaniam*, *Hungariam*, & totam *Germaniam* Transdanubialem, una cum Inſulis *Maris Baltici* *Sveciam*, *Daniam*, *Finniam*, &c. occupâſſe, idque probabile cenſetur ex Textu *Ezechielis cap.* 38. ℣. 6. in quo ſic legitur: *Gomer, & univerſa agmina ejus: domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur ejus, populíque multi tecum.* Quæ agmina nulla alia fuêre, niſi *Aſchenaſi*, ſeu *Thuiſcones*, qui ſe primos in ſeptentrionalibus *Europæ* Regionibus inquilinos poſuerunt. Medio tempore multiplicatam *Javani* quoque per lineam *Dodoneam* uſque ad nepotem *Iſtrum* fuiſſe ſobolem, eámque terras ad inhabitandum inquiſiviſſe, nemo eſt, qui prudenter negare queat. Hinc dum *Iſter* cum filiis ſuis, familiáque ſua terras inquirendo ad *Danubium* fluvium

Digitized by Google

vium perveniſſet, probabiliter ipſum etiam trajicere nitebatur, & fortè trajecit, volens ibidem ſibi, ſuiſque ſedem figere; ſed cum partes illæ jam impopulatæ eſſent ab *Aſchenaſiis* & *Thuiſconibus*: *Thuiſco Germanorum*, & *Sarmatarum* conditor nolens *Iſtrum* inter ſuos pati, miſit eum, vel potius perſuaſit ei, ut redeat, aſſummátque incolendam terram ab *Adula* monte, uſque ad *Meſembriam*; quod & præſtitit, *Danubióque* fluvio, quòd primus fortè ipſum navigio tranſiviſſet, *Iſtri* nomen reliquit, malens inter J*avani* poſteros, utpote ſibi majori cognationis vinculo connexos, perſeverare, quàm cum diverſa natione de habitatione altercari. Manſit nihilominus, ut *Num.* 1. ex *Beroſo* recitavimus, cum omnibus filiis ſuis *Thuiſconi* junctus ab *Adula* monte, uſque ad *Meſembriam*, per ſolum *Iſtrum* fluvium à *Thuiſcone* diviſus. Quòd autem J*avani* poſteritas, *Græcorum* nomine compellata, tantam terræ plagam occupaverit, fatetur *S. Hieron.* De Traditionib. Hebræor. apud *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag.* 26. inquiens: *Græci omnes ferè Inſulas Maris, & à monte Amano, & Tauro in Aſia omnes firmas terræ regiones, cum omnibus maris ſinubus, uſque ad mare Britannicum occupârunt.* Hóſque primos omnium populorum ex *Aſia* in *Europam* veniſſe, atque ſe primò ad Inſulas J*onii Maris* locâſſe, tandem ſenſim ulteriùs extendiſſe, docet *Torniellus* Annal. ſacr. ad *A. M.* 1951. *pag.* 131. *Num.* 2. Quòd verò *Iſter* ex J*avan* deſcendens, una cum filio ſuo *Illyro*, atque ex eodem progenitis familiis *Græcæ* potiùs, quàm alteri cuicunque nationi adſcribendus ſit, ſuo loco edocere ſtudebimus.

VII. His taliter expoſitis, ad faciliorem prædictorum intelligentiam ſubnecto Genealogiam *Illyri*, à *Noë* univerſorum, poſt Diluvium univerſale, genitorum hominum Patre.

Noë

J*aphet*

J*avan*

Cethim — *Dodanim*

Sellus vel *Moloſſus.*

Ebrus

Iſter

Illyrus. — *Actæus.*

Ubi porrò *Iſter* genuerit *Illyrum*, & *Actæum* nullibi notatum reperio, credibile tamen eſſe exiſtimo eum ad viciniam moderni fluvii *Danubii* genuiſſe, ſiquidem is eundem fluvium, fors eò tum adhuc anonymum *Iſtrum* à ſuo nomine compellaverit, hodieque à ruinis *Pontis Trajani* tali nomine vocitetur: Præterea, quòd & eundem *Iſtrum* Regem fuiſſe, Regni loco non indigitato, fortè ad Regiones *Iſtri* fluvii, notet *Bonfin. Dec.* 1. *lib.* 1. De fluvio *Iſtro Plin. lib.* 4. *cap.* 12. hæc ſcribit: *Danubius ortus in jugis Abnobæ montis Germaniæ, ex adverſo Raurici Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes Danubii nomine, immenſo aquarum auctu, & unde primùm Illyricum alluit, Iſter appellatus, ſexaginta amnibus receptis, medio ferme eorum navigabili, in Pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur.* Cur autem juxta *Illyricum* fluvius *Danubius* nomine *Iſtri* compellatus ſit? exponit *Aventin. Num.* 2. *citatus*, dum de *Iſtro* filio *Ebri* differens dicit, *Iſtrum Iſtro fluvio celebre ad poſteros nomen dediſſe.* Idque probabile, imò quaſi certum eſt, ſiquidem plurima loca Montium, Vallium, Fluviorum, Regionum, Civitatum, Oppidorum, &c. ubique primævis illis temporibus, à primo, vel principali inhabitatore ſuam deſumebant denominationem, ut *Num.* 3. de *Ceriis*, & *Citiis* dictum eſt: quamvis negari nequeat,

Digitized by Google

queat, contra *Matthiam Bellium*, quòd & habitatores à loco, id tamen poſterioribus ævis, cognominati fuerint.

VIII. *Lucas Holſteinius* in Geographia antiqua verſatiſſimus, apud *Joan. Lucium lib.* 1. *cap.* 2. inter populos *Illyrii* ſpecificat etiam *Iſtros*, dicens: *Poſt Henetos Iſtrorum gens eſt, atque fluvius Iſter. Exit autem hic fluvius in Pontum fronte quaſi in Ægyptum converſa.* Sed hos *Iſtros* diverſos eſſe à noſtra ſupramemorato *Iſtro* fluvio adjacente gente, ipſa hiſtorica narratio, & temporis, quô accidit, diſcretio probant. *Holſteinii* etenim *Iſtri*, ut vult *Gesnerus* in Onomaſt. verbor. prop. voce: *Iſtria*, cui ſubſcribit etiam *Schönleb.* in Apparat. ad Annal. Carniol. *cap.* 1. §. 6. *N.* 1. ex ſententia *Iſidori* Originum *Lib.* 9. *cap.* 2. Originem ſuam ducere referuntur à *Colchis*, miſſis ab *Aëta* Rege ad *Argonautas* perſequendos, qui ut à *Ponto Euxino* intraverunt *Iſtrum* fluvium, nec raptores *Aurei velleris* inveniſſent, ſive metu Regis, ſive tædio longæ navigationis juxta *Aquilejam* conſederunt, inde verò ad *Mare Adriaticum* beneficio fluvii *Iſtri* digreſſi, ab ipſo flumine *Iſtri* ſunt appellati, hodieque *Iſtriotæ* nuncupantur: quod accidiſſe ad A. M. 2791. *Brietius* notat. Quod porrò attinet *Iſtrum* fluvium, de quo *Holſteinius* agit, eſt quidam fluvius *Iſter* nominatus, utcunque navigabilis, qui ex vicinis *Mari Adriatico* montibus defluens ad *Tergeſtum* urbem in idem mare ſe exonerat. De eodem fluvio *Brietius* ad A. M. 3833. ſic diſſerit: *Conſules P. Cornelius Scipio, Aſina, & M. Minutius Rufus hoc anno domuerunt Dalmatiæ populos. In quorum Hiſtoria cum fiat mentio Iſtri fluvii, noli cogitare Danubium, ſed fluviolum qui cadit ad mare Adriaticum: quæ ambiguitas multos induxit in fraudem, & victorias Romanorum ab hac parte longiùs, quàm par erat, extendit.* Sed quis novit, an non & huic fluviolo *Iſter* noſter, de quo hic agimus, Nomenclaturam attribuerit? Nam ſicut ex præcenſitis colligitur, quòd *Dodanim* in *Epiro*, ſeu, ut hodie dicitur, *Albania*, ad vicinam ſui parentis *Javan Italiæ* conditoris, ac fratris *Cethim Macedoniæ* fundatoris conſederit: ita etiam ſupponi poteſt, quòd *Iſter* ex *Dodanim* deſcendens, ſenſim ſe cum ſua progenie à fluvio *Iſtro*, nunc *Danubio*, uſque ad fluviolum *Holſteinii* dilataverit, atque ſicut illi, ita & huic *Iſtri* nomen impoſuerit; qui deinde *Formio*, ac tandem *Riſanus*, ut *Ortelius Tab.* 71. notat, dictus eſt.

CAPUT II.
De Nomenclatura Illyrii.

I. ANtequam ad genuinam Nomenclaturam *Illyrii* exponendam calamum exacuero, quædam pro exactiori ſubſequentium notitia deſervitura, adjungenda exiſtimavi. *Strabo lib.* 11. De vetuſta Europæorum nomenclatura ſic diſſerit: *Veteres Græcorum ſcriptores univerſas gentes ſeptentrionales Scytharum, & Celto-Scytharum appellatione affecerunt; qui verò ante hos adhuc eos diviſerunt ſupra Euxinum, Iſtrum, & Adriaticum mare colentes, Hyperboreos dixerunt.* Ex quo textu advertitur, Populos ſupra *Euxinum*, *Iſtrum*, & *Adriaticum mare*, primò *Hyperboreos*, dein *Scythas*, ac tandem *Celtas* cognominatos fuiſſe. Hinc colligere fas eſt, *Europam* quaſi totam, ſi *Græciam*, & *Italiam* excipiamus, *Scythiæ*, *Celto-Scythiæ*, & *Celticæ* nominibus à vetuſtis *Græcis* ſcriptoribus appellatam extitiſſe. *Scythiæ* tamen nomen progreſſu temporis reſtrictum fuit, omnium tamen

toto

Digitized by Google

toto orbe vetuſſimæ Regioni, trans *Iſtrum Mœſiæ* conterminæ remanſerat, ita, ut tota terræ plaga à *Mœſia* in *Aſiam*, ad *Tabin* uſque Promontorium, & Fretum *Aniani* mille amplius milliaria Germanica complectens, unico *Scythiæ* nomine vocitaretur: fuítque eapropter duplex, *Europæa*, quæ & *minor*, ac *Aſiatica*, quæ & *major* nuncupabatur; utraque ſucceſſivis temporibus in plurima Regna, & Provincias diſtincta, nomen ſuum vetuſtum amiſit. Hoc prænotato, nos omiſſis antiquioribus *Hyperborei*, & *Scythiæ* cognominibus, inquirere volumus, qui fuêre illi Populi, qui *Celtarum* nomine compellabantur? Ad quam quæſtionem, priusquam reſponſum feramus, inquirenda erit, *Celticæ* denominationis origo.

II. *Appianus* de Bello Illyrico ſcribit: *Polyphæmum* ex *Galathæa* conjuge *Celtum*, *Illyrum*, & *Galam* filios ſuſcepiſſe, eosque ab *Sicilia* digreſſos imperitaſſe populis, qui inde *Celtæ*, *Illyríque*, & *Galli* ſunt nominati. Hoc tamen videtur ſubſiſtere non poſſe, ex iis, quæ ſub initium *Cap. 1. Num. 1.* relata ſunt, ídque ipſum intelligendum venit de recitato in eod. *Cap. 1. Num. 1.* textu *Cluverii*, quô *Appianum* impugnare videtur, dicens: *Quarta Celtarum pars nomen accepit ab Illyro Celtæ filio, qui apud Appianum falsò dicitur frater, quum filius potius Celtæ ſit babendus.* Dubitandi etiam locum reliquit nobis *Pauſanias* quo ad originem *Celticæ* appellationis; In *Atticis* námque hæc habet: *Celtæ tum à ſe ipſis antiquis temporibus, tum ab aliis vocati ſunt; nec ſatis certum, gens à regione, an regio à gente nomen acceperit?* Cuncta hæc *Schönleben* Apparat. Carniol. antiq. *cap.* 1. §. 1. *Num.* 2. Item *Cap.* 6. §. 5. enucleare volens, opinatur: Quod cum major pars *Europæorum* vetuſtiſſimis illis temporibus in frigidiſſimis regionibus conſederit, à voce Germanica Kälte / quod frigus ſignificat, hanc *Græci Keltam*, *Latini* verò ad imitationem *Græcorum Celtam* appellaverint. Cujus opinioni cum *P. Fuhrman*, Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. plurimum attribuendum judico, cum *Græcum Keltoi*, uti & *Latinum Celta*, nihil ſignificet, ſed purè ſit verbum extraneum, novatum, ídque *Germanicum*, quo *frigus* exprimitur, ab eóque Populi *Europæi* in frigidis locis habitantes, primò à *Græcis Keltæ*, dein à *Latinis Celtæ* nominati fuêre.

III. Qui porrò *Europæi* populi *Celticâ* nomenclaturâ notabantur, eos *Cluver.* Antiq. Germ. *lib.* 1. *cap.* 5. enumerat ſequenti textu: *Sub uno Celtarum nomine quinque olim comprebenſas fuiſſe validiſſimas nationes: Illyros, Germanos, Gallos, Hiſpanos, atque Britannos.* Illud tamen, quod præfatus *Cluver. loc. cit.* ulterius ſcribit: dicens: *Item unam fuiſſe, dictos populos, eandémque gentem Celtarum ab uno Aſceneſe*, incredibile videtur, quantumvis alleget horum populorum idem idioma, moresque eosdem extitiſſe: hanc ipſam etenim allegationem ipſemet *Cluverius* infringere æſtimabitur, ſi ſequentia bene perpendantur. *Japhet* à Patre ſuo *Noë* in diviſione globi terraquei cum octo, ut vult *Beroſus Chald.* Antiquit. *lib.* 1. vel verò cum ſeptem, ut habetur *Gen. cap.* 10. filiis ſuis, ac ſeptem nepotibus *Minorem Aſiam*, cum univerſa *Europa* pro ſua obtinuit portione; de quibus quatuordecim, vel quindecim *Japheti* familiis, prouti etiam de reſiduis *Semi*, & *Caini* liberis *Moyſes Gen. cap.* 10. ſic loquitur: *Ab his diviſæ ſunt Regiones gentium, cuique ſecundùm linguam ſuam, & ſecundùm familias in gentibus ſuis.* Quem textum memoratus *Cluver. lib. 1. cap.* 4. exponens ipſemet confirmat his verbis: *Heic vir ſanctus quot virorum capita enumerat, in totidem linguas, atque regiones, filios, nepoteisque Japhet fuiſſe diviſos, diſſertè indicat.* Cum itaque ita ſit, quod ex

Digitized by Google

unica linea *Japhet* tot idiomata, tótque nationes, quot capita fuerunt, prodierint, ſeque tam bene in *Aſia minori*, quàm, & principaliter, in *Europa* dilataverint, impoſſibile creditu erit, quòd exceptis *Græcis*, & *Italis* reſidui omnes populi Europæi, ſignanter *Illyri*, *Germani*, *Galli*, *Hiſpani*, atque *Britanni*, æquale idioma, æqualéſque mores, qui ab *Aſcenec*, *Thuiſconum*, qui expoſt *Germani* dicti ſunt, Propagatore prodiiſſent, habuerint: cum in contrarium pro certiſſimo aſſerere poſſimus, quod neque *Hiſpani*, neque *Galli*, neque *Illyri* pro ſtirpe *Aſceneſi* haberi queant, conſequenter, neque idem idioma, neque eoſdem habuiſſe mores. Hiſpani etenim, juxta *Fl. Joſeph.* Antiq. Judaicar. *lib. 1. cap. 11.* à *Thubal*, ſeu *Jubal* progeniti ſunt, ſic namque citatus *Fl. Joſ.* ait: *Condidit autem Jubal Jobelos, qui noſtris temporibus Iberes appellantur, qui & Hiſpani, à quibus poſtea Celtiberi nuncupati ſunt.* Deinde *Galli*, ut loquitur *Cæſar* de bello Gallico *lib. 6.* ſcribens: *Galli ſe omnes à Dite Patre progenitos prædicant.* Idque confirmat *Annius Viterbienſis* in *Annotationib.* de Regib. Babilon. inquiens: *Gallos Francigenas condidit Samothes, inde Galli Samothæi dicti fuerunt.* Tandem *Illyri* à *Dodanim*, ut ſupra remonſtratum eſt, uberiúſque infra declarabitur, progeniti exiſtunt.

IV. Ex quibus legitima eruitur illatio: Neque *Hiſpanos*, neque *Gallos*, neque *Illyros*, ejuſdem fuiſſe idiomatis, neque eorundem morum, quantumvis uno *Celtarum* nominè compellati fuiſſent, quandoquidem à diverſis Progenitoribus proceſſerint. Infertur præterea, quòd *Celtarum* nomine veteres ſcriptores, ſignanter *Græci*, intelligebant *Illyros*, *Germanos*, *Gallos*, *Hiſpanos*, atque *Britannos* ex eo, quòd in frigidioribus, imo reſpectu *Græcorum*, & *Italorum* frigidiſſimis Regionibus habitationem fixerint. Et quamvis *Herodotus* Hiſt. *lib. 2. Num. 33.* ſub nomine *Celtarum* principaliter intelligere velit *Gallos*, & *Germanos* tantùm, dum in deſcriptione Fontis *Danubialis* dicit: *Iſter fluvius incipiens à Celtis, mediam Europam ſcindit: Celtæ autem ſunt extra columnam Herculis Cyneſiis finitimi, omnium in Europa ad occaſum habitantium ultimi.* Item *lib. 4. Num. 80.* Iterum: *Omnem Europam Iſter emetitur, ſumpto à Celtis initio, qui omnium in Europa ad ſolis occaſum extremi ſunt poſt Cynetes, totamque permenſus Europam transverſa ingreditur Scythiæ.* Nihilominus Metales *Celtarum* contra *Herodotum* teſtimonium perhibent, de quibus *Plinius lib. 4. cap. 2.* agit, ponitque pro primis *Celtarum* finibus *Promontorium Celticum*, quod eſt in *Hiſpania* ad *Mare Atlanticum*: Deinde pro ſecundis finibus *Celtarum* idem *Plin. lib. 6. cap. 13.* ſtatuit *Promontorium Celticæ Lytormis*, quod eſt ad fluvium *Obium* in *Sarmatia* ſeu moderna *Moſchovia*. Conſtat autem inter hæc duo *Promontoria* habitâſſe eò tum *Illyros*, *Germanos*, *Gallos*, *Hiſpanos*, atque *Britannos*, adeóque omnes hæ nationes à *Græcis* ſub nomine *Keltarum*, à *Latinis* autem *Celtarum* intelligebantur, quantumvis eas diverſæ progeniei, idiomatis, & morum extitiſſe, noviſſent.

V. Quia verò nihil in his terrenis ita ſtabile reperire eſt, quin mutationi obnoxium foret, ita ampliſſima quóque hæc *Celticæ* denominatio ſucceſſivè conſtricta fuit, quòd non niſi apud unam Nationem, ac ultimò apud nullam retenta fuerit. Poſtquam enim *Illyri* primi omnium, ut vult *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *lib. 1. cap. 5.* ex *Ptolomæi* Geograph. *lib. 2. cap. 9. Tab. 3.* Gallo-Belgicæ & *lib. 4. Tab. 4.* Europæ: item ex *Elencho* Provinciar. Europæ, hujus *Celtici* nominis pertæſi, ſe à reſiduis *Celticis* populis per ripam *Danubialem* ſeparâſſent, Regionémque, quam incolebant, à ſuo conditore, *Illyro*, *Illyricum*, populos verò, ſive à ſe

pro-

progenitos, ſive aliâ modalitate ſibi adhærentes *Illyros* circa A. M. 2480. compellâſſent; reſidui quoque populi *Europæi* magis, & magis ſub propriis, quantumvis multò tardiùs, innoteſcere cœperunt nominibus. Eapropter evanuit etiam nomen *Celticum* tam procul, quòd non niſi apud Nationem vetuſto-*Gallicam*, & *Hiſpanicam* in uſu fuerit. Poſtquam autem *Gallica* etiam Natio diviſionem inſtituiſſet, pars illius una *Franco-Gallicum*, altera verò, *Gallo-Germanicum* aſſumpſit, utraque autem Romano Dominio ſubjecta, utraque pariter nomenclaturam *Celticam* amiſit, & *Franco-Galli*, qui trans *Rhenum* habitabant, ſimpliciter *Galli*, & *Gallo-Germani*, qui cis *Rhenum* incolebant, ſimpliciter *Germani* nominari voluerunt: idque temporibus *Julii Cæſaris*, ut ſcribit *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 1. §. 1. *num.* 4. Aliqua tamen unicæ nationi *Hiſpanicæ* pars, inter *Sequanam*, & *Gerumnam* amnes habitans, aliquid de *Celtico* nomine retinuit, hodiedúmque uſurpat, dum ſe *Celtiberiam*, compoſito nomine ex *Celta*, & *Ibero* fluvio, ad quem primo adventu conſederat, nominari gloriatur. De qua *Lucanus lib.* 3.

Profugitque gente vetuſta
Gallorum, Celtæ miſcentes nomen Iberi.

Unde autem *Galli*, prouti & *Germani* hæc nomina ſibi uſurpaverint? noſtrum inquirere non eſt, cùm propoſito noſtro parùm, aut nihil deſervire valeat.

CAPUT III.

De primis Populis Illyricis.

I. INtellectâ ex præcedentibus binis Capitibus *Illyrii* origine, & nomenclaturâ ruminatíſque, pro faciliori reſiduarum ſubſequentium, atque ad hiſtoricam cognitionem neceſſariarum rerum intelligentia, præliminaribus, neceſſum duxi, ut genuinam, quam poſſum, contexam primorum *Illyriorum* Genealogiam, eámque primò ex ſacris litteris, deinde ex aliis hiſtoricis deſumptam, proponam, éſtque ſequens.

Noë

Japhet

Javan

Cethim — *Dodanim*

Sellus vel *Moloſſus.*

Ebrus

Iſter

Illyrus. — *Actæus.*

Achilles. *Taulantius* *Dardanus* *Medus.* *Autarius.* *Perhebus.* *Partha.* *Daorta.* *Daſſera.*

Pannonius — *Scordiſcus.*

Tribalus.

II. Nullum credo futurum, qui mihi in diſceptationem præſentem arborem Genealogicam uſque ad *Dodanim* incluſivè vertat, niſi contra ſacros Codices agere velit, qui *Gen. cap.* 10. Genealogiam primarum poſt univerſale diluvium familiarum deſcribentes, expreſsè indicant: *Noë* genuiſſe *Japhet*, *Japhet* verò *Javan*, *Javan* tandem *Cethim*, & *Dodanim* fratres: Hucusque *ſacræ Paginæ loc. cit.* An à *Dodanim Sellus*, vel *Moloſſus*, & à *Sello*, vel *Moloſſo Ebrus*, reſiduíque in arbore Genealogica ſignati, progeniti ſint, fateor me affirmare non poſſe, quantum tamen prudenti conjecturæ tribuere licet, ſpero huic nemo contradicet, niſi fortè aliquis de Criticorum numero, qui ſe ſciolum arbitatur: ſi talis, vel quiscunque alter probabiliorem confecerit Genealogiam prædictorum *Illyrici* noſtri primorum parentum, me ſemper convictum profitebor: Ego interim, quod per conjecturam hic aſſequi poteram, in publicum profero. Ne autem conjectura mea improbabilis æſtimetur ſequentes adduco probas. Dixi *Do-*

Digitized by Google

danim Patrem eſſe *Illyriorum*, quod aliqualiter probare ſtudui *Cap.* 1. *Num.* 2. probam tamen illam ſequentibus firmiorem reddo: Hunc namque *Dodanim*, poſtquam ex *Aſia minori* cum Parente ſuo *Javan* in *Græciam* veniſſet, atque ab eo ſeparatus ad viciniam Fratris ſui *Cethim* (qui *Macedoniam* incolere cœperat) in *Epiro*, quæ nunc *Albania*, juxta *Gesnerum*, & *Münſterum* dicitur, conſediſſe exiſtimo, ſiquidem ibidem civitas *Dodona*, & juxta hanc Nemus propinquum, in quo *Jovis Dodonei* Templum, apud *Steph. Calep.* & *Gesner.* vocabulo *Dodona*, fuiſſe narratur, quod *Brietius* ad *A. M.* 3835. ab *Ætolis* everſum eſſe ſcribit. *Dodoneos* hos, utpote in civitate *Dodona* habitantes *Steph.* vocat etiam *Sellos*, & *Moloſſos*, forte à *Sello*, & *Moloſſo* filiis *Dodanim* qui in oppidis *Epiri*, *Sella*, & *Moloſſia* nuncupatis habitabant, ſeque *Dodoneos*, quia ex *Dodanim* deſcendentes nominabant. Ab his progrediendo ultra neque affirmare, ſed neque negare auſim à *Sello*, vel *Moloſſo* progenitum eſſe *Ebrum*, de quo ex *Aventino* actum eſt *Cap.* 1. *Num.* 2. quòd autem *Ebrus* fuerit Parens *Iſtri*, *ibidem* declaratum eſt. Hic deníque *Iſter*, juxta *Maurum Orbinum* genuit *Illyrum*, & *Actæum*, quem *Illyrum Bonfin. Dec.* 1. *lib.* 1. (ut *Cap.* 1. *Num.* 2. inſinuavi) erroneè *Elorum* vel ſcripſit, vel nominavit, cujus tamen Patrem *Iſtrum* extitiſſe, & Regem fuiſſe (quamvis nominis Regni non meminerit) non negat; imò *Illyrum*, & *Actæum*, ex *Phyloſtrato*, qui ſequitur *Homeri* ſententiam, clariſſimos quondam viros habitos fuiſſe tradit. Ab *Actæo* in *Epyrum* redeunte conditum fuit Regnum *Epyrotarum* atque ab eo denominatum Oppidum, & Promontorium *Actium*, ubi *Auguſtus* devictis navali prælio *Antonio*, & *Cleopatrâ* urbem condidit, & *Nicopolim* nominavit, ut ſcribit *Plutarchus*, & ex illo *Sebaſt. Münſterus*; ſed cum *Actæus* ab *Illyro* receſſerit, nos ad *Illyrum* redeamus.

III. *Illyrus*, juxta *Appianum* de bello *Illyrico* agentem, genuit filios ſex: *Achillem*, quem plures Hiſtorici vocant *Encheleum*, dein *Taulantium*, *Dardanum*, *Madum*, *Autarium*, & *Perhebum*, & filias tres: *Partham*, *Doartam*, & *Daſſeram*. A quibus omnibus, diverſarum quidem cognationum agnomina, ſub uno tamen Generali *Illyriorum* nomine, ut infra patebit, traducta ſcribit citatus *Appianus* his verbis: *Et hæc mihi inter pleráque à multis memorata placuêre.* Et paulò infra: *A quibus Taulantii*, *Perhebi*, *Achillei*, *Autarici*, *Dardani*, *Madi*, *Partheni*, *Daſſeretii Darſiíque prodiêre. Autario ipſi Pannonium, vel Pœonum potius, & Scordiſcum filios fuiſſe ajunt, Pœono Tribalum, à quibus pariter nationum cognomina traducta ſunt.* Sunt plures qui non tam *Appianum*, quam *Georgium Ratkajum* hunc in ſua Regum, Bannorum Croatiæ, & Slavoniæ memoria ſequentem impugnare præſumunt, quaſi nuſquam *Illyrus* has proles genuiſſet, minúsque ab his tot capita familiarum in *Illyrico* prognata fuiſſent. Sed videant quæſo Impugnatores *Ortelii* Geographiam *Tab.* 112. quâ repræſentat *Græciæ veteris* Regiones, Populos, Civitates, Oppida, Fluvios, Montes &c. & ſi in adjuncto inter occiduum ſolem, ac plagam ſeptentrionalem vetuſto *Illyrico* non deprehenderint quasdam ex præmemoratis *Illyrii* familiis notatas, ſignanter *Taulantios*, *Dardanos*, *Parthinos*, *Daſſeretios*, *Doartas*, dein *Sardoatas* dictos, ex tunc *Ratkajum* noſtrum, & ſi placet, etiam *Appianum*, per me licet, arguant, quantum velint. Ego interim habita arbore Genealogica primorum *Illyriorum*, inveſtigare contendam, qui hi populi fuêre, & ubi locorum ſuas ſedes habuere?

IV. Et ut ab *Achille*, ſeu *Encheleo* Primogenito *Illyri* initium faciam, hujus familia *Enchelei*, & *Enchales*, & *Engelones*, à quibusdam, ut vult *Steph.* nomi-

Digitized by Google

nominata fuit, hancque antiquiſſimam Regionis *Illyricæ* incolam fuiſſe tradit *Pomponius Mela* de ſitu orbis *lib.* 2. *cap.* 3. cui ſubſcribit *Bochartus* in Phaleg. *Par.* 2. *lib.* 1. & in Geograph. ſacra *lib.* 1. *cap.* 23. Eamque ad fluvium *Rhizontem*, ubi & urbs ejusdem nominis à *Steph. Rhizon* ſtatuitur, uſque ad *Buthuam* civitatem, vulgò *Budoam*, ſed *Ptolomæo Bulvam*, celebre quondam (ut tradit *Bombardius* Topogr. Regni Hung. *ſegm.* 3. *num.* 3.) & nobile *Illyricæ oræ* emporium prope *Epidamnum* ſituatum, *Scylax Cariadenſis*, (quem *Lucas Holſteinius* ex *Græco* in *Latinum* transtulit) notat, qui & urbem à ſe ædificatam, ſuo nomine, *Encheliam* appellavit: juxta quam *Cadmum*, & ejusdem conjugem *Harmoniam* in ſerpentes mutatos finxerunt Poëtæ, id eſt, ut *Cap* 1. *Num.* 1. memini, in maximis miſeriis vitam terminârunt. De quibus *Lucanus lib.* 3.

Et nomine priſco
Enchelia verſi teſtantes funera Cadmi.

Diſtrictum, quam *Enchelia* turba inhabitabat, citatus *Scylax* apud *Joan. Lucium lib.* 1. *cap.* 3. ſumit pro illa parte *Illyrii*, quæ inter *Naronem*, & *Drinum* amnes ſita eſt. *Achileorum* neque in Tabula Geographica, neque in hiſtoria ſua meminit *Lucius*, bene vero *Encheliorum*, conſequenter *Achileos*, & *Enchelios* eosdem fuiſſe cenſendum eſt, cum hos & ipſe *Lucius lib.* 1. *cap.* 3. pro Gente *Illyrica* recognoſcat ex *Steph.* narrationémque de *Cadmi* in *Illyrico* Regno fabuloſam eſſe referat. Hinc ergo *P. Alexius Piariſta* ad nationem *Illyricam* referat *Enchelias* potius, quàm ad *Phœnices* ex derivatione vocabuli *Akelim*, ut fecit Vet. & Nov. Illyrici Prælimin. *cap.* 2. §. 2. neque credat *Cadmum Phœnicem* aliquando *Illyriis* præfuiſſe, ut ſcripſit *loc. cit.* §. 13.

V. Poſt *Enchelios* ſecundo loco ponendi ſunt *Taulantii*, quos *Steph. Taulantinos* appellat, déque his *Ariſtotelem* in Mirabilib. aſſerere memorat: quòd apud ipſos vinum ex melle conficiatur. Hi fuêre primi populi modernæ *Liburniæ*, ut Plinius *lib.* 3. *cap.* 22. teſtatur, ex quibus nonnulli juxta *Epidamnum* ſe habitatum contulerunt, de quibus *Scylax* apud *Lucium lib.* 1. *cap.* 2. ait: *Taulantii ſunt gens Illyrica, in qua civitas Epidamnus, quam fluvius allabitur nomine Palamnus.* Hinc *Lucanus lib.* 6.

Quémque vocat collem Taulantius incola petram,
Inſedit caſtris.

VI. Tertio loco memorandi veniunt *Dardani*, ſeu *Dardanii*, quos Plinius *lib.* 3. *cap.* 26. in *Mœſia ſuperiore* habitaſſe, diverſosque à *Dardanis*, ſeu *Myſis*, qui *Phrygiam* inhabitabant, *lib.* 4. *cap.* 30. ſcribit: Hi námque à *Dardano* filio *Jovis* fratris *Jorii* occiſore, *Iliique* Conditore orti, illi verò ex *Dardano* filio *Illyri* progeniti neceſſariò non ſolùm diverſæ, ſed & diſtinctiſſimæ nationis fuiſſe credendum arbitror. Et ſicut hos *Dardanos* etiam à *Dardano* Patre nominatos fuiſſe docet *Steph.* ex *Virgilio*

His ortus in agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad Urbes
Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Ita & *Dardani* noſtri à *Dardano*, *Illyri* filio, *Mœſiæ* inquilini *Dardani* ſunt compellati, quos *Plinius lib.* 4. *cap.* 1. feros populos, *Macedonibusque lib.* 4. *cap.* 10. infeſtiſſimos fuiſſe dictat. Nunc autem *Mœſia* inferior, ut *P. Timon*, & *P. Franc. Groſſ.* in Geograph. Globi Terraquei diſſerunt, nominatur *Bulgaria*. *Superior* autem *Mœſia*, quam *Dardani* noſtri incolebant juxta *Tomkonem* in vita S. Sabæ, & *Ritterum* in Stemmatographia, eadem eſt cum *Raſcia*, ſeu *Servia*, olim dicta *Dardania*, ex poſt autem *Dacia Ripenſis*.

Digitized by Google

VII. Quartum numerum teneant *Mædi*, qui *Madiam* civitatem propè *Macedoniam* in vicinitate *Odonum* aut, vult *Dionyſius* in *Baſſaricis* ædificârunt. Ab his *Mædica Thraciæ* vicina *Pannoniæ* nomen traxit. Scribuntur hi *Mædi*, juxta *Steph.* per *æ*, vel *œ Dyphtongum*, ut differant à *Medis Aſiæ* Populis ejusdem nominis. Horum aliqui in *Macedoniam* migrârunt, dictíque ſunt *Mædobytini*, juxta *Ariſtotelem* in Mirabilib. & Hiſtor. Animalium *lib.* 9. Aliquos horum *Mædorum* etiam in *Tranſylvaniam* migrâſſe conjectura haud improbabilis ſuadet, cum & ibidem *Mædia Colonia* per Romanos nominata fuerit: de qua *Bombardius* deſcribens *Tranſylvaniam ſegm.* 3. *num.* 3. agit, eámque nunc Hungarico idiomate *Medgyes* compellari dictat.

VIII. Quintum numerum occupent *Autarii Illyricæ* ſoboles, quæ juxta gentem *Theſproticam*, *Chaonibus* in *Epiro* proximam, *Ambraciam* urbem, quam *Aceron* fluvius navigabilis alluit, incolebat, teſte *Plinio* in Prooemio *lib.* 4. Horum meminit etiam *Lucanus lib.* 3. ſub ly *Theſproti* canens:

Theſproti, Dryopéſque ruunt.

Hos *Strabo* maximam, & optimam *Illyriorum* fuiſſe gentem ſcribit, qui cum *Tribalos* domuiſſent, ſupra alios etiam *Illyros*, imò & *Thraces* etiam ſe extulerunt.

IX. Sexto ordine incedant *Perbebi*, natio quidem *Illyrica*, ſed in *Epirotica* urbe *Perbebe*, ab ipſis *Perbebis* condita reſidens, quæ *Lapitharum* potentia fracta, transtulit ſe in loca montana *Pindo Theſſaliæ* monti vicina. Ita *Steph.* qui & aſſerit *Græcos* montem *Pindum* ab incolis *Perbebis* vocitâſſe *Perbebe*. De quo *Propertius lib.* 1. canit.

Aut cur Perbebi tremuêre cacumina Pindi.

X. Septimum ordinem habeant *Parthi*, ſeu *Partheni*, qui, utpote diſtincti à *Parthorum* gente circa *Hircanum mare* habitante, juxta *Pomponium Melam* primò *Macedoniam* incolebant, à quorum tergo, *Plinio* dictante, extitêre *Daſſeretæ* ad montes *Illyricos Candavia* dictos, à *Dyrrachio* 79. millib. paſſ. diſtantes, *Illyricumque* à *Macedonia* diſterminantes. Expoſt verò, ut *Steph.* ſcribit, migrârunt in *Illyricum*, ubi urbem *Partham* condiderunt in tractu *Oeni* fluminis in *Peneſtia*, ut teſtatur *Pompon. Mela lib.* 2. *cap.* 22. Huic adſtipulatur *Freſchottus* in Geograph. Dalm. Tit. *Raguſa* ſcribens. *Antecedentes circumjacentem Regionem* (Raguſanam) *poſſidebant veteres Parthini, qui temporibus Auguſti à triumphante Pollione devicti fuêre.*

XI. Octavi ſint *Daortæ*, qui & *Dortici* apud Ptolom. *lib.* 3. *cap.* 9. nuncupantur: habitabant cum *Dardanis* in *Mæſia ſuperiori*, in qua & Civitatem, à ſuo nomine *Dorticam* dictam, juxta *Danubium* amnem ædificârunt, ut citatus *Ptolom.* aſſerit. Hos *Steph.* ex *Pomponio Mela* populis *Illyricis* adnumerat.

XII. Nono tandem, & ultimo loco ſtatuuntur *Daſſeretæ*. Hi oram *Macedoniæ* juxta *Pompon. Mel.* inhabitabant, à fronte habentes *Parthenos*, *Plinius* notat, quos *Illyricam* nationem *Steph.* dictat, prouti & *Strabo* vicinis *Autariatis*, ſicut *Pompon. Parthenis* extitiſſe. Et hæc ſunt, quæ de immediatis *Illyrii* ſucceſſoribus invenire potui, ex quibus, quod plures progeniti ſint, indubitatum eſt; attamen non niſi duos *Pannonium*, & *Scordiſcum* ex *Autario* genitos notavit *Appianus*. Sed *Scylax Cariadenſis* plures nominat *Manios* videlicet, *Bulinos*, *Oricos*, *Amantinos* & duplices *Illyros* propriè dictos. Antequam igitur de *Pannonio*, & *Scordiſco* agamus, expendere etiam horum incolatum in profeſſo habemus.

XIII. Citatus ergo *Scylax* apud *Joan. Lucium lib.* 1. *cap.* 2. de præmemoratis *Illyrii* populis ſic diſſerit: *Poſt Neſtos verò Naron fluvius eſt, aditu*

Digitized by Google

tu ſatis amplo, nam & Triremes, & Naves illum ſubeunt ad Emporium uſque 80. ſtadiis ſurſum à Mari diſtans. Hi verò genere Illyrii ſunt nomine Manii. Lacus autem introrſum, juxta Emporium illud magnus eſt, uſque ad Autariatas Illyricam gentem pertingens. De *Bulinis* verò ita loquitur: *Bulinis contermini Hyli Barbari, qui poſt Peninſulam littus directum accolunt. Bulini autem Illyrica gens eſt. Enavigatur Bulinorum regio die longiori uno uſque ad Neſtum ſinum.* Deinde ad *Oricos* & *Amantinos* tranſiens, inquit: *Orici Amantiæ Regionem incolunt. Amantienſes autem Illyrii à Bulinis hucusque pertingunt.* Id eſt: ad oſtium *Jonii ſinus.* Duplices tandem *Illyros*, qui propriè *Illyri*, ab ipſo *Illyrii* Conditore *Illyro* dicti fuere, ſic deſcribit: *Poſt Liburnos gens eſt Illyriorum, qui oram maritimam accolunt, ad Chaoniam uſque, quæ juxta Corcyram Alcinoi Inſulam eſt. In his Oppidum Græcum eſt nomine Heraclea, & Portus ſunt: & hic Barbari quos Lotophagos vacant.* Hæc notat citatus *Scylax* de una gente *Illyriorum*, de altera porrò ſic ait: *Taulantii ſunt gens Illyrica, in qua civitas Epidamnus, quam fluvius allabitur nomine Pallamnus. Ex Epidamno, Apolloniam uſque Græcam urbem iter bidui eſt: Apollonia autem 50. ſtadiis à mari diſtat, & Æas amnis urbem præterfluit; ab Apollonia in Amantiam ſunt ſtadia 330. juxta Apolloniam Æas fluvius ex Pindo monte ortus, defluit versùs Oricum interius in ſinum Jonium: Ab Amantia autem ſtadiis 60. in mare effluit: omnibus hiſce gentibus in mediterraneis contermini ſunt Atintanes, ſupra Oriciam, & Chaoniam, uſque ad Edoniam; in Chaonia regione exigua quædam inſula eſſe fertur nomine Erythia. Huc Gerionem veniſſe perhibent, & boves paviſſe, circa hæc loca Ceraunii montes ſunt in Epiro, quibus Inſula exigua nomine Saſon objacet, hinc tertiâ diei parte Oricum navigatur.* Hæc ſunt, quæ *Scylax* de *Illyrii* populis ab *Appiano* non nominatis, notavit; quibus huc relatis, ad *Autarii* filios *Pannonium*, & *Scordiſcum* regredi opus foret, ſed quia de *Pannonio* ſuo loco uberiora producere intendimus, pro nunc hic loci ad *Scordiſcum* dumtaxat divertimus.

XIV. *Scordiſcus* cum ſua progenie primò ad *Hebrum*, qui *Adrianopolim* alluit, & nunc *Mariza* vocatur, conſedit. Deinde a *Minucio Macedoniam* & *Thraciam* ſortito vaſtatus, ut ad A. M. 3944. notavit *Brietius*, ſe intra *Savum*, *Dravum*, & *Muram* amnes collocavit, atteſtante etiam *Bonfinio Dec. 1. lib.* 1. Quamvis *Scordiſci* & ultra *Savum* habitaverint, ut exiſtimat *Schönleb.* in Appar. Carniol. *cap.* 5. §. 7. *num.* 7. dicens; *Et videtur adhuc loco ſupereſſe nomen, ſiquidem paulo infrà Carloſtadium, & Retchiczam inter & Griskoviczam ſit Szrediska, quaſi Scordiſca depravato modicè vocabulo.* Quod confirmat *Plinius lib.* 3. *cap.* 25. dum de *monte Claudio* agit, ſcribens: *Cujus* (Montis Claudii) *in fronte Scordiſci, à tergo Tauriſci.* Idipſum opinari licet de Diſtrictu inter *Dravum*, & *Muram* fluvios, ubi ad utrumque amnem extant hodiedum pagi, quondam celebriora oppida, unum *Nemsko Szredische*, quia in moderna Styria, aliud *Murſzko Szredische* dicta. *Strabo* quidem *lib.* 7. dicit *Scordiſcos* habuiſſe etiam urbes *Heortem*, & *Capedunum.* Regionem *Heordeam* (quam *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 5. §. 3. *num.* 1. cum *Heorte* eandem credit) *Plin. lib.* 4. *cap.* 10. in Pannonia nominat, quare qui *Heortis* rudera volet inquirere, in *Pannoniam inferiorem*, id eſt, modernam *Croatiam*, & *Slavoniam* ſe conferat neceſſe eſt, inquit *Schönleb. loc. cit.* Idipſum de *Capeduno* exiſtimat idem *Schönleb. cap.* 5. §. 2. *num.* 2. qui ex *Jornande* de Reb. Geticis *cap.* 58. interpretatur pro *Heorte*, *Hertum*, vel ut *Gruterus* ponit, *Hertam* ad ripam Danubii. ſed quo loco, non indigitat. *Capedunum* porrò erit, ſi ominari ex prævié dictis fas eſt, ipſa *Szrediska* ſupra memorata.

XV. *Pannonio*, ut in *arbore Genealogica* exhibui, & *cap. præſen. num.* 3. retuli natus fuerat, *Appiano* teſte filius *Tribalus*, qui ſe inter *Dardanos*, & *Mæſos* collocaverat, ut ſcribit *Plinius lib.* 3. *cap.* 26. Item: *Lib.* 4. *cap.* 1. & 10. Atque hos etiam *Illyricam* gentem fatetur *Steph.* ſucceſſivè verò, ut tradit *Strabo* ab *Agrianibus* uſque ad *Iſtrum* quindecim dierum itineris ſpatium occupabant. *Agriones*, ſeu *Agriani*, qui à *Tribalorum* tergo habitabant, & Metanaſtæ, id eſt Exules effecti *Agriam* urbem, quæ hodie eſt ſedes Epiſcopalis in *ſuperiori Hungaria*, condiderunt. Trajecto námque *Danubio* in *Partisgarum* agro haud procul *Tibiſco* fluvio conſidentes, ex eo quòd Agreſtes fuerint, urbem ædificatam *Agriam* nominârunt. Ita *Bonfinius Dec.* 1. *lib.* 1. Qui *ibid.* hos *Agrianos* Populum *Illyricum* fuiſſe docet: ídque confirmat *Szentivanius* Diſſertat. Paralyp. Rerum Memorab. Regni Hung. *Catal.* 8. Ubi tamen *Agriam* rectiùs ab *Agrone* Rege *Illyriorum* ædificatam, atque ab ejus nomine *Agriam* cognominatam longè ante *Hunnorum* in *Pannoniam* adventum, exiſtimat. Hucusque *Appiani* ex *Illyro* genitorum Genealogia per me, quorundam Authorum fulta opinionibus, facta explicatio, ſpero benevolum Lectorem contentabit, atque ad reſidua perlegenda animabit.

XVI. Dum igitur præmemorati *Illyricæ* gentis Primores, eorumque Poſteri Regionem *Illyricum* dictam longa temporum ſerie incolebant, contigit, quòd eos diverſi Populi ex *Aſia*, & *Europa* acceſſerint, ut ſunt *Argonautæ*, *Colchi*, *Heneti Paphlagones*, & *Celto-Galli*, qui delectis inter *Illyros* ſedibus in unam quaſi cum iisdem coierint nationem *Illyricam*, ſub quinque celebriorum Populorum *Illyriorum*, *Liburnorum*, *Japydum*, *Iſtriorum*, & *Scordiſcorum* nomenclatura diviſi. *Illyrii* omnium antiquiſſimi, & nobiliſſimi inter *Ariſiam*, & *Drinum* fluvios, ut *Pomp. Melam lib.* 2. *cap.* 3. & *Plin. lib.* 3. *cap.* 21. notant, conſederunt. *Liburni* verò juxta *Pomp. Melam loc. cit.* & *Plin. lib.* 3. *cap.* 22. *Tedavio* amne, uſque ad *Titium* fluvium, & à *Mari Adriatico*, uſque ad *Montem Albium* ſe collocârunt. *Japydum* gens à *Liburnia* per *Tedavium* fluvium diviſa, *inter montes Albios* habitabat, ut ſcribunt *Plin. lib.* 3. *cap.* 19. & *Ptolom. lib.* 2. *cap.* 17. *Iſtriorum*, ſeu *Iſtriotarum* natio ſedem fixit in *Peninſula*, ut *Ortelius* habet, ab intimo ſinu, ubi *Tergeſtum* ſitum eſt, juxta ejus littora, uſque ad *Tedavium* amnem. Ac tandem *Scordiſci*, ubi ſe ſituaverint, *Cap. præſenti Num.* 14. dictum eſt. Quòd autem *Illyrici* hi Populi, quantumvis anguſtis terminis coarctati, antequam Romano ſubjicerentur Dominio proprios Reges à nullo dependentes habuerint, omnique tempore viros litteratoria eruditione, rerum gerendarum peritiâ, bellicáque virtute præſtantes nutrierint teſtatur *Appianus*. De hiſce *Schimnus Chius* apud *Joan. Luc. lib.* 1. *cap.* 2. Oram Maritimam ad *Nicomedem* Regem *Bythiniæ* deſcribens, ſic diſſerit: *Porrecta deinceps Illyris, quàm plurimas gentes coercet: Nam frequentes admodùm extare turbas hominum in Illyride ferunt. Quorum una pars remota degit à mari, pars altera littus Adriæ internum occupat. Pars obtemperat Regiæ potentiæ, pars alia ſervit unius libidini, pars legibus vivit ſuis. Piiſſimos eos ferunt, juſtosque, & hoſpitibus bonos: Civilem amare ſocietatem maximè, ſtudere vitæ, & moribus cultiſſimis.* Ex quibus benevolus Lector advertere poteſt, quorum morum *Illyri* adhuc ut *Gentiles* fuerint; nam *Schimnus Chius* eos hic ut *Gentiles*, ipſe *Gentilis* ante Nativitatem Chriſti annis 150. ut *Franc. Otrokocſi* de originib. Hung. notat, vivens deſcripſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.
De Amplitudine, & Metalibus Illyrii.

I. ADhibendam exiſtimarem eſſe fidem *P. Timonio* è Soc. JEſu mihi, meæque Religioni ſemper æſtimatiſſima, rerum Hungaricarum, quas *Imago Veteris, & Novæ Hungariæ* intitulat, ſcriptori eruditiſſimo, ſi in ſua Hiſtoria *de Illyrico Hungarico*, ipſi *Illyrico* multa non adimere, ſuæque *Hungariæ* attribuere niteretur. Qui exiguam terræ portionem *Illyrum* cum ſua familia *Cap. præc.* enucleata poſſediſſe dictat. Ait enim in prætitulato ſuo opere (poſtquam noſtrum *Georgium Ratkajum*, de Geſtis Regum, Banorum *Regnorum Dalm. Croat.* & *Slav.* ſcribentem, atque ex novem Regnis *Illyricum* quondam conſtitiſſe tradentem redarguiſſet, verbáque ipſum non multa, ſed errata plurima, confuſa vetera cum recentibus, aut cohærentia diſtracta, mera deniqua monſtra protuliſſe inſimulâſſet) *Peculiariter accepta Illyris planiùs, & vulgò deſcribitur: Regio Europæ ſecundùm dextrum Maris Adriatici latus extenſa à cæteris partibus Iſtriâ, Mœſiâ ſuperiori, & Macedoniæ parte quæ Adriatico incumbit, terminata.*

II. Et quantumvis pro hoc ſuo Aſſerto *P. Timon* nullam adducat authoritatem, id tamen *Illyro* cum ſua familia primis illis, & vetuſtiſſimis temporibus accidiſſe facilè conceſſerim, juxta illos, qui apud *Bombardium* Topogr. Hung. *Part.* 1. *cap.* 1. *ſegm.* 4. *num.* 4. Diviſionem *Illyrici*, eámque omnium fors antiquiſſimam fecerunt, in *Superius*, ſeu *Anguſtius*, & *Inferius*, ſeu *Laxius*. Priori, id eſt: *Superiori*, aut *Anguſtiori*, quod Maritimâ Adriæ orâ terminabatur, ac poſtmodum *Chulmia* dicta, *Narone*, & *Drino* fluminibus terminabatur: Poſteriori verò, ſeu *Inferiori*, aut *Laxiori*, quod à *Mare Adriatico*, ad *Danubium* fluvium uſque patebat, quæ hodie *Morlachia* nuncupatur, diſtrictus attribuentes. *Scylax Caridianenſis* tamen Populos *Encheleos*, quos *Steph.* propriè *Illyros* nominat, in illa parte *Illyrii* collocat, ut remonſtrat *Lucius lib.* 1. *cap.* 3. quæ inter *Naronem*, & *Drinum* amnes ſita eſt, quæ Regio ſicut apud vetuſtiores, ob *Illyrii* Conditoris memoriam cæteris *Illyricis* diſtrictibus celebrior fuit habita, ita eadem ex Regum *Illyricorum* ſede peculiare, ſeu proprii *Illyrici* nomen cum Regno ſervavit.

III. *Strabo* de Illyrici finibus ſcribens, atque de ſingulis ejus oræ Populis diſſerens, *Liburnos*, *Narentanos* ad *Naronem* amnem, *Daorizos*, *Ardieos*, *Plereos*, *Rhizonium ſinum*, *Drilonem fluvium*, *Lyſſum*, & *Acrolyſſum*, inque *Epidamno* Oræ *Illyricæ* diſſertationem terminans, *Illyrico*, utpote ex Nepotibus *Illyri* progenitos concludit. Ex qua diſſertatione populos prædictos ſub Generali nomine *Illyriorum*, & non ſolùm *Encheleos*, ut vult *Schimnus Chius*, intellexiſſe *Strabonem* dicendum eſt. Adeoque ex his concludere licet, quod tam bene *Dardani*, *Mœdi*, *Autariatæ*, *Perbebi*, *Parthini*, *Doartini*, *Daſſeretæ*, *Pannonii*, *Scordiſci*, & *Tribali* in plures excreſcentes familias, ſeque in plures diverſorum nominum dividentes Provincias, ſub uno tamen nomine *Illyriorum* compellari voluerint, prouti & compellat eos *Pompon. Mela lib.* 2. *cap.* 3. Qui pariter de terminis vetuſti *Illyrii* agens, ait: *Illyrici uſque Tergeſtum*, & mox poſt pauca verba ſubjungit: *Parthini, & Daſſeretæ prima ejus tenent, ſequentia paulatim Enchelia, Pheaces, deinde ſunt, quos propriè Illyrios vocant, tum Pyrei, & Liburni, & Iſtri.*

Digitized by Google

IV. Nihil igitur monſtrorum *Ratkajus* noſter produxiſſe videtur, qui *Illyricum* latè patens ex pluribus quondam Regnis conſtitiſſe aſſerit, probè gnarus, plures quóque nationes, in plures, diverſorum nominum, diviſas fuiſſe Provincias, generalem tamen nomenclaturam pro diviſis retinuiſſe. Et ut copiam ſimilium omittam, ab unica *Germania* deſumo exemplum. Hæc primitùs in longitudine, juxta Geographiam *P. Piachevichii* non niſi à *Scritofiniæ Promontorio*, vulgò *Norrtkün* in Oceanum ſeptentrionalem excurrente ad Danubium per milliaria 400. in latitudine verò maxima *Rheno* fluvio nunc juxta *Baſileam*, & *Admacâ palude* in confiniis *Ruſſiæ* ſita per milliaria 200. concludebatur. Moderna autem *Germania* habet à Meridie *Alpes* quibus ab *Italia*, & *Gallia* ſeparatur; ab Occaſu *Burgundiæ* comitatum, *Campaniam Galliæ*, & *Picardiam*; à ſeptentrione *Oceanum*: ab Ortu tandem *Pruſſiam*, *Poloniam*, *Hungariam*, & *Sclavoniæ* partem. Intra hos limites nonne concluduntur? ut taceam de minoribus Provinciis, *Auſtria*, *Bavaria*, *Franconia*, *Suevia*, *Saxonia*, *Weſtphalia*, *Helvetia*, *Styria*, *Carniolia*, *Carinthia*, *Sileſia*, *Haſſia*, *Pruſſia* &c. Quarum Regionum incolas, neque *P. Timon*, neque ullus peritiorum uno generali nomine *Germanorum* compellari negare poterit. Ergo à pari de *Illyrico* noſtro, quod medio familiarum ex filiis, Nepotibus, & Pronepotibus *Illyri* progenitarum latè patens factum, in plures populorum tractus diverſis nomenclaturis ſignatos, diſtinctum extitit. Ut igitur genuina veteris *Illyrii* amplitudo dignoſci queat, *ſequens* legatur *Num.*

V. Tempore, quo Græcis ſcriptoribus (hi etenim primi Hiſtoriam conſcribere cœperunt) *Illyricum* ſub tali nomine innotuit, quantitatem ejus exiguam fuiſſe reor, vixque ſpatium majus ſui diſtrictûs habuiſſe opinor, quàm ſit hodiernarum inſimul ſumptarum Provinciarum *Dalmatiæ*, *Liburniæ*, *Croatiæ*, *Iſtriæ*, & *Carnioliæ*, *Bosnæque* plaga, neque de aliis nominibus præenumeratarum Provinciarum (*Liburniam*, *Iſtriam*, & *Bosnam*, quæ eò tum *Mœſia*, vel *Myſia* vocabatur excipiendo) quidquam apud Hiſtoricos, vel Geographos legebatur. Ita *Lazius* de Migr. Gent. *lib.* 5. *pag.* 14. Quamvis *Scylax Cariaden.* apud *Joan. Lucium lib.* 1. *cap.* 2. qui Annis ante Chriſtum natum 352. adeoque ante Romanorum 186. annis vixit, producat ſui temporis *Illyrii* terminos ab Oriente verſus Occidentem à *Carauniis* (qui in novis Tabulis Geographicis *Chymerii* vocitantur) montibus in *Epirum* uſque à ſeptentrione verò verſus Meridiem, ab *Amantinis* populis *Pannoniæ* (qui inter *Savum*, & *Dravum* juxta *Plin. lib.* 3. *cap.* 25. & *Ptolom. lib.* 2. *cap.* 16. Item *Sextum Ruf.* in Brev. *cap.* 7. & *Jornand.* de Regn. ſucceſſ. *cap.* 51. habitabant) uſque ad *Mare Adriaticum.* Hunc ſequitur *Schimnus Chius*, & *Dionyſius Afer* modicum junior ſcriptor; ſed utérque *Iſtriam*, & *Liburniam Illyrico* excludit.

VI. *Iſtriam Strabo* Geograph. *lib.* 7. adnectit *Illyridi* his verbis: *Docuimus in Illyrici ora maritimâ eſſe Iſtros conterminos Italiæ, & Carnis, Principéſque noſtros hodie Italiæ fines ad Polam uſque Iſtriæ urbem protuliſſe.* Ex quo textu colligitur *Iſtriam* priùs *Illyrici* fuiſſe Provinciam, ſiquidem Principes Romani temporibus *Strabonis*, qui vivebat A. C. 10. *Italiæ* fines ad *Polam* urbem *Iſtriæ* produxerint, totamque *Iſtriam Illyrico* conterminam pro *Italia* haberi deſignaverint. *Liburniam* quóque *Illyrico* incluſam fuiſſe tradit *Jacobus Vadianus* Commentator *Pomponii Melæ* ſic diſſerens: *Adriæ primam oram Macedones populi inhabitant, reliquum Liburni, Iſtri, & Illyri, uſque Tergeſtum, quos Mela communi Illyriorum nomine cenſet.* Amplum denique, & laxum ſucceſſivis, pri-

Digitized by Google

primis etiam illis temporibus *Illyricum* extitiſſe probatur partim ex his, quas recenſuimus, Authorem ſententiis, partem ex urbibus, quas Reges *Illyriorum* condidiſſe referuntur: tali námque modo *Illyricum* in ipſam *veterem Pannoniam* extendebatur. Si namque *Agron Illyriorum* Rex, *ut cap.* 3. *num.* 15. ex *Szentivanio* inſinuavi, *Agriam* urbem condidit: ſi *Gentius* pariter *Illyriorum* Rex *Mogentianam*, olim *Romanorum* in *Pannonia* municipium, quæ hodie apud *Bombardium* Topograph. Regni Hung. *Part.* 2. *cap. unico ſegm.* 1. §. 14. *num.* 5. *Meſtriana*, vulgò *Meſtri* appellatur, æquali ferme intervallo inter *Sabariam*, & *Budam* ſituatam ædificari (ut *P. Gabriel Szerdabelii è S. J.* in Ruderib. Hung. *pag.* 33. ſcribit) curavit, inferre juſto titulo licebit, temporibus nominatorum Regum, id eſt: intra Annos Mundi 3800, & 3890. non ſolum *Illyricum* in *Pannoniam* extenſum fuiſſe, verùm etiam ipſos Reges *Illyriorum* Dominium ampliſſimum in *Pannonia* habuiſſe. Probatur præterea Illyrici amplitudo, ex ipſis Urbibus *Illyrii*, quarum ad A. M. 3887. ſub *Gentio* Rege *Illyriorum* 70. numerabantur, ut patet ex *Appiano*, qui de *Bell. Illyr.* ſcribens, urbiumque *Illyricarum* deſpoliationem per *Paulum* Conſulem Romanum, juſſu Senatûs, Populique Romani factam deſcribens, inquit: *Sic Paulus unâ hora 70. ſpoliavit urbes.* In *Nomenclatura* quoque *Ptolomaica* hodiedum leguntur *Illyrii* urbes 55. Præterea Inſulæ in *Adriatico mari* 8. Quæ urbes certè ſi aut prolixiori diſtantia ab invicem ſituatæ fuerunt, longiorem etiam terræ in longitudine, & latitudine tractum pro ſuo diſtrictu occupare debebant; ſed & Inſulæ non modicam terræ portionem inquilinis conferebant. Quapropter multùm mirari cogor *Schönlebenium*, qui per contextum ſuorum Annalium *Carnioliæ* plura ſuis duntaxat *Japydibus*, *Iſtris*, & *Lyburnis*, excluſis *Illyriis* adſcribat, quantumvis ipſemet *Japydiam*, *Liburniam*, & *Iſtriam* incluſam *Illyrico* fuiſſe fortiter defendat.

CAPUT V.

De Idiomate primorum Illyriorum.

I. POſtquam notitiam cum *Illyrica* gente contraximus, neceſſum eſt, ut cum eadem etiam ſermocinemur, quatenus nationem eorum, ex idiomate quóque ipſorum dignoſcamus; idioma námque probabiliſſimum refertur argumentum à natione diſtinctivum. Antequam tamen id fiat, examinari debet, quot, & quæ ſint Matrices in orbe terrarum linguæ, ſeu idiomata? Quia verò néque in his determinandis Authores conveniunt, ſigulorum opiniones referendæ ſunt. Atque ut ab eo, qui omnium linguarum fons, & origo eſt, Deo ordiamur, hunc ut hominum ambitionem caſtigaret, inviſámque ſibi *Turris Babel* fabricam interrumperet, linguarum confuſione uſum fuiſſe *Moyſes* nos docet *Gen. cap.* 11. illis verbis: *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui.* Quod & factum fuiſſe teſtantur ſacri Codices *loc. cit.*

II. Linguarum hanc confuſionem *Philo Judæus Lib.* de confuſione lingu. in ſenſu Tropologico ſumendam eſſe exiſtimat, ſed opinioni hujus adverſatur unanimis Scriptorum tum Chriſtianorum, tum Hebræorum ſententia. Hi námque concorditer relatam à *Moyſe* linguarum confuſionem

Digitized by Google

ſionem in ſenſu litterali intelligendam eſſe tradunt. *Philaſtrius* vetuſtus ſcriptor in Catal. Hæreſum *cap.* 106. docuit: ante ædificatam *Turrim Babel* inter homines fuiſſe idiomatum varietatem, ita tamen, ut quilibet quolibet idiomate loquentem exactè loqui, alterúmque quocúnque idiomate loquentem intelligere potuerit, adeóque ex confuſione horum id tantùm ſecutum fuiſſe, quòd ſublatâ univerſali omnium linguarum ſcientiâ, unius tantùm idiomatis notitia, in quavis familia remanſerit. Verùm huic doctrinæ apertè contradicit *Moyſes loc. cit.* Dum terram unius labii fuiſſe, id eſt: homines uno idiomate ante ædificium *Turris Babel* uſos fuiſſe, diſſertè teſtatur. *Pererius lib.* 16. *Diſp.* 9. Nullam in linguis confuſionem factam eſſe agnoſcit, verùm homines ob exortam repentè tot idiomatum ad invicem diſſonantium diverſis in familiis varietatem, mirè confuſos fuiſſe docet.

III. Hæc igitur linguarum confuſio novorum idiomatum inſtitutio, atque eorundem in varias familias diſtributio fuit. Qua autem ratione hæc linguarum diſtributio acciderit? *Abulenſis in Gen. cap.* 11. exponit. Hic etenim à Deo primò univerſis familiis (unicâ *Heberei* exceptâ, juxta quem linguam *Hebraicam* manſiſſe, atque ab eodem taliter nominatam fuiſſe, omnes Expoſitores ſacræ ſcripturæ, imò & alii Hiſtoriarum ſcriptores affirmant) primævi idiomatis (quod *Hebræum* fuiſſe, *Cajetanus in Gen. cap.* 11. *Abulenſis loc. cit. Bellarminus lib.* 2. de verbo Dei. *Pererius in Gen. lib.* 16. *Salianus*, *Torniellus*, & alii paſſim tradunt) in oblivionem inductam fuiſſe: dein verò iisdem familiis novam linguam eâ ratione infuſam eſſe, ut ejus non minùs promptum, facilémque uſum haberent, quàm ſi eandem cum nutricis lacte hauſiſſent.

IV. Quot verò linguarum genera tunc exorta fuerint? licèt *Sacræ Paginæ* nullibi prodant, multi tamen Patrum ex numero familiarum, & gentium, quæ ex filiis *Noë*, nepotibúsque nata fuere 55: alii, & communiter 72. diverſa idiomata tunc fuiſſe colligunt; ſeptuaginta enim duas familias ex *Noë* filiis uſque ad ædificium *Turris Babel* prognatas numerant: videlicet ex *Cham* 31. ex *Sem* 16. ex *Japhet* 25. Ita ſentit *Epiphanius*. Idem tradunt *S. Auguſt. lib.* de Civ. Dei. *S. Proſper Aquitanus*, *Arnobius*, *Euſebius*, *Beda*, *Marianus Scotus*, *Salianus*, aliique quam plurimi. Hos tamen *Bochardus* in Phaleg. *lib.* 1. *cap.* 15. *Alexander Nat.* Hiſt. Eccl. *pag.* 152. *Pererius lib.* 16. non impugnant quidem, ſed explicant: ex omnibus præcitatorum argumentis nihil aliud inferri poſſe, quàm quemadmodum certum gentium numerum, atque diverſarum familiarum ex filiis *Noë* prognatarum difficillimum aſſignare accidat, ita pariter de linguarum tum enatarum numero nihil certi ſtatui poſſit. Nullum tamen dubium oriri poſſe aliquas adhuc ſuper eſſe linguas primigenias, ſeu Matrices ex illa confuſione, & diviſione enatas.

V. Sed neque in his enumerandis conveniunt Authores. *Genebrardus* namque apud *Cornel. à Lap.* Comment. in *Gen. cap.* 11. ſeptem exiſtere ſcribit: *Hebraicam* videlicet, *Latinam*, *Græcam*, *Slavonicam*, *Germanicam*, *Tartaricam*, & *Abyſſinam*. Poſt hunc *Torniellus* Annal. ſacr. ad *A. M.* 1931. *Num.* 18. ſex adeſſe tradit. *Hebraicam*, *Gracam*, *Latinam*, *Slavonicam*, *Germanicam*, & *Tartaricam*. Neutrum ſequitur *Scaliger*, utpote qui utriusque numerum *Epiſt.* de linguis Europæis apud *Joan. Beccmanum* Hiſt. Orb. Terr. *Sect.* 3. *cap.* 9. diminuit, quatuorque tantum nominat: *Latinam*, *Gracam*, *Slavonicam*, & *Germanicam*, omittendo *Hebraicam* ex eo, quòd *Beccman. loc. cit.* opinetur hanc in

Digitized by Google

in reſiduis quatuor reperiri. *Alexand. Nat.* Hiſt. Eccl. *Diſſert.* 5. *Propoſ.* 2. & cum eo *Bochardus*, *Genebrardus*, pluréſque alii ſententiæ communiori adhærent, & quinque linguas Matrices haberi aſſerunt: *Hebraicam* nimirum, *Græcam*, *Latinam*, *Slavonicam*, & *Germanicam*, háſque à prima linguarum confuſione ad noſtra uſque tempora traductas probant; è quibus dein alias linguas enatas numerant. Et quidem ex *Hebraica* ſeptem: *Arabicam*, *Æthyopicam*, *Chaldaicam*, *Hungaricam*, *Samaritanam*, *Syriacam*, *Turcicam*. Ex *Græca* quatuor: *Atticam*, *Æolicam*, *Jonicam*, & *Phrygiacam*. Et *Slavonica* octodecim: *Bohemicam*, *Bosnenſem*, *Bulgaricam*, *Carniolicam*, *Caſſubicam*, *Circaſſicam*, *Croaticam*, *Dalmaticam*, *Iſtriacam*, *Moldavicam*, *Moſcoviticam*, *Moravicam*, *Polonicam*, *Pomeranicam*, *Rarſcianicam*, *Serviacam*, *Vandalicam*, *Vindicam*. Ex *Latina* quatuor: *Gallicam*, *Hiſpanicam*, *Italicam*, *Morovlachicam*. Ac tandem ex *Germanica* ſex: *Anglicam*, *Belgicam*, *Cimbricam*, *Danicam*, *Flandicam*, & *Scoticam*.

VI. Inter præattactas Matrices linguas non niſi apud *Alexand. Nat.* legitur: *Illyrica*. Quæ autem illa ſit, & qualis? dubium oriri poſſet, ſignanter apud Criticos, qui certiſſimam etiam quandoque, & evidentiſſimam rem in diſputationem vertere ſolent. Ego *Illyricam* nomino illam, quam *Genebrardus* cum *Scaligero*, & *Torniello* apellat *Slavonicam*, cum non tantùm totius orbis, ad minùs *Europæi*, teſtimonio probare, verùm etiam probam meam authoritate *Gesneri*, & *Rochæ*, qui apud *Beccmanum loc. cit.* Idioma *Illyricum* idem eſſe cum *Slavonico* docent, confirmare queam. Nihilominus ad hoc dilucidandum non frivola Quæſtiuncula mihi hic loci proponenda videtur. Qualiter nimirum *Illyrica* cum *Slavonica* lingua eadem eſſe poſſet? ſiquidem *Illyri* à *Javan*, prouti *cap.* 3. remonſtravi proceſſerint, *Slavones* autem, ſeu *Slavi* à *Moſoch* ſexto *Japheti* filio, *Javanis* fratre, ut diſſertiſſimè *Peſſina* Mart. Morav. *lib.* 1. *cap.* 3. quem ſequitur etiam *P. Fubrman* Nov. & Vet. Auſtr. *Par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. contra *Cluverium* (qui nationem *Slavicam* à *Riphat* filio *Gomer*, nepote *Japheti* deſcendiſſe ſcribit) pluribúſque id firmat argumentis. Ad quam quæſtiunculam breviter reſpondeo. *Slavones* incolas *Illyrii* primos nullatenus fuiſſe, ſed poſteriores. Hi námque ex *Cappadocia*, ubi *Moſoch* cum ſua familia ſub initium conſederat, juxta citatum *Peſſinam* ſucceſſivè in *Illyricum* migrantes, ibidémque ſedes figentes, ſecum etiam Idioma *Slavonicum* attulerunt, allatumque ſenſim, & ſenſim toti *Illyrico*, ita ut omnibus commune fieret, infuderunt. Hinc factum, ut quod Veteres nomine *Illyrici*, hoc recentiores vocabulo *Slavonici* exprimant, incolarúmque *Illyrici* linguam absque diſcrimine modò *Illyricam*, modò *Slavonicam* hodiedum appellent. Quando autem, & quâ occaſione hæc *Slavorum* migratio ex *Cappadocia* in *Illyricum* acciderit? ſuo loco exponere non omittam.

VII. Quo igitur idiomate primi *Illyrici* incolæ, ante *Slavorum* in *Illyricum* adventum ſermocinabantur? incertum eſt, cum nullus Scriptorum reperiatur, qui nos informet. Unicus recentiſſimus *P. Alexius Piariſta* in Chron. ſuo Præliminarium *cap.* 2. §. 1. aliquid de hoc attingere videtur, dum ait: *Quòd ſi præmiſſis antiqui Illyrici originibus, Reges priſcos, qui memoriâ digni videntur, & quantum fieri poteſt, attigerimus: ita & illi, qui Slavos hodiernos Illyrici incolas, cum Illyricis antiquis, quacunque de cauſa confundunt, ab erronea opinione liberabuntur, & obſcura hactenus, cineriisque involuta tenebris Illyriorum gloria, in apricum proferetur.* Item *cap. eod.* §. 9. *Qui Slavos, ſeu in Illyriis antiquis, ſeu in Pannonibus ſomniant, noſtrâ quidem ſen-*

ſententiâ admodum falluntur. Ac tandem *cap. eod.* §. 24. *Qui gentis Slavonicæ, ſeu per adulationem, ſeu per ignorantiam, antiquam extollere contentunt virtutem, Illyros Slavorum majores fuiſſe ajunt.* Ex quibus textibus colligitur, hunc ſcriptorem negare eſſe paratum *Slavos* ex *Illyriis* proceſſiſſe, conſequenter neque æquale idioma habuiſſe. Suſpicari ergo licet, eandem univerſis *Javanis* poſteris linguam fuiſſe uſitatam *Græcam*, cum ab ipſo *Javan* natio *Græca*, conſequenter & idioma *Græcum* originem ſumpſerit, ut *cap. 1. num.* 2. expoſuimus; Idque perſuadet ipſius *Græciæ* propinquitas, ſed & *Jaſonis* cum *Argonautis* natione *Græcis* ad A. M. 2791. juxta *Brietium* in *Illyricum*, *Apollonio* Argonaut. *lib.* 1. *cap.* 2. *Valerio Flacco* Argonaut. *lib.* 7. Item *Plinio lib.* 3. *cap.* 18. *Juſtino lib.* 32. & *Strabone* Geograph. *lib.* 1. atteſtantibus, adventus, ac perpetua in *Liburnico* agro, condita Urbe *Æmona*, capta ſedes. *Athenæus* certe *lib.* 10. de Gallor. incurſionib. *pag.* 443. planiſſimè *Ardiæos* populos (de quibus *cap. ſeq. num.* 1. acturus ſum) quos *Strabo* nominat *Varalios*, ſed *Ptolom.* cum *Plinio* vocitat *Vardæos*, fuiſſe *Græcos* ſignificat. Habebant autem Ardiæi ſedes in media ferè moderna *Dalmatia* juxta citatum *Athenæum*. Ac tandem authoritas *S. Hieron.* qui hujusce rei mentionem agens *lib.* de Traditione Hebræor. inquit: *Legamus Varronis de Antiquitatibus libros, Cinnii Capitonis, & Græcorum Phlegonta, cæteróſque eruditiſſimos viros: Et videbimus penè omnes Inſulas, & totius orbis littora, terrasque mari vicinas, à Græcis accolis occupatas.* Ex quibus deducitur primævos *Illyros* noſtros cum *Græcis* quaſi unam nationem, unumque populum extitiſſe, eodémque idiomate ſermocinatos fuiſſe. Quòd ſi ita? certò certiùs Genealogiam quóque *Illyriorum* à *Japhet*, per *Dodanim* deductam firmari debere, prudens Lector affirmabit.

VIII. Dixi *cap. 1. num.* 3. Poſteritatem *Cethim* populorum *Latinorum* Progenitoris per decurſum *Montis Cetii*, qui ſucceſſu temporis in *Illyrico* etiam comprehendebatur, habitaſſe, *Romanoque*, ſeu *Latio*, quem *Latinum* eſſe plerique docent, ſermone uſos fuiſſe, ex quo inferre poſſum, *Illyros* quóque ad minùs *Montis Cetii* incolis viciniores, ut ſcribit *Bombard.* Topograph. R. H. *P.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. *Romanam*, ſeu *Latiam*, aut *Latinam* linguam caluiſſe, quæ *Celtarum*, ſeu *Gallo-Senonum* primò, dein *Longobardorum* in *Italiam* ingreſſu corrupta in *Italicam* tranſiit, *Latinâ* per univerſum quidem orbem tempore *Monarchiæ Romanorum* diffusâ, ſed nonniſi in iis, qui ejusdèm longiori ſtudio addiſcendæ cupidi ſunt, remanente. His in *Illyricum* ad A. M. 2871. juxta *Brietium*, conſummato *Bello Trojano*, acceſſit cum *Antenore* Duce ingens multitudo *Henetorum*, qui occupato primò occidentali *Maris Adriatici* littore, gentem *Venetam* condiderunt; ſucceſſu dein temporis gens hæc potens effecta, limitésque ſuos egreſſa in *Iſtria*, *Japydia*, & *Liburnia*, imò in ipſo *Illyrico* plures colonias fixit, è quorum poſteris longè diſpar ab *Illyriorum* idiomate & moribus natio prodivit; his fidem facientibus *Livio* Hiſt. Rom. *lib.* 1. *Plinio lib.* 3. *cap.* 18. & *Strabone* Geograph. *lib.* 4. Quæret quis: Quinam hi *Heneti* fuerint? Reſpondeo: Ii ipſi, quos hodie *Slavones*, ſeu *Slavos* compellamus, & qui hodiedum per *Illyricum* ſive vetus, ſive novum diffuſi, ſub nomine *Slavonum*, *Croatarum*, & *Dalmatarum* Deo, Principique ſuo fideliſſimè deſerviunt, ſed & bono publico Patriæ ſuæ providentiſſimè proſpiciunt. Quod porro memorata *Heneta* gens, fuerit verè illa, quæ nunc *Slavonica* dicitur, infra ſingulari *Capite* producere non intermittam. Ex quibus colligitur in *Illyricum* ſucceſſivè tres Matrices linguas introductas fuiſſe, *Græcam* videlicet,

Digitized by Google

licet, *Latinam*, & *Slavonicam*. Ac tandem quartam *Celticam*, quæ hodie *Germanica* nuncupatur, ut probat *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 6. §. 5. Dum videlicet ad A. M. ut *Brietius* notat 3449. *Celtæ*, ſeu *Galli*, ex poſt *Germani* dicti, ingreſſi *Pannoniam*, & *Illyricum* longè inter *Adriaticum* & *Liguſticum* mare habitabant, *Segnámque* urbem in *Illyrico* condiderunt. Et hæc cum *Illyris* ſermocinatio pro nunc abrumpatur, cum ſufficiat noſſe, quo ſermone primi *Illyrii* uſi fuerint?

CAPUT VI.
De Geſtis primorum Illyrorum.

I. QUantumvis multa multi de Illyrico conſcripsêre Hiſtorici, omnia tamen in confuſo, neque debito ordine ſervato, annorum etiam connotatione prætermiſsâ, in lucem prodière. Hinc non modicam indolendi materiam præbent, quòd nullibi genuinam *Illyricorum* geſtorum ſeriem reperire liceat. *Appianus* de Bellis Illyr. ſcribens, narrat: Quòd *Scordiſci*, & *Tribali* ſeſe infeſtis invicem attriverint armis; quòd *Autarii* terrâ potentes, *Ardiæos* mari validos everterint; & plura ſimilia, quamvis eruditiſſimè, & pro ingenti *Illyriorum* gloria, ſed néque tempus, neque ſuperioritatem, neque cauſam, minùs locum geſtarum exponit rerum. Idipſum vetuſtiores quoque fecêre Hiſtorici, ſed res geſtas breviſſimo comprehendentes ſtylo. Non mirum ergò, quòd in tenebris verſemur noſtrarum antiquitatum, neque genuinos Aborigines noſtros, minùs ſubſecutorum temporum acta noſſe valeamus, niſi ex conjecturis. Atque hac ipſa de cauſa conjicere fas eſt, quod poſt obitum *Illyri* Fundatoris *Illyrii* (qui populo ſuo, à ſe prognagnato, & fortè etiam in diſtrictu, quem ille *Illyrium* appellavit invento, jura, ut Dux, ſi non Rex, (quamvis *P. Alexius Piariſta* eum Regem fuiſſe aſſerat) vel ad minùs ut ſenior Populi dictaſſe creditur, in eodem officio Parenti ſucceſſerit filius *Autarius*.

II. Regnante, ſeu Præſidente in *Illyrico Autario*, *Pannonius* filius ejusdem *Autari* collecto ex *Illyricis* populis exercitu, primùm ad fines *Macedoniæ*, dein trans *Danubium* colonias duxit. Duplex ex his natio orta, una in *Macedonia*, quæ *Pœonum*, & ab his Regio *Pœonia* dicta fuit; altera *Pannorum*, à quibus *Pannones*, & Regio *Pannonia* compellabatur. Ità *Appianus*, cui ſubſcribere videtur *Cluverius* Antiquit. Germ. *lib.* 1. *cap.* 5. dicens: *Pannonia & Pannonii nomen ſuum à Pannone hæreditârunt*. Sed de his ſpeciali *Capite* plura. Unicum ut advertatur, benevolum Lectorem hìc præmonere volui, ut dum per decurſum hujusce Chronologiæ mentio facta fuerit *Pœonum*, illos, qui ad fines *Macedoniæ* remanſerunt, intelligere velit; dum verò mentio *Pannonum* occurrerit, illos, qui in moderna *Hungaria*, olim *Pannonia* dicta, reſidebant, cognoſcat. Quamdiu *Autarius* Regno *Illyridis* præfuerit, & quis eidem ſucceſſerit, incompertum eſt.

III. *Bello Trojano*, quod juxta *Brietium* ab A. M. 2861. uſque ad 2871. durabat, *Illyros* quóque à *Græcis* in Belli ſocietatem pellectos ominatur *Schönleben*, & *P. Alexius Piariſta*, qui reſiduis auxiliaribus Græcorum copiis conjuncti præclaram contra *Trojanos* navavêre operam. Inter cæteros, qui *Trojanis* auxilium contra *Græcos* ferebant, fuit etiam Virgineus

Digitized by Google

neus *Amazonum* exercitus, quam ipſa Regina earum *Pentheſilea* ducebat, à *Virgilio* Æneid. *lib. 1.* & *Darete Phrygio lib.* de Excidio Trojano: item *Dicte Cretenſi lib.* de Bello Trojano, ac *Juſtino lib. 2.* celebrata; quam à *Sarmatis*, olim *Cappadocibus*, adeoque *Slavonibus* (ut ſuo loco dicetur) oriundam probat *Peſſina* Mart. Morav. *lib.* 1. *cap.* 3. Meritò proinde *Slavones* noſtri de ejusdem *Amazonum* Reginæ Heroicis facinoribus gloriæ ſibi partem decerpant. Quòd autem tam *Sarmatæ*, quàm *Cappadoces* ſub commando *Phylæmonis* auxilio Trojanis fuerint, teſtatur *Herodotus lib.* 1. *pag.* 43. & *Livius lib.* 1. qui & *Phylæmonem* ibidem occubuiſſe ſcribit. Terminato *Bello Trojano* dum ſe *Antenor* à ſuis complicibus ob proditionem Urbis *Trojæ* neglectum, & illuſum animadvertiſſet, reliquit patriam, atque cum *Henetis Sarmatarum*, & *Cappadocum* populis ad intimum ſinum *Adriatici* pervenit, pulſisque, inde *Euganeis* locum pro ſuo, ſuorumque incolatu occupavit, quem & *Venetiam*, ſocios verò *Venetos* appellavit, ibidemque urbem, primò *Antenoream*, dein *Patavium*, vulgò *Paduam* ob vicinitatem *Padi* fluvii cognominatam, ædificavit. Ita *Livius lib.* 1. *Juſtinus lib.* 20. *Trogus* in Epit.

IV. Ab A.M. 2871. uſque ad 3455. juxta *Brietii* computum, conſequenter Annis 584. nihil de geſtis *Illyricis* in Hiſtoriis legitur, præterquam, quòd ut *cap.* 5. *num.* 8. inſinuavi, intra hos annos ſpecificatos *Heneti*, ſeu *Veneti* ſe in *Illyrico* quòque notos fecerint, ſedésque ſibi collocârint, atteſtante *Herodoto lib.* 1. qui eos *Illyricam* gentem appellat; ſed & *Scylax Cariaden.* apud *Lucium lib.* 1. *cap.* 2. Cum *Celtarum*, ſeu *Gallorum* (qui poſt *Henetos* in *Illyricum* advenerant, ut infra dicemus) diſtrictum deſcripſiſſet, ſubjungit; *Celtas Henetorum gens excipit*, adeòque & hic *Henetos* ſe in *Illyrico* locâſſe recognoſcit, quos *Polybius*, *Livius*, & Strabo *Paphlagones* fuiſſe tradunt. Verùm de his, uti apollicitus ſum, ſuo loco uberiora. Annus porrò Mundi 3449. ut *Schönlebenio* placet, *Celtas* primùm, ſeu *Gallos* induxit *Illyrico*, de quibus *Juſtinus lib.* 24. agit. Duces horum fuiſſe *Livius Dec.* 1. *lib.* 5. nominat *Beloveſum*, & *Sigoveſum*, ſororis *Ambigati* Regis *Gallorum* filios. *Sigoveſus* ſorte ferente in ſaltibus *ſilvæ Hercyniæ* remanſit *Beloveſus* ingentibus peditum, equitumque copiis, alioque populo, quo abundabat, nominatim *Biturigibus*, *Arvernis*, *Senonibus*, *Heduis*, *Ambarris*, *Carnutibus*, *Aureteis* ultra profectus per *Taurinos*, ſeu, ut *Polyb. lib.* 3. habet *Tauriſcos*, ſaltus *Juliæ Alpis* tranſcendens, fuſis acie *Thuſcis*, haud procul *Ticino* flumine, in *Inſubrum* agro urbem *Mediolanum* appellatam condidit. Ubi obſervandum eſt: nonnullas *Beloveſi* copias, vel copiarum partes per viam, quâ proficiſcebantur, reſediſſe, & alias etiam terras occupâſſe, à quibus deinde urbes, & oppida ædificata, & inhabitata fuêre, ſignanter in hodierna *Auſtria*, olim *Pannonia* celeberrima illa civitas *Carnuntum*, quod nunc *Hamburgum* dicitur: quin etiam probabiliter *Carni* ipſi, & *Carnioli*, atque *Carinthi* à ſupranominatis *Carnuntibus*, prouti & *Senoſetcenſes* à *Senonibus* deprompſerunt. Illud porrò pro certo habet *Ritterus*, aliter *Vitzovich Segnenſis* in ſuo Chron. ex *Schönlebenio*; quòd, poſtquam *Beloveſus* copias ſuas per *Illyricum*, &, vel potiſſimum, per Oram *Maris Adriatici* ipſum quoque *Illyricum* attingentis dilocâſſet, cum Colonna *Senonum* urbis *Segnienſis* jecerit fundamenta. Multæ præterea nomenclaturæ in *Carniolia*, *Carinthia* & *Styria inferiori*, imò & in moderna *Croatia*, ac *Slavonia* Urbium, Arcium, Villarum, ſilvarum &c. imò & familiarium illuſtrium à *Gall* incipientium, vel terminantium confirmant *Gallos* olim hisce in Regionibus incolarum habuiſ-

Digitized by Google

buiſſe. Et nè prolixior ſim, omitto eas, quas *Eraſmus Franciſci* in Topograph. Carniol. & *Valvaſorius* in Hiſt. ejusd. Carn. tam in *Styria*, quàm in *Carniolia*, & *Auſtria* enumerant, noſtrarum tantum partium aliqua, ut ſunt: *Goliiak* Promontorium ad *Semſediam* arcem cis *Savum* fluvium. Aliud propè urbem *Scrapinam Gallovcbak* dictum, certum item *Kalnik* ſupra Præſidium *Criſienſe*, & villa *Galgovo* prope caſtrum *Siſſienſe*. Nobiles item Domini *Gall*, & *Kallokovich*, prouti & de plebeo populo *Gallovichii*, memoranda duxi.

V. Mixti ergo nunc *Illyris* noſtris *Celtæ*, ſeu *Galli* habitare cœperunt, & idioma *Theutonicum*, ſeu *Germanicum* miſcere *Græco*, & *Heneto*, ſeu *Slavico*, ut ex obſervatione *Lazii* de migr. Gent. *lib.* 1. & multarum rerum conſonantia liquet. Hos autem *Celtas*, ſeu *Gallos* verè linguâ, & natione fuiſſe *Theutones*, ſeu, ut modo appellantur, *Germanos*; licet à *Græcis Celtæ*, à *Latinis* verò *Galli* nominentur, quia eò tum nondum vocabulum *Germanorum*, ſed longè poſt, id eſt: modicè ante *Julii Cæſaris* tempora innotuiſſet, *Gallorum* porrò migratio dudum ante *Julium Cæſarem*, ut notat *Lazius* de migr. Gent. *lib.* 1. *cap.* 82. & *Cluver.* Antiquit. *Germ. lib.* 1. *cap.* 5. contigiſſet; juxta computum *Brietii* annis 604. ante *Julium Cæſarem*. In *Illyrico* itaque jam conſtitutos *Celtas*, & *Henetos* credibile eſt utriusque partis gentem ſenſim, & ſenſim adeo auctam, & dilatatam fuiſſe, ut vetuſtas *Illyriorum* familias, vel extingueret, vel ſibi matrimoniis initis conjungeret, ſervata tamen ſemper *Regni Illyrici* nuncupatione. Et quemadmodum hoc credibile eſt, ita incredibile haud erit ſuprafatum *Beloveſum* ſibi jus integrum gubernii in *Illyriorum* populos, ſive Ducis, ſive Regis titulo arrogâſſe, idque colligitur ex ſententia *Juſtini lib.* 24. quâ ex *Pompeo Trogo* tradit: *Beloveſum* per multos annos varia bella cum finitimis geſſiſſe, quæ vero, qualia, quando, & ubi, & quibuscum? non declarat, niſi intelligere velit illa, quæ cum *Romanis* prædictorum *Gallorum* poſteri, & recenter ex *Gallia* advenientes, eaque ſicut diuturna, ita cruenta habuerunt, uſque dum ſibi, ſuísque ſucceſſoribus firmum, ſtabilemque incolatum (relicto *Henetis Illyrio*) ad utrámque fluminis *Padi* ripam in *Italia* fixiſſent.

VI. Medio tempore *Illyri* viribus, opibusque potentes *Macedones*, *Thraceſque* continuis, obſcuris tamen vexavêre bellis. Illius tamen prælii ad A. M. 3455. meminit *Euſebius* in Chron. & *Juſtin. lib.* 7. quæ poſt immaturâ morte extinctum *Philippum* filium *Argæi*, infantemque *Earupum* in cunis relinquentem hæredem, *Illyri* inopinato bello *Macedones* aggreſſi ingenti ſtrage profligârunt; *Macedones* tamen Rege ſuo in cunis prolato, & pugnæ ante aciem propoſito, acrius certamen repetiverunt, tanquam ideo priori prælio victi fuiſſent, quòd bellantibus ſibi Regis ſui auſpicia defuiſſent; futuri vel propterea victores, quòd ex ſuperſtitione animum vincendi caperent, ſimul & miſeratio eos infantis teneret, quòd ſi victi forent, captivum de Rege facturi viderentur. Conſerto itaque prælio magnâ cæde *Illyros* fuderunt, oſtenderúntque hoſtibus ſuis priore prælii actione Regem *Macedonibus* non virtutem defuiſſe. Bello huic, uti & aliis poſterioribus *Gallos* quoque ſeu *Celtas*, & *Henetos* incolas *Illyrii* interfuiſſe, ambigendum non eſt, ſuccreſcente námque *Gallorum*, & *Henetorum* ſobole, & junctis (ut *num. præc.* inſinuavi) per matrimonia indigenarum cum adventitiis familiis auctam gentem, tam de ampliatione, quàm de conſervatione finium Regni una cum *Illyris* ſolicitam fuiſſe, quis dubitabit? ſed & è contra *Illyros Gallis* contra

Digitized by Google

Romanos, alióſque finitimos pugnantibus auxilio fuiſſe, pari de ratione, nemo, ſpero, negabit.

VII. Circa A. M. 3460. alter *Gallorum* in *Italiam* tranſitus à *Brietio* adnotatur. De quibus *Livius lib.* 5. & *Genebrad.* in Chron. agunt. Hi Ducem ſecuti *Elitorium*, favente *Beloveſo*, *Alpes Illyrii*, *Pyrinias* dictas, tranſcendentes, ad loca, ubi nunc *Brixia* ac *Verona* urbes ſunt conſedêre. Poſt hos *Saluvii*, deinde *Boji*, *Lingonésque* pariter memoratas *Alpes* transgreſſi, ac *Pado* fluvio ratibus trajecto, non *Hetruſcos* modò, ſed & *Umbros* agro pepulerunt. Interea per omnes quaſi partes *Illyrii*, & *Pannoniæ* has nationes duffuſas, non multò poſt Romanæ fortitudinis æmulas, & terrorem omnium populorum, Dominatum in *Illyrico*, & *Pannonia* tenuiſſe ominari licet, vel ex eo, quod *Livius loc. cit.* tradat has gentes, connivente *Beloveſo*, per *Illyricum* ſuum tranſitum inſtituiſſe, & probabiliter ex tranſeuntibus plures in *Illyrico*, & *Pannonia* remanſiſſe. Idem de *Bojis* (qui infra *Raclitanam* urbem, quæ hodie *Rakelſpurga* audit, conſederant) teſtatur *Ptolom. lib.* 2. *cap.* 15. cui adſtipulatur *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 3. §. 3. *num.* 2. ex *Cluverio* de Norico *cap.* 5.

VIII. *Joan. Tomaſſich* Ord. S. Franc. Seraph. Provinciæ Bosnen. Presbyter, circa A. D. 1580. breviculam *Croat.* & *Slavon.* Chronologiam contexuit, quamvis vel ob mortem Conſcriptoris, vel ob ſumptuum defectum prælum non ſuſtinuerit. Ex hoc tamen manuſcripto *Schönleb.* ad A. M. 3548. notat *Segnenſem* urbem à quodam *Græco*, nomine *Tebio Tillio*, muro circumdatam, cujus opinioni adhæret domeſticus ſcriptor *Ritterus*, prouti etiam quoad oppidum *Tradiaſtum*, ſeu *Thediaſtum* (quod plures ſcriptores, & in ſpecie *Szentivanius* in *ſynopſi Chronol.* 6. hodiernam *Modruſſam* interpretantur) cujus ad A. M. 3638. jacta fuiſſe fundamenta idem *Tomaſſichius* notat apud *Schönleb. ad An. cit.* idque probabile eſſe deducitur ex *Thucidite lib.* 6. & ex *Diodoro Siculo lib.* 12. Nam uterque ſcribit: *Græcos* jam in decimum ſextum annum *Peloponiaſico bello* intentos, domeſticarúmque jactationum pertæſos, cum pluribus familiis in vicinas *Illirici* oras diſceſſiſſe, & impetratis agris colonias aliquas condidiſſe. Quid ſi hac occaſione *Zagrabiam* quoque, eſtò eò tum tali nomine minimè vocitatam, ſimilem coloniam *Græcos* induxiſſe dixero? crederem me nihil à veritate deflexurum, cum hodiedum ſuperior civitas *Mons Græcus Zagrabienſis* appelletur. Si quis aliam hujus nominis Urbi huic impoſiti cum ratione originem attulerit, eidem aſſentiri nunquam refragabor. Hâc, & ſimilibus occaſionibus, nihil dubito, paſſim, circa hæc præſertim tempora, plures deductas fuiſſe in *Illyricum* colonias, atque ab iis pro commodiori habitatione plures quoque ædificatas extitiſſe civitates, & arces, extructa oppida, & caſtella, poſitos vicos, & pagos, ſignanter poſtquam familiæ exteræ cum indigenis conſanguinitate, & affinitate commixtam in unam gentem coaluiſſent.

IX. Ad A. M. 3699. juxta *Brietium* refert *Diodor. Sic. lib.* 16. qualiter *Dionyſius Syracuſiorum* Tyrannus urbibus ad *Mare Adriaticum* condendis animum intenderit, ut *Jonium Sinum* ſuæ faceret poteſtatis, tutamque ſibi in *Epirum* navigationem aperiret, ac Urbes ad manum haberet, quò navibus ſuis appellere commodè quiret. Et quia tunc *Illyrii* in *Epiro Moloſſos* infeſtis armis vexabant, ut *Dionyſius* intento ſuo faciliùs potiretur, *Illyriis* contra adverſarios *Moloſſos* non exigua auxilia tulit: ideo *Illyri* grati *Dionyſio* eſſe volentes, ipſum in *Adriatico ſinu* urbem *Lyſſam*, ſeu *Iſſam* ædificare ſiverunt, cujus urbis incolarum (quos in eandem adduxerat) copiâ adjutus *Dionyſius*, dum à cæteris

teris negotiis vacabat, navalia pro 200. Triremibus conſtruxit. Intra hæc rerum eventa *Parii*, oraculo quodam exciti, coloniâ in *ſinum Adriaticum* deductâ, Inſulam, quæ *Phari* nomen habet, adjuvante illos *Dionyſio*, occupant, urbémque in illa condunt: quod cum *Illyriis* præjudicioſum appareret, confectis Triremibus, dum in Inſulam *Phari* ad excludendos incolas transvehi nituntur, Prætor *Liſſæ* urbis, juſſu *Dionyſii* numeroſa triremium claſſe navigia *Illyriorum* adortus, partim demerſit, partim in ſuam poteſtatem redegit, *Illyriorum* ſupra quinquies mille interfectis. Sed dum *Punico bello Dionyſius* occuparetur, redúxque ab *Atheinenſibus* in *Lenæis ludis* victor denuntiaretur, totum ſe crapulæ dedidit, turpitérque ſuffocatus animam mixtam vino evomuit, obiítque morte etiam, quàm Tyranni ſolent, funeſtiore.

CAPUT VII.

De Geſtis Illyriorum Bello Macedonico.

I. ESto pluribus *Illyri* cladibus in recenſitis bellis affecti fuiſſent, non fracti tamen, ſed erecti magis, eâ potentiâ extincto *Dionyſio* Tyranno, per *Illyricum* valebant, ut Principatum, juxta narrata *Appiani* in Illyricis, *Diodori Sic. lib.* 4. & *Juſtini lib.* 7. *cap.* 8. non ſolum *Lyſſæ*, & *Phari*, ſed & totius *Littoris Adriatici* tenuerint. *Amyntas* filius *Argæi* Regis *Macedoniæ*, & in Regno ſucceſſor A. M. apud *Brietium* 3686. vitâ exceſſit, quatuor filiis relictis, *Alexandro*, *Ptolomæo*, *Perdicca*, & *Philippo*, omnibus Regnum Patris ſucceſſivè adipiſcentibus: ſed, ſi ultimum exemeris, infortunatis. Regni etenim gubernacula adiit primò natu major filius *Alexander*, qui inter prima Regni initia bellum ab *Illyris* pactâ mercede redemit, & *Philippo* fratre in obſidem dato, pacem coluit. *Philippum Illyrii* obſervandum *Thebanis* tradiderunt. Quales eò tum fuerint *Macedones*? *Brietius ad A. M.* 3694. declarat his verbis: *Macedones ſordida gens, & obſcura, vix nota nomine, Illyriis, Barbariſque ſerviens populis.* Unum tantum *Alexander* regnavit annum, vita ſpoliatus à *Ptolomæo* illegitimo fratre, regnum *Macedonicum* ambiente, quod tamen *Perdicca* ſecundo legitimo *Amyntæ* filio, vitâ, utpote Regni violentus invaſor, exutus cedere coactus eſt. Ita *Diodor. Sic. lib.* 4. *Euſeb.* in Chron. & *Juſtin. lib.* 7. ſed & ipſe *Perdiccas* brevem adepti regni uſuram habuit; cum etenim ad A. M. 3690. *Illyricum* jugum excutere conabatur, in acie occubuit, & cum eo quadraginta millia *Macedonum*. Tunc *Philippus* natu fratrum minimus è *Thebana* cuſtodia feliciter elapſus in *Macedoniam* pervenit, *Monarchiam* fundaturus, ex calamitoſo captivo fortunatiſſimus orbis Domitor.

II. *Philippus*, ſub principium ſui in *Macedoniam* adventûs, pro Pupillo *Perdiccæ* filio, ut Tutor cuncta administrabat, verùm cum in peſſimo ſtatu *Macedonicas* res currere perſpexiſſet (*Illyrii* námque ob fugam *Philippi*, atque non perſolutum vectigal, novum adverſus *Macedones* parabant bellum. *Pæones* finitimi, *Macedoniæ* depopulabantur agros. *Pauſanias* quidam Regiæ ſtirpis, auxilia Regis *Thraciæ* Regno inhiabat) ſceptrum arripuit, impoſitaque vertici ſuo coronâ rem pænè deſperatam reſtituere cœpit. Hinc firmatâ ad A. M. 3695. cum *Atheinenſibus* pace, *Pæonibusque* acie victis, & ſub jugum miſſis, expedivit

Digitized by Google

pedivit ad *Bardylem* Regem *Illyriorum* Feciales, qui dum dudum occupatas *Macedonicas* urbes repeterent, pro reſponſo tulerunt: Pacem eâ ratione conſtare poſſe, ſi quisque, quod tunc poſſideret, deinceps etiam ſervaret. Ergo Bellum *denuntiatum.* Hæc *Polyb. lib.* 2. *Curtius* Supplem. *lib.* 1. *cap.* 5. *Juſtin. lib.* 8. *cap.* 6. & *lib.* 9. *cap.* 2. Hic inter Parentheſim obſervandum venit: *Bardylem* hunc primum *Illyrii* Regem ab Hiſtoricis nominari. An aliqui ipſum præceſſerint? qui tali, vel alio titulo, aliquod altum gubernium, ſpirante, *Illyrios* rexiſſet? Antiquitati inveſtigandum relinquitur. Nunc ad arma progrediamur, ad quæ *Philippum* accepta clades ad ultionem; *Bardylem* parta dudum victoria ad retinendam gloriam ſuccendebant. Ad A. itáque M. 3696. educto ex utraque parte exercitu, diù ancipiti, prælio decertabatur, inclinatâ tamen tandem ad *Macedones* fortunâ, *Illyri* in fugam verſi ſeptem millia ſuorum amiſerunt. Pax deinde occupatarum urbium *Macedonicarum* ceſſione ſancita curas *Philippi* ad alia transtulit. Ita *Diodor. Sicul.* & *alii ſupracitati.*

III. Nonniſi biennio pax inter *Illyros* & *Philippum* inita virorem ſuum retinere potuit: *Illyri* namque, *Thraces*, & *Pœones* à *Philippo* victi, & proprio malo, & adverſarii incremento non parùm affligebantur. Hinc cum ſinguli ſe facere aliquid deſperâſſent, ut *Philippum* Regno, & fortunis privarent, illum ad A. M. 3698. unitis viribus aggredi ſtatuerunt. Verùm *Philippus* in ipſo Belli apparatu ſubito adventu incautos oppreſſit, & in jura *Macedonici* Regni adegit. Confectum eſt hoc bellum à *Parmenione* Belliduce *Philippi*, ut ex *Plutarcho* colligitur, qui in Alex. Gard. *cap.* 10. *num.* 4. ait: *Philippum tres una, eadémque die nuntios lætos accepiſſe: primò, Illyrios à* Parmenione *ingenti prælio ſuperatos: deinde in ludis Olympicis ſe equi pernicitate victorem declaratum: tertiò, natum ſibi eſſe filium Alexandrum.* Ad Annum proinde Mundi 3698. referenda eſt Nativitas *Alexandri*, futuri aliquando Principis, cui totus non ſufficiat orbis. Poſtquam *Philippus* Regnum ſuum magnis incrementis ex aliorum ruinis ampliâſſet, & undíque ſtabiliviſſet, antiquum in *Illyrios* odium reaſſumens, comparato valido exercitu A. M. 3710. in *Illyridem* movit, agrósque in *Dardanis* depopulatus eſt, multisque expugnatis urbibus prædâ onuſtus *Macedoniam* repetiit. Non multò poſt, id eſt: circa A. M. 3714. *Atheæ Scytharum* ad *Iſtri oſtia* Regi bellum intulit *Philippus*, cumque aſtu potiùs, quàm potentiâ, quamvis virtute, & numero præſtaret *Atheas*, devicit. Redux victor *Philippus* exceptus eſt in viarum faucibus à *Triballis* populis *Illyricis* (qui poſtea *Servii*, vel, ut quibusdam placet, *Bulgari* dicti ſunt) præda partem poſcentibus, quam cum negaret, totam, & propemodum vitam amiſit. Hæc *Juſtinus lib.* 9.

IV. Dum *Philippus* ad A. M. 3716. *Olympiadem* uxorem, *Alexandri* matrem repudiaſſet, duxiſſétque *Cleopatram* neptem *Attali*, inque nuptiali convivio *Attalus* hortatus fuiſſet *Macedones*; ut juſtum ex *Philippo*, & *Cleopatra* à Diis expoſcerent Regni ſucceſſorem, *Alexander* excandeſcens, ſcyphum conjecit in *Attalum* dicens: *Quid nos tibi ſcelus, num adulterini videmur*? quam ob cauſam mox *Philippus* in *Alexandrum* ſtricto enſe irruit, ſed bonâ utriusque fortunâ, *Philippus* impacto ex ira, & vino pede prolapſus eſt, *Alexander* verò ſe ſubduxit, & ad *Illyrios* contulit, abducta ſecum matre *Olympiade*, & in *Epiro* relictâ. Ita *Plutarchus* in Alexandro. *Pauſanias* in Arcad. *Juſtinus lib.* 9. *cap.* 7. Ad A. M. 3717. *Philippus* Rex magnus in medio fortunæ curſu, ſubjugatâ *Græcia* universâ, à *Græcis* ſummus *Belli Imperator* contra

tra *Perſas* conſtitutus (adverſus quos ingentem vim copiarum ex *Græcia*, *Macedonia*, *Pæonia*, *Thracia*, & *Illyrico* paratam habebat) poſtquam *Alexandrum* in gratiam receptum ex *Illyrico* revocaſſet, repentè cecidit. Nam in *Cleopatræ* filiæ nuptiis, quam *Alexandro* Regi *Epirotarum*, qui fuerat frater *Olympiadis*, elocabat: dum æqualis Diis, quorum ſimulacris ſuum adjunxerat, incedit ad ſpectacula, ab adoleſcente *Pauſania*, contumeliam ſibi ab *Attalo* illatam vindicante, confoditur, ut Princeps, qui ex reo ſatisfactionem reddere protrahebat, rei loco pœnam ferat. Poſt cujus obitum *Alexander* Regni habenas tractare cœpit. Ita *Plutarchus*, & *reſidui ſupra citati*.

V. *Alexander* viginti, & unius anni adoleſcens ad ſummas virtutes, & vitia natus, cupiditate gloriæ, pænè ſupra mortalem incenſus, à Jove, ut credi voluit, genitus, vix à *Philippo*, nam hic *Olympiadem*, ut ſtupri comprehenſam, dimiſerat. Is ad A. M. 3718. ſtatim paternam cædem ulturus tetendit in *Græciam*, & per *Amphyctiones* Dux renuntiatus *Attalum* opprimit, *Thebas* obſtinatius repugnantes excindit, civéſque ſub corona vendit: *Lybiam* capit, *Syriam* occupat, *Bactrianos* in poteſtatem redigit, ac latè victor, refragante nemine *Corinthi* in *Perſas Imperator* proclamatur. Hoc tamen non obſtante tumultus adhuc undique contra ipſum exoriebantur, quos audaciâ, & animi conſtantiâ incredibili citiſſimè omnes comprimit, & extinguit. Ita *Brietius* ex *Q. Curtio*, *aliisque ſupracitatis*. Hac occaſione *Alexander* jam cognomento *Magnus*, victoriarum quidem plenus, ſed nondum ſatur, dum aviditate duntaxat honoris in *Cappadoces*, quos *Q. Curtius* apud *Orbinum* nomine *Scytharum*, & *Barbarorum* comprehendit, exercitum ducit, Legati eorum *Alexandro* obviam facti, gravi eidem oratione perſuadere conabantur: Quo felicitati ſuæ fræna imponeret, armorum etiam, ac belli exitus dubios, proinde fugiendos potiùs, quàm proſequendos eſſe. Aſt dum reſponſum ab eo recepiſſent; ſe ſuâ uſurum fortunâ: congreſſi cum eodem minimo ſuorum damno; duo peditum millia, & trecentos *Macedonum* equites, inter quos *Menodemum* Duce in ipſo fervore pugnæ delevêre. Ex quibus apparet, jam tum *Cappadoces* ſapientiam egregiè cum virtute militari conjunctam habuiſſe.

VI. Sed neque hic territus Alexander, quippe quem damni illati, mortíſque Ducis *Monodemi* recens memoria ad ulciſcendum ſtimulabat. Quare acie pro temporis opportunitate inſtructa, acerrimè dimicans, *Cappadocum* turbat alas, turbatisque celeriter pedem inferre cœpit, & per 80. ſtadia fugientes inſequi perſeverat. Victoriâ hac obtentâ Alexander, quamvis ſuis ſatis cruenta, animo tamen lætus, altoque judicio ſuo diſcutiens, ac ratione evidentiſſima, ex ipſo actu collecta, *Cappadoces* invicti animi eſſe gentem, multumque *Macedonum* armis parem fore declaravit. Ea propter ab hinc eos in fide permanentes ſummis proſequebatur favoribus, atque adversùs omnes alias gentes devincendas belli ſocios ſtrenuiſſimos adhibebat. Ita *Ratkajus* noſter ex *Orbino*, qui deſumpſit ex *Q. Curtio*. Quemadmodum cæteras gentes contra *Alexandrum* plures exciviſſe motus paulò ante retulimus, ita *Illyros* quóque jugi *Macedonici* impatientes, vaſallatúmque eorum, quibus antea dominabantur ægrè ferentes plura moliviſſe certum eſt. Siquidem redux ex *Cappadocia Alexander* armata manu in *Illyricum* moverit, ut ſcribit *Arrianus* in vita Alex. & *Q. Curtius* de geſtis Alex. ſed antequam, quid ibi egerit? conſignemus, agendum erit de ſtatu *Illyrii* ejusdem temporis.

CAPUT VIII.

De ſtatu Illyrii ſub initium Regni Alexandri.

I. SUb initium Regni *Macedonici* imperia *Alexandri Magni* ſequentis *Illyricum* paſſim apud Hiſtoricos in trifariam diviſum legitur, quandoquidem eodem tempore ejuſdem Regni Reges ſub diverſis nominibus, in diverſis pariter unius populi diſtrictibus ab iisdem notentur Scriptoribus, ut apud *Arrianum*, *Plutarchum*, *Q. Curtium*, & *Juſtinum*, quos ſequuntur omnes ferè Recentiores. Qua autem occaſione, cur, & quando, à quove diviſum extiterit? nullus eorum explicat. Hinc *Oedipo* opus foret, niſi *Joan. Lucius lib. 1. cap. 4.* hac de re aliquid, idque ex quadam, probabili tamen conjectura, adnotaſſet. Sic namque *loc. cit.* ſcribit: *Illyri vectigales ſibi reddiderunt Macedones, partémque Regionis eorum occuparunt, ut Juſtinus, & Diodorus ſcribunt. A Philippo deinde Alexandri Magni Patre victi, in duo Regna diviſi.* Ex quo *Lucii* textu colligitur: Quòd *Philippus* ad diminuendam *Illyriorum* potentiam, quæ *Macedonibus* ſemper pernicioſa extiterat, Regnum eorum in duas diviſerit partes, utpote ſibi jam vectigalium, & tributariorum: Unámque partem *Clito* filio *Bardylis* regendam commiſerit, eamque ſimpliciter *Illyricum* nominaverit: Alteram autem partem cuidam *Glauciæ*, ſors fratri, aut conſanguineo *Cliti*, noviter in Regem conſtituto gubernandam attribuerit, eámque *Illyricum Taulantinorum* appellaverit.

II. Et quia *Taulantinorum* nonnulli, ut *cap. 3. num. 5.* expoſitum eſt, juxta *Dyrrachium* habitationem fixiſſent, plures tamen eorum in *Liburnia* eò tum latè patente conſederunt, neceſſum igitur eſt, hanc partem *Illyrii* non aliam niſi mediterraneam Regnum *Illyriorum Taulantinorum* appellatam fuiſſe, eidèmque de conſtitutione *Philippi* memoratum *Glauciam* Regem jura dictâſſe. Alteram autem partem *Illirii*, quæ ſimpliciter *Illyricum* dicebatur, habuiſſe ſub poteſtate *Clitum* cum tota ora maritima, Inſulíſque ac vicinis Alpibus, & recenſitis *cap. 3. Illyriorum* habitationibus, cenſendum arbitror. His ex præcitato *Lucii* textu conjecturaliter deductis prudens nemo obſtrepet, donec opportunius aliquid ad rei veritatem probandam in medium adferendum occurrerit.

III. Manet tamen dubium de tertia *Illyrii* parte, de qua *Lucius* agit nihil. In hac tamen apud ſcriptores legitur hisce temporibus regnaſſe *Syrmum*, & ſimul Regnum *Illyriorum Tribalorum* nominatur, ſors ab olim, aut eadem occaſione, atque ex ratione à *Philippo* inſtitutum. Ubi illud extiterit? exponit *Zamoſius Analector. cap. 4.* dicens: *Apud Q. Curtium extat Alexandrum Illyros Tribalos, qui poſtea Bulgari ſunt dicti, ſuperâſſe.* Textus hic, utpote clariſſimus explicatione non eget, verùm his *Bulgaris*, & *Servios* adjicere licet, conſtat namque ex pluribus ſcriptoribus *Syrmum* Regem *Syrmienſis* urbis conditorem extitiſſe, imò toti diſtrictui idem nomen, hodiedum durans, impoſuiſſe, conſequenter ibidem, & in vicina *Servia*, atque remotiori *Bulgaria* imperitaſſe. Certè vel ex hac præinſerta *Illyrii* diviſione evidentiſſimè innuitur, ingentem quondam *Illyriorum* extitiſſe potentiam, cum *Philippus* tantorum Regnorum Domitor, nonniſi diviſos ſibi ſubjectos habere decreverit *Illyrios*, veritus, ne virtute unita ſemper fortiores

tiores

Digitized by Google

tiores, fortiſſimique perſeverarent. *Illyrii* autem limites hac tempeſtate ad ipſas *Iſtri* (qui nunc *Danubius* dicitur) ripas extenſos, & ipſum quoque *Noricum mediterraneum* eidem *Illyrico* incluſum fuiſſe, *Livii lib.* 43. oſtendit narratio.

CAPUT IX.

De Geſtis Illyriorum ſub Alexandro Magno.

I. MEmini me *Cap.* 7. ſub finem *Num.* 6. inſinuâſſe *Illyros*, eorumdemque Reges contra *Alexandrum* in perniciem adeptarum à Parente Regionum moliviſſe. Quod dum *Alexander* fide dignâ relatione intellexiſſet, nè ipſi intuitu novorum horum moliminum via iteranda in *Aſiam*, quam cum ingenti exercitu, ad ſubjiciendas ſibi Orientales partes parabat, præpediretur, congregatis protinus pluribus ſuis copiis in *Illyricum* veniens, *Illyros* omnes, cum ſuis Principibus, plerúmque ope *Cappadocum*, quos in ſocietatem belli aſſumpſerat, domitos, coërcitóſque denuò ſub jugum miſit. Hinc ad *Danubium* versùs *Mœſiam* converſus *Dardanos* perdomuit, *Syrmum* Regem *Tribalorum* ingenti prælio vicit. Ita *Arrianus* de Expedit. Alex. *Plutarch.* in Alex. *Curtius* Supplem. *lib.* 1. *cap.* 12. *Juſtin. lib.* 17. *cap.* 3. Bello hoc confecto, poſtquam *Alexander Illyros* in fidem, & amicitiam recepiſſet, citatus *Arrianus* inquit: *Huc loci legati, & cæteris Danubii accolis, & à Syrmo Tribalorum Rege, item à Germanis, qui Jonium ſinum accolunt, advenere.* Qui hi *Germani* fuerint? *Strabo lib.* 7. clariſſimè exponit dicens: *Eadem expeditione Celtas, qui Adriaticum Mare adcolunt, amicitiæ, atque hoſpitii jungendi causâ Alexandrum adiiſſe.* Ubi evidenter deſignatur & natio *Germanica*, quam tunc *Celticam Græci*, & *Gallicam Latini* nominabant. Hanc porrò à *Gallis*, ante 270. circiter annos in *Illyricum*, ut ſupra *cap.* 6. *num.* 4. inſinuavi, advenientibus, inque eo conſidentibus propagatam ibidem, & educatam fuiſſe, manifeſtè patet; atque ideo hos *Celticos Illyros*, ſeu, ut aliqua diſcrepantia inter hos, & vetuſtos *Illyros* appareat, *Gallo-Illyros* nominare placet.

II. Univerſis igitur pro *Aſiatica* expeditione præparatis *Alexander* A. M. 3720. relicta *Græciæ*, & *Macedoniæ*, *Illyriique* adminiſtratione *Antipatro*, inductóque in *Illyricum*, ut probabile eſt, milite Præſidiario, ex *Cappadocibus* conducto, *Ne Illyri* (ut *Brietius ad annum præmemoratum* dicit) *ſibi abſenti negotium faceſſerent*, expeditam (ut Juſtinus *lib.* 22. *cap.* 2. Et *Q. Curt.* Suppl. *lib.* 2. *cap.* 3. notant) ex *Illyris*, *Dardanis*, atque *Tribalis*, item ex *Macedonibus*, *Græcis*, ac *Cappadocibus* manum deligens, cum triginta peditum, equitum verò quinque millibus, & navibus quinquaginta per *Heleſpontum* tranſivit in *Aſiam*. In Littore diviſo inter ſuos *Patrimonio Europæo*, ſatis ſibi *Aſiam* eſſe dictitans, ejus poſſeſſionem, immiſſa in eam haſta, adiit. Ita *Brietius*, *Buſſiers* & *alii ſupracitati.* Poſtquam autem *Alexander* decem annorum ſpatio *Orientem* fulguris inſtar cum exercitu ſuo peragrâſſet, *Damaſcumque*, *Syriam*, *Tyrum*, *Gazam*, *Hieroſolymas*, in profligandis hoſtibus, & expugnandis urbibus *Illyriorum*, ac *Cappadocum* operâ mirificè uſus, occupaſſet, *Ægyptum* ſervituti ſuæ ſubjugâſſet, *Perſarum* denique *Imperium*, & *Monarchiam* ſuppreſſiſſet, atque in illius ſuppreſſione ini-

tium *Græci Imperii*, & *Monarchiæ* conſtituiſſet, aliáque tam publica, quàm privata regulamenta pro adminiſtratione *Reipublicæ Monarchicæ* ordinaſſet, *Cappadocibus*, utpote fideliſſimis, ac fortiſſimis hujus Expeditionis Coadjutoribus, in grati animi ſignificationem, & debitam meritorum remunerationem, non ſolum *Illyrici ſoli*, verùm etiam vicinarum eidem Regionum inhabitationem per Privilegiale Diploma contulit ad A. M. 3729. Eſt autem memoratum Diploma *Græco* quidem Idiomate conſcriptum, ſed in *Latinum* verſum tenoris ſequentis.

III. *Nos Alexander, Philippi Regis Macedonum filius, Archos Monarchiæ figuratus, Græcorum Imperii inchoator, magni Jovis filius per Anachtabanum Regem Ægypti annuntiatus, Bragmanorum, & Arabum, Mundique ab ortu ſolis, uſque ad occaſum, & à meridie, uſque ad ſeptentrionem Dominus, Perſarum, & Medorum Regnator, ſolis, & lunæ conculcator. Nobili genti Slavorum, & eorum linguæ gratiam, pacem, & ſalutem à Nobis, & à noſtris Poſteris, qui in mundi ſuccedent Imperium. Quoniam ſemper Nobis conſtantes in fide, animoſi in armis, & ſtrenui adjutores, bellicoſi, atque robuſti milites Noſtri fuiſtis, damus vobis, & donamus plenâ libertate in perpetuum omnem plagam terræ ab Aquilone, uſque ad ultimos fines meridiem verſùs, eâ conditione, ut nulla alia gens, & natio ibidem reſidere, inhabitare, aut poſſidere quidquam audeat, niſi veſtrates. Et ſi quis alius inventus fuerit, ibi habitans, ſit veſter ſervus, & poſteri ejus, ſint ſervi poſterum veſtrorum. Datum in Civitate nova, Noſtræ fundationis, Alexandria in magni Nili ripa: Anno duodecimo Regnorum Noſtrorum, arridentibus magnis Diis Jove, Marte, Plutone, & Minervâ. Teſtes donationis hujus ſunt: Nobilis Athleta Theſaurarius Noſter, & duodecim Principes Noſtri, quos, decedentibus Nobis absque prole, Hæredes, & totius Orbis Dominos conſtituimus.*

IV. Diploma præmiſſum refert *Marcus Orbinus lib.* de Regno Slavorum *pag.* 168. aſſeritque inventum eſſe in quadam Libraria, ſeu Bibliotheca *Conſtantinopolitana. Schönleb.* in ſuo Chron. ad A. M. 3719. gravi invectivâ reprehendit noſtrum *Georgium Ratkaij lib.* 1. *pag.* 10. aſſerentem, *Scythas* illos, qui apud *Q. Curtium* gravi oratione reprehendebant faſtum Alexandri, fuiſſe *Slavos*, primùm ei adverſantes, mox amicos, & in bellis ſocios: arguens ipſum, quaſi mera putida, & ridicula figmenta, quæ nec legi quidem merentur, referret. Ipſum quoque *Alexandri* Privilegium, tanquam è vaniſſimis alicujus fabulatoris ingenio prodiiſſet, rejecit. *Glavinichium* etiam, & *Orbinum*, quorum authoritate *Ratkajus* fulcitur, carpens. Excandui fateor, dum in lectionem horum impegi, & niſi mihi religioſa patientia ſuaſiſſet modeſtiam, in convitiantem pro defenſa Patriotæ ſcriptoris, convitioſi quid protuliſſem, prouti & contra *P. Alexium Piariſtam*, qui pariter Vet. & Nov. Illyrii Prælim. *cap.* 2. §. 24. idem Diploma confictum, atque ex *Parietinis Pra-*

gen-

genſibus depromptum concludit. Parco tamen, dicóque *Radkajum* noſtrum, nullis conjecturis indigentem, ſcripta ſua de *Scythis* ſupra relatis (quos ego *Cappadoces* nomino) uti & de *Diplomate Alexandrino*, non tantùm *Glavinichii* (qui *Scytharum* orationem non è ſuo cerebro, ad remonſtrandam ſuam latinitatem, ut *Schönleb.* allegat, ſed ex *Q. Curtio* deſumpſit, quæ etiam apud *Nicolaum Cauſinum* è *Græco* in *Latinum* idioma verſa reperitur) opinione confeciſſe, verùm & ſenioris Hiſtorici *Orbini* authoritate probaſſe. Quibus ego adjungo *Cromerum*, de origine, & geſtis Polonor. & *Gregorium Petheö L. B. de Gerſe*, qui idem Diploma ſuis Hiſtoricis operibus inſerere non ſunt veriti. Quid porro *Joan. Minellii* Notæ in *Q. Curtium* de iisdem *Scythis* ſentiant? audiamus. Sic namque in *Libri 7. cap.* 8. *num.* 12. diſſerit; *Hos* (Scythas) *Germanos fuiſſe ſcribit Aventinus lib. 1. Affuerunt, & Germanorum Orientalium* (*quos Sarmatas, & Scythas ſcriptores rerum, nos Venedos, ipſi ſe Slavos vocant*) *Oratores.* Ex quibus liquet *Scythas* illos, de quibus *Ratkajus* agit, *Slavos* fuiſſe. Neque mirum, *Scythia* namque, ut *cap.* 2. *num.* 1. retuli, ſicut ampliſſima olim Regio, ita in duplicem diviſa *Europæam*, & *Aſiaticam*, populos ſinu ſuo complectens, *Scytharum* vocabulo nominari gloriabatur, quare & ex eodem capite *Cappadoces*, quantumvis *Slavi* fuerint, *Scythæ* compellabantur. Hinc *Joan. Zakmardii*, ſicut vir nobilitate & eruditione clariſſimus, ita de Republica tam *Illyrica*, quàm *Hungarica* meritiſſimus, non erubuit ſub initium *Poëmatis*, quo modernam honorabat *Slavoniam* ſequentia decantare:

Illa ego Slavonia, ac jam dicta Croatia tellus
Pars quondam Illyrii, Panoniíque ſoli:
Adſtiti Alexandro per bella Monarchica Magno,
Gentem etiam Indultis extulit ille meam.

V. *Alexander* firmato *Græcorum Imperio*, ultra naturam, ambitionem, cum arma non poſſet, propagans, ex *Indiis Babylonem* redux, auditis totius Orbis Legatis, venenô, vel intemperantiâ moritur Anno ætatis 33. invictis armis, non voluptatibus, de quo, ut de *Deo* dicebant veteres: *Silere potiùs, quàm pauca loqui.* Reliquit filiolum *Herculem*, prægnantem conjugem *Roxanam*, & fratrem *Aridæum*, pluréſque Duces dignos Imperio: ſed Heroi tanto nullus ſucceſſit, nec eò ullum provexit ambitio, ut ſe *Alexandro* proximum diceret. Satiùs fuit dividere, quod totum neminem capiebat. Atque ideo *Ptolomæus Lagi* filius, fortitudine clarus *Ægyptum* occupavit, in qua Regnum multos poſt annos duraturum condidit. Alii Duces Regna, & ſatrapias inter ſe partiti ſunt, uſque dum *Alexandri* filii adoleſcerent, id eſt, dum alter alterum qua vi, qua fraude perderet. Sic *Brietius*.

VI. Mortuo *Alexandro* probabile eſt *Cappadoces* mox in *Illyricum*, ubi jam alii, relicti ab *Alexandro* Præſidiarii *Cappadoces* pedem fixerant, migrâſſe, & Dominium ejusdem medio *Diplomatis Alexandrini* uſurpaſſe, & quidem tanto promptiori animo, hilariorique vultu, quòd ibidem partim ſibi cognatos populos *Henetos*, juxta *Herodotum lib.* 1. ex progenie *Moſoch* in *Cappadocia* ortos, qui cum *Antenore*, ut *cap.* 5. *num.* 6. memini, venientes ad *Mare Adriaticum* conſederant, ſéque per *Illyricum* diffuderant, inventuros confidiſſent, partim, quòd fertiliorem multo ſibi terram, quàm *Cappadocia* habeat (hæc enim, ut *Münſterus* explicat, majori ex parte arenoſa eſt, & ſaxoſa, adeóque ſterilis, quin & magnâ lignorum penuriâ laborat) ab *Alexandro* conceſſam animadvertiſſent. Quòd porro cognatos ſibi populos in *Illyrico*

repererint *Cappadoces*, *Polyb. lib.* 2. *cap.* 17. teſtatur his verbis: *Juxta Adriaticum mare habitat alia natio vetuſta, quæ Veneda dicitur, atque diſtincta à Gallis ſermone utitur.* Sermonem autem, ſeu linguam *Venedicam*, *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 5. cum pluribus, quos per longum citat, neque *Gallicam*, neque *Germanicam*, ſed neque *Græcam*, vel *Latinam*, verùm matricem *Illyricam*, id eſt: *Slavonicam* extitiſſe declarat.

VII. Advenientes igitur circa A. M. 3731. *Cappadoces* in *Illyricum* ſedes, & ſtationes ſibi ad invicem cum prioribus ſelegiſſe, & æquâ lance diviſiſſe credibile eſt, priori tamen populo ex ipſis vetuſtis *Illyris*, & *Celtis*, ſeu *Gallis*, commixto reſervato, eique pro vitæ ſuſtentatione terreno ſufficienti aſſignato; quibus ſucceſſivè Affinibus, & cognatis ad invicem per connubia effectis, factum eſt cor, & anima una, par mos, & lingua, æqualis habitus, & religio. Atque tali modalitate *Cappadoces* incolatum *Illyrici* obtinuiſſe credendi ſunt, qua occaſione *Slavonicum* quoque idioma, quo hodiedum in *Illyrico* utimur, pluresque *Slavonicæ* utuntur nationes, nonniſi in *Dialecto* aliqualiter diſcrepantes, in *Illyricum* invexerunt, in eo errorem non modicum committentes, quòd non mox eo tum vi *Diplomatis Alexandrini* integrum *Illyricum*, ſuumque Idioma *Slavonico* vocabulo nominaverint, verum & Regnum ipſum, & linguam ſuam vetuſtâ nomenclaturâ à Regno, quod noviter ingreſſi fuerant, *Illyricam* compellaverint, multas, & graves inter ſcriptores de nominis *Slavonici* origine relinquentes diſceptationes.

CAPUT X.

An Cappadoces ij fuerint, qui nunc Slavones vocantur?

I. CErtum eſſe colligitur ex *Fl. Joſepho* Antiquit. Judicar. *lib.* 1. *Japheto* à *Noë* Patre multas in *Aſia minori* ſedes, nempe ab *Amano*, & *Tauro* montibus, uſque ad *Tanaim* fluvium: dein in *Europa*, uſque ad *Gaditanum ſinum*, attributas fuiſſe. Poſt confuſionem verò linguarum occaſione ædificii *Turris Babel* exortam, dum Nationes ſe ſegregare ſtatuiſſent, *Beroſus* ſcribit: *Exmiſit Saturnus* (qui fuit ipſe *Nembrod*) *Aſſyrum*, *Medum*, *Moſchum*, & *Magog*, *tamquam primos Principes ad erigendas colonias: quorum primi duo Aſſyriorum*, & *Medorum*, *tertius vero Magogum in Aſia majori*, *Moſchus etiam in Aſia minori*, & *Europa*, *condidere.* Ad ſupramemoratum igitur tractum terræ *Japheto* aſſignatum, & quidem primo ad *Aſiam minorem* univerſa *Japheti* familia ſe contulit, quam per alias rurſus familias ex *Japheti* filiis, & nepotibus genitas diviſam, ſubque tentoriis probabiliter, vel exiguis caſulis habitantem, moram ibidem longiorem traxiſſe credibile videtur. Poſtquam verò in eodem diſtrictu multiplicati fuiſſent, ſenſimque una familia, ſeu natio poſt aliam ad latiora inquirenda habitacula, trajecto *Ponto Euxino* in *Europam* migrâſſet; unica *Japheti* familia, ex *Moſoch* progenita remanſit, ſua ſors ſorte, quæ ipſi primitùs obtigerat, contenta. De hac *Tirinus* in Chron. ſacro *Tab.* 1. ex mente *Fl. Joſephi*, *S. Hieron. Procopii*, *Gazari*, & *Genebrardi*, ſic diſſerit: *A Moſoch progeniti Cappadoces, item Moſchi in Sarmatia.* A quo etiam *Cappadocum* Metropolim *Mogam* dictam, dein Linguâ ipſorum

Mo-

Digitized by Google

Moham, ac tandem *Mazakam* appellatam aſſerit *Fl. Joſ.* Antiq. Jud. *lib.* 1. *cap.* 4. Nunc verò latino idiomate ab *Auguſto* Cæſare *Caſaream* vocitari inquit *Tyrius* Comment. in *Ezech. cap.* 27. ℣. 13. idque ex ſententia *Flavii Joſephi*, qui *loc. cit.* hæc ſcribit: *Moga primùm dicebatur, quæ poſtea Cappadocia, nunc autem Cæſaræa, à Romanis hoc ſortito vocabulo, id eſt: à Cæſare. Moſchini verò à Moſoch plantati ſunt, qui nunc Cappadoces, quorum antiquæ appellationis ſignum oſtenditur: nam civitas eſt apud eos, quæ adhuc Moba dicitur.* Quod autem dicitur: *A Moſcho* in *Sarmatia* progenitos eſſe *Moſchos*, nihil obſtat hoc nationi ſive hic, ſive alibi naſcatur.

II. *Venedos Melanthon* Chron. *lib.* 1. de Riphad. *pag.* 24. non à *Moſoch*, ſed à *Riphad* originem ſumpſiſſe docet. Et eod. *lib.* 1. de Moſoch *pag.* 23. ſolos *Moſchovitas* à *Moſoch* proceſſiſſe tradit, conſequenter *Venedos* non *Cappadoces*, ſed *Paphlagonas* fuiſſe concludit. Quo cum plures quoque Scriptores apud *Strabonem lib.* 10. de Ponto *pag.* 574. *Venedos* celeberrimam *Paphlagonicam* nationem extitiſſe notant. *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 1. *cap.* 4. utitur diſtinctione, & dicit: *Ideo Venedos cum tempore Paphlagonas vocitatos fuiſſe, quia revera Riphadicam Paphlagoniam primitùs inhabitabant. Poſtquam verò una pars eorum à Trojano excidio in hodiernam Italiam, inde verò in Illyricum, altera verò in Sarmatiam, ac tandem tertia in Cappadociam migraſſet, Paphlagoniam totam Riphadibus reliquerunt.* Hoc evidentiſſimè confirmat *Strabo lib.* 12. de Ponto *pag.* 374. ex *Menandro* inquiens: *Henetos, qui expeditioni non interfuerunt Cappadoces eſſe factos.* Et iterum ibid. *Probabile eſt Henetos defeciſſe, ut in Paphlagonia nulli reperiantur.*

III. *Strabo lib.* 16. De Syria ſcribens, producit ex Poſſidonio virum unum nomine *Moſchum*, dicitque eum ante *Bellum Trojanum* apud *Sidonios* vixiſſe. Quòd hic *Moschus*, cum noſtro *Moſoch*, filio *Japhet* idem ex paritate nominis eſſe queat, non diſputo. Attamen, quòd *Cappadocia* primitùs multò priùs, ante *Moſchum* à *Strabone* citatum, *Moga* à *Moſoch* nominata extiterit, ipſemet *Strabo* negare vix poterit, cum hoc *Fl. Joſ.* Antiqu. Jud. *lib.* 1. *cap.* 11. atteſtetur, & *Plinius lib.* 6. *cap.* 9. incolas ejusdem *Moſchenos* compellet. *Pompon. Mela* verò *lib.* 3. *cap.* 4. nominet *Moſchos*, qui ſe ad fluvium uſque *Iberum* protendebant. Præterea ante *Moſchum* à *Strabone loc. cit.* repræſentatum, in *Colchide* ad *Euxinum mare* fuêre *Moſchi*, apud *Plinium lib.* 6. *cap.* 10. & Regio *Moſchica* apud ipſum *Strabonem lib.* 11. de Colchide. Item montes intra præmemoratum *Mare Euxinum* & *Caſpium* paris nominis: *Moſchici* quóque montes apud *Strab. loc. cit.* de Tauro monte. Item apud *Ptolom. lib.* 5. *cap.* 13. ſed apud *Pomp. Melam lib.* 1. *cap.* 19. contractè *Moſchi*. Quemadmodum autem *Moſchi* juxta *Pomp. Melam lib.* 1. *cap.* 2. trans *Caſpium mare* ſupra *Amazones*, & *Hyperboreos* ſe dilatârunt, ita eos per *Aſiam minorem* dilatari potuiſſe, & ſub hoc nomine innotuiſſe exiſtimandum cenſeo.

IV. Suboritur tamen hic iterum quoddam dubium ex *Cluverio* decerptum, qui Antiquit. Germ. *lib.* 1. *cap.* 3. nullatenus eorum adhærere vult opinioni, qui *Henetos*, *Venetos*, ſeu *Venedos*, *Vendos*, aut *Vindos*, ejusdem, ſicut nominis (quantumvis apud quosdam ſcriptores in quibusdam litteris vel immutatis, vel ſyncopatis legantur) ita & originis eſſe tradunt. Sed cum *Cluverius* de nomine tantùm, tanquam de re inani, diſputare videatur, *Jornand.* de Reb. Geticis ſcribens eundem convincere videtur: *Scriptores æquivalenter modo Venedos, modo Venetos, & Vendas, ac Vindos ſcripſerunt, ſed ſub hoc nomine ſemper Wendos, ſeu Slavos intellexerunt.* Nullam ergo ſuper dubium *Cluverii*

K habens

habens conſiderationem, cum *Peſſina* Mart. Morav. *lib. 1. cap. 3.* Item cum *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap. 6. §. 13.* cenſeo *Henetos*, *Venedos*, *Vendos*, & *Vindos* pro ea unica natione haberi debere, quæ originaliter à *Moſoch* primò *Moſchovitæ*, poſtmodum autem *Heneti*, & *Venedi*, cum agnomine tam *Scytharum*, quàm *Sarmatarum*, & *Jazygum*, ac tandem mediis temporibus generali nomine *Slavones*, ſeu *Slavi* cognominata extitit, ut uberiùs ex infra producendis patebit.

V. Quemadmodum ergo ipſimet *Moſchovitæ* ſe filios eſſe *Moſoch* profitentur, ita id ipſum *Cappadoces*, licèt *Heneti*, & *Sarmati* cognominati ſint, negare nequeunt, dum tot ſcriptores ſuas pro hujus opinionis robore ſententias palam producere non erubuerunt. Sed qua de ratione *Q. Curtius* ſæpe memoratos *Cappadoces* nomine *Scythico* compellet? præter rationem, quæ ex dictis *cap. 9. num. 4.* erui poteſt, aliam etiam hìc loci adducimus. Ex eo videlicet, quòd quemadmodum omnes aliæ nationes *Europææ* (ut *cap. 2. num. 1.* dictum eſt) excepta *Græca*, & *Italica*, à *Græcis* ſcriptoribus *Scytharum* vocabulo nominabantur, ita pariter ſub eodem *Cappadoces* comprehendebantur, quantumvis in *Aſia minori* adhuc detinebantur. Poſtquam autem ſenſim, & ſenſim *Europææ* nationes primò *Hyperboreum*, dein *Celticum*, & *Celto-Scythicum*, pertæſi vocabulum ab exemplo *Illyriorum* (qui *Illyricum* nomen aſſumpſerant) ut *cap. 2. num. 5.* inſinuatum eſt, diverſis vocabulis pro nationum, & idiomatum varietate nominari voluerunt, *Scythica* nomenclatura ad aliquas tantum nationes ſeptentrionales, & orientales reſtrictum fuit, inter quos *Cappadoces* quoque *Q. Curtius* comprehendiſſe videtur, dum eos *Scythas* compellavit. Et benè, ſiquidem iidem *Cappadoces*, juxta *Bochardum* contermini fuerint poſteritati *Magog*, qui *Scytharum* Pater extitit, ut ſentiunt *Fl. Joſeph. S. Hieron.* & *Theodoretus*.

VI. Ex *Cappadocibus* porrò, & *Moſchis* *Peſſina* Mart. Morav. *lib. 1. cap. 3.* & cum eo *Balbinus* in Epit. multis, nervoſisque argumentis proceſſiſſe docet omnes, & ſingulas nationes, quæ hodie *Slavonica* linguâ vulgariter utuntur, & ideo *Slavonicæ* appellantur: ut ſunt *Moſchovitæ*, ſeu *Ruſſi*, dein *Slavi*, ſeu *Slavones*, ſic generaliter, & particulariter compellati: Præterea *Croatæ*, *Dalmatæ*, *Bohemi*, *Moravi*, *Bulgari*, *Vandali*, *Vendi*, *Vindi*, *Servii*, *Iſtriotæ*, *Raſciani*, *Moldavi*, *Circaſſi*, *Caſſubes*, *Poloni*, *Pomerani*, *Lithuani*, *Styri inferiores*, *Carnioli*. Item eadem natio *Slavonica*, quæ *Borealis* ab *Helmoldo* in Chron. *cap. 2.* apud *Joan. Bapt. de Jordan* de Originib. Slavicis Appar. Geogr. *ſect. 34.* appellatur: ubi ejus in plurimas familias diviſæ nomina longâ ſerie connotata leguntur, ut ſunt *Leburii*, *Stoderani*, *Berlinenſes*, *Brizani*, *Havellani*, *Heveldi*, *Sidini*, *Wilſi*, *Lutitii* &c. qui ſucceſſu temporis ſe per *Europam*, *Aſiam*, & *Africam* miro modo dilatârunt, unóque idiomate *Slavonico*, ſub diverſo tamen accentu, hodiedum loquuntur. Quòd autem eo tum idioma præmemoratum præmemoratorum populorum non *Slavonico* (ut in moderni ævi idiomatibus accidit) ſed fortè *Cappadocico*, aut *Moſchico*, vel *Henetico*, aut *Venedico*, vel *Vindico* vocabulo compellatum fuerit, id probabiliter accidit ex eò, quòd quælibet præmemorata natio, vel à Principe ſuo, vel à loco taliter appellata, idioma quoque ſuum eâdem appellatione ſignificare voluerit: vel verò, quia tardiùs nomenclatura *Slavonica* præinſertis nationibus innotuit, quælibet idioma ſuum particulari vocabulo compellari voluit. Poſtquam vero nomenclatura *Slavonica* præinſertis *Slavicis* nationibus innotuiſſet, quælibet ſervata particulari idiomatis denominatione, genera-

Digitized by Google

neralem etiam *Slavonicam* aſſumpſerunt. Id tamen certum eſſe ex ſupradictis *cap.* 9. *num.* 7. ſtatuitur: quòd *Cappadoces*, & *Heneti* in *Illyricum* migrantes, idioma ſuum *Cappadocicum*, primò *Illyricum*, dein etiam, poſtquam *Slavonicum* nomen à *Slavis* populis in notitiam deveniſſet, ſuumque idioma cum *Slavonico* æquale eſſe cognoviſſent, pariter *Slavonicum* compellaverint, ita, ut hodiedum omnium præinſertarum nationum lingua, quamvis particularem à Principe, vel loco habeat nomenclaturam, generali tamen termino, nonniſi *Illyrica*, aut *Slavonica* nominetur.

VII. Augmentatæ *Cappadocum*, ex *Moſoch* genitorum familiæ partem aliquam in *Aſia minori* remanſiſſe, eamque ſub eodem *Cappadocum* nomine tempore tam *Græcæ*, quàm *Romanæ Monarchiæ* notam extitiſſe, nullus dubito; copioſiorem tamen earundem partem de *Aſia* in *Scythiam*, & *Sarmatiam Europæam*: item ad *Mare Adriaticum* colonias ſuas hìc inter *Aſchenaſos*, & *Cymbros*, ibi autem inter *Iſtros*, & *Liburnos*, ſucceſſivè etiam inter *Illyros* traduxiſſe, ac ubique ſub nomenclatura modò *Henetorum*, ſeu *Venetorum*, modò *Venedorum*, ſeu *Vendorum*, & *Vindorum* ſedes fixiſſe, atque ab alia natione, cui ſe adjunxerant diverſos habitos fuiſſe, conſtat ex pluribus ſcriptorum ſententiis ſupra relatis. De Origine tamen nominis *Henetorum*, ſeu *Venedorum*, aut *Vendorum* non modica adhuc apud Hiſtoricos remanet diſceptatio. *Peſſina* námque Mart. Morav. *lib.* 1. *cap.* 3. opinatur vocabulum *Heneti*, ſeu *Veneti* originem traxiſſe ab *Heneto Henetorum* Duce. *Bodinus* Hiſtor. Method. *pag.* 489. prouti & *Melanthon* in Chron. *lib.* 1. *pag.* 25. concorditer exiſtimant, Ly *Heneti* apud *Hebræos* ſignificare idem, ac *errabundus*, ſeu *vagabundus*: prouti & *Nomades* apud *Græcos* nominabantur illi, qui modo hic, modo ibi victum, vitæque neceſſaria inquirebant. Hoc poſterius quidem (prius etenim nec reſponſionem meretur) veroſimilius applicari poſſet, niſi id ipſum, ut *Strabo* loquitur, univerſis etiam aliis tam *Europæis*, quàm *Aſiaticis* populis competeret: omnibus namque nationibus ſub initium commune fuit modo hic, modo alibi fertiliores pro vitæ ſuſtentatione ſedes inquirere, adeoque nomen iſtud non *Venedis* tantum, ſed aliis quóque gentibus commune fuiſſe dignoſcitur. Quapropter *Henetorum*, ſeu *Venedorum* vocabulum obveniſſe *Cappadocibus* non à divagatione, ſed ut ſupra dictum ex *Peſſina* eſt, ab *Heneto* ſeu *Veneto* Duce, vel Principe *Cappadocum* tali nomine vocitato, qui fortè ſi non *Moſchi* filius, ſaltem Nepos, aut Pronepos fuerit; qui & in *Paphlagonia* locum quemdam à ſuo nomine *Henetum* appellavit (ut refert *Solinus cap.* 54.) ſeque poſt excidium *Trojæ* urbis, an ſpontè, vel perſuaſus, aut ſtipendiatus? ignoratur, cum ſuis *Cappadocum* copiis *Antenori* junxit, ſuoſque à ſuo nomine *Henetos* dixit, ſub quo & *Europæo orbi* innotuerunt.

CAPUT XI.

De migratione Cappadocum ſub nomine Henetorum ad Mare Adriaticum.

I. Supra *cap.* 9. *num.* 6. & 7. relatum eſt, qualiter *Cappadoces* mortuo *Alexandro Magno* in *Illyricum* vigore *Diplomatis Alexandrini* ſe ex *Cappadocia* translocaverint, adeoque de his pro nunc nihil agendum cenſeo.

Digitized by Google

ſeo. Sed de *Cappadocibus*, quos *cap.* 5. *num.* 8. & *cap.* 6. *num.* 3. cum *Antenore* ad *Mare Adriaticum* conſediſſe retuli. Hi itaque *Cappadoces* occaſione *Belli Trojani* (quod ad A. M. ut *Brietius* notat 2871. à *Græcis*, ipſo *Græcorum* Rege *Agamemnone* exercitum ducente *Trojanis* inferebatur) cum Duce ſuo *Heneto*, pluribusque aliis variorum populorum Ducibus, *Græcis* auxilio fuêre, qui dum Regem *Phylemenem* in conflictu amiſiſſent, *Antenori*, uni è principalioribus *Trojanorum* Ducibus adhæſerunt: hic etenim ab *Agamemnone* Rege *Græcorum*, quòd *Trojanam urbem* eidem excindendam, & comburendam proditione obtuliſſet, *Illii* Rex conſtitutus, pro tali etiam ab ipſis *Illii* incolis, & ab ipſis *Trojanis* agnitus fuerat; verùm proditione detectâ, poſtquam 20. regnâſſet annis, ab *Hectoris* filio Regno pulſus exulare coactus eſt. Ita *Homer.* Illiad. *lib.* 2. *cap.* 5. Item *Herodot. lib.* 1. *pag.* 43. *Livius lib.* 1. & *Philipp. Bergomen.* in Suppl. Chron. *lib.* 4. *pag.* 67.

II. Pulſus igitur *Antenor*, cum nullam regreſſus ſpem in Regnum concipere quiviſſet, cum omnibus ſuis *Henetis*, ſeu *Venedis*, & quibusdam *Trojanis* ex *Aſia* in *Europam* navigavit, atque ad *Adriatici Maris* ſinum perveniens in ejusdem vicinia conſedit, circa A. M. 2892. quæ à pluralitate copiarum Ducis *Heneti*, mutata litera *H.* in *V. Venetia* nominata fuit, ut teſtatur *Richobaldus Ferrarien. lib.* 10. Ubi & *Antenor* inſigniſſimæ *Urbis Patavinæ* fundamenta jecit, in qua etiam quoad vixit regnavit, *Virgilio* teſtimonium perhibente. Primæ hujus *Henetorum*, ſeu *Venetorum* ex *Aſia* migrationis meminerunt æſtimatiſſimi ſcriptores, ut *Herodot. lib.* 5. *Livius Dec.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *Strabo lib.* 5. Et *idem* de Ital. *lib.* 1. *Q. Curtius* de geſtis Alexand. *lib.* 3. *cap.* 1. *Plinius* ex *Catone lib.* 3. *cap.* 9. Item ex *Nepote Cornelio lib.* 6. *cap.* 2. *Marcellinus lib.* 10. *Solinus cap.* 56. & *Petrus Olivarius*, qui in ſcholiis in *Solinum loc. cit.* ſub litt. *A.* ſequentia notat: *Ab Henetis Paphlagoniæ populis quidam putant emerſiſſe Venetos populos, ſunt autem, qui oppidum Henetorum in Paphlagonia haud multum diſtare ajunt ab Amaſtri. Alii autem ajunt Henetiam nationem quondam fuiſſe Cappadocibus finitimam, quæ militaverit cum Cimeriis, & poſtea Adriam pervenit. Item ſemel conſtat apud omnes ſcriptores, Henetos olim fuiſſe clariſſimam nationem Paphlagonum, è qua Phylemen fuit, cum quo plurimi ex illis militârant: amiſſo autem Duce, poſt captam Trojam in Thraciam trajecerunt, errantésque in eam regionem devenere, qua nunc Henetia, ſeu Venetia appellatur.*

III. Denique omnes præcitati Authores, & plures alii eadem de præmemoratis *Henetis* perhibent, eósque cum *Antenore* ad viciniam *Maris Adriatici* in moderno diſtrictu *Veneto* conſediſſe tradunt. Ubi ante, & poſt Chriſti adventum notiſſimi, & celebratiſſimi, in idiomate tamen ab aliis vicinis gentibus diſtinctiſſimi extiterunt. Ab his præter *Paduanam* urbem *Verona* quoque, & *Vincentia* condita fuit. Plura in eodem diſtrictu oppida, ut *Ateſtam*, *Acelum*, *Opitergium*, *Belunum*, numerat *Plinius lib.* 3. *cap.* 19. & quamvis ea *Henetorum* fuiſſe dictet, an autem ab iisdem condita, & occupata fuerint? non notat. Poſt plures verò annorum centurias in una *Adriatici maris* Inſula, quæ *Rivus altus* dicebatur, celeberrima urbs *Venetiarum*, taliter à vetuſtis *Henetorum*, ſeu *Venetorum* ſedibus nominata, conſurrexit, à populis *Italicis*, *Gallicis*, *Longobardicis*, aliisque, furori *Attilæ* A. C. ut *Szentivanius* adnotavit, 453. ſe ſubducentibus, ædificata. Dum verò *Heneti* populo, & viribus potentiores, evaſiſſent, ſucceſſivè ſe per *Illyricum* etiam dilatarunt, teſtante *Herodoto*, qui in Clio *lib.* 1. nominat: *Enetos, qui ſunt in Illyrio*, Item *Idem* in Terpſichore *lib.* 5. de iisdem inquit: *Enetos*

Digitized by Google

tos, qui ſunt in Adria ſe colonos Mœdorum dixêre. Quibus ad intelligendum dat, quòd *Eneti*, ſeu *Heneti*, ſuo tempore (vivebat autem *Herodotus* ad A. M. 3600.) jam in *Illyrico* habitaverint, eorumque coloniæ apud *Mœdos* extiterint. Diximus autem *cap.* 3. *num.* 7. *Mædos* gentem *Illyricam* extitiſſe, ubi & ſitum habitationis eorundem expoſuimus. *Strabo* quoque de Ital. *lib.* 5. loquitur: *Venedi longo tempore claruerunt hic* (id eſt: in *Illyrico*) *& in Venetiano diſtri-ctu, ſeque ſignanter in equorum negotiatione notos fecerunt.*

IV. Idque probatur ulterius ex ſedibus eorum, quas à ſuo nomine *Heneto*, ſeu *Venedo* appellitabant. Ut *Avendo* Urbs olim dicta, in *Croatia* ad Montem, nunc *Capella* nuncupatum, prope caſtrum *Modruſſam*, de qua urbe agit *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 3. §. 2. *num.* 2. Item *Vindorum Marchia* in moderna *Inferiori Styria*, olim *Slavonia*, ejusdemque Comitatus *Celejæ*. Item *Vindogræcium*, in idiomate Germanico Windiſchgrätz/ quod Slavonicè *Szlovenſzki Gradecz* interpretatur. Præterea binus diſtrictus *Viniczza*, unus in *ſuperiori Slavonia*, & *Comitatu Varasdinenſi*: alter ad limites *Carnioliæ*, & *Croatiæ* cum Caſtro & Oppido ad *Colapim* fluvium ſituato. Meminit etiam *Valvaſorius lib.* 2. *cap.* 7. & 12. *Montis Trojani* (quem *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 3. §. 1. *num.* 1. nominat *Adrantem*) in *Carniolia*, olim *Illyrico* incluſa. Quis novit, an non dictus mons nomen iſtud ab *Antenore*, utpote Duce *Trojanorum*, vel verò ab ipſis *Henetis*, utpote ab excidio *Trojano* ad *Mare Adriaticum*, inde autem in *Illyricum* migrantibus, uſurpaverit?

CAPUT XII.

De migratione Cappadocum ſub nomine Henetorum in Sarmatiam.

I. Altera *Cappadocum* pars poſt excidium *Trojanæ Urbis* migravit in *Sarmatiam Europæam:* modernámque *Podoliam*, *Baſſarabiam*, & *Moſchoviam* uſque ad *Viſtulam* fluvium occupavit, ſéque generali vocabulo populorum ibidem inventorum *Sarmatam* nominavit, ubi etiam tempore *Monarchiæ Romanæ* ſicut fortiſſima, ita notiſſima gens fuit. De hac *Ptolom. lib.* 3. *cap.* 5. ait: *Tenent autem Sarmatiam maximæ gentes Venedæ per totum Venedicum ſinum.* Ubi *Balthicum Mare* ab eorum nomine *Venedicus ſinus* dictus fuit, atteſtante præfato *Ptolom. loc. cit.* Pariter *Venedici montes* apud *Eund. loc. cit.* Item *Venedum*, ſeu *Venda* urbs in *Livonia*, ut habet *Buno* in Notis ſuper *Cluverii* Introductionem Geographiæ *lib.* 1. *cap.* 21. Cui idem *Buno* adjungit *Vindaviam* in *Curlandia*, & *Vendonam* in *Pomerania*, quæ ab iisdem *Venetis* nomen ſortitæ hodiedum retinent.

II. Ex *Sarmatia* deinde, relictis in præmemoratis locis ſuis coloniis, iidem *Heneti*, ſeu *Venedi* ad *Danubiales* etiam partes aliquid de hodierna *Valachia*, *Moldavia*, & *Tranſylvania*, uſque ad *Tibiſcum*, & *Danubium* fluvios ſibi uſurpantes, trans, & cis *Danubium* ſe locârunt, atque inter *Aſchenaſos*, ſeu *Germanos* commiſcentes firmârunt. Ita *Peſſina* Mart. Morav. *lib.* 1. *cap.* 3. Idipſum inſinuare videtur *Münſterus* de Germania, Tit. *Vienna Metropolis Auſtriæ*, dicens: *Vienna notiſſima Archi-Ducatus Auſtriæ Metropolis, ante Chriſtum adhuc na-*

Digitized by Google

tum culta Civitas, & à Sarmaticis populis inhabitata. Et paulò infra, inquit: *Verùm enim verò, quo tum Vienna noſtra appellata fuerit nomine? pro certo haud equidem conſtat; niſi quantum conjectura ſuggerit, eam Vindobonam gentilitiâ, non Romana lingua appellatam, quod Vindorum is quondam diſtrictus extiterit.* Et iterum modicè infra ſubdit: *Itaque, ut jam diximus, Vienna ante Chriſtum natum fuit culta à Sarmatis, & Vindis.* Neque improbat hanc opinionem *P. Fuhrman*; ex hujus etenim ſcriptis Vet. & Nov. Viennæ *Part.* 1. *cap.* 4. colligitur, ly *Vendum* (quod nomen quaſi primum, & proprium vetuſtiſſimis temporibus fuerat modernæ Auguſtiſſimæ *Urbis Viennenſis*) originaliter ab *Henetis*, ſeu *Venedis* urbi dictæ impoſitum fuiſſe. Idque confirmari poteſt ex *P. Sebaſtiano Inſpruger*, qui Hiſt. Auſtr. *cap.* 2. §. 2. de *Viennenſi Urbe* ſic diſſerit: *Ejus (Viennæ) prima incunabula ad A. M.* 3990. *veriſimiliter refero, quo fere tempore, merſis Albi, Odera Vandalis, Venedi (alias Slavi) hanc ſibi ſtationem fixerint, unde & Vindobona primùm, velut* Der Wenden Wohne / *audiit.* Concludendum ergo exiſtimo *Henetos*, ſeu *Venedos* etiam in modernam *Auſtriam* ſuas colonias induxiſſe.

III. Quod attinet *Urbem Viennenſem*, *Lazius*, & eo ſenior *B. Rhenanus* ejusdem ſunt opinionis, docentque ly *Vendum*, de *Vienna* intelligi debere. *Nam Vendum* (inquit *Lazius* Rer. Vien. *lib.* 2. *cap.* 2.) *Vendobonam à Venetis, forſan Sarmatica gente, cognominatam.* Item idem *Lazius ibid. lib.* 1. *cap.* 3. Dum rei veritatem altiùs fortè conſideràſſet, ſic diſcurrit: *Exiſtimo ego (in qua & B. Rhenanus ſententia eſt) à Venedorum populo Banno, ut Germani vocant, tanquam Vendobonam denominatam eſſe.* Opinioni huic *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 3. §. 8. *num.* 7. non contradicit quidem, ſed ſubdubitando ſic inquit: *Quòd Vienna dicta ſit à Vendis, ſeu Vindis Vendobona, ut Lazius opinatur, nollem contradicere, licèt nullum ex Hiſtoricis deprehendam veſtigium, quòd ibi aliquando ſedes fixerint Vindi. Id ante Lazium arbitratus eſt B. Rhenanus, ſed quo argumento inductus? fateor mihi nondum conſtare.*

IV. E contra *Lambecius* Biblioth. Cæſar. *lib.* 2. *cap.* 1. abſolutè negat, dicens: *Vienna non eſt Ovendon, ſive Vendum, vel potiùs Wendum, cujus Strabo meminit.* Sed quia *Itinerar. Antonini*, & Tabulæ Geographicæ *Peutingerianæ* mentionem faciunt unius *Japydicæ Urbis*, quæ olim *Avendone* nominabatur. *Schönleb.* etiam Appar. Carniol. *cap.* 3. exiſtimat, quòd memorata à *Strabone* urbs *Vendum* eadem ſit cum *Avendone* in *Japydia.* Citatus *Lambecius* adimere videtur *Urbi Viennenſi* nomen *Vendum*, illúdque appropriare cuidam loco modernæ *Croatiæ*, olim *Japydiæ loc. cit.* inquiens: *Vendum antiquæ Japydiæ urbs, eadem prorſus cum Avendone.* Et paulo infra: *Ego Avendonem quærerem circa Capellam.* Eſt mons *Capella* dictus (cujus etiam *cap.* 11. *num.* 4. memini) non procul à *Modruſſa* caſtro, & oppido, olim *Arupium*, ut *Lazius* in Vienna *lib.* 1. *cap.* 3. interpretatur dicta, in cujus medio memoratur fuiſſe civitas *Avendone*: nunc nihil præter Reſidentiam, olim celebrem Conventum Turcarum rabie exciſum, Ordinis S. Pauli pr. Eremitæ, cum Eccleſia S. Nicolao Ep. & Conf. dicata, ad Venerabilem Provinciam Iſtriaco-Vinodolenſem ſpectantem. *Freſchottus* in ſua Geograph. *Avendonem* ominatur eſſe caſtrum *Croatiæ Ogulin*, quod eſt ſupra fluvium *Dobram.* Verùm ſi bene perpendatur *Itinerarium Antonini* apud *Schönleb. loc. cit.* memorata urbs *Avendo* ſtetit in medio montis *Capellæ.* Idque colligitur ex viarum munitionibus, quas *Auguſtus* Cæſar (ut *Lucius lib.* 1. *cap.* 6. refert) commoditati ex *Italia* in *Pannoniam* rerum ad *Danubium* uſque deferendarum, & inde recipiendarum,

Digitized by Google

rum, prouti etiam militarium expeditionum conſulens, inſtituiſſe creditur, easque citatum *Antonini Itinerarium* hoc ordine collocat.

Senia - - -	Segnia.
Avendone - -	Sztari grad, nunc Capella.
Arupium - -	Modruſſa.
Bilbilis - - -	Ogulin fortè,
Romula - -	Retchicza.
Ad Fines - -	Samoborinum.
Quadrata - -	Zagrabia.

V. Sed poſitò, quod *Strabonis* urbs *Vendum* non fuerit *Vienna*, verum *Japydiæ Avendone:* attamen hinc non infertur V*iennam* non potuiſſe V*endum* nominari. Nam unde, quæſo, ly V*endum*, ſive *Avendo Japydicum* derivatur? nunquid à V*endis*, qui ſe ſenſim, ut ſupra expoſitum eſt ex *Cappadocia* ſub nomine *Henetorum*, ad *Mare Adriaticum*, & ſucceſſivè inde in *Illyricum*, in quo eò tum *Japydia*, & *Liburnia* cum *Iſtria* comprehendebatur, dilatârunt: cur idipſum quoad *Urbem Viennenſem* accidere non quiviſſet? cum etiam in diſtrictu ejus *Heneti*, ſeu *Veneti*, aut *Vendi* pariter ex *Cappadocia*, primò in *Sarmatiam*, inde verò ſucceſſu temporis ad partes *Danubiales* progreſſi habitaverint, habitationisque ſuæ ſufficientia teſtimonia, *cap. præſ. num.* 1. & 2. producta, habeant. Præterquam enim, quod *Urbi* hodiernæ *Viennenſi* nomen *Wendobohne* impoſuerint, alia etiam in *Auſtria* hodiedum extant loca *Venedorum* nomenclaturam ſpirantia, ut ſunt *Windpaſſing* infra V*iennam*, aliud *Windpaſſing* in limitibus *Auſtriæ*, & *Bavariæ*, & tertium *Windpaſſing* ad caſtrum *Dietmans*. Præterea *Windzendorff* propè *Neoſtadium Auſtriæ* urbem, *Winden* non procul ab *Hertzogbrun*, item *Windſchberg* ad arcem *Gunderſtorff*, ac *Windiſchgarten* ad urbem *Zizersdorff*, & alia ſimilia quàm plurima.

VI. His accedit tempore *Romanæ Monarchiæ* circa A. C. 78. non procul à *Vienna* natio *Jaziga*, quæ non alia (ut *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Viennæ *Part.* 1. *cap.* 4. ex *Lazio* tradit) quàm *Sarmata-Veneda* fuit, circa modernum *Poſonium*, in hodierna *Hungaria* incolatum habens, atteſtante idipſum *Fran. Otrokocſii* de originib. Hung. *Part.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. qui ex *Plinio* Hiſt. Nat. *lib.* 3. *cap.* 25. & *Ptolomeo* Geogr. *lib.* 2. *cap.* 16. ait: *Jaſos juxta Dravum fluvium habitantes contribules, & populares eorum fuiſſe Jazygum, qui circa Budam, Strigonium, Commaromium, & Quinque-Eccleſias ſedes habuerunt.* (Hinc campus cis *Dravum* fluvium ab *urbe Varasdinenſi*, nunc *Varasdinenſis* compellatus, olim *campus Jaſius* dicebatur, prouti & *Thermæ Conſtantinianæ* cum adjuncto Oppidulo, duabus circiter horis ab eadem *urbe Varasdinenſi* diſtantes, atque nunc ſub nomine *Toplika* Dominio *Venerabilis Capituli Zagrabienſis* incorporatæ *Aquæ Jaſiæ* vocitabantur. teſtimonium ſuperinde *P. Franc. Groſs* in ſynopſi Geogr. *P.* 2. *cap.* 8. de *Croatia*, & *P. Bombardio* Topogr. R. H. *P.* 3. *cap.* 3. §. 6. *num.* 2. ex vetuſti cujusdam lapidis inſcriptione, præbentibus (adeóque *Vendi* taliter non ſolùm ad *Danubium*, & *Dravum* fluvios, ſed & ultra Danubium diffuſi, potuerunt *Urbi Viennenſi* juxta ſuam nomenclaturam imponere nomen *Vendum*, quemadmodum *Vendi* à *Mare Adriatico* uſque ad *Dravum* dilatati ſuam *Avendonem* à ſuo nomine compellarunt, uti in pluribus etiam locis juxta ſupradicta, & inferius dicenda fecerunt.

VII. Parentheſim inter *num. præſenti* inquirendum cenſui; unde præmemoratis *Jazigibus*, ita à *Græcis*, & à *Latinis Jaſis*, aut *Jaſidibus* dictis, *Venedicis*, ut ſupra dictum eſt, populis tale obvenerit nomen? Quàm multi olim *Jáz* nomine paululum inflexo, vocati fuerint, apparet ex ſcriptis *Pauſaniæ:* occurrunt enim in

L 2 his

Digitized by Google

his primò *lib.* 2. *pag.* 112. duo *Jaſi* Reges *Argivorum*: ſecundò *lib.* 10. *pag.* 667. quidam *Jaſeus*, æqualis *Phoco*, à quo *Phocis* Regio nominata. Item *lib.* 5. *pag.* 300. tertius *Jaſius Arcas* coævus *Herculi.* Item *lib.* 8. *pap.* 299. quartus *Jaſius Cures*, unus è quinque *Curetibus.* Item *Jaſius* quintus *lib.* 9. *pag.* 571. filius *Eleuteri.* Item ſextus *Jaſion* frater *Dardani*, Regni *Trojani* conditoris, *Virgilio* Æneid. 3. *Jaſon* dictus. Uſque dum, an ab horum aliquo *Jazyges*, ſeu *Jaſi* noſtri ortum traxerint? oſtendero: monitos volo benevolos Lectores, ſignanter juniores, & minùs in Hiſtoricis exercitatos, ne ullum hactenus recenſitorum *Jaſiorum* confundant cum celeberrimo illo Duce in Argonauticis *Jaſone*, conjuge *Medeæ*, qui claruit annis ante Chriſtum natum circiter 1286. An autem ab aliquo prænominatorum *Jaſis* noſtris nomen attributum ſit? affirmare vix auſim, ſed neque ſimpliciter negare. *Ottrokocſius part.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Quamvis originem hujus nominis *Jáz*, absque ulla hæſitatione recta deducat ab antiqua radice *Hebraica Joaz* (quam *robuſtum* ſignificare aſſerit) attamen *Jaſos*, ſeu *Jazyges* nationi *Hungarorum* appropriando ſic diſſerit: *Cum tot exempla veterum occurrant Heroum, qui in Græcia, ante Græcorum illic plenius Regnum hoc nomine Jas, vel Jaſos fuerunt inſigniti, atque conſtet in iis Græciæ partibus, in quibus Heroës illi claruêre, Hungaricæ etiam nationis majores olim habitâſſe; nemini mortalium faciemus injuriam, nec veritati ullam vim inferemus, ſi dixerimus valde probabile, imò vero conſentaneum eſſe, ab uno, vel altero, vel etiam utróque Heroum Argivorum, paulo ante ſub nomine Jas recenſitorum, noſtros olim Jaſos fuiſſe denominatos; nec inveniri magis veriſimilem de certo Auctore, parente, ac Duce illius gentis hoc modo denominatæ, originem. Si licet aliis ab antiquiſſimis virorum apud Ethnicos ſcriptores celebrium nominibus, ſuas origines deducere; ut Italis, à Rege quodam Arcadum nomine Italo, & Theutonibus, à Thyot, vel Theut, Græcis Ermis (Mercurio) dicto, quòd eum majores ipſorum maximè coluerint; cur non liceat nobis noſtrorum Jazygum, ſeu Jaſorum, à præmemorato uno, vel altero Jaſo, vel etiam utroque petere? præſertim cum nullus adhuc aliquem eorum, in originibus Nationum inveſtigandis, in alias partes (quod ſciam) pertraxerit.* His ita expoſitis citatus Ottrokocſius *cap. eod. num.* 9. ſic diſcurrit: *Non eſt mihi animus negare, quin olim Jaſidarum nomen à dictis Heroibus derivatum, etiam ad aliquam partem Dacicæ, Slavonicæ, imò etiam Græcæ Nationis, ob nimis confuſa tunc matrimonia, & alias inter ſe neceſſitudines, fuerit extenſum; at verò vel maximè noſtrorum Jazygum majoribus, illud negandum non eſſe, ipſum nomen, quod in hunc uſque diem noſtri Jazi, ut gentile ſuum ab antiquiſſimis majoribus acceptum, hæreditariò gerunt, luculenter nos docet.* Ex poſteriori hoc textu apparet *Ottrokocſium* nolle negare *Jaſos*, ſeu *Jazyges Venedicæ*, ſeu *Slavonicæ* etiam fuiſſe nationis, quantumvis & hoc, & priori textu eosdem potius genti ſuæ *Scytho-Hungaricæ* incorporet. Sed quemadmodum ille ex prioris textûs declaratione quædam è *Græciæ* regionibus *Argivorum* Reges *Jaſos* ſibi ſuisque *Juſygibus* appropriat, ita & mihi licitum erit è domeſticis laribus unum è ſupramemoratis Heroibus aſſumere, qui *Jaſis* noſtris *Venedicis* ſi non ortum, ad minùs nomen commodaverit. Cenſeo etenim me libere dicere poſſe, *Jaſos* noſtros ortos fortè fuiſſe, & nomen traxiſſe à *Jaſio Curete*, ſiquidem conſtat ex *Lucano Poëta*, *Curetes* in præcipua *Maris Adriatici* Inſula, *Straboni Cyractica*, at *Plinio*, & *Ptolomæo Curicta*, nunc verò *Veglya*, ſeu Vegia dicta, habitâſſe, confirmantibus idipſum *Thoma Archi-Diac. Spalaten.* Hiſt. Salonitanæ *cap.* 7. *Joanne Tomko* in vita S. Ivani. *Paulo Ritter* Croatiæ redivivæ *pag.* 4. & *P.*

& P. *Bombardio* Topogr. R. H. *Part.* 3. *ſegm.* 2. *num.* 6. & *ſegm.* 3. *Tit.* Inſulæ Venetæ *num.* 8. Inſulam porrò hanc hodiedum *Illyrico* incluſam eſſe patet ex omnibus *Tab. Geograph.* eſtò Dominio ſubſit *Veneto.* Conſequenter nihil me aberrâſſe arbitrabor, ſi *Jaſios* noſtros à *Jaſio Curete* & ortum, & nomen ſuſcepiſſe concluſero. Præſertim cum ipſemet *Ottrokocſius Par.* 2. *cap.* 9. *num.* 39. partem *Jazygum*, ſeu *Jaſorum* ex *Illyride* in vicinam *Pannoniam*, & magnum *Danubio*, ac *Tibiſco* interjacentem terrarum tractum contuliſſe affirmet. Pro ſcopo meo *Stephanus* in voce *Jas* non malè loquitur, dum dicit: *Jas Illyriæ pars.* Et quamvis non notaverit, quænam pars *Illyrii* nomine *Jaſio* (niſi fors ſupra relatum *Campum Varasdinenſem*, aut ipſam Inſulam *Curictam* intellexiſſet) vocitabatur, attamen ex paucis his verbis colligere fas eſt: *Jaſos* gentem fuiſſe *Illyricam*, conſequenter *Venedicam*, ſed à *Jaſo Curete* ortum, & nomen participâſſe, ſedesque ſuas, ex *Illyrico* in *Pannoniam*, & ultra progreſſam, in *Dacia* etiam fixiſſe, atque taliter *Venedis Sarmaticis* commixtam unam gentem effeciſſe.

VIII. Clausâ de origine *Jaſorum* Parentheſi regredimur ad *Venetos Sarmaticos*, quos ad *Danubiales* partes *num.* 2. diximus, conſediſſe. Hi aucti *Jaſorum* populo non contenti plagâ, quam intra alias nationes cis *Danubium* incolebant, ſedes alias, & alias inquiſivêre, ita, ut ſe non ſolum per *Aſchenaſiam*, *Cimbriam*, *Scandinaviam*, & *Italiam*, verùm etiam per modernam *Galliam*, *Helvetiam*, & *Britanniam*, ut *ſeq. cap.* exponetur, diffuderint, aliisque nationibus commixti ſedes fixerint. Quod conſiderans *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 5. §. 8. *num.* 6. infert, dicens: *Hoc certè probabile fuerit, quod Vindi, & Vendi ad ſinum Codanum colentes, ſæpiùs in alias Regiones colonias duxerint, cur non potuiſſent etiam in partem ſuperioris Pannoniæ tranſire, & Urbem unam à ſuo nomine appellare Vindobonam? imò credo ab iisdem Vindis conditam Vindoniſſam in Helvetia, quæ Germanis hodiedum dicitur (licèt in ruderibus) Windiſch. Et cur non æque diceretur Vindobona,* Windiſch : Wohn: *quod latinè idem ſignificat, ac Vindorum habitatio.* Cum igitur *Schönlebens* ſponte concludat, modernam *Viennam* originaliter à *Vendis*, ſeu *Vindis Vendobonæ*, ut temporibus *Romani Dominii* vocitabatur, nomen accepiſſe, & ego cum *Sebaſtiano Inſpruger*, quem ſupra *num.* 2. citavi, liberè concludere poſſum, *Venedos Sarmaticos* ad ripam *Danubialem* ſedes habuiſſe, atque ſæpememoratam urbem *Vendobonam*, antequam *Romani* partes illas occupaſſent, adeoque vetuſſimis temporibus condidiſſe, *Vendumque* nominaſſe, ex quo deinde vocabulo idiomate *Theutonico* nomenclatura *Vendobona*, juxta *Lazium*, & *B. Rhenanum*, derivata extiterit.

CAPUT XIII.

De tempore, quô Vendi ex Sarmatia ad Danubiales partes migrârunt.

I. AMbiguum quidem tempus eſt, quò migratio *Venedorum* ex *Sarmatia* ad partes *Danubiales* acciderit; attamen quia etiam *Vendi* generaliter modò *Scythæ*, & *Sarmatæ*, modo *Jazyges Metanaſtæ* nominabantur, & ab his tam *Aſiatica*, quàm *Europæa Scythia*, nomine *Sarmatia*, prouti & montes, qui hodie *Carpatici* dicuntur, vocabulo *Sarmaticorum*

Digitized by Google

apud *Ptolom.* Geogr. *lib.* 2. *cap.* 16. notantur. Præterea, quia conſtat *Darium Hyſdaſpem* Regem *Perſiæ* circa A. M. 3546. ex *Aſia* in *Thraciam*, & ultra trans *Danubium* contra *Europæos Scythas*, ſeu *Sarmatas* (qui nonniſi ex *Aſchenaſorum*, & *Venedorum* familiis commixtus populus fuerat) armatâ veniſſe manu; concludendum cum *Peſſina* Mart. Morav. *lib.* 1. *cap.* 3. judico: quòd *Vendi* ſeu *Vindi* ad minùs jam hoc tempore in moderna *Valachia*, & *Moldavia* ſuas habuerint habitationes, ſucceſſu verò temporis hinc, ut inſinuatum eſt *cap.* 12. *num.* 2. in *Pannoniam*, id eſt, modernam *Auſtriam* migraverint.

II. *Joannes de Jordan* de originib. Slav. *cap.* 11. adventum *Sarmatarum* differt ad tempora *Conſtantini Magni*, & A. C. circiter 334. quem eò tum etiam accidiſſe minimè negaverim, ſiquidem declinante *Romano Imperio* ob continua bella *Provinciæ Romanæ*, & vel maximè *Pannonia* populo evacuata fuerat, de novo iterum variæ nationes ad eam occupandam ex ſeptentrionalibus partibus, inter quos *Sarmatas* quóque fuiſſe referunt Authores, adproperabant. Nihil ergo agitur hic de temporibus, quibus *Romani* has ad partes imperium ſuum prorogaverant, verùm de vetuſtis illis temporibus, quibus nationes hinc inde ſedes inquirebant, & modo hic, modo ibi habitabant. Hinc *Peſſina* Mart. Morav. *lib.* 1. *cap.* 1. inter omnes alios populos *Sarmaticos Jazyges*, trans *Danubium* infra *Moravam* fluvium, primos modernæ *Moraviæ* incolas, conſequenter & veteris *Auſtriæ* transdanubialis ſupra *Viennam* fuiſſe exiſtimat. Quod *Æneas Sylvius* Antiq. Germ. *cap.* 2. apud *Schardium* approbat, dicitque: Quòd antecedenter, id eſt: vetuſtis temporibus pro certò *Sarmatæ* modernam transdanubialem *Auſtriam*, cum *Moravia*, & *Sileſia*, inhabitaverint. Hoc tamen *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. explicat, dicendo: *Aſchenaſios Cimbros*, ſeu *Ingævones* veroſimiliter ſe ante omnes alias nationes, per totam modernam *Germaniam*, uſque ad *Danubium* fluvium, conſequenter & per veterem, ſeu modernam transdanubialem *Auſtriam* dilatâſſe, adeòque primarios diſtrictûs hujus incolas extitiſſe. His verò *Sarmatas Jazyges*, ſeu *Vindos* ſucceſſiſſe, eósque ut ſecundarios advenas ad utrámque *Danubii* ripam incolatum deſumpſiſſe. Pro cujus explicationis robore citatus *P. Fuhrman* ſufficientem adfert probam ex condita ab iisdem *Vindis* Urbe *Vindobona* cujus *cap.* 12. *lib.* 2. & *ſequ.* mentionem facimus, ex cujus urbis jactis fundamentis eruitur etiam, ſi *P. Inſpruger* fides, quod non dubito, adhibenda eſt, tempus adventus *Sarmato-Vindorum* ad partes *Danubiales*, videlicet A. M. circiter 3990.

III. Sed neque hìc *Sarmatæ* diu tenuêre ſedes, verùm, ut *cap.* 12. *num.* 8. diximus ſemper alias pro inhabitatione deſideravêre, & inquiſivere plagas, atque hinc factum, quod univerſam quaſi pervagati fuerint Europam. Quapropter his, quaſi unicis, nomen *Nomades* (quantumvis idem, nomen *Græci*, & *Hebræi*, ſcriptores omnibus Europæis populis attribuant) id eſt *vagabundi*, ſeu *Palantes*, quia univerſam quaſi percurrebant *Europam*, appictum eſſe tradit *P. Fuhrman*, Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. Primò namque ex *Aſia* venerunt in hodiernam *Moſchoviam*, plurimúmque ſe ad *Sinum Venedicum*, & *Montes Venedicos* detinebant, inde denique, ut ſupra dictum eſt, in varias Regiones diſperſi, ubique ſui nominis memoriam relinquentes. Ut in *Vindoniſſa* urbe olim celeberrima juxta *Itinerar. Antonini*, apud *Weſſeling. pag.* 238. Cujus etiam meminit *Tacitus* Hiſt. *lib.* 4. Item in *Panegyri* ad Conſtantinum, & in *Notitia Imperii*: quæ hodie-

hodiedum quidem, ſed exigua, exſtat, noménque vetuſtum in *Germanico* idiomate Windiſch retinet. Ita *Plantinus* Nov. & Vet. Helvetiæ *pag.* 60. & *Simler* apud *Weſſeling. loc. cit.* Præterea *Lacus Venetus* etiam in *Helvetia* apud Pomp. Melam *lib.* 3. *cap.* 2. qui hodie *Lacus Cellenſis*, nuncupatur, ut *Mycon*, in Notis ſuper *Glareani* deſcriptionem *Helvetiæ* meminit.

IV. His accedunt in *Britannia Wenta Belgarum*, ut habet *Itinerar. Ant.* apud *Weſſeling. loc. cit.* & apud *Ptolom. lib.* 2. *cap.* 3. Eſtque Urbs Epiſcopalis, à qua & Epiſcopus *Wentanus* nominatur. Præterea *Wenta Icenorum* apud *eund. Weſſeling. pag.* 479. urbs hodie *Germanico* ſermone *Cäſter* dicta ad fluvium *Wentſar*, qui idem nomen cum veteri civitatis denominatione retinet. In *Anglia*, *Venta Silurum*, apud *Weſſeling. pag.* 485. Urbs *Anglicè Caër Gwent*, id eſt, *Urbs Venta*, ſeu *Vendorum civitas* nominata. Item in *Anglia*, *Vindogladia*, idiomate *Germanico Cronburn*. Item: *Vindomi* in *Germanico* ſermone *Farnheim*. Ita *Weſſeling. loc. cit.* quibus adjungit *pag.* 464. urbem *Vindomarum*, quæ poſtmodum *Dolanda*, & *Ebcheſter* nominata fuit. Deinde in *Gallia* moderna populi *Veneti* apud *Cæſarem* de Bell. Gall. *lib.* 3. & *lib.* 7. & apud *Plin. lib.* 4. *cap.* 18. Quorum meminit & *Ptolom. lib.* 2. *cap.* 8. & *Strabo lib.* 4. Item urbs *Venetia* apud *Cæſarem loc. cit.* quæ hodie *Vennes* apud *Sanſonem Abaville* in *Tab.* antiquæ *Galliæ* denominatur. Item *Inſulæ Venetorum*, quæ & *Venedicæ* apud *Plinium lib.* 4. *cap.* 19. dicuntur. Item *Senatus Venetorum*, & *Bellum Venetorum* apud *Cæſarem loc. cit.* Ex quorum nominum vetuſtiſſima memoria clariſſimè patet, quàm longè latéque olim *Heneti*, *Venedi*, ſeu *Vendi*, vel *Vindi* ſuas colonias per *Europam* primis hiſce ſuis migrationibus extenderint.

V. *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Vien. *Part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. Dum de *Venedis*, ſeu *Vendis*, aut *Vindis*, urbem *Vindobonam* condentibus agit, videtur hos *Vindos Sarmaticos* adimere velle nationi *Slavicæ*, eósque adſcribere *Theutonicæ*, ſeu *Germanicæ* ex textu *Taciti* de morib. Germ. *cap.* 46. qui ſic ſonat: *Peucinorum*, *Venedorúmque*, *&* *Fennorum nationes Germanis*, *an Sarmatis adſcribam? dubito: quanquam Peucini*, *quos quidam Baſtarnos vocant*, *ſermone*, *cultu*, *ſede*, *ac domiciliis ut Germani agunt*, *ſordes omnium*, *ac torpor. Procerum connubiis mixtis*, *nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multùm ex moribus contraxerunt. Nam quidquid inter Peucinos*, *Fennósque ſylvarum*, *ac montium erigitur*, *latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur*, *quia & domos figunt*, *& ſcuta geſtant*, *& pedum uſu*, *ac pernicitate gaudent. Quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt*, *in plauſtro*, *equóque viventibus.* Ego *P. Fuhrman*, tanquam meo, ut in *Proœmio* hujus opuſculi expreſſi, Manuductori, nollem contradicere, niſi res aliqualiter ad meam nationem *Slavonicam*, veritatisque conſonantiam pertineret. Hinc pace ejusdem adduco aliqua, quæ memoratos *Sarmaticos Vendos* non *Germanos*, ſed *Slavos* fuiſſe probabunt. Et quidem ex ipſiusmet *P. Fuhrman* ſcriptis, qui Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. dicta *Cluverii* in Introd. Geogr. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. diſtinctiva *Germanorum* à *Slavis*, quos citatus *Cluver. Vendos* vocat, confirmat dicens: *Et bene*, *ſiquidem Germani à Gomer*, *Slavi verò à fratre ejus Moſoch ſtemma ſuum deducant: adeoque magna eſt diſtinctio inter utroſque.* Item operis ejusdem *Part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. aſſerit *Moſchovitas*, & *Vendos*, ſeu *Vindos* eandem, & æqualem eſſe gentem, atque utramque à *Moſoch* procedere nationem. Item *loco paulò ante cit.* dictat: *Vandalos non verò Venedos fuiſſe Germanos.* Præterea exprimit *ibidem*: *Idioma maximum eſſe nationum diſtinctivum.*

Digitized by Google

vum. De idiomate porrò *Venedorum* immitando *Polybium* ſic *ibid.* diſcurrit: *Idioma Vendorum, ſeu Vindorum non fuit Germanicum, vel Gallicum, ſed neque Græcum, vel Latinum, verùm proprium, & quidem illud, quòd ſucceſſu temporis Illyricum, ſeu Slavonicum, unum ex Matricibus denominatum fuit.* Neque obſtat, quod Vet. & Nov. Vien. *loc. cit.* explicando *Taciti* textum dicat, *Vendos*, ſeu *Vindos* commixtos *Aſchenaſiis*, ſeu *Germanis*, habitu, moribus, & ſermone, domiciliisque ita æquales iisdem extiterint, ut nullatenus una ab altera dignoſci quiverit. Hoc namque hodiedum accidere videmus in aliis nationibus *Viennæ* e. g. inter *Auſtriacos Germanos* commorantibus, ſignanter *Hungaris*, & *Croatis*, qui licèt veſtitum *Germanicum* deferant, moresque omnes *Germanorum* imbibant, loquantúrque expeditiſſimè idiomate *Germanico*, attamen nunquam ſe *Hungarus*, aut *Croata* profitebitur *Germanum.* Quare? quia & ſtemma ſuum ab altero Patre, quàm *Germani* deducit, & idiomate ſibi gentili, toto cælo à *Germanico* diſcrepante utitur. Conſequenter & *Vindi* conditores *Vindobonæ*, licèt *Germanis* mixti, habitu, cultu, & idiomate iisdem æquipararentur, attamen, tum quia ab alio Patre, videlicet *Moſocb* prognati, tum quia alio quoque ſermone, eóque proprio, ac gentili loquebantur, meritò à *Germanis*, qui ſuæ nationis conditorem *Gomerum* agnoſcunt, aliamque diverſiſſimam linguam habent, diſtingui debebant: prouti ipſos *Polybius* Hiſt. *lib.* 2. *cap.* 17. diſtinxit, quem ſecutus eſt *P. Inſpruger cap.* 12. *num.* 2. citatus, dum *Vendos*, non *Germanos*, ſed *Slavos* appellavit. Et quis novit, an non *Germani*, potiùs à *Vendis* habitum, mores, & ſermonem participaverint? cum ipſi *Vendi* potiores, & principaliores diſtrictus *Vindobonenſis*, ut ipſemet *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Vien. *loc. cit.* non negat, poſſeſſores extiterint, atque eapropter Urbem *Vendum*, ſeu *Vendobonam*, taliter à ſuo nomine appellatam, condiderint.

VI. Communis tamen patria ſupradictorum *Venedorum*, ſeu *Vindorum*, qui ex *Aſia minori* ab excidio *Trojæ* altero agmine in *Sarmatiam Europæam* tranſiêrunt, juxta *Dubravium* Hiſt. Bohem. *lib.* 1. *pag.* 9. fuit ipſa *Sarmatia* à Duce *Sarmata*, ut *Joan. Trejgius*, & *Aventinus lib.* 1. notant, ſic cognominata. Quam *Ptolom.* ab ortu *Lacu Mæotide*, & *Tanai* fluvio, ab occaſu *Viſtulâ* amne, à ſeptentrione *Oceano Sarmatico*, à Meridie *Carpaticis montibus* circumſcribit. Horum autem *Sarmatarum* mos vetus erat, *Pomponio Mela lib.* 3. *cap.* 4. atteſtante; ſtatis, perpetuíſque, non uti ſedibus, ſed ut invitavêre pabula, vel ut cedens, aut ſequens hoſtis exigebat: ita res, opéſque ſuas ſecum trahere ſolebat, caſtra ſemper habentes, bellatores, liberi, indomiti. Proinde nihil mirum, quòd totam quaſi *Europam* circumierint, ſeque diverſis in Regionibus collocaverint. Poſtquam autem hinc inde diſperſi increviſſent, ſeque in varias turbas, atque diverſa agmina diviſiſſent, varias quóque, & diverſas, pro eorum temporum ratione, adepti ſunt nomenclaturas. Alii námque à principaliſſimo nationis conditore *Moſocb*, ſe *Moſcovitas*: alii verò vel à Duce, vel à Regione *Sarmatas* dixere: alii vel à *Paphlagoniæ* oppido *Heneto*, vel ab ejusdem nominis Duce *Henetos* primùm, deinde *Venetos*, & *Venedos*, ac tandem *Vendos*, & *Vindos*, compellavêre. Denique hi *Scyri*, illi *Hyrri*, aliqui etiam *Scyrbi* nominari voluere, quorum omnium vocabulorum meminit Plinius *lib.* 4. *cap.* 17.

VII. *Venedorum* ſucceſſu temporis major pars per littora *Oceani*, paludéſque, & eas Regiones, quas *Vandali* (à Rege ſuo *Vandalo*, qui regnavit A. M. 2325. ſic nominati) populus *Aſchenaſicus*, ſeu *Germanicus*, poſſide-

fidebant, occupavit, nomenque ſibi à deviĉta, & pulſa gente (ut fieri interdum ſolet, inque hodierna *Bohemia* factum eſſe, celebratiſſimi recognoſcunt Hiſtorici) pro *Venedico*, ſeu *Vindico*, *Vandalicum* impoſuit, atque ſub tali nomenclatura in *Pannonias*, *Gallias*, & *Hiſpanias* victorioſis armis penetrâvit, ipſam tandem etiam *Africam* occupans, inque ea ad uſque *Juſtiniani* Imperatoris tempora ſibi Regni ſedem conſtituens. *Syrbi* etiam, qui & *Sorabi* dein dicebantur, ſuperiori, & inferiori *Luſatiâ* occupatâ, *Luſatios* ſe appellârunt. Ex quorum expoſt numero aliqui cum *Hyrris*, & *Scyris* vagam diu, mercenariámque militiam, interdum etiam *Sarmatis Alanis*, & *Gothis* permixti militabant; donec *Henetis*, ſeu *Venedis*, iis, qui cum *Antenore* ad finum *Adriatici maris* conſederant, ſéque per vetus *Illyricum*, quod hodie *Pannoniam*, *Croatiam*, *Dalmatiam*, *Slavoniam*, *Serviam*, *Iſtriam*, *Carnioliam*, *Carinthiam*, *Vindorúmque Marchiam* complectitur, extenderant, indiſſolubiliter conjuncti, primò *Illyri*, Regnorum dein ſenſim, & ſucceſſivè diviſione inſtitutâ, aliqui *Dalmatæ*, aliqui *Croatæ*, quidam verò *Pannones*, & quidam *Serbli* primò, dein *Servii*, alii *Iſtriotæ*, & *Liburni*, ac alii tandem *Carni*, ſeu *Carnioli*, & *Carinthi*, in unica *Vindorum Marchia* antiquo *Vindorum* retento nomine, generaliter tamen *Slavi*, & *Slavones* nuncupati fuerunt. Ita *Dubravius loc. cit.* & *Valvaſor.* Topogr. Carniol. *lib.* 5. *cap.* 12. Et hæc de *Henetica*, ſeu *Venedica*, & *Vindica* natione ſufficiant, uſque dum de origine vocabuli *Slavonici* ſuo loco plura produxero. Nunc ad geſta Illyriorum relegenda regrediamur.

CAPUT XIV.

De geſtis Illyriorum poſt obitum Alexandri Magni, ſub Regibus propriis.

I. Hucuſque in Chronologia noſtra egimus de *Illyrico* ut tali, nempe ex populis *Græcæ*, *Latinæ*, & *Gallicæ* nationis conſiſtente. Sed quia *Illyricum*, *Heneticam* quóque, ſeu *Venedicam*, vel *Vindicam* nationem ſubintraſſe cognovimus, amodo *Illyricum* ſemper in memoria habituri ſumus, quà *Venedicæ* nationis, ſub nomine tamen *Illyricæ* Regionis. De qua poſt obitum *Alexandri Magni* altum apud Hiſtoricos eſt ſilentium, præterquam quòd *Polybius lib.* 4. generaliter notet: *Illyri non aliquorum, ſed communes omnium hoſtes erant.* Poſtquam enim circa A. M. 3733. totus Oriens per tumultuantes demortui *Alexandri* Duces, dum unus præ altero Regiam *Græciæ* dignitatem ambiebat, concuſſus fuiſſet, credibile eſt *Illyros* jugum *Macedonicum* excuſſiſſe, ſibique Regem delegiſſe, eóque præeunte cum aliis infeſtis ſibi nationibus, ſignanter *Macedonibus* veteranis æmulis, ſigna contuliſſe.

II. Quantum attinet Regis electionem, illa colligitur ex *Brietio*, qui ad A. M. 3740. ſequentia dictat: *Caſſander præterea Acarnanes ſparſim vivere ſolitos colligit; & opponit Ætolis, quos Ariſtodemus Antigono conciliârat. Leucadem inſuper capit, & devincit Illyriorum Regem in ſe, ab inimicis concitatum, ſed cum abeſſet Caſſander diſtractus Illyrico bello, Acarnanes ab Ætolis ſuperati, & contra datam fidem jugulati ſunt* (*Acarnanes* fuêre populus *Illyricus*, qui in parte *Epiri* Provincia ab eorum nomine *Acarnania* dicta, merſa medio ſinu *Ambracio*, habitabant,

Digitized by Google

teſte *Plinio lib. 2. cap. 92. & lib. 2. cap. 2. 9. & 15.* dicenteque in ea extare oppidum *Leucas* nominatum.) Ex textu *Brietii* clarè docemur, *Illyros* hoc tempore habuiſſe proprium Regem *Macedonibus* infeſtum, ſed cujus nominis fuerit, reſcire nequimus. Diximus *cap. 8. Illyricum* internum Regnum fuiſſe diſcretum, ubi etiam trium Regum expoſuimus nomina, & quia poſt obitum *Philippi* Regis *Macedoniæ*, qui probabiliter *Illyros* in trifarium diviſerat Regnum, ad præſens tempus, nonniſi 25. ad ſummum interceſſiſſent anni, dubium oritur: an *cap. 8.* nominati Reges vixerint? vel verò interim mortui ſint? ſi mortui ſunt, an electio novorum Regum ſubſecuta ſit? ſi ſubſecuta, quod nomen illis? ſi vixerunt, cur nulla mentio eorum, & nec nominum quidem? quæſita multa; Reſponſum unicum: Vetuſtas obliteravit. Contentemur his, quæ, exigua licèt, ex obſcuris, atque intricatis ſcriptorum latebris pro aliqua noſtra notitia erui potuerunt.

III. Interempto à *Caſſandro* ad *Leucadem* oppidum Rege *Illyrii* acceſſit illud, ut *Ritterus* ſcribit, ſed quibus circumſtantiis? non notat: quòd *Demetrius*, qui *Illyriorum* auxiliis *Macedonibus* libertatem procuraverat, *Menelaum* fratrem *Ptolomæi* Inſulæ *Cypri* Præfectum ad *Salaminam* vicerit; imo & *Ptolomæum* ipſum ad ejus ſubſidia advolantem fugaverit: aliis etiam pluribus Regnum *Macedoniæ*, & *Græciæ* ambientibus ad ſudandum dederit; imò ipſi Parenti ſuo *Antigono* cruenti belli occaſionem contra *Ptolomæum* præbuerit. Hinc *Antigonus* victo, & fugato *Ptolomæo*, ſibi Regis nomen per *Aſiam* uſurpavit, quem imitati alii *Antagoniſtæ* idem diverſis in Regionibus facere non neglexerunt; & quidem *Ptolomæus*, licet victus & fugatus in *Ægypto*, *Antipater* in *Græcia*, *Seleucus* in *Syria*, & *Babylonia*, *Caſſander* in *Macedonia*. Ita *Philipp. Bergomen.* in Suppl. Chron. & *Münſterus* in deſcript. orbis. Quo viſo, probabiliter etiam *Demetrius* filius *Antigoni* ſibi titulum Regis *Illyrii*, utpote *Illyris* acceptiſſimus arrogavit. Qui tamen dum non ſolùm in *Aſia*, verùm & in *Europa* omnia poſſe ambiret, prædictosque Reges ad invicem collideret, totamque *Aſiam*, & *Græciam* 15. annorum ſpatio armis ſuis turbaret, tandem in *Aſia* captus, captivusque ad ultima uſque fata detentus fuit. Hæc *Brietius*.

IV. Capto *Demetrio* mox *Illyri*, ſuæ crederem nationis virum, nomine *Pleuratum* Regem acclamârunt, circa A. M. 3767. Qui vel exinde maximè notus, quòd præclariſſimis geſtis ſe nobiliorem, & clariorem, atque à multis Hiſtoricis celebratum genuerit Regni ſucceſſorem *Agronem* nomine, (cujus jam mentionem *cap. 3. num. 14.* & *cap. 4. num. 6.* habui) ita *Plutarchus* in Alexandro M. Regnante *Pleurato*, *Illyrii*, poſtquam jugum *Macedonicum* excuſſiſſent, terrâ, marique potentes effecti ſunt, in rebus namque maritimis exercitatiſſimi, & navigationem, & pyraticam exercebant. Eodem *Pleurato* regnante, *Gallo Illyri*, fors cum *Heneto-Illyris* animo diſcordes, terras denuò novas conquirere ſtatuunt, & in *Græciam* aliunde turbatam ſe profecturos decernunt. Eapropter A. M. 3776. pars una Duce *Bolga* in *Macedoniam* irrumpit, eamque absque ſanguinis profuſione depopulatus: partem alteram Dux *Brennus* pariter in *Græciam* transfert ingenti omnium *Græcorum* conſternatione. Sed cum, profanis ſpoliis non contentus, ſacra expoſceret, & ſe ad expilandum *Delphicum Templum* ingenti vi accingeret, à templi cuſtodibus, & ab ipſo aëre, procellis, fulminibus, grandinisque vigore præliante repulſus eſt, ipſéque in defendentium manus deveniens, ſibi mortem intulit; ſocietasque ejus variis caſibus periit, ſignanter *Illyrii Autarii*, quos Apollinis indigna-

Digitized by Google

dignatione in extremam decidiſſe cladem refert *Appianus*, ubi probabiliter Dux *Bolga* quoque interiit. Ita præter *Appianum*, *Juſtin. lib.* 24. *Plutarchus* in Pyrrho. *Megiſerus* Annal. Carinth. *lib.* 2. *cap.* 1. *S. Hieron.* Comment. in *Epiſt. ad Gal. Svidas* verbo. *Galatæ. Spontanus*, & *alii plures*.

V. Et quamvis *Pauſan.* in Attic. *lib.* 1. apud *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag.* 64. dicat: quòd *Brennus* contractis copiis ad *Jonium mare* converſus omnes *Illyrici* populos, & quidquid ad *Macedoniam* uſque patet, oppreſſerit, *Appianus* tamen de *Bell. Illyr.* contrarium ſentit, dum hâc expeditione ſocios *Brenni* fuiſſe etiam *Illyros Autarios* ſcribit: idem de ſecunda eorundem *Illyro-Gallorum* expeditione ſentiens, & inquiens: *Alii item Illyriorum gentes Scordiſci, Mœdi, ac Dardani, rurſus unà cum Celtis in Macedoniam, Græciam impetum fecêre, multíſque aliis expoliatis Templis, ne Delphico quidem ſacrilegas manus abſtinuerunt, pluribus ſuorum tum quoque amiſſis. Gallos* hos fuiſſe eos, quos ad A. M. 3449. Duce *Beloveſo* intrâſſe *Illyricum cap.* 6. *num.* 4. retulimus nullum dubium eſſe poteſt. Siquidem *Pauſanias* in Phoc. *Brennum* & *Bolgam* ſedes habuiſſe in *Illyrico* ſcribat, inquiens: *In Pannoniam Brennus ibat, & Achicorius Princeps: Bolgius verò juxta Macedones, & Illyrios ſedes fixit.* Ecce terras, è quibus *Brennus*, *Achicorius*, & *Bolga* collecto exercitu migrarunt in *Græciam*. Accedit *Athenæus* de *expeditione Delphica* agens, qui de Ipnos *lib.* 5. teſtatur: Gallos Delphis repulſos ad priores terras rediiſſe, nominatim quendam *Battanatium* Ducem pariter *Gallo-Illyrorum* ad confluentiam *Sarviſii* & *Danubii* ſupra Oſtium *Dravi* fluviorum, quem locum ab eodem *Battanatio* incolæ *Batham* appellant, & Monaſterium proximum Cathedrâ Epiſcopali olim inſigne *Bathaſzék*, & *Bathmonoſtor*, unde & ager proximus *Bathienſis* comitatus nominatur. Id ipſum ex *Schönleb.* refert *Bombardius* Topogr. Hung. *Part.* 2. *cap. unic. ſegm.* 5. *num.* 1. Præterea *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 5. §. 1. *num.* 12. exiſtimat à præmemorato *Battanatio* modernam Excellentiſſimam, ac Illuſtriſſimam Comitum familiam *Bathanianam*, ut in *Hungaria*, ita in *Croatia*, imo in ipſa Auguſtiſſima domo Auſtriaca meritorum ſuorum cumulo clariſſimam, non ſolùm nomen, verùm & originem traxiſſe.

VI. Rex *Illyrii Agron* (de quo *Polybius lib.* 2. *cap.* 4. *Appian.* de bell. Ilyr. *Dio Caſſius* in Fragm. agunt) filius *Pleurati* ſicut miles, ita Dux fortis copiis terreſtribus, & navalibus omnes priores *Illyriorum* Reges longe ſuperabat, eúmque Regionis tractum, qui ad *Jonii Maris* ſpectat ſinum cum *Epiri* parte, *Corcyra*, *Epidamno*, *Pharoque* bello captis, *Præſidio* tenebat *Illyrico*. Quem & omnibus, ac ſingulis *Illyricis populis*, latè à *Mari Adriatico*, uſque ad *Danubium*, imò & trans *Danubium* in *Pannonia* diffuſis imperitâſſe credibile eſt, ex quò ibidem urbem á nomine ſuo (ut *cap.* 3. *num.* 15. inſinuavimus) *Agriam* appellatam, juſſu ſuo à populis *Illyricis* ædificaverit, id enim in alieno ſolo facere haud præſumpſiſſet. Laudatus hic Rex, dum augendis Regni ſui finibus intenderat, erga pecuniarium *Demetrii* Regis *Macedonum* ſtipendium *Mydioniis* contra *Ætolos* circa A. M. 3820. ſubſidium tulit, iisdémque centum lembos cum expeditiſſima *Illyriorum* manu miſit: dumque *Illyri* de nocte ad *Mydioniam urbem*, quam *Ætoli* obſidebant, comparuiſſent, ac *Ætolos* novitate quidem rei, & *Illyriorum* audaciâ perculſos, animo tamen elatos, atque ad arma procurrentes, viciſſent, fugâſſent, eximiamque gentis *Illyricæ* fortitudinem experiri coëgiſſent, Rex ob hæc præclara geſta exhilaratus, liberalioribúsque epulis, & potationibus

Digitized by Google

nibus indulgens in pleuritidem incidit, quæ eidem paucos poſt menſes vitam ademit. Ita *Appian.* de Bell. Illyr. & *Polyb. loc. cit.*

VII. Reliquit *Agron* Rex infantem *Pineum* nomine, pro quo Regnum *Theuta*, ſecundaria *Agronis* uxor, *Pinei* Noverca gubernandum, ita *Agrone* ordinante, ſuſcepit, fide amicorum in rerum adminiſtratione utens. Hæc dum præteritam *Illyriorum* contra *Ætolos* reportatam victoriam conſideraret, deque vicinis *Illyrio* infeſtis populis parùm, aut nihil cogitaret, arrogans effecta, conceſſit ſibi ſubjectis, ut quoscunque haberent inter navigandum obvios, deprædarentur. Ita *Sinus Adriaticus* lembis Prædonum brevi repletus, omnem penè ſuſtulit commerciorum neceſſitudinem. *Lucius lib. 1. cap. 1.* ex *Polybio*, & *Appiano.* Præterea dum uſque *Phœnicem* urbem *Epiri*, atque Inſulam *Corcyram* inſolenter imperitaret, ad A. M. 3824. claſſe inſtructa, Ducibus plenam attribuit poteſtatem vicinos quosvis populos pro hoſtibus habendi. Hinc primùm contra *Elæos*, & *Meſſenios*, dein *Ætolos*, & *Epyrotas* expeditionem ſuſcepit: *Scherdilaidam* verò Ducem cum quinquaginta millibus militum *Antigoniam* urbem *Acarnaniæ* miſit. *Illyri* cum claſſe *Phœnicem* comparentes, eâdem mox proditione *Gallorum* Præſidiariorum potiuntur, ſed mox ab *Epirotis* circumventi obſidionem diuturniorem ſuſtinere coacti fuiſſent, niſi ſe *Epirotæ* contra adventantem *Scherdilaidam* dividere debuiſſent. Hinc factum, quòd *Epirotæ* ad Urbem remanentes, ab erumpentibus ex Urbe *Illyriis* oppreſſi: illi verò, qui *Scherdilaidæ* obviam iêrant, ab ipſo fugati ſint. Plura Duces *Illyricarum copiarum* attentâſſent, niſi apportatæ Reginæ litteræ ob res domi turbatas, & quarundam Urbium defectionem, eos ad *Narentanos* revocâſſent. Hæc *Polyb. lib. 2. cap. 2.* *Livius* Epit. *cap. 20.* *Florus lib. 2. cap. 5.* *Eutrop. lib. 3. cap. 1.*

CAPUT XV.

De geſtis Illyriorum ſub propriis Regibus cum Senatu, Populóque Romano.

I. REverſis ad A. M. 3825. ex *Epiro* lembis, Regina *Theuta* copiam advectæ ſuppellectilis demirata, & ad laceſſendos injuriis *Græcos* animoſior effecta, ingentem inſoleſcendi erigebat animum; verùm ob quosdam domeſticos disordines tantiſper ſe continuit: interim ſubditi pyraticam continuò exercentes *Italicis* etiam Mercatoribus multa inferebant damna. Hinc miſſi ad eam *Româ* Legati, qui de injuriis quærerentur *Cajus*, & *Lucius Coruncanus*. Cui cum liberiùs locutus fuiſſet *Lucius*, eum in reditu fanatica mulier interficiendum curavit; & mox claſſem majorem numero, quàm antea in *Græciam* redire juſſit, profligatíſque *Ætolorum*, & *Acarnanum* ſubſidiis, *Corcyram* ad obſequium revocavit, & *Dyrrachium* claſſe appulsâ cinxit. Hic diſſentiunt ſcriptores: quidam enim plures Legatos Reginæ juſſu cæſos volunt, alii unum tantummodo, alii item alterum necatum, & quidem ſecuri, non gladio, alterum vinctum fuiſſe ſcribunt. Ut ut ſit, unus, vel plures occiſi, ſecuri, aut gladio interempti, vinctique ſint? malè. Ex ea enim ratione bellum contra *Theutam*, utpote juris gentium violatricem à *Romanis*, turpe quidem, quia contra fæminam, ah! contra fæminam *Heneto*, ſeu *Slavo-Illyram* maleſ-

lavam,

Digitized by Google

lavam, & maleſuaſam ſuſceptum legitur. Hæc namque primam occaſionem iisdem *Romanis* dediſſe dignoſcitur *Illyrium* invadendi, illúdque libertatibus ſuis ſpoliandi. Ita *Plin.* Hiſt. *lib.* 34. *cap.* 6. *Florus lib.* 2. *cap.* 4. *Oroſius lib.* 4. *cap.* 13. *Münſterus pag.* 914.

II. Juſſu *Senatûs Populíque Romani* ad A. M. 3826. *Cajus Fulvius*, & *Aulus Poſthumius* Conſules atrox adverſus *Theutam* Reginam *Illyrii* ſuſcepêre bellum. Prior ducentarum navium Claſſi; terreſtribus poſterior copiis præfuit. *Corcyræ* tum nomine *Theutæ* præerat *Demetrius Pharius*, qui conſpecto *Romanorum* exercitu, eam memoratis Ducibus præbet occupandam. Quo intellecto, Regina obſidiones, quibus *Apolloniates*, *Dyrrachios*, & *Iſſeos* deficientes, ad ſui clientelam ſtringere nitebatur, ſolvere coacta eſt, ut tantò fortiùs *Romanis* reſiſtere queat; at hi è contra *Ardiæos*, *Parthinos*, *Attintanes*, *Phariósque* in fidem, & amicitiam recipiunt, & ſimul *Arbonem* urbem, pluráque oppida expugnant. *Theuta* milite deſtituta *Rhiſonem* (urbem hanc *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag.* 75. notat fuiſſe ad *Riſanum* fluvium, qui hodiedum ſub tali nomine fluit in *Iſtria*, adeoque hinc colligitur *Iſtriam* eò tum *Theuta* paruiſſe, conſequenter *Illyrico* incluſam fuiſſe) munitiſſimam urbem fugit, magnâ ſui Regni parte ſpoliata; ac tum primò ſuam, ſed ſeriùs agnovit inſaniam. Quare faſtu depoſito Legatos ad *Romanos* mittit, quibus cum fœdus ineant, iis quibus illimet voluerint conditionibus. Auditi Legati, pauculis tantùm receptis urbibus, quas prœmii remitterent locò, cum non tantùm ditionem ſuam, ſed & vitam amittere deberet, remiſſi ſunt. Exuta porrò *Theuta* maris imperio, & tributaria *Romanorum* effecta, ne ultra *Liſſum*, niſi duobus inermibus lembis naviget, inhibita eſt; quod *Græcis* mirum in modum placuit. Sic Reginæ ambitio ſuis tantum *Illyris* nocuit, vicinis læta, & ſalutaris extitit, *Demetrio* Proditori prœmia contulit, Conſulibúsque Triumphum peperit. Sic *Appianus*, & omnes *num.* 1. citati *Authores*.

III. *Iſtriotas* à *Demetrio Phario* beneficiorum *Romanorum* oblito ad *Pyraticam* in *Mari Adriatico* exercendam inductos fuiſſe ſcribit *Appianus* de Bell. Illyr. Hinc ad A. M. 3833. ut *Eutrop.* Miſcell. *lib.* 3. tradit, à *Publio Cornelio*, & *Marco Minutio* bellum *Iſtriotis* illatum eſt, quô etiam, ſed multo *Romanorum* ſanguine, domiti ſunt. Medio tempore *Demetrius Pharius* fluxæ fidei homo, ductâ (ut *Polyb. lib.* 3. *cap.* 16. & 18. *Livius* Epit. 20. *Juſtin. lib.* 29. *cap.* 2. *Eutrop. lib.* 3. *cap.* 2. ſcribunt) poſt obitum *Theutæ* Reginæ in uxorem *Tritheutâ* primaria *Agronis* Regis conjuge, *Pineique* Regis *Illyriorum* Matre, ſe pro Tutore *Pinei* juvenculi gerebat in *Illyride*, quæ ad *Jonii Maris* ſinum pertinebat (hoc namque tempore jam *Scherdilaidas* alteri parti *Illyrii*, quà Rex imperitabat, ut infra dicetur) cumque ſatus *Demetrius* animadvertiſſet *Romanis* triennali *bello Gallico* circa *Padum* fluvium occupatis non ſatis virium, & ſpatii eſſe ad ſumenda contra alios hoſtes arma, adjunctis ſibi *Iſtriotis* & *Illyris*, *Attintaniſque* Urbes in *Illyrico* ditionis *Romanæ* vaſtare, & in ſuam poteſtatem redigere aggreſſus eſt, ac ultra *Lyſſum* quinquaginta lembis navigans *Cyclades* Inſulas incurſavit. *Romani* aliorum quamvis bellorum negotiis intricati, dum & à *Carthaginenſibus* ſibi metuunt, & *Demetrium Pharium* potentiæ *Macedonicæ* innixum, hoſtem advertunt, attamen ad res *Illyricas* componendas *Marcum Livium Salinatorem* & *Lucium Æmilium* in *Illyridem* cum exercitu mittunt: qui capto inter ſeptem dies *Dimalo* Præſidio, quod nunquam capi poſſe credebatur, hoſtium animos ita fregerunt, ut ſe certatim *Romanæ* committerent

O tu-

tutellæ. Hinc navali Claſſe *Pharum* profecti, eam quóque brevi tempore, *Demetrio* in *Macedoniam* elapſo, in poteſtatem, cum toto *Illyrio*, quod ſibi *Demetrius*, qua Tutor *Pinei* uſurpaverat, redegerunt *Senatûs*, *Populique Romani.*

IV. Elapſo fugâ *Demetrio Phario*, partem *Regni Illyrici* ſupramemoratam *Romani*, ſub appromiſſo annuo ſtipendio, admanuârunt *Pineo* filio *Agronis* ſub tutela Matris *Tritheutæ* exiſtenti, ad A. M. 3836. ſed Capram duntaxat tenenti, *Romanis* eam pro ſuo commodo optimè mulgentibus. Sed cum & hic cum convento tributo temporizaret, *Romani* moræ impatientes Legatos ad ſtipendium, cujus dies exierat, poſcendum mittunt, vel ſi terminum depoſitionis prolongatum habere vellet, obſides mitteret. Ita *Liv. Dec.* 3. *lib.* 2. *cap.* 21. Eodem tempore *Scherdilaidas* Regulus illius *Illyrici*, quod ad *Macedoniæ* fines divergit, *Philippo* Regi *Macedonum* cum *Ætolis*, & *Lacedemoniis* pugnaturo auxiliares copias, quindecim lembis impoſitas in *Græciam* miſit: plures attamen ad ſedandos *Illyriorum* motus, quos rationabiliter vel à *Romanis*, vel à *Pineo* exorituros metuebat, domi retinuit: perſpecto etenim, quòd Occidentalis *Illyrii* pars à Romanis ſubacta ſibi nihil prodeſſet, imò obeſſet, ſe ipſum de conſenſu Procerum Orientalis, & occidentalis *Illyrii* Regem proclamavit, in id intendens, ut & eam partem à *Romanis* occupatam, ſibi ſubjectam faciat. Ita *Joan. Lucius lib.* 1. *cap.* 1. Factô hôc *Scherdilaidas* ob non perſolutum ſtipendium à *Philippo* Rege *Macedoniæ*, cui auxiliares copias miſerat, in *Leucade*, & circa *Malcam* Pyraticam exercere cœpit. Interim *Romani* ad eundem *Philippum* Legatos mittunt, qui *Demetrium Pharium* profugum depoſcant. Occaſione itaque horum Legatorum, & *Scherdilaidæ* Pyraticæ *Demetrius* ſe ſalvare cupiens *Philippo Macedoni*, Regi juveni, proſperis adhuc fortunæ fluctibus utenti, perſuaſit, quatenus, diſcordiâ cum *Ætolis* compoſitâ, *Illyricum* Regis *Scherdilaidæ* aggrediatur, & inde de trajectione in *Italiam*, ejusdemque *Imperio* adipiſcendo cogitaret. Hæc *Polyb.* lib. 5.

V. Repentino, ex ſuaſu *Demetrii*, in *Illyricum* cum exercitu *Philippi Macedonis* adventu territus *Scherdilaidas*, auxilia à *Romanis* petere coactus eſt, impetravítque ex claſſe *Lilybetana* naves decem, quibus *Macedones*, qui jam *Lyſſum*, pluráque *Illyrici* oppida occupaverant, in *Græciam* redire compulit. Quòd *Romani* auxiliares copias *Scherdilaidæ* adverſus *Macedonicos* exercitus ſubminiſtraverint, *Philippus* Rex *Macedoniæ* irâ excandeſcens ad ſuaſionem *Demetrii Pharii* conſcriptâ ingenti militum copiâ in *Romanos* arma movet: contra hunc *Marcus Valerius Lævinius* juſſu *Senatûs*, *Populíque Romani* pugnaturus *Ætolos* ſibi, *Eleos*, & *Spartanos*, item *Scherdilaidam* Regem *Illyrii*, & *Pleuratum* Regulum (quem *Lucius lib.* 1. *cap.* 1. ſuſpicatur fuiſſe *Scherdilaidæ* filium) ad A. M. 3842. fœdere junxit, quibus ſocietatibus *Philippi* caput unicè petebatur, ſed cum *Philippus* octo annorum ſpatio undíque bello premeretur, pacem cum Romanis inire compulſus eſt: quo tempore *Scherdilaidas* quoque cum *Pleurato* ob violatum fœdus (nulla enim *Romanis* prece, vel pretio *Philippi*, ſubſidia contulerant) comprehenſus fuit. Hæc *Polyb. lib.* 5. & *Livius Dec.* 3. *lib.* 6. *cap.* 19. Neque aliud quidquam de *Scherdilaida* Rege memoriæ commendatum eſt, eum tamen *Illyrii*, ut ſupra relatum eſt, Regem fuiſſe, *Livius loc. cit.* aſſerit his verbis: *Pleuratus, & Scerdiletus: hi Illyriorum Reges.* Cur porrò *Scerdileto* præponat *Pleuratum*, utpote juniorem ſeniori, &, ſi *Lucio* credendum eſt, filium parenti? alia ratio vix aſſignari poterit, quàm, quòd *Pleuratus* à *Romanis*

nis

Digitized by Google

nis Rex legitimus, utpote de indultu eorum Regium conſcendens ſolium, agnitus fuerit, *Scerdiletus* verò idipſum Regnum propria duntaxat voluntate, procerúmque ſuorum *Romanis* minùs faventium acclamatione ſibi arrogaverit: *Pleuratus* námque *Romanorum* gratiâ, poſt obitum probabiliter *Pinei*, & *Scherdilaidæ*, in libertatem adſertus, Regium quóque *Illyriorum* conſcendit thronum, ſed, ut reſidui, tributarius, cujus oneris impatiens, dum *Illyris* aliquot annorum decurſu regiâ præeſt poteſtate, populíque ſui libertatem cupiens, augetur potentiâ, & ſecuritate maritima, *Ætolia* populatur, *Corinthiacumque* ſinum ſexaginta lembis invectis, *Mare Jonium* infeſtum reddit, circa A. M. 3865. Quare iterum in *Romanorum* incidens odium ad *Perſeum* Regem *Macedoniæ*, qui demortuo *Philippo* ſucceſſerat, exul profugit; *Polib. loc. cit.* & *Liv. lib.* 28. Ex *Megiſero* Annal. Carinth. *lib.* 3. ſuſpicari licet, ad A. M. 3872. diverſos diverſis in *Illyrico* populis imperitaſſe Reges, ſeu Regulos. *Idem* namque ſcriptor dicit *Gallis* Transalpinis dominatum fuiſſe *Cincibelem*, vel potiùs, ut ipſe *Megiſer.* nominat, *Simpelium*, deinde *Japydibus* quendam *Carmelum*, ſed juxta Lazium nomine *Centimalum;* præterea *Iſtriotis Æpulum*, vel, ut *Annæo* placet, *Apulonem*, ac tandem *Illyriis Gentium* filium *Pleurati II.* *Gentium* tamen latè patenti uſque ad Danubium fluvium *Illyrico* imperitaſſe, credendum exiſtimarem ex ſupra *cap.* 4. *num.* 6. expoſitis rationibus. Quòd autem plures in *Megiſero*, aliisque ſcriptoribus horum temporum diverſarum *Illyrii* Provinciarum legantur Reges, ſeu Reguli, accidiſſe id reor, ob occupatam à *Romanis* majorem *Illyrii Maritimi* partem, & ne diverſæ in eo Nationes, utpote *Gallo-Illyrica*, *Cholco-Illyrica*, & *Heneto-Illyrica* ſuis Ducibus careant, ſibi eos vel pro libitu ſuo denominâſſe, vel fortè *Romanorum* etiam annuentiâ conſtituiſſe.

VI. *Iſtriotæ* novam *Aglarienſem* (quæ nunc *Aquilejenſis* dicitur) Coloniam eò à *Romanis* proximis præteritis annis deductam, ad A. M. 3875. incurſant, & cis eam pyraticam exercent; quare de ſententia *Senatûs Romani* à *Manlio Volſore* bellum in *Iſtrios* ſuſceptum fuit. Is ad fluvium *Timavum* caſtra locans, novis quoque *Caji Furii* eò commeatum deferentis adjutus copiis, occaſionem commodam expectabat, quâ faciliùs, feliciúsque in *Iſtrios* irrueret, eósque opprimeret. *Iſtrii* in id unicè intenti, ut perimerent *Romanos*, non expectandum judicabant inſultum *Romanorum*, quapropter eorum caſtra ipſimet nocturno tempore, & repentino incurſu ingreſſi, turbarunt quidem *Romanos*, ſed ſuo malo, *Romani* namque præſcii incurſûs, caſtra omnibus rebus, ſignanter victualibus plena, ſtudioſè deſeruerunt, in quibus dum pergræcantur *Iſtrii*, *Romani* in eos ex improviſo irrumpunt, eorúmque octo millia cædunt. Sed *Iſtriotæ* recollectis viribus denuò ad A. M. 3877. *Romanis* bellum intentant, ſed iterum malo ſuo. *Manlius* namque, quàm ſub principium ab *Iſtriis* fortiter pulſus fuerit, ipſorum fortiſſimæ Urbi *Neſactio* (quæ ſucceſſu temporis *Novetium*, nunc *Villa nova* nuncupatur) exercitum admovet, obſidionéque duriſſima, fluvium *Arſiam* ab urbe ſtupentibus accolis avertens, premit. Obſeſſi, quamvis fame, & ſiti torpentes ſe dedere noluêre, verùm in muro ad conſpectum *Romanorum* uxores, liberóſque ſuos jugulavêre; ultimatim tamen captâ urbe Rex *Iſtriotarum Æpulo* ſibi ipſi manus intulit; *Iſtrorum* verò quinque millia capitum periêre, ſexcenta triginta duo venundata ſunt, Authores belli virgis cæſi, ſecurique percuſſi: atque taliter *Iſtria* pacata, ſubque jugum *Romanorum* devoluta, ab *Illyrico* avulſa, *Italiæque* adjuncta extitit. Hæc *Livius lib.* 41. *Annæus lib.* 2. *cap.* 10. *Palladius lib,*

3. *Sejanus* Antiquit. Italiæ *lib.* 1. *cap.* 7.

VII. *Gentium* Regem *Illyrii* ad A. M. 3882. *Romanis* ſuſpectum fecerunt *Iſſenſes* Legati, quæſti, qualiter agros eorum exuſſiſſet: ſimúlque exponentes uno animo vivere *Macedonum*, atque *Illyriorum* Reges, communique conſilio *Romanis* parare bellum, & ſpecie Legatorum *Illyros* ſpeculatores *Romæ* adeſſe, à *Perſeo* Rege Macedonum miſſos, ut, quid ibi agatur, expiſcarentur. Illyri, qui Legati exiſtimabantur, acciti ad Senatum, qui, cum Legatos ſe eſſe à Rege miſſos ad purganda crimina, ſi quæ de Rege *Iſſenſes* deferrent, dicerent: examinati, cur non adiiſſent *Magiſtratum*, ut veniſſe eos ſciretur, honoréque debito exciperentur? hæſitantibus in reſponſo, ut *Curiâ* excederent, impoſitum eſt. His abeuntibus mox belli cura contra *Perſeum Macedonem* Conſuli *Publio Licinio Craſſo* demandata eſt. Quo intellecto *Perſeus Pleuratum* patrem *Gentii* olim *Illyrii* Regem, apud ſe exulantem, Legatum ad *Gentium* miſit, promiſsíſque eidem trecentis auri talentis, Regem in ſocietatem belli adverſus *Romanos* evocavit. *Gentius* mox medio fratris ſui *Caravantii* conſcripto exercitu numeroſo ad arma prorumpit. Bellum præſens inchoatum A. M. 3883. bellatúmque eſt variâ ſorte ad uſque A. M. 3887. quo *Lucius Anicius Gallus* primo impetu *Gentium* fudit, captáque per deditionem *Scodra* urbe, cui, utpote munitiſſimæ, ſe Rex incluſerat, *Illyricum* totum intra triginta dies, plerúmque deditione, occupavit. Quô cognitô, *Lucius Æmilius* faciliùs illico adverſus *Perſeum* pugnavit, quem in *Samothraciam* fugere compulit, ubi ab *Octavio* Præfecto interceptus, *Amphibolim* ad *Lucium Æmilium* miſſus eſt *Romam* deducendus. *Polyb. loc. cit. Appian.* in Illyr. *Liv. lib.* 44. *Florus lib.* 2. *cap.* 13. *Eutrop. lib.* 4. *cap.* 6.

VIII. Intellectis his de duobus Regibus victoriis *Senatus Romanus*, quemadmodum *Amphibolim* ad *Lucium Æmilium*; ita in *Illyricum* ad *Lucium Anicium* mittit Legatos, qui utrobíque præſidentibus memoratis Conſulibus Provincias dividerent, eáſque juxta *Senatûs* Regulamentum ordinarent. *Scodræ* igitur, quo quinque Legati comparuerant, *Lucius Annicius*, evocatis ex toto Regno Primoribus, conventum habuit, *Illyricúmque* totum de ſententia *Senatûs* in *Provinciam Romanam* redegit; *Iſſenſes*, *Taulantinos*, *Daſſaretios*, *Piruſtas*, *Rhiſonitas*, & *Olciniatas*, quòd incolumi *Gentio* ad *Romanos* defeciſſent: *Daorſeos* quóque, quòd relicto *Caravantio*, cum armis ad *Romanos* tranſiviſſent, liberos eſſe juſſit. *Scodrenſibus* è contra, *Daſſarenſibus*, & *Saleptanis*, cæteríſque *Illyriis* dimidium ejus, quod Regi ſuo pendebant, impoſuit. Taliter igitur redacto in Provinciam *Illyrico*, illud in tres diviſit partes, quarum ſuus quiſque diſtrictus commune *Concilium* haberet. Horum unus *Iſſenſium*, *Taulantinorum*, *Daſſaretiorum*, & *Piruſtarum*: alter *Labeatum*: Tertius *Agravonitarum*, *Rizonitarum*, & *Olciniatum* inſtitutus eſt. Pari authoritate *Lucius Æmilius* res *Macedonicas* cum ſubmiſſis ſibi Legatis ordinavit. Qui tamen deinde (ut ſcribit *Appianus*) ſecretis inſtructus monitis, in ſeptuaginta urbes *Illyrii*, quæ *Gentio* parebant, *militem Romanum* diviſit, eadem omnibus, Præcone mediante, conſtituta die, quâ ad auroram quiſque earum Urbium incola intra tres horas pecuniam univerſam in forum deferat, delatámque, cum omni per domos ſuppellectili milites dirripiant. Atque ſic una quaſi hora ſeptuagintà ſpoliatæ ſunt Urbes, ut in Equitem quemlibet 400. peditem verò 200. dividerentur denarii: centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur, muri dein direptarum urbium diruerentur. Pariformia ſcribit *Livius lib.* 45. de Urbibus *Macedoniæ*,

doniæ, uti & de *Epiri*, quòd *Perſeæ* juviſſent partes, Rege eorum, vel fugâ elapſo, vel interempto belli ejusdem occaſione.

IX. Rex *Gentius*, cum uxore, Liberísque *Scberdillo*, ac *Pleurato*, item fratre *Caravantio*, ejusque filio *Platore* ex *Illyrico*: *Perſeus* quoque Rex ex *Macedonia*, & utriusque plures de Primoribus *Romam* ſub vigili militum cuſtodia miſſi, de hoc *Lucius Æmilius*: de illo verò *Lucius Annicius* ſolemniſſimè triumphârunt. *Perſeus* poſt Triumphum omnium, quos *Roma* vidit, magnificentiſſimum, *Albam* urbem deductus, liberâ, deprecante *Lucio Æmilio*, cuſtodiâ uſus, ſe ipſum inediâ ſpontaneâ vitâ exuit: *Gentius* cum ſuis *Spoletum* in cuſtodiam datus, ibidem unà cum ſuis miſerè obiit: reliquis captivis *Romæ* in carcerem conjectis. Hic exitus Regnorum *Illyrici*, & *Macedonici* fuit, quæ ad potentiam tantam pervenerant, quâ major ſperari nequiviſſet, ad tantam porrò deciderunt infamiam, quâ turpior nequit formidari. Hujus belli occaſione *Epirus* quoque ſuo Rege privata extitit, conſequenter credibile eſt, Regulos etiam diverſarum *Illyricarum* nationum (de quibus hic *num.* 5. egimus) non quidem pro nunc illicò exoleviſſe ex integro, attamen ſenſim per *Senatum*, *Populumque Romanum* ſuppreſſos fuiſſe. *Gentio* etenim *Illyriorum* Rege in captivitatem abducto, *Illyricæ* Regionis gentes diverſæ in binas ſciſſæ fuêre factiones. *Illyrii* namque ſic propriè dicti *Romanam* ſequebantur ſocietatem, *Dalmatæ* è contra *Liburni*, *Japydes* atque *Iſtriotæ* jure vetuſto ſub libertate uti volebant; hinc cognatas licèt inter nationes ob imperii diverſitatem ſæpius exorta jurgia, in apertum prorumpebant bellum. Sed quia hic *Dalmatarum* prima mentio occurriſſet, ſcopus autem, & finis præſentis operis nonniſi de *Dalmatia*, utpote *S. Hieronymi* patria exiſteret, meritò de Origine, finibúsque ejusdem *Dalmatiæ* agendum *ſeq. cap.* judicamus, ita tamen ut nihil *Illyrio*, cui *Dalmatiam* incluſam fuiſſe demonſtrabimus, derogemus.

CAPUT XVI.

De Origine, Amplitudine, & Limitibus primæ Dalmatiæ.

I. QUia poſt introductum in *Illyricum* Dominium Romanorum, nomen mox novum populorum, jugum *Senatûs Populique Romani* ſupportare recuſantium, innoteſcere, atque ab iis ſenſim, & ſenſim primò exigua, ſucceſſivè major, dein etiam notabilior *Illyrii* pars occupata, ab eorum nomine diſtrictus ſubjugatus vocitari cœpiſſet *Dalmatia*; congruum eſt, ut horum populorum, prouti & nominis eorum fundamentalis inquiratur Origo. Sed unde hæc deſumenda? ſiquidem & ipſi Authores, qui præ manibus habentur pauci, in eo diſcordent. *Stephanus* in Dictionar. verbo: *Dalmatia*, ab urbe *Dalmis* derivat, quem ſequitur *Strabo*, ſed urbem nominat *Dalminium*, uterque parum abludit ab *Appiano*, qui urbem appellat *Dalmam*. Fors erit illa? quam *Ortelius* Geograph. Tab. 112. intra *Drinum* fluvium, & *Sardonium* montem: *Scheüterus* autem in moderna *Bosna* pariter intra *Drinum*, & *Limum* (qui olim *Tilurus* dicebatur) amnes collocant. Omnibus his ſubſcribit *Freſcbottus* Geographiæ Deſcript. Dalmatiæ *cap. 1.* qui & confirmat urbem fuiſ-

ſe in moderna *Bosna* ſituatam, ſed nunc in ruderibus ſepultam.

II. Ex quibus colligitur, rem non eſſe incertam, quòd populi ſupradicti nomen ſibi aſſumpſerint ab urbe memorata, ſive illa *Dalma*, ſive *Dalmis*, aut *Dalminium* vocitata fuerit; verùm diſſenſionem tantùm inter ſcriptores eſſe de ſolo nomine urbis, cum alii *Dalmam*, alii *Dalminium*, aliqui *Dalmium*, *Dalmim*, & *Dalmanam*, nominaverint. Hinc levis apparet Regula, quam *Matthias Bellius* Prodromi Antiquit. & Novit. Hung. *ſect.* 1. *cap.* 1. §. 4. *in Marg.* adducit, dicendo: *Non gentem à flumine, ſed flumen, aut civitatem à gente denomines, oportet.* Nam ex *ſacris Paginis* conſtat *Babylonios*, ab urbe *Babylone*, non ab homine nuncupatos. Item: *Amalecitas* ab urbe *Amalec*, & *Saracenos* dictos à *Saraca* urbe: *Toletanos* (integra eſt in *Hiſpaniis* Provincia) ab urbe *Toleto* &c. Tametſi etiam verùm ſit, ſæpè urbes, fluvios, montes ab hominibus (ut in præcedentibus ſæpiſſimè inſinuavimus) nomenclaturam deſumpſiſſe.

III. Simili ergo modo *Dalmatas* quóque noſtros non ab homine, ſed ab urbe *Dalma* appellationem ſuam ſortitos fuiſſe, patet ex ſupracitatis Scriptoribus: ſucceſſu verò temporis eosdem Regioni, quam ſibi ſollicitâ curâ, generoſa arte, heroicoque Marte, appropriabant *Dalmatiæ* nomen indidiſſe in comperto eſt; atque hinc ex poſt apud omnes antiquiores, & recentiores Hiſtoricos idem vocabulum invaluiſſe experientia docet. Hos *Ritterus* in Chron. ad A. M. 3572. ex *Pharo* Inſula coloniam duxiſſe in Inſulam *Iſſam Mari Adriatico* ad ipſum *Illyricum* incluſam, eosque ad A. M. 3743. cum *Demetrio Phario* adverſus *Græcos* pugnâſſe ſcribit. Cum autem ad A. M. 3749. *Philippus Macedo* Inſulam *Iſſam* occupâſſet, Incolæ ejusdem ex ea migrantes primò circa *Naronem* fluvium in *Illyrico* conſederunt, imò ipſam *Naronem* urbem, ut vult *Lucius lib.* 1. *cap.* 1. incoluerunt, ac paulò poſt etiam *Dalmam*. An autem, ut aſſerit *Ritterus*, ſub nomine *Dalmatarum*? vix fidem adhibere poſſum: ſiquidem *Lucius lib.* 1. *cap.* 6. dictet: eos pro incolis tantùm *Dalmis* urbis habitos fuiſſe: in *Proœmio* verò *lib.* 1. De Regn. Dalm. & Croat. declaret, *Dalmatiæ* nomen poſt extinctos *Illyrii* Reges innoteſcere cœpiſſe.

IV. Ex hiſce præmiſſis docemur primos *Dalmatas* arctos nimium terminos ſui territorii habuiſſe: Quapropter *Ptolom.* Geogr. *lib.* 2. *cap.* 17. *Dalmatiam Illyrico* includens eam primis ſuæ originis temporibus extenſam fuiſſe à *Scardona*, uſque *Macedoniam* demonſtrat. Variis tamen poſtmodum bellorum caſibus, & ſucceſſibus proſperis dilatati, tempore *Monarchiæ Romanæ* terminos limitum ſuorum uſque ad *Titium*, & *Drinum* flumina, atque à *Mari Adriatico* uſque *Pannoniam* extenderunt. *Dalmatiam* namque *Pannoniæ* conterminam extitiſſe, ipſemet *S. Hieron.* clarè exprimit, dum Patriam ſuam *Stridon* oppidum *Dalmatiæ*, *Pannoniæque* confinium fuiſſe tradit. Et eſto nullus Hiſtoricorum eos pro eo tempore Duces, aut Reges habuiſſe notet, ipſos tamen *Rempublicam* aliquam *Democraticam*, qua totus populus ſumma cum poteſtate communi conſulebat utilitati, vel *Ariſtocraticam*, quâ plures è populo elevabantur ad regendum, inſtituiſſe, credendum eſt. Atque hæc de Origine *Dalmatarum*, eorúmque Regionis primis limitibus ſufficiant: pro quorum *Chronologia* intelligenda, quædam prænotare neceſſum duxi.

V. Certum eſſe expertus ſum, quod ly *Illyricum*, & ly *Dalmaticum* Lectoribus, dum hiſtorias pervolvunt, confuſionem parere ſoleant: qui dum aliqua acta *Illyriorum* ſub *Senatu Populoque Romano* exiſtentium legunt, ea nihil debere *Dalmatiam*

con-

concernere exiſtimant: & è contra dum *Dalmatiam* quid concernens audiunt, putant illud non eſſe *Illyrico* attribuendum: ex eo, quod Hiſtorici quidam bina hæc nomina, tam quoad Incolas, quàm quoad diſtrictum locorum diſtinguant, cum tamen unum, & idem eſſe ipſa acta, locus, & incolæ ſuadeant; ex quo *Dalmatæ* ex *Illyrico*, utpote *Illyricus* populus nunquam pedem extulerint, verùm ipſum *Illyricum*, ipſius nomenclaturam ſenſim ſupprimentes, ſibi ſubjugare ſtuduerint. Hinc eſt, quod univerſa bella *Romanorum*, quæ apud Hiſtoricos *Dalmatica* vocantur, non alibi, quàm in *Illyrico* geſta extiterint. Quapropter, dum benevolo Lectori *Chronologiam* ſequentem legere placuerit, & quandòque in nomenclaturam *Illyricam*, quandoque verò *Dalmaticam* impegerit, eam uni eidemque loco, & populo appropriare dignetur. Quandoquidem & *Joan. Lucius lib. 1. cap. 1.* Dum nominat quartum *Bellum Illyricum*, illud ſubintelligit fuiſſe *Primum Dalmaticum*. Et ſic etiam de reſiduis *Bellis Dalmaticis* in *Illyrico* geſtis. Nolim tamen, ut præſens prænotatio mea pro primis mox originis *Dalmatarum* annis intelligatur, id enim certiſſimum eſſe confiteor, quòd *Dalmatæ* illicò ſub principium ſui ortûs integrum *Illyricum* occupare, minùs ſe per illud dilatare, conſequenter neque nomen eidem *Dalmaticum* imponere quiverint.

CAPUT XVII.

De geſtis Illyriorum ſub Senatu, Populóque Romano.

I. URbis *Dalminiæ* Incolæ, quemadmodum (ut probabiliter conjecturari poteſt) temporibus *Theutæ* Reginæ (juxta *cap. 14. num. 7.* de *Narentanis* vicinis *Dalminio* inſinuata) ob arrogans, ambitioſumque muliebre regimen malè contenti, ab eadem defectionem moliebantur, ita hac tempeſtate jugi *Romanorum* impatientes, ad A. M. 3897. in proximos *Illyrios*, ſuas intentiones contra *Senatum Populúmque Romanum* ſecundare nolentes, incurſiones attentant, eorum agros, & urbes infeſtant, ſuoque imperio ſubjiciunt, ut nonnulli tributa quoque pendere cogerentur. Ita *Polyb.* in Fragm. *num. 12.* *Livius* Epit. 47. *Victor* de viris illuſtr. *num. 44.* *Frontinus lib. 3. cap. 6.* & *Appian.* in Illyr. Hæc *Joan. Lucius lib. 1. cap. 1.* explicans ex *Caſaubono* refert: præcitatos *Dalmæ* incolas hâc primâ expeditione viginti oppida ſibi vicina, quæ intra *Naronem*, & *Tilurum* flumina ſita fuerunt, ſubegiſſe, atque hac occaſione totum hunc diſtrictum à Principe urbe *Dalma Dalmatiam*, ſe ipſos verò *Dalmatas* compellâſſe. His non contenti *Dalmatæ*, amne *Tiluro* transmiſſo, ſexaginta alia oppida adſciverunt, & uſque ad *Mare Adriaticum* nomen *Dalmaticum* protulerunt, ſimulque *Saloniæ* ſitu occupato *Tragurium*, ac *Epetium* proximas *Iſſenſium* civitates infeſtarunt. Ita *Lucius loc. cit.* Hæc *Cajo Fannio* Legationis cauſa in *Illyrium*, qui reverſus *Senatui Romano* omnia inimica eſſe retulit; hinc *Dalmatis* indictum bellum.

II. A. M. 3898. *Cajus Martius Figulus* Conſul venit adverſus *Dalmatas*, quem illi primo adventu caſtra metantem, cæſo præſidio, in plano propulſârunt, non intermiſſo ad fluvium *Naronem* uſque receptu, ſed reaſſumptis viribus *Cajus* oppreſſit *Dalmatas* diſſipatos, & eorum reli-

 quias

quias compulit in urbem *Dalminiam*. Urbis hujus tam erant edita, tam fortia mœnia, ut nec æquari vallo, nec labefactari machinis poſſent: Conſul itaque bicubitales ſudes pice, & ſulphure cum ſtupa illitas in urbes ſpargendas curavit, quæ etiam accenſæ, magnum perniciem civibus intulerunt. *Lucius lib. 1. cap. 1.* tunc penitus exuſtam urbem, & occupatam putat, ſed *Appianus* collimat fuiſſe defenſam, ex eo, quod *Romani* neceſſum habuerint bellum hoc continuandi: nam primò ſequenti anno, id eſt ad A. M. 3899. *Publius Cornelius Scipio Naſſica* Conſul urbem *Dalminiam* expugnavit, atteſtante *Floro* Epit. *lib.* 47. & dicente: *Eandemque gentem Cornelius Naſſica Conſul domuit.*

III. A. M. 3919. *Fulvius Flaccus* Conſul, *Ardiæos* & *Pallarios*, populos *Illyricos* à ſocietate, & poteſtate *Reipublicæ Romanæ* exemptos, cum reſiduos *Illyrios* armis vexarent, nec miſſis Legatis parcere vellent, cum exercitu decem millium peditum, & ſexcentorum equitum ita perterruit, ut veniam à *Senatu* poſtulaverint, quàm impetrârunt eâ conditione, ut damnorum impenſam, quàm indignè oppreſſis intuliſſent, reſarciant. *Appian.* in Illyr. *Florus* Epit. *lib.* 56. qui pro *Ardiæis*, *Vardiæos*: *Strabo* verò *Sardiæos* nominat. Item *Livius* Epit. 56. *Sigonius* in Faſtis Conſular. ad A. U. C. 618. Hos *Ardiæos Lucius lib. 1. cap. 3.* Potentiſſimos olim *Illyrici* populos extitiſſe oſtendit, ex *Appiano*, & *Dione.*

IV. A. M. 3925. *Schönleben* more ſuo, *Sempronii Tuditani* excurſionis in *Illyricum* cauſam primariam adſcribit ſuis *Japydibus*, quaſi hi non fuiſſent intra *Illyricos* comprehenſi, eſtò, ut *Strabo* ait: fuerint, *Gens Celtis*, *Illyriisque commixta.* Inter *Illyrios* & *Japydes* lis erat de agris, ut *Brietius* ſcribit, ſuborta, quam dum *Sempronius*, ejus difficultate deterritus dirimere renuiſſet, bini hi populi, ſors pro hujus temporis ſtatu præ cæteris in ſtatu florentiori, facta ad invicem conſociatione, arma corripuerunt, portumque *Tergeſtinum* adorti, ſui juris fecerunt. Verùm *Sempronius*, operâ *Junii Bruti*, eos non tantùm *Tergeſtino ſinu* expulit, verùm etiam totum diſtrictum, qui fuit *Mari Adriatico* proximus, inter *Titium*, & *Timavum* fluvios, eisdem ademit, quibus limites quoque novos ad tollenda jurgia conſtituit, ac tandem inde *Triumphum* retulit, ubi prius ignominiam invenerat. *Appian. loc. cit.* *Liv.* Epit. 59. *Plin.* Hiſt. *lib.* 3. *Sigonius* ad *A. U. C.* 624. *Flor.* Epit. *lib.* 59. *Strabo lib.* 4. & *Lucius lib.* 1. *cap.* 5.

V. A. M. 3935. *Cæcilius Metellus*, & *Lucius Aurelius Cotta* Conſules ducto in *Illyricum* excercitu, *Segeſtanos*, ad *Savi*, & *Colapis*, confluentes debellârunt. *Appianus* hujus belli cauſam non exprimit. Hinc apparet, quòd ſæpiùs *Conſules Romani* pro ſuo libitu *Senatum* informantes, ad augendam ſibi *Romæ* glorioſam famam, populos ſubjectos absque ratione bello impetierint, populique infeſtati nolentes, volentes ſe defendere debuerint, ut ex ſequenti patebit actu. Nam idem *Cæcilius Metellus* iterum conſulatum adeptus A. M. 3937. rurſus in *Illyrico* quæſivit gloriam: nihil enim delinquentibus *Dalmatis*, una triumphandi libidine, bellum intulit, à quibus benignè ſuſceptus, apud *Salonas*, eorum urbem, transegit Hyemem, & *Romam* reverſus, *triumphavit.* Sic vacui ab hoſtibus *Romani*, hoſtes ſibi ex amicis faciebant; & multas urbes interire opportuit, ut uni urbi diurna ſpectacula exhiberentur. Sic *Liv.* Epit. 62. & *Eutrop. lib.* 4. *cap.* 10. Pari modo ad A. M. 3839. *Marcum Æmilium Scaurum* Conſulem *Tauriſcos* domuiſſe, notavit *Cluverius* Rer. Ital. *lib.* 1. *cap.* 19. Quod *Tauriſcos* attinet, hos non aliunde, quàm à *Celto-*

Gal-

Digitized by Google

Gallis originem traxiſſe, juxta *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 7. §. 7. credendum eſt. De his *Plinius lib.* 3. *cap.* 25. ait: *Mons Claudius, cujus in fronte Scordiſci, à tergo Tauriſci.* Hosce *Tauriſcos* exiſtimat *Ritterus* in Chron. ad A. M. 3859. modernos *Turopolenſes*, trans *Savum* fluvium è Regione *Urbis Zagrabienſis* habitantes. Et poſſibile, nam de *Monte Claudio* nullum eſt dubium, quin infra *Zagrabiam* conſiſteret, neque eſſe illum, quem *Lazius* pro *Rogatecz* notat. Hos itaque *Tauriſcos* videtur *Scaurus* bello impetiviſſe, ſiquidem & hi *Segeſtanis*, & *Japydibus* vicini, & ſucceſſu temporis uniti *Romanis* ad ſudandum dederint.

VI. Ab A. M. 3940. *Scordiſci* populus olim *Illyricus* (quem *cap.* 3. *num.* 14. in *Thracia*, quæ ſucceſſivè *Romania* dicta eſt, ad *Hebrum* fluvium, qui nunc *Mariza* vocitatur, ex *Brietio* conſediſſe notavimus) uſque ad A. M. 3944. magnam *Romanis* ſudoris, & fatigii cauſam præbuerunt. De his *Florus lib.* 3. *cap.* 4. ſic diſſerit: *Sæviſſimi omnium Thracum Scordiſci fuêre, ſed calliditas quoque ad robur acceſſerat; ſilvarum, ac montium ſitus cum ingenio conſentiebant.* Hi *Macedonum* olim, dein *Romanorum* Tributarii effecti, dum tributum ſupra modum exigitur, rebellârunt: nec in proximas modò Provincias excurrere contenti, ſed & *Theſſaliam* infeſtare, *Dalmatiam* quoque uſque ad *Mare Adriaticum* graſſationibus ſuis replere præſumpſerunt, jugum violenter ſibi injectum, violentiâ excutere tentantes. Contra hos miſſus primò Conſul *Cajus Cato*, ſed ignominioſè pugnans ab illis non fuſus modò, aut fugatus, ſed prodigioſè quaſi totum ſuum interceptum amiſit exercitum. Ignominiam Conſulis nonnihil temperavit ſolertia, & circumſpectio *Didii* Prætoris, qui *Scordiſcos* in ſuas repulit ſedes. Sed dum iterum ad A. M. 3942. recollectis viribus *Romanis* negotia faceſſere pergunt, *Macedoniámque* infeſtant, *Livius Druſus* Conſul contra eos profectus feliciter pugnat, & retrocedere cogit, quin ultra *Danubium* arcet: multos tamen è ſuis (ut *Brietius* notat) perdit, dùm dictum fluvium glacie rigentem cum exercitu incautiùs tranſit. Attamen *Scordiſci* nondum quieſcere aſſueti, *Marcum Minutium Rufum* Conſulem A. M. 3944. in *Macedonia* aggrediuntur, qui cum ab his premeretur, minórque viribus eſſet, ſtratagemate uſus, eos receptui canere coëgit, victoriaque penes *Minutium* ſtetit, ſed non incruenta, multos ſiquidem ſuorum & in prælio, & denuò in glacie, dum flumen tranſirent, perdidit. *Liv.* Epit. 63. *Flor. lib.* 3. *cap.* 4. *Eutrop. lib.* 4. *cap.* 10. *Sigon.* ad *A. U. C.* 639. *Plutarchus* in Mario. Pulſi itáque taliter *Scordiſci* ex *Thracia* novas inquirentes ſedes, ſe intra *Savum*, *Dravum*, & *Muram* fluvios, ut ſupra *cap.* 3. *num.* 14. memini, ſtiterunt, ſedéſque fixerunt.

VII. Medio tempore circa A. M. 3941. *Cimbri*, & *Theutones* (iterum nova *Celtarum* nomina prodibant) cum terras eorum *Oceanus* inundâſſet, *Rhenum* fluvium transgreſſi, novas ſedes toto orbe inquirebant. Excluſi *Galliâ*, & *Hiſpaniâ*, in *Illyricum* populabundi comparuerunt, tranſitum in *Italiam* molientes. Ab his Conſul *Papyrius Carbo* prope *Aquilejam* in *Noreja* cum exercitu fuſus, ſed & hi, ægrè tamen à *Romanis* pulſi in *Hercynium ſaltum* receſſerunt. Verùm dum & à *Bojis* repulſi fuiſſent, denuò A. M. 3945. ad *Scordiſcos*, ut *Strabo lib.* 7. notat, inde ad *Tauriſcos* deſcenderunt, ſemper tranſitum in *Italiam* meditantes. Succeſſitque tandem meditationis propoſitum, trajectis namque *Alpibus* ſe in *Italiam* infuderunt, ſibique à *Senatu Romano* agros dari poſtulârunt, ſed rejecti armis, quod petitis nequiverunt, obtinere coacti ſunt: *Syllanum* námque Conſulem ſibi cum legionibus objectum

Digitized by Google

ctum primo impetu profligarunt, docuerúntque ſe facilius *Romani Senatûs* conſultis, quàm armis repelli. Nihilominus miſſus in locum Syllani *Marcus Aurelius Scaurus* nihil feliciùs A. M. 3946. cum *Cimbris* dimicans, tertiámque ab iis cladem accipiens, fuſus, fugatus, & exercitu exutus eſt. Tantus hujus gentis jam terror pervaſerat militem Romanum. Hæc *Brietius* ex Scriptorib. *num. præc.* citatis.

VIII. *Scordiſci* iterum ad A. M. 3976. *Macedoniam* auxiliis *Mæſiorum*, & *Dardanorum* depopulantur, barbariem non modicam exercentes, humanorum capitum oſſa, cruenta adhuc, & capillata pro poculis adhibere ſoliti. Adversùs eos miſſus *Appius Claudius* Pro-Conſul, qui levibus aliquot prœliis præludens, magnis ſe molibus malorum objectum ſenſit, unde cum animo æger, & curis circumſeptus, morbo inſuper implicitus eſſet, interiit. Miſſus ei ſucceſſor *Cnejus Scribonius Curio*, quem ſecuti fuêre *Cnejus Cornelius Lentulus*, & *Publius Licinius Craſſus*, qui *Scordiſcos*, pariter atque *Mæſos*, cum *Dardanis*, promotis uſque ad *Mœſiæ* fines armis victorioſè ſubegerunt. *Liv.* Epit. 63. *Flor. lib.* 3. *cap.* 4. *Paulus Diac.* in Miſcell. *lib.* 6. *cap.* 3. qui inſuper refert: hoc eodem anno *Cajum Caſcanium* in *Illyricum* miſſum fuiſſe, ibidémque protritâ *Dalmatiâ* florentiſſimam urbem *Salonam* biennio oppugnatam cœpiſſe, ac compoſito bello *Romam* rediiſſe: rationem tamen, circumſtantiasque obſidionis non deſcribit. Plures *Thraces* adverſùs *Romanos* per hosce annos geſſêre bella, adſcitis in ſocietatem *Dardanis*, & *Heneto-Illyris*, ſed ſuo detrimento, nam à Conſulibus, quibus repreſſio hoſtium à *Senatu Romano* commendata fuerat, ſignanter à *Syllano* coërciti, & ſimul *Tributarii Romanorum* una cum ſociis effecti fuêre. Nec mirùm! hisce námque annis ita *Conſules Romani* fortunati extitêre, ut non ſolum *Danubium*, & *Daciam* tenus, ſed ſuperato *Danubio* uſque ad *Tanaim* fluvium, & *Mæotidem* lacum, imò ad *Sarmatas* ipſos pervenerint, & ubique igne ferróque Victores ſevierint. Hæc *Livius* Epit. 70. & 74. *Florus loc. cit. Plutarchus* in Sulla. *Appianus* in Mithridate. *Eutrop. lib.* 5. *cap.* 4. &c.

IX. Ad A. M. 3995. *Julium Cæſarem* Conſulem lectum, addito Collegâ *Lucio Bibulo Faſti* notant. Decreta ei utráque *Gallia*, *Transalpina*, & *Ciſalpina* cum *Illyrico*, aſſignatæ decem Legiones ad quinquennium. Exarſit interea novum bellum *Helveticum*, quod ipſe *Cæſar* ſuis Commentariis deſcripſit: Id ei oblatum à *Senatu* poſt *Conſulatus* honorem, lubens ſuſcepit, ut judicium, quô cujusdam malè adminiſtrati muneris reus agebatur, declinaret. Pugnaturus igitur *Cæſar* contra *Helvetios*, dum vires ſuas impares videt, in *Italiam* properat, duasque ibi Legiones conſcribit, & tres, quæ circa *Aquilejam* hyemabant, ex hybernis educit. Profectus itaque exinde A. M. 4002. in *Galliam Transalpinam*, cum audiſſet *Pyruſtas* (quos *Ritterus* jam *Dalmatas* nominat, rémque geſtam ad A. M. 3900. anticipiat) in *Illyrico* tumultuari, celerrimè advolavit, & rebus ex voto compoſitis ad Exercitum rediit, confectoque in *Helvetia* bello, cum ſibi Victor abſenti Conſulatum decerni expoſcit, contradictum eſt à quibusdam ſignanter *Pompejo* æmulo in *Senatu*: quod inteſtini belli primum fuit Seminarium. Hæc ipſemet *Cæſar* de bello Gall. *lib.* 5. & ex eo *Brietius*, *aliique plures*.

X. Gliſcente *Roma* internâ diſcordiâ, *Dalmatæ*, ac alii *Illyrii* ad A. M. 4004. benigniore fortunâ utentes *Liburnis*, quamvis *Illyricæ* genti, ſed *Romanis* apprimè faventi *Promonam* (quæ nunc *Flumen* vocitatur) urbem eripuêre. *Liburni* in *Populi Romani*

fide *Cæſaris* in propinquo agentis opem implorârunt. *Cæſar* miſit Legatum, qui *Promonam* tenentibus denuntiaret, ut Oppidum *Liburnis* redderent, cúmque ij contemnere imperium dignoſcerentur, validam armatorum manum ſubmiſit, quæ tota à *Dalmatis*, & *Illyriis* conciſa fuit. Néque *Cæſar* ultus eſt, non enim *Pompejanæ* diſcordiæ implicito ſatis eam in rem otii fuit; dilata vindicta dein gravior evaſit. *Appian.* in Illyr. & *Lucius lib. 1. cap. 1.* Qui iſtud bellum à *Cæſare* compoſitum, *Dalmatiſque* leve tributum impoſitum, *Dalmatiam* tamen hac etiam occaſione latiorem, & longiorem factam ſcribit.

XI. Scinditur tandem ad A. M. 4005. juxta *Salianum*, ſed juxta *Brietium* 4006. in partes *Romanus Orbis*, inteſtina diſcordia evertit *Rempublicam*, ut pariat *Principatum.* Tacenda ſunt hic ea, quæ inter *Cæſarem*, & *Pompejum* hoſtilia fuêre, hæc etenim habentur fusè deſcripta apud ipſum *Cæſarem lib. 3.* *Illyrio* vicinum tuit, quod adnotavit *Dio* apud *Salianum* de clade *Cæſarianorum* circa *Inſulas Illyricas* in *Mari Adriatico* ſitas. Sed antequam id proponatur, non abs re fiet, ſi *Illyriorum* ad hoc bellum ſpectantia geſta præmittantur. Dum ergo *Cæſar* cum copiis ſuis è *Brunduſio* transmittit *Mare Jonium*, reliquam autem exercitûs partem *Marcus Antonius* ad eum alia via, ac tandem tertiam cohortium partem *Gabinius* per *Illyricum* ducunt; *Illyri* recogitantes ea, quæ non pridem in *Cæſarem* commiſiſſent, cum ejus victoriam exitio ſibi futuram prævi derent, impetu facto, univerſum *Gabinii* exercitum (excepto Duce, paucisque fugâ elapsis) conciderunt, magnámque ex ſpoliis, & apparatu bellico prædam obtinuerunt. *Cæſar* gerendis rebus adverſus *Pompejum* intentus, iteratam injuriam ulciſci mox non potuit. Sic *Appian.* in Illyr. *Cæſar* de bello Gall. *lib. 3. cap. 7.* & *lib. 5. cap. 1.* & 2. Hinc nihil mirum! quod *Marcus Octavius*, & *Lucius Scribonius Libo* claſſe *Pompejana* inſtructi, *Publium Cornelium Dolabellum*, qui *Cæſaris* partes tuebatur ope *Dalmatarum* profligaverit, dein *Marcum Antonium* ſubvenire *Cæſari* volentem *Scribonius Libo* in exiguam quandam Inſulam fugere compulerit, ibidémque ab incolis deſertum, ac fame preſſum cum omnibus ſuis cœperit: quantumvis *Marco Antonio* auxilio fuère *Curetes*, ſi *Schönlebenio* fides adhibenda eſt, qui Annal. Carniol. *pag.* 113. dicit *Marcum Antonium* in Inſulæ *Curictæ* litore caſtra locâſſe, conſequenter eidem *Marco* faviſſe contra *Pompejum*, videtur etiam aſſentiri *Lucanus* Pharſal. *lib.* 4. dum canit:

Illic bellaci confiſus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua Ponto.

Qui hi *Curetes* fuerint, & ubi ſedes ſuas habuerint? diximus *cap.* 12. *num.* 7. plura dicturi infra, dum ſe de his diſſertatio facienda obtulerit: nunc enim ad arma *Cæſaris*, & Pompeji evocamur.

XII. Reaſſumptis attamen *Cæſar* viribus, exercitúque notabiliter aucto, poſt trium annorum cruentum bellum (quod ab urbe condita longè maximum, reique *Romanæ* luctuoſiſſimum extitit. Ejus namque belli flamma lætiſſimè ſparſa univerſam illicò *Italiam* belli fontem, & caput: *Hiſpaniam* quóque, & utrámque *Galliam* funeſto curſu occupabat; nec Maris cohibita fluctibus peſtifero quaſi ſaltu *Siciliam*, *Sardiniam*, *Africam*, *Aſiam*, *Epirum*, *Dalmatiam*, & *Macedoniam* in momento quaſi percucurrit: imò univerſum Mundum ab ultimis *Gadibus* occidentis, ad ultimos *Parthos* in oriente per infinita maria, terráſque diffuſa fuit) *Pompejum* fugavit in *Ægyptum*, quem poſtquam doloſè ibidem juſſu *Ptolomæi* Regis *Ægyptiorum* obtruncatum in-

Digitized by Google

audiviſſet, A. M. 4009. *Romam* reverſus eſt *Menſe Quintili*, quem nomine ſuo *Julium*, conſentiente etiam *Senatu*, compellandum ſanxit, ſeque *Imperatorem Romanorum* proclamari fecit, *Octavianum Auguſtum*, Neptis ſuæ filium adoptans. *Cæſar* à pulchra Cæſarie, ſeu capillorum venuſtate (quod nomen reſiduis dein Imperatoribus adhæſit) dictus, Vir togâ, ſagóque clarus, formâ omnium civium excellentiſſimus, vigore animi acerrimus, munificentiâ effuſiſſimus, magnitudine intentionum, celeritate bellandi, patientiâ periculorum *Magno Alexandro* ſimillimus. Civilibus bellis toto Orbe compoſitis, & quinto ex *Hiſpaniis Triumpho* celebris, reliquos inter honores à *Senatu* exhibitos, id obtinuit, ut *Pater Patriæ*, & *Sacro-Sanctus*, & *Dictator perpetuus* appellaretur. Hæc paſſim apud *vetuſtiores*, & *recentiores Hiſtoricos* leguntur, quos citare hic ſuperfluum judico.

CAPUT XVIII.

De geſtis Illyriorum ſub primis duobus Imperatoribus Cajo Julio Cæſare, & Octaviano Auguſto.

I. POtentiâ *Cæſaris* intellectâ. *Illyri*, *Dalmatæque* perculſi, nè vindictæ forent obnoxii, pœnásque interfectarum cohortium luerent, Legatos ad A. M. 4010. *Romam* mittunt, qui præteritorum veniam poſcant, ſéque in amicitiam, & ſocietatem ejus dedant. Ille pro dignitate ſua: minimè amicorum loco habiturum, qui talia perpetrâſſent, veniam autem daturum, ſi ſe tributo ſubjicerent, obſideſque darent, reſpondit. *Dalmatis*, & *Illyris* utrúmque appromittentibus, *Vatinium* multis cum pedeſtribus, & equeſtribus copiis ad eos mittit. Quos dum *Vatinius* contumaces deprehendiſſet, ſex eorum oppida munitiſſima vi expugnavit, captóque *Dyrrachio*, quod Regionis caput erat, *Illyrios*, & *Dalmatas* in ordinem redegit. Interea dum *Cæſar* de bello *Parthis* inferendo cogitat, conjuratione *Senatorum Romanorum*, libertatem avitam, quam eis *Cæſar* notabili in parte ademerat, recuperare anhellantium, in eum facta, à *Marco Bruto*, ejúſque ſociis conjuratione, in *Curia* perimitur. Manſit tamen deinceps *Imperium* in vigore ſuo, quod *Senatus* in *Cæſare* extinctum voluit, vel exinde metuendum *Auguſtis*, quod in ipſo initio ſanguine Fundatoris cruentatum extiterit. *Cæſare* ſublato *Illyri Rem Romanam* interituram rati, neque *Vatinio* obedientes eſſe, neque tributa conferre, neque obſides *Romam* mittere voluerunt: vim parantem *Vaticinium* fortiter ſæpius aggreſſi, quinque cohortes, eorumque Ducem *Bebium* ordinis Senatorii cædunt, *Vatinio* ægrè cum reliquo exercitu *Dyrrachium* ſe recipiente. Hinc *Senatus* indemnitati ſuæ proſpicere volens, exercitum adverſus *Illyrios* ducendum *Marco Bruto* interfectori Cæſaris commendavit: ſed hôc adverſus *Octavianum* & *Antonium* ob necem *Cæſari* illatam bellô diſtentô, nihil contra *Illyrios* actum eſt. *Appian.* in Illyr. *Suetonius* in Octaviano.

II. Demortuo *Cæſare*, quamvis *Lepidus*, *Antonius*, & *Octavianus* à *Senatu* honore *Triumviratûs* inſigniti diſcordâſſent, redintegrata nihilominus amicitia, ac communicato inter ſe conſilio, junctiſque viribus, *Rempuplicam Romanam* opprimere decreverunt, Orbémque terrarum ſuum quaſi Patrimonium inter ſeſe divi-

diviſerunt, mox ad unicum devolvendum. Oppreſsâ igitur imprimis *Republicâ* complures è *Senatu*, *Populoque Romano* cæſi ſunt, aut proſcripti. Exorta dein inter *Triumviros* de *Siciliæ* Regno controverſiâ, *Octavianus* aurô ſingulas *Lepidi* copias corrupit, ipſumque *Lepidum* in brevi, & de facili oppreſſit. *Antonio* amoribus *Cleopatræ* implicito, & propterea *Octaviam* ſororem *Octaviani* repudianti, Regnumque *Ægypti* propria authoritate uſurpanti, bellum *Senatu* adnitente indixit duodecim annorum ſpatio duraturum. Ita paſſim *Hiſtorici* ex *Suetonio*. *Dalmatæ* interim, aliique *Illyrii* finitima Romanorum inundant, atque abſente *Octaviano* apertè rebellant, facto in *Aquilejam* impetu, *Coloniaque Tergeſtina* dirrepta. Hos *Octavianus* cum *Lucio Cornificio*, & *Sexto Pompejo* Conſulibus, extinctis *Julii Cæſaris* percuſſoribus, ad A. M. 4020. impetere cœpit, bellóque triennali primò *Onieos*, *Parthaniates*, *Dorthiates*, *Taulantios*, *Cambejos*, *Cinambros*, atque *Pyruſtas* ſuperavit. Majus illi negotium cum *Diocleatibus*, *Interſurinis*, *Nariſcis*, *Glintidionibus*, quos tamen devictos ad intermiſſa tributa pendenda coëgit: quorum finitimi *Ipaſſini*, & *Baſſi* ſe ei ſpontè tradiderunt. *Arupini* fugientes in ſylvas revocat, eisdémque captam urbem *Arupiam* (quæ ævo hoc *Modruſſa* compellatur) colendam ſub levi tributo reſtituit. Poſt hos *Segeſtani*, *Deſii* aliique *Dalmatæ* impetiti ſunt, eosque per inſidias circumventos per biennium obſeſſos tenet, qui ſalis inopiâ adacti *Præſidium Romanum* admisêre, non multò poſt excutiendum.

III. *Octavianus* bellum in *Illyrico* proſequitur, captaque *Terpo* urbe, (nunc in *Carniolia* exiſtens, & *Laas*, ac *Teerg* etiam dicta) *Metulum*, hodiernam *Metlikam* obſidet, cujus mœnia 3000. delectæ militiæ, armísque & animis validæ circumſtantes *Romanos* facilè arcebant, ubi tamen conſtanti *Romanorum* induſtriâ, & imperterrita fortitudine ſubrui cæpta ſunt mœnia, neque *Metuliis* ulla conſervanda urbis ſpes affulgeret, Cuſtodes *Curiæ* urbis, ut ipſis à Primoribus demandatum fuerat, ignem ſuppoſuêre, ſéque ipſos, uxores, & liberos, ſervos, & ancillas, omnemque ſubſtantiam concremavere potius, quàm ut *Romanorum* ſervitutem incurrerent. Hujus obſidionis occaſione *Octavianus*, dum milites ad pugnandum hortatur, in corruente ponte altero crure, & utroque brachio ſaucius decumbere coactus eſt, paulò attamen poſt convaluit. *Metulo* exuſto cæterorum *Illyriorum* animi protinus ad deditionem inclinârunt, quibus *Octavianus* certas dictabat leges ex aſſe ſervandas: ſed hoc recedente mox *Poſſeni* obſequium exuunt, quos *Marcus Helvius* ad obedientiam adegit, defectionis authoribus ſupplicio affectis. Eodem tempore *Segeſtani* animo tumeſcentes, ejecto *Romano Præſidio* tumultuantur, *Octavianus* mox in hos duxit exercitum, urbemque oppugnare inſtituit, quam illi triginta dierum ſpatio fortiſſimè propugnantes, poſtquam *Pannones*, ipſis ſubſidia ferentes, à *Romano milite* cæſos intellexiſſent, vim *Romanorum* validiſſimam generoſiſſimâ vi repellere fruſtra conati, per vim capti ſunt. Eorum fortitudinem admiratus *Octavianus*, ipſos nonniſi pecunia mulctare contentus, Urbi denuo *Romanum* impoſuit *Præſidium*. Quâ occaſione *Segeſtam*, ſeu *Siſſium*, olim *Siſciam* pro belli ſede contra *Baſtarnas*, & *Dacos* deſignavit *Octavianus*.

IV. *Segeſtanis* in obſequia firmatis, *Octavianus* copias ſuas convertit in *Dalmatas*, qui ſeſe adverſus *Romanos*, junctis cum pluribus *Illyricis populis* in mutua auxilia fœderibus, firmaverant. Et quamvis *Dalmatæ*, Duce *Verſo*, (hic primus *Dalmatarum* Dux apud Scriptores legitur, ab eo-

rum probabiliter *Republica* conſtitutus) primo prælio cæſi, poſtquam *Promonám* (actuale *Flumen* fuiſſe creditur) urbem amiſiſſent, *Teutimúmque* Regem *Pannoniorum* auxiliares copias ſibi adducentem in conſpectu ſuo à *Romanis* cæſo ejusdem exercitu, interemptum advertiſſent, reaſſumptis tamen animis plures cohorhortes *Romanorum* in fugam egerunt partim, partim deleverunt. Victi tamen ultimò, & ſubjugati fuère. Perrexit hinc *Octavianus* ad urbem *Sinodiam* (ad hujus urbis notitiam devenire non potui) quæ ſuppoſito igne conflagravit, populusque ejus eapropter ſe fidei *Romanæ* concredere debuit. Ac tandem per montes, & valles urbes obvias capiens, igne ferróque univerſa vaſtans, ac depopulans venit *Setovium* (*Petovium*) ubi inter præliandum lapidis ictu genu ſaucius decubuit. Poſtquam autem, capto *Petovio*, convaluiſſet, *Romam* reverſus eſt *Conſulatum* cum Collega *Volcatio Tullo* geſturus, ad reliqua belli patranda *Statilio Tauro* illic cum copiis relicto. Quid hic abſente *Octaviano* geſſerit manſit in obſcuro. De præinſerto *Bello Illyro-Dalmatico* meminerunt *Appian.* in Illyr. *Dio lib.* 52. *Sigonius lib.* 3. *cap.* 6. *Lazius* Comment. Reipub. *lib.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 1. *Vellejus lib.* 2. *cap.* 110. *Svetonius* in Auguſto *cap.* 10. dicens: *Extrema* bella duo omnino per ſe geſſit: *Dalmaticum Adoleſcens adhuc, & Antonio devicto, Cantabricum, Dalmatico etiam vulnera accepit, unâ acie dextrum genu lapide ictus; alterâ & crus, & utrumque brachium ruinâ pontis conſauciatus.* Bellum *Cantabricum* ad nos nihil. Ex *Dalmatico* quis non colliget *Metulum*, *Segeſtum*, *Sidoniam*, & *Petovium*, uti & alias urbes, quas *Octavianus* uſquè *Petovium* perveniendo per viam depopulari fecit, in *Dalmatia* jam eò tum latè patente extitiſſe? & quantumvis id de *Petovio* fors poſſet dubitari, de *Segeſta* tamen, *Metulo*, *Sidonia*, ac reſiduis inſinuatis, *Suetonii* dictis, utpote Scriptoris receptiſſimi, fidem dandam judicarem: præſertim cùm plerìqui Scriptores nominum duntaxat populorum, ſeu incolarum loci obſidione cinctarum, aut bello impetitarum (ut hodiedum accidere ſolet) non verò Diſtrictuum, ſeu Provinciarum mentionem facere conſueverint.

V. *Octavianus* ad A. M. 4022. *Magiſtratum* tradidit *Antonio Pœto*, ipſe adhuc *Triumviratum* agens, in *Dalmatas* novam defectionem molientes cum exercitu proficiſcitur, quos, commeatu externô præcluſô, fame fatigatos, ſupplices habuit, obſidesque, ut *Octavianus* prætendebat, 700. Juvenes, ſigna *Romanorum*, quæ *Gabinio* rapuerant, & tributum, quod à *Julii Cæſaris* tempore neglectum fuerat, ſe reddituros appromittentes ab alia abſolvit pœna. Sub tributo igitur *Populi Romani* deinceps vixerunt *Dalmatæ*. Paria præſtitêre *Derbani*, atque eodem modo *Senatui Romano* ſubjecti fuère. Cæterì *Illyrii*, quos propter itinerum difficultatem *Octavianus* adire nequibat, nec obſides dederunt, nec fœdus inire curârunt. Hæc *Appian.* in Illyr. Qui porrò memorati *cæteri Illyrii* fuère? ex eodem *Appiano* colligitur; qui de iis hæc ſcribit: *Reliqui* (inquiens) *populi, qui à Romanis Illyrii putantur, ſunt ante Pœones Rheti, Noricíque, poſt Pœones Myſi ad Euxinum uſque Pontum.* Sed quando à *Romanis* devicti? dubius hæret, cum his ante *Octaviani* tempora bellum illatum fuiſſe nullus vetuſtiorum Scriptorum referat. Id tamen, quod *Sextus Rufus* in Brev. *cap.* 7. dicit: *Sub Julio, & Octavianô Cæſaribus per Alpes Julias iter factum eſt, Alpinis omnibus victis, Noricorum Provinciæ acceſſerunt.* Eo ſenſu intelligendum exiſtimatur à pluribus recentioribus ſcriptoribus: quòd ſub duobus *Cæſaribus* dictorum *Alpium Juliarum*, & *Alpinorum Illyricorum populorum*, Dominium aſſecuta ſit

Roma.

Digitized by Google

Roma. Non autem, quòd tunc primùm *Alpes Juliæ* penetratæ extitiſſent, iterque ex *Italia* in *Illyricum* præbuiſſent, cum id pridem à *Celtis*, & *Gallis* practicatum fuiſſe oſtendimus *cap.* 6. *num.* 4. & 7. Item *cap.* 17. *num.* 7. *Alpes Juliæ* porrò ſunt illæ, quæ hodie per interiorem *Carnioliam* à *Nauporto* oppido in *Forum Julium* iter ſuppeditant, ac *Slavonico* idiomate *Hruſchicza* compellantur, *Germanico* verò: Pürnbaumer-Wald/ quondam *Juliæ* dictæ à *Julio Cæſare*, quòd primus è *Romanis* per has *Alpes* infeſta in *Illyricum* intulerit ſigna. Ita *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 4. §. 1. *num.* 4.

VI. Redux è *Dalmatia Romam Octavianus* perſuaſit *Senatui Romano*, quatenus *Antonio*, & *Cleopatræ*, quam *Antonius* deperibat, neque Regno *Ægypti*, quod cum *Cleopatræ* amoribus obtinuerat, contentus *Romanum* quoque ambiret *Imperium*, illudque eapropter continuis infeſtaret armis, bellum exitiale denuntiaretur. Quô factô, & curâ belli *Octaviano* commiſsâ apparatus utrinque ingens fuit. *Octaviano* adhæſere *Gallia*, *Hiſpania*, *Illyris*, *Africa*, *Sardinia*, & *Sicilia*: E contra *Antonium* ſequebatur *Aſia* tota, quamvis *Romanis* tributaria; item *Macedonia*, *Thracia*, *Græcia*, & *Ægyptus* cum finitimis Regionibus. Et quamvis anteactis Annis graves, iique quàm plurimi cruentiſſimi conflictus adverſus *Antonium* ex parte *Senatûs Romani* mediô diverſorum Conſulum, pro eo bello deſtinatorum, habiti fuiſſent, nihil tamen effectum fuerat, ut *Antonii* ambitio humiliari valeret. *Octavianus* itaque bello *Dalmatico* confecto liberior factus, collectis ſupra recenſitarum Provinciarum copiis, *Antonium*, ad *Actium* urbem in *Ambraciano* ſinu *Epiro* adjacente, fortiter quidem reſiſtentem, ſed ſuis viribus imparem glorioſiſſime cædit ad A. M. 4024. Et ne *Antonius* vivus in manus deveniat *Romanorum* ludicro ſpectaculo proponendus, ſe ipſum miſerabiliter interimit: *Cleopatra* verò triumpho deſtinata, intellectâ *Antonii* clade, aſpidem ſibi admovit, cujus venenato morſu obiit, taliterque *Ægypti* Regnum, & *Imperium Romanum* uni ſoli *Octaviano* reliquit. *Dio lib.* 51. *Florus* in Epit. *lib.* 133. Item Hiſt. *lib.* 4. *cap. ult.* *Paulus Diac.* Miſcellæ *lib.* 7. *cap.* 11. Oroſius *lib.* 6. *cap.* 20. *Aurelius Victor* de Cæſarib. *cap.* 1. Hac quoque occaſione *Octaviano* auxilia tuliſſe *Curetes* (quorum *cap.* 17. *num.* 11. meminimus) probabile eſt, quandoquidem *Illyris* univerſa pro *Octaviani* parte arma ſumpſerit, *Curetes* porrò *Illyros* fuiſſe *cap.* 12. *num.* 7. demonſtravimus.

VII. Bellis civilibus extinctis *Octavianus* A. M. 4025. Romam redux, tres menſe ſextili *Triumphos* Urbi intulit: Primum de *Dalmatia*. Alterum de *Antonio*, tertium de Regno *Ægypti* ditioni *Romanæ* addicto. Et quia poſtremum *Triumphum* ſexto Idus ſextilis habuiſſet, Menſis *ſextilis*, conſentiente *Senatu Romano*, vocari cœpit *Auguſtus*, cum & ipſe *Cæſar*, *Auguſtus* ab eodem *Senatu* denominatus fuiſſet. Hæc *faſti Triumphal.* Item *Brietius*, *Suetonius*, & *omnes priori num. citati.* Ad A. M. 4027. *Cæſar Auguſtus* conſultis quibusdam ſuis amicis, dum ſeptimùm Conſul creatus fuiſſet, coram *Senatu* deponere voluit, aut ſe depoſiturum ſimulavit *Impeperium*. Univerſus tamen *Senatus*, ſive ita credidit, ſive ita ſe credere finxit, id fieri prohibuit; ſtatimque *Cæſaris* ſtipatoribus, ut diligentiùs cuſtodiretur, duplex ſtipendium perſolvi juſſit. Itáque cum rogatus ſuſcepiſſet adminiſtrandas *Provincias Romanas*, pacatas *Senatui* regendas tradidit, ipſe laborioſas, & bello obnoxias ſibi reſervavit, ſed in decennium tantùm, & citiùs, ſi eas ante pacare poſſet. Quo facto, prudentiæ pleniſſimo, *Senatum* exarmavit, ſibi vires omnes reſervando. Ad hæc *Poteſta-*

Digitized by Google

teſtate Tribunitia auctus eſt à *Senatu*, ut in omnes *Romanos*, eorúmque ſubditos Legum vitæ, & mortis *Imperium* haberet. Atque hic eſt verus, & genuinus primus *Romanorum Imperator* ab ipſo *Senatu*, *Populoque Romano* ſpontè, & benevolè acclamatus. *Brietius*, & *alii* paſſim *Hiſtorici*.

CAPUT XIX.

De Amplitudine, & Limitibus Dalmatiæ tempore Imperii Romani.

I. Diximus *cap.* 16. *num.* 4. primis temporibus Originis *Dalmatiæ* exiguam ejus terræ *Illyricæ* portionem fuiſſe, & nonniſi intra *Drinum*, & *Naronem* fluvios, ſeu ut *Ptolom.* dicit: à *Scardona* uſque *Macedoniam* extenſam fuiſſe. Sed poſtquam armorum potentia generoſiſque, ac heroicis bellicoſiſſimi *Illyrico-Dalmatici* populi actibus in longum, & latum extenſa (ita, ut apud pleróſque Hiſtoricos *Magna Dalmatia* compellari meruerit) jurisdictionique *Romanæ*, ut ſupra lectum eſt, incorporata fuiſſet, neceſſariò limites ſuos, à reſiduis circumvicinis Provinciis diſtinctivos habere debuit. Qui autem ii fuerint? cum diverſæ Scriptorum opiniones diverſas nobis faciendas reflexiones innuant, antequam aliquid circa hos ſtatuamus, ſingulas examinare opportet, atque ex his formata, aut formanda contra nos objecta cum ratione diluamus.

II. In *Itinerario Antonini*, *Dalmatia* in plurali numero ſcripta reperitur, conſequenter plures *Dalmatias*, vel ad minùs unius, ejuſdemque *Dalmatiæ* plures partes extitiſſe affirmandum eſt, & ſimul exiſtimandum, eam, ut *Lucius lib.* 1. *cap.* 4. ſcribit, in *Cismontanam*, ſeu *Maritimam*, & *Ultramontanam* dismembratam fuiſſe, ipſo montuoſo ſitu id ſuadente, qui partem ad Meridiem versús *Mare* declinat, partim vero ad ſeptentrionem *Savum* versus exporrectus eſt. Idipſum ſentire videtur *Strabo*, dum de *Dalmatia* clarè profert: *Porro Mons, cui nomen Ardion, mediam ſecat, ut altera ejus pars ad Mare ſpectet, altera in diverſum.* Ex quibus *Strabonis* dictis *Dalmatiam* in *Maritimam*, & *Mediterraneam*, montibus *Albio*, & *Bebio*, *Ardióque*, utpote ſibi ad invicem concatenatis, intermediis, diviſam fuiſſe aſſerendum eſt.

III. *Lucius* quidem *lib.* 1. *cap.* 3. Textum *Strabonis* quamvis obſcurè, neque ſufficienter, explicat, in ſententiam tamen ejusdem conſentire videtur, dum dicit: *Quod de Monte ab Ardiæis denominato intelligi debet: Ex Tabulis enim Ptolomæi clarè percipitur Savum uſque dilatatam fuiſſe, idque tempore Auguſti.* Hujus opinionem ſequi exiſtimatur *Ratkajus* in Mem. Regum Dalm. Croat. & Slav. *lib.* 2. dum enarrat: Qualiter *Stroilus* frater *Totilæ* miſerit cum parte exercitûs filium ſuum *Svejoladum* ad *Dalmatiam mediterraneam*, quæ nunc *Croatia* dicicitur, expugnandum. Illud tamen *Strabonis* ly *in diverſum* plus aliquid ſonare, & exprimere judicatur. Diximus enim ſuperius ex *Lucio*, *Dalmatiam mediterraneam* versùs *Savum* fluvium ſe extendiſſe, cum verò *Strabo* non præfigat terminum extenſionis, ſed purè *Dalmatiæ* partem *Alteram in diverſum* dilatatam ſcribat; videndum eſt, an non ultra *Savum* fluvium fines ſuos produxerit?

IV. Author *Hiſtor. Miſcell.* tradit: Quòd regnante *Mauritio Imperatore* ab A. C. 582. uſque ad An. 602. Imperii

perii ejuſdem Anno 17. coacervatis virtutibus *Caganus* in *Dalmatiam* irruperit, & cum veniſſet *Belikam* urbem (quam *Anaſtaſius* putat *Baleam*, *Theophilactus* vero *Banges*, tandem *Cedrenus* vocat *Balbam*: ſed *Lucius* domeſticarum rerum melius gnarus *Belikam* hanc *Velikam* interpretatur, eamque in *Comitatu Zagrabienſi* locat, quamvis & alia reperiatur in *Comitatu Poſegano*) multa ibidem damna intulit. Adeoque *Dalmatiam* eo tum ultra *Savum* extenſam fuiſſe, argui poteſt. Recognoſcimus tamen, quod ex ſolo hodierno nomine unius loci, totius vetuſtæ Provinciæ nomen determinari nequeat, neque debeat, attamen cum ipſe *Hiſtor. Miſcell.* ſcriptor dictam *Dalmatiæ* Regionem citra, propeque *Iſtrum* fluvium ſitam fuiſſe doceat, paulo enim infra aſſerit: Anno *Mauritii Imperii* 19. iterum *Comentiolum* aſſumptis armis veniſſe ad *Iſtrum* ſeque *Priſco* univiſſe apud *Singidonem* urbem *Dalmatiæ*; binum autem actu dari *Singidunum* conſtat: *Procopius lib.* de bello Gothico *Singidunum* intra *Savum*, & *Dravum* fluvios locat, ſed quod? non conſtat, ſiquidem unum ad *Danubium*, infra *Taurunum*, ſeu *Belgradum*, quod nunc a *Slavis* incolis *Szmenderov*, lingua vero *latina Semendria*, dicitur; aliud vero *Singidunum* apud *Szentivanium* in ſynopſi Chronologica *Slavonice* nominatur *Szigetinez*, ſeu *Szigetecz* infra oppidum *Ludbreginum* ſituatum viſitur. Utut ſit de *Procopii* aſſerto, *Simocata Theophilactus*, qui floruit A. C. 612. *lib.* 4. *cap.* 11. hæc de *Singiduno* inſinuat. *Gudois Singidonem duobus fluminibus Savo*, & *Dravo cinctam navigat*, quod autem *Singidunum* intelligere velit? non explicat. Opinor ego: ſi *Gudois* ſecundis fluminibus navigavit, intelligendum eſſe *Simocatam* de *Singiduno*, quod eſt ad *Danubium* fluvium, conſequenter a temporibus *Simocatæ* extenſam fuiſſe *Dalmatiam* usque ad *Danubium*, concludendum eſt. Sed quia & *Simocata*, & *Procopius* referunt *Singidunum* fluminibus *Savo*, & *Dravo* cinctam fuiſſe, intelligendum arbitror utrumque de altero *Singiduno*, quod eſt infra *Ludbreginum*, ſermonem inſtituere: ergo manifeſtum erit, *Dalmatiam* etiam ad *Dravum* usque protractam fuiſſe.

V. Opinionem hanc confirmare dignoſcitur *Procopius* de Bello Got. *lib.* 1. dum dicit: *Gepides inſuper Syrmium urbem*, & *Dalmatiæ alias civitates majorem in partem præoccupantes tenebant*. Et modice infra: *Heruli præterea*, *alia Dalmatiæ loca circa Singidonem urbem Imperatoris permiſſu habebant*. Item *in Oratione* adverſus Gepidas: *Proinde Prædones iſti Syrmium oppidum*, & *cætera Dalmatiæ loca belli vobis cauſam fore prætendunt*: Ac tandem *in Oratione* Longobardorum ad Imperatorem: *Gepides*, *Imperator! Syrmium habent*, *Romanos in ſervitutem abducunt*, & *univerſam Dalmatiam ſui juris ſe fuiſſe jactant*. Ex quibus *Procopii* locis (quamvis nomina Provinciarum diviſi eo tum *Illyrii*, inter quæ *Savia* quoque comprehendebatur, in uſu fuiſſe conſtet, *Dalmatiæ mediterraneæ* tamen nomen, in qua *Savia* fuit, non fuiſſe ſimpliciter abolitum, ſed aliqualiter duntaxat ſuppreſſum, cenſendum eſt) clare colligitur: *Dalmatiam mediterraneam* limites ſuos usque ad *Dravum* etiam produxiſſe.

VI. *Ptolomæus* Geograph. *lib.* 3. *cap.* 9. Populos *Tricorneſios* & *Mæſios* immediate adjungit *Dalmatiæ* dicens: *Habitabant hanc Provinciam* (*Mæſiam*) *juxta Dalmatiam Tricorneſii*. Intelligit ergo, ut eruditiſſimus *Don Joan. de Jordan*, in Originib. Sclavon. *Par.* 3. *Sect.* 31. *Num.* 469. docet, ajens: *Dalmatiam magnam*, *quæ non tantum Dalmatiam Maritimam*, *ſed* & *Mediterraneam*, *hodiernam ſcilicet Boſnam*, & *partem Serviæ complectitur*. Ejusdem opinionis eſt *Jornand.* de rebus Geticis *cap.* 5. Ubi *Panonniam* terminari dicit ab Oriente per *Mæſiam ſuperiorem*, a Meridie per *Dalmatiam*, nihil

S inter-

Digitized by Google

intermedii hic nominando, ita ut *Mæſia* confinis eſſe debuerit *Dalmatiæ.* Idem *Suetonius* etiam, ut ſupra *cap.* 18. *num.* 4. (cujus ibidem dicta, & meum ſuper iis judicium hunc ad locum quam aptiſſime referenda ſunt) partes has, de quibus agitur, non pro *Pannonia*, vel alia quocunque nomine vocitata Provincia, ſed pro *Dalmatia* agnoſce[illegible]. His accedunt *Jornandis* De rebus Get. *cap.* 53. narrata: Qualiter videlicet *Hunimundus Suevorum Dux* ad prædandos *Dalmatas* tranſiiſſet, armentaque *Gotthorum* in campis errantia abegiſſet, quia *Dalmatis* tunc *Suevi* vicini erant, nec a *Pannonia* multum diſtabant, præſertim ubi eo tum *Gotthi* reſidebant. Doctiſſimus ſuprafatus *Don Joan. de Jordan*, de originib. Slav. in Apparatu Hiſtorico *Sect.* 53. *num.* 764. mentem *Jornandis* ſic explicat: *Porro ſub nomine Dalmatiarum complectitur pro more ſui ævi non tantum Dalmatas proprios, ſed & Carnos, Croatas, Liburnos, Japydes, & Bosnenſes.* Idem *Jornand. cap.* 50. ſcribit: Qualiter *Gotthi* a *Romano Senatu* terras petierint, easque in *Pannonia* obtinuerint: qua occaſione limites ejusdem *Pannoniæ* taliter deſcribit: *Quæ (Pannonia) in longa porrecta planicie habet ab Oriente Mæſiam ſuperiorem, a Meridie Dalmatiam, ab Occaſu Noricum, à Septentrione Danubium, ornata patria civitatibus pluri- mis, quarum prima Syrmis, extrema Vindomina.* Sed & hunc textum laudatus *Don Joan. de Jordan. loc. cit. num.* 759. Sequentibus dilucitat: *Bene notandum, qualem ſibi Ideam Jornandes formet de Dalmatiæ extenſione. Pannoniam dicit a meridie terminari Dalmatia, ergo totus tractus meridionalis, qui non erat in Pannonia, conſequenter pars Carnioliæ, tota Iſtria, Liburnia, Croatia, & Boſna, & pars Serviæ apud Jornandem pro Dalmatiæ generali nomine comprehenditur: Nihil hinc excipit, niſi Mæſiam ſuperiorem, & partem hodiernæ Serviæ diſtrictui Syrmienſi confinem.*

VII. Præterea *Szentivanius* in Synopſi Hiſtoriæ Miſcellaneæ magno ſtudio conquiſitæ, neque minori labore conſcriptæ *Dec.* 2. *Par.* 3. *Synop.* 6. *Siſſium*, Slavonice *Szisſeg*, *Aranzonam*, Slav. *Zvonigrad*, *Syrmium* Slav. *Szrem*, *Singidones* binas, quarum una *Slavonice*, ut ſupra *num.* 4. expoſui *Szemenderov*, altera *Szigetincz*, vel *Szigetecz*, *Auranam*, Slav. *Urana*, *Epetium*, Slav. *Saraunicza*, *Salvianum* Slav. *Czernik*, urbes, & caſtra *Dalmatiæ* fuiſſe aſſerit, quæ omnia actu in *Croatia* partim, partim in *Slavonia* ſituata eſſe dignoſcuntur. Ex quibus etiam concludi poteſt: *Illyricum*, poſt auctam *Dalmatarum* gentem, & regionem in *Dalmaticum* nomen tranſiiſſe. *Dalmatarum* igitur Regio eo tum pro *Illyrico* ſumebatur, ut *Conſtantinus Porphyrogenitus* de Adminiſtrat. Imperii *lib.* 30. teſtatur, dicens: *Antiquitus igitur Dalmatia incipiebat a Confiniis Dyrrachii, ſive Antibaris, & ad Iſtriæ confinia pertinebat, ad latitudinem vero ad Danubium flumen ſe extendebat.* Quibus verbis innuere videtur: *Antiquitus*, id eſt: ante diviſionem Provinciarum a *Romanis* inſtitutam, *Illyricum* nomine *Dalmatiæ* ampliatum extitiſſe. Non crederem ego arguendum eſſe *Porphyrogenitum*, quaſi is homo *Græcus* ignoratione Provinciarum deceptus fuiſſet, ut arguit ipſum *Schönleben* Appar. Carniol. *cap.* 1. §. 9. *num.* 1. Si quidem *Græci* accuratiorem Hiſtoriam de *Illyrico*, eſto breviter, conſcripſerint, quam ipſi *Illyrii* Indigenæ, & niſi notata *Græcorum* adeſſent, exiguam *Geſtorum Illyricorum* notitiam *Schönlebenius* una nobiſcum haberet. Ac ſi *Porphyrogenitus* exiſtens *Imperator* homines tales habere nequiviſſet, qui ei ſinceram relationem Provinciarum, rerumque in iisdem geſtarum referre potuiſſent.

VIII. Nolim tamen, ut quis Lectorum ita late ſummat *Dalmatiam*, quaſi per continuum *Danubii* defluxum a *Cetio Monte* ſupra *Viennam* extenſa

Digitized by Google

tenſa fuiſſet, cum ex plurium ſcriptorum opinionibus *cap.* 23. relaturus ſum *Pannoniam* limites ſuos habuiſſe ad fluvium *Dravum*. Verum extenſionem hanc intelligendam eſſe cenſeo a confluentiis *Danubii*, & *Savi*, usque ad influxum *Dravi* in *Danubium* infra *Eſſekinum*, & abinde ad influentiam *Muræ* in *Dravum* infra *Legradinum*, atque tali modo ſalvantur, & ſimul ſtatuuntur metales *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ*, quæ binæ Provinciæ juxta D. *Hieron.* ſibi confiniabantur. Attamen *Ritterus* in Chron. ad A.C. 640. *Dalmatiam* etiam fluvio *Muræ* includit, dum de *Croatis* eam occupantibus diſſerit, ajens: *I od niih Dalmaczia, Kaje od Morja do Múre, ii Dunaja doſzigala, Horvátczko ime priie, y do da násnii ega dnéva obderſa.* Id eſt: *Et ab his (Croatis) Dalmatia, quæ a Mari, usque Muram, & Danubium ſe extendebat, Croatiæ nomen obtinuit, & hodiedum retinet.* Id ipſum confirmare videtur *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. explicans textum *Lazii* de Migr. Gent. *lib.* 4. *num.* 50. quo Provinciam *Valeria* cum *Savia*, ſeu *Interamnenſi* (quam nos *Dalmatiam* olim fuiſſe probare nitimur) confundit, nullos juſtos limites eis aſſignando, & ex duabus Provinciis unam faciendo, & dicens: *A Celeja usque ad Dravum, vel plane Muram usque Rakelſpurgum, ſeu Regedinum Saviam extenſam fuiſſe.* Et ipſemet *Lazius loc. cit.* ſic dum de *Pannonia Savia* agit, inquit: *Riparenſis quoque Pannonia Codici Præfecturarum Rom. nuncupata, & Interamnenſis aliis, eo quod inter amnes Savum, Dravumque multisque irrigua fluentis propagaretur: ut hodie in Tractibus Rakelſpurgenſi, Petovienſi, Cilienſique videre eſt.* Conſtat autem ad *Rakelſpurgum* non niſi *Muram*: ad *Petovium* vero *Dravum*, ac tandem ad *Celejam Sanam* fluvios adeſſe, conſequenter *Savia* Provincia extendebat ſe usque ad *Muram* fluvium: ergo & *Dalmatia* vetus, in qua *Octavianus*, ut de *Petovio* ſupra *cap.* 18. *num.* 4. dictum eſt, *Bellum Dalmaticum* victorioſe peregit.

IX. *Freſchottus* de Dalm. *cap.* 3. in Porga inquit: *Quamvis non reperiatur genuinum documentum, quam procul ſe eo tum (Dalmatarum) territorium extenderit, quia Hiſtorici exiliter tantum id remonſtrant: quod videlicet ab Iſtria, usque ad fluvium Cetinam ſe comprehenderit. Quia vero inſinuatur: Quod primi Archi-Epiſcopi Joannis de Ravenna (qui ad eos à Papa tanquam Nuntius ad Religionis res ordinandas ablegatus fuerat) jurisdictio Danubium usque extendebatur; de facili concluditur: Regnum hoc etiam late patens fuiſſe.* Hoc in puncto ſolidius *P. Andreas Jambreſchich S. J.* in Lexico *Latino-Croatico* verbo *Dalmatia* diſcurrit, inquiens: *Dalmatia Regnum eſt Illyricum, Croatiæ coævum: Quamquam non deſint, qui Dalmatiam longe ante Croatiam Regni honores conſecutam dicant. Et certe, convenit inter Hiſtoricos nomen Dalmatiæ, nomine Croatiæ multum antiquius eſſe. Romani enim omnem illam Illyrici partem, quam primis ſtatim temporibus Imperio ſuo ſubjugarunt, à Duce ſuo Dalmatiam appellarunt. Hinc factum, ut lapſu temporis totus Illyricarum terrarum tractus, qui usque ad Noricum, & Pannoniam protendebatur, non alio, quam Dalmatiæ nomine compellata fuerit. Atque ſic late ſumpta Dalmatia, Croatiam modernam, & Slavoniam complexa eſt.*

X. De his tamen dubitaſſe videtur *Joan. Lucius*, dum nihil determinati circa genuinos limites *Dalmatiæ* concludens *lib.* 2. *cap.* 6. ſcribit ſequentia: *Dalmatia, ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit.* Id, quod prius non habetur, retineri nequit, ſi igitur nomen *Dalmatiæ* retinuit, conſequens eſt, ut illud prius etiam habuerit. Et optime, ſiquidem enim *Plin.* Hiſt. Nat. *Lib.* 4. *cap.* 25. pro *Pannoniæ* limitibus poſuerit *Danubium*, & *Scordiſcos* populos, qui in-

Digitized by Google

ter *Muram*, *Dravum*, *Savumque* imo & *Colapim* fluvios (ut *cap.* 17. *num.* 6. inſinuatum eſt) habitabant. Item *Cluverius* Introduct. Geograph. *lib.* 4. *cap.* 1. & 2. Ab occaſu *Cetium Montem*, ab ortu *Danubium*, a Meridie *Dravum*. *Pannoniam* autem *Dalmatiæ* conterminam fuiſſe, ex Scriptis *D. Hieron.* omnes quaſi Hiſtorici confirment, concludendum videtur, & ſimul *Lucii* dubium reſolvendum: quod videlicet *Dalmatiæ* fines usque ad *Dravum*, ſi non usque *Muram* extenſi fuerint. Alias Regio illa a *Savo* usque ad *Dravum*, imo usque *Muram* Anonyma, ſive ſine nomine, aut nullius nominis extitiſſet (*Croatiæ* etenim, & *Slavoniæ* nomen eo tum adhuc ignotum erat) quod foret inconveniens: vel ſi fuit alicujus nominis, locata fuit inter *Dalmatiam*, & *Pannoniam*, ſed hoc admitti nequit, eſſet namque contra mentem *S. Hieronymi*, qui *Dalmatiam Pannoniæ* confinem fuiſſe tradit. Deinde *Lucius loc. cit.* priori textui ſubnectit ſequentia: *Donec & à Slavis tota occupata, in Slavoniam, ſive Croatiam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit.* Ubi pro nunc *Slavonia*, & *Croatia* ſituata ſit, cuilibet notum eſt. Quo porro tempore à *Slavis*, ſub tali nomenclatura vocitatis occupata fuerit *Dalmatia*, annus genuinus remonſtrari nequit, ſed quod longe poſt obitum *Divi Hieronymi* id acciderit, certiſſimum eſt, temporibus videlicet, ut *Brietius* notat, *Juſtiniani Imperatoris*, circa A. C. 548.

CAPUT XX.

Diluuntur quædam Objectiones, quæ adverſus præcedentia opponi poſſent.

I. NEque obſtat *primo*. Quod poſt diviſionem Provinciarum tempore *Romani* in *Dalmatia*, & *Pannonia Dominii* inſtitutam, pars illa intra *Dravum*, & *Savum* fuerit *Savia* appellata, potuit tamen generico nomine *Dalmatia* vocitari, quemadmodum *Illyrii* Provinciæ omnes generico nomine *Illyricum* nuncupabantur. Idque deduci poteſt ex textu *Lucii lib.* 2. *cap.* 6. in quo aſſeritur: *Dalmatia, ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit*, atque hoc ipſum *Ille idem loc. cit.* probat: dum enarrat, qualiter à *Juſtiniano Imperatore* recuperata ſit *Italia*, atque pars *Illyrii* à *Gotthis* poſſeſſa, hæc ſubjicit: *Quamvis Norici, Pannoniarum, Saviæ, & Liburniæ, Dalmatiæque mentio reperiatur, cæteris tamen in deſuetudinem venientibus, ſola Dalmatia antiquum nomen ſingulare retinuit.*

II. Non obſtat pro *ſecundo*: Textus *Reiffenſtuellii*, quo in Topogr. Auſtr. & Styriæ ex *Sexto Rufo*: *Saviam* inter *Valeriam*, & *Dalmatiam* extendit. Nam quamvis *Savia*, alias *Dalmatia mediterranea*, ut ſupra remonſtratum eſt, inter Provincias *Pannoniæ* numerata fuerit, per hoc tamen nomenclaturam *Dalmatiæ* amiſiſſe cenſeri non poteſt: idque probatur ex *Cluverio*, qui Introduct. Geogr. *lib.* 4. *cap.* 1. diſtrictum *Pannoniæ inferioris* declarans, ſic ſcribit: *Pannonia inferior, quæ eſt ſecunda Conſularis, complectitur Boſnam, Slavoniam, & quantum Danubium, Dravum, Arabonemque amneis interjacet.* Ex quo textu à pari argumentari licet, quod, ſicut *Boſna*, de qua in præcedenti textu *Cluver.* loquitur, antiquiſſima alias *Illyrii* Regio, poſt diviſionem ejusdem per *Romanos* inſtitutam inter Provincias, ſuppreſſa ejusdem nomen-

Digitized by Google

menclatura, non fuerit recenſita, verum ſub nomine *Pannoniæ inferioris* ſubintellecta: ita etiam *Dalmatia mediterranea*, in qua *Savia* fuerat conſtituta, ſuppreſſo quidem aliqualiter nomine *Dalmatiæ*, vetuſto tamen ſuo cognomento ſubintelligi non ceſſaverit. Et quemadmodum ſub declinationem *Imperii Romani Boſna* in ſua nomenclatura *Boſnæ* perſeveravit, *Dalmatia mediterranea* quoque cognomen *Dalmatiæ* reobtinuit.

III. Nihil obſtat *Tertio:* Textus *Sexti Rufi*, ſeu *Feſti Rufi* in Brev. ſic dictantis: *Batbone Pannoniarum Rege ſubacto, in ditionem noſtram* (intelligit *Romanam*) *venerunt Pannoniæ, Amantini inter Savum, & Dravum proſtrati, & ſecundarum loca Pannoniarum obtenta ſunt.* Ex quo textu quispiam argumentari poſſet, *Dalmatiam* inter *Dravum*, & *Savum* nunquam extitiſſe, cum Regio *Savienſis*, & *Secundarum* loca *Pannoniarum* obtenta ſint à *Romanis*, adeoque jam *Saviam*, id eſt: temporibus *Octaviani Auguſti*, hoc nomine vocitatam fuiſſe. Objectio hæc ſolvitur iis, quæ de Scriptore *Sexto Rufo cap. 23. num. 8.* expoſituri ſumus; hic hoc unicum dixiſſe ſufficiat: Quod *Sextus Rufus* circa A.C. 364. ſcripſerit, & eo tum *Illyrii* Provincias connotaverit, prouti in ſe eo tempore vocitabantur: *Dalmatiam mediterraneam* autem ſibi fors ignotam, vel eſto etiam notam Catalogo Provinciarum inſerere quidem non omiſerit, ſed quia tunc jam *Savia* appellabatur, pro tali quoque ipſam notaverit: quod & modernis temporibus omnes Hiſtorici practicare ſolent, imo pro uberiori Hiſtoriæ claritate, debent, nullatenus antiqua locorum nomina Scriptis ſuis, ſed hodierna inſerendo. Deinde quomodo *Savia* á *Romanis* obtineri potuiſſet circa A. C. 10? cum *Saviæ* nomen primo in ſubdiviſione Provinciarum, temporibus *Diocletiani*, & *Galerii Imperatorum* intra Annos Chriſti 286. & 304. inſtituta, innotuerit.

IV. Neque obſtat *quarto:* Quod *Appian.* in Illyr. apud *Lazium* Reipublicæ Rom. *lib.* 12. *Sect.* 4. *cap.* 1. ſcribat: *Theutimum* Regem *Pannoniorum* (de quo *cap. 18. num. 4.* egimus) ab *Octaviano* victum ſecus *Savum*, & *Dravum*. Ex hoc namque *Pannoniam* eò tum in *Savum*, & *Dravum* conſtitiſſe argui nequit. Extinctis enim *Illyrii* Regibus, poſtquam *Dalmatæ* Regionem ſuam dilatâſſent, potentésque togâ, & ſagô effecti fuiſſent, ac multa cruenta bella contra *Romanos* geſſiſſent, declinante tamen ſenſim eorundem *Dalmatarum* potentiâ, ſe tandem *Romanæ* poteſtati ſubjicere coacti fuiſſent, nihilominus *Romani jugi* impatientes, ſæpiusque illud excutere intentos, adverſus *Romanos* arma corripere non abhorrebant. Quare inita ſemel cum *Theutimo* Rege *Pannoniorum* ſocietate (qui tantò ferventius, & libentius *Dalmatis* ſubveniebat, quanto evidentius Regni ſui invaſionem, vaſtationem, & interitum, ſi iſti a *Romanis* vincerentur, providebat) ac palam Bello *Romanis* indicto, dum pro iisdem cum ſuis auxiliaribus copiis fortiter, intuitu libertatis recuperandæ, intra *Dravum*, & *Savum*, ubi utriusque partis agminum congreſſus fuerat, pugnat fortunâ, non omnibus unà, quæ *Romanis* ſe favorabilem exhibuit, opprimitur, & perimitur; *Dalmatæ* vero miſere ceduntur, turpiter fugantur, ac demum in *Romanorum Tributariorum* ordinem rediguntur. Ita præter eos, qui *cap. 18. num. 4.* citantur, etiam *Ratkajus lib. 2.* ex *Vellejo lib. 2.* & *Ritterus* in Chron. ad *A. M. 3926.* Ex quibus colligitur *Theutimum* non fuiſſe diſtrictûs *Savo*, & *Dravo* comprehenſi Regem, ſed tantum *Dalmatarum* in eodem contra *Romanos* Auxiliatorem, conſequenter neque *Pannoniam* eo tum *Savo*, *Dravoque* concluſam. Hinc neque *Schönlebenii*, neque aliorum quorun-

rundam *Geographorum* genuina dici poteſt ſententia, qua *Pannoniam* hujus temporis *Illyrico* incluſam eſſe dictant: Et quantumvis eam *Plinii* potiſſimum authoritate fulcire videantur, nihilominus authoritas ſimilis ad tempora præterita, præſentia, & futura referri non debet. Nam neque nos negamus temporibus *Plinii*, id eſt: florente *Romanorum* in *Illyrico* Principatu, quo etiam, hoc eſt: circa A.C. 80. ſuam Geographiam in lucem dedit *Plinius*, *Pannoniam* ab ipſis *Romanis* (qui pro libitu ſuo Provincias *Illyrii* non ſemel, ſed pluribus vicibus dividebant, & ſubdividebant) per aliquam *Illyrico-Dalmatiæ* partem protenſam extitiſſe. An autem ante *Romanorum* in *Illyricum* adventum id factum fuerit? confiteor, me adhuc nullibi legiſſe.

V. Nihil etiam obſtare videtur pro *quinto*: illud *Jornandis* de Regnor. ſucceſſ. *cap.* 5. apud *Schönlebenium*, inquientis: *Amantinos autem, qui inter Savum, Dravumque flumina inſident, Rege eorum interempto, ipſa vice fecit Romanam Provinciam.* Hoc etenim, ut vult *Livius Dec.* 5. *lib.* 5. *cap.* 26. intelligendum eſt de *Gentio* Rege *Illyriorum*, qui à Conſule *Lucio* tanquam *Romanorum* Belliduce, ut ex *Lucio cap.* 15. *num.* 7. retulimus, devictus fuit, ut ipſemet *Jornand. loc. cit.* non negat, dicens: *Illyricum autem cum Gentione ſuo Rege vicit Romanorum Lucius Prætor, & in Provinciam redegit.* Nullatenus ergo textus *Jornandis* applicari *Dalmatis*, vel *Dalmatiæ* poteſt, cum hi, vel hæc poſt obitum primo *Gentionis* innotuerint, neque eo tum arma *Romanorum Savum* usque, minus *Dravum* penetraverint. Et hæc meo vili videri objecta Reſponſis probatorum Authorum ſententiis, & ſcriptis ſuffultis ſufficienter diluta crediderim. Sed hæ ſi non ſufficiunt, adduco ſequentia, quibus diſceptationi huic finem imponere ſtatuo, meque deſideratam adverſus oppoſitum ſentientes victoriam reportaturum confido.

VI. *Joan. Arnoldus Cholinus* in opere ſuo Synonymorum, verbo *Dalmatia*, aſſerit: *Dalmatia Regio juxta Illyricum inter Pannonias, & Macedoniam, quæ nunc Slavonia dicitur.* Forte ex *Porphyrogenito*, qui *cap.* 31. hæc habet: *Chrobati, qui nunc Dalmatiæ partes incolunt.* Et ex *Thoma Archidiac.* qui *Croatiæ* amplitudinem deſcribens *cap.* 1. ait. *Dalmatia dicebatur olim largius, cenſebatur enim cum Croatia, una Provincia.* Atque ex *Marco Marulo*, qui introitum *Stroili* in *Dalmatiam* deſcribens, inquit: *Miſit cum parte exercitûs filium ſuum Sevioladum ad Dalmatiam mediterraneam, quæ nunc Croatia dicitur.* Et quamvis *Lucius* quibusdam in locis dubius hac in quæſtione hæreat, neque in affirmativam, neque in negativam inclinet, tamen cum eodem diſceptationi huic finem impono, qui *lib.* 1. *cap.* 12. ſic diſſerit: *Dalmatia a Croatis, & Serviis tota occupata, Servia, & Croatia nuncupari cæpit, præter maritima quædam oppida continentis, quæ cum Inſulis Dalmatarum nomen retinuere.* Præterea *is idem lib.* 4. *cap.* 4. profitetur: *Slavos, qui Dalmatiam occuparunt, Croatos, & Serblos fuiſſe, a quibus deinde Croatia, & Serblia, ſeu Servia, & Slavonia, ipſa Dalmatia dicta fuerit.* Item *Idem* deſcribens Regni *Croatiæ* limites *lib.* 2. *cap.* 12. ſic loquitur: *Totius ergo Croatiæ nomine comprehendebatur Dalmatia occidentalis tam Maritima, quam Mediterranea.* Ac tandem idem *lib.* 1. *cap.* 14. exponit: *Dalmatiam* in Orientalem, & Occidentalem diviſam fuiſſe: Occidentalem in *Croatorum*, ſeu *Slavorum*, Orientalem verò in *Serviorum* poteſtatem tranſiiſſe.

VII. Aſſerta *Lucii* paulo antelecta, *Freſchottus* exterus, adeoque diſintereſſatus Scriptor, in ſuo opere Hiſtorico *de Dalmatia* confirmare videtur: dum *capiti ſecundo* præponit ſequentem Titulum: *De Regibus Orientalis*

talis Dalmatiæ, alias Serviæ nominata. Deinde *capiti tertio* ſequentem: *De Regibus Occidentalis Dalmatiæ, ſeu Croatiæ.* Huic ſubjiciuntur duo pariter extranei Scriptores *Freſchotto* & *Lucio* ſubſcribentes: Horum unus eſt *Eginbartus* Annalium Francorum compilator: Alter *Anonymus* vitæ Ludovici Pii *Imperatoris* conſcriptor. Uterque *ad A.C.* 822. quamvis ſub diverſis terminis, hæc habet: *Lindevitus Siſcia civitate* relicta ad *Sorabos (quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur) fugiendo ſe contulit.* Textum hunc *Lucius lib.* 1. *cap.* 15. ſic explicat: *Lindevitum tunc metu exercitus Francorum ad Sorabos in Dalmatiam fugiſſe, id eſt: ad Serblos, qui Dalmatiæ partem Orientalem poſſidebant.* Et mox idem *Eginbartus* cum ſocio *Anonymo* ad *A. C.* 823. de præmemorato *Lindevito* hæc ſcribit: *Quod relictis Sorabis, cum in Dalmatiam ad Lindemuslum Bornæ Ducis in Croatia ſucceſſorem perveniſſet.* Iterum *Lucius loc. cit.* explanans textum, inquit: *In Dalmatiam ad Lindemuslum Bornæ Ducis in Croatia ſucceſſorem, id eſt: ex Serblia, in Croatiam.* Ex quibus manifeſte apparet *Dalmatiam* olim extenſam fuiſſe à *Mari Adriatico* usque *Danubium, Savum,* & *Dravum,* ſi non usque *Muram* fluvios. Ubi enim nunc *Croatia,* & *Servia* exiſtant? viro prudenti exponendum non eſt. *Croatiam* autem, quam aliqui à *Mari Adriatico* ad *Savum* duntaxat extendunt, eandem cum *Slavonia,* quæ intra *Savum,* & *Dravum* locatur, fuiſſe, teſtatur *Bombardius* Topogr. Hung. *Par.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. ſic diſſerens: *Slavonia poſt Slavorum, à quibus nomen accepit, adventum, quidquid Dravo fluvio, Marique Adriatico includitur, complectebatur, nimirum Slavoniam proprie dictam, Croatiam hodiernam cum parte Dalmatiæ.* Et poſt paucas lineas: *Itaque Slavoniæ, & Croatiæ nomen olim æquivocum fuit: Unde nec mirum, quod nonnullis Scriptoribus anſam confuſionis præbuerit, ut hujusmodi vocabulis pro libitu uterentur, iisque modo certam terrarum portionem, modo plures Provincias deſignarent.* Quod poſt occupatam à *Slavis,* & *Croatis Dalmatiam,* ipſa ex parte majori in nomen *Slavoniæ,* & *Croatiæ* tranſierit: ita tamen, ut nomenclatura *Croatiæ,* & *Slavoniæ* æquivoca manſerit, teſtatur ipſemet *Lucius lib.* 6. *cap.* 1. dicens: *Nomen Slavoniæ æquivocum cum Croatia fuiſſe reperitur.* Idque confirmat *Bombardius par.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. inquiens: *Itaque Slavoniæ & Croatiæ nomen olim æquivocum fuit.* Imo ſucceſſu temporis *Slavoniæ* nomenclaturam abolitam fuiſſe conjecturatur ex *Chorographia Hung.* A. C. 1734. *Tyrnaviæ* edita. in qua de hoc *pag.* 46. hæc leguntur: *Denique inuſitatum antiquis Regibus Hungariæ nomen Regis Slavoniæ, à Matthia primum Corvino Regis titulis appoſitum eſſe, noviſſime legimus.*

CAPUT XXI.

De Idiomate Dalmatarum.

I. **O**Rigine ex ovo, ut ajunt, perſpectâ *Dalmatarum,* eorundemque progreſſibus favorabilibus, atque odioſis perlectis, nec non Regionis *Dalmaticæ,* ſic ab iisdem dictæ, finibus perluſtratis, ſupereſt, ut diſcurſu eorum audito, recognoſcamus quoque, cujus ſermonis, ſeu idiomatis fuerint? quod una, ex Matricibus *cap.* 5. *num.* 5. enumeratis, vel ad minùs aliqua earum filiali uſi fuerint linguâ indubitatum eſt, ſed quâ? fateor quæſtionem hanc facilem eſſe, ſed reſolutionis difficillimæ. De hac namque materia nullus Scriptorum vetuſtiorum aliquid

Digitized by Google

tractat, præter *Joan. Lucium lib.* 6. *cap.* 2. ſcribentem: *Dalmatas* lingua *Romanâ*, ſive *Latina* uſos fuiſſe ad usque A. C. 1200. ſed in confuſo, admiſcendo videlicet *Latinæ Slavonicam*, & è contra: deducitque *idem Lucius* ex tali confuſione corruptum idioma ad inſtar *Italici* promanaſſe, idque *Dalmaticum* vulgare primo appellatum, deinde A. C. 1300. *Picenorum*, & *Apulorum* proximius, ac tandem A. C. 1420. *Venetorum* ſimillimum effectum fuiſſe. Quibus expoſitis ſubdit citatus *Lucius*: quod *Dalmatæ* eo tum nomine *Latinorum* à *Slavis*, ſeu *Croatis* diſtinguebantur: ac ſi diceret: *Dalmatas* ab ipſis *Slavis*, ſeu *Croatis* nominatos fuiſſe *Latinos*. Præterea *in Præfat.* Memorabilium Tragurien. dicit: Linguam *Romanam* modernam, & Vulgarem non *Italicam*, ſed *Dalmaticam* appellari.

II. Super quibus *Lucii* expoſitiobus *Ritterus* in Prodromo Croatiæ Redivivæ *pag.* 26. miratur, carpitque non modice *Lucium*, quod ſimilia ſcribere, imo & aſſerere præſumpſerit, cum id apud nullum *Dalmaticum*, ſed neque *Italicum*, aut alium quempiam exterum Scriptorem, linguæ, & Regionis gnarum, facile quis legerit. Deinde præfatus Ritterus ſubjungit ſequentia: *Dalmatæ nunquam ipſi (ſervato hoc veteri Provinciæ à Romanis in Illyrico inſtitutæ nomine) licet etiam Ducali Venetorum, á Regali Croatorum juriſdictione ſeparati, raro ſe Dalmatas (taceo Italos, aut Romanos) ſed Slavos, & Croatas proprie, vernaculamque Slavam, Slavinicam, & Croaticam vocant.* Interim ego *Lucium* hic excuſandum judicarem, ex rationibus ſequentibus.

III. Is etenim intelligendus videtur de primis *Dalmatis*, qui ex Inſula *Pharo* (ut ex *Rittero cap.* 16. *num.* 3. retulimus) Dominio *Romano* contigua, migrantes, Colonias ſuas in *Illyrii* Inſulam *Iſſam*, hinc deinde *Naronam*, pariter *Illyrii* diſtrictum, ac ſucceſſu temporis ad meditullium ejusdem *Illyrii* in Urbem *Dalmam*, à qua & denominari voluerunt *Dalmatæ*, deduxerunt. Hi namque potuerunt (eſto fors non nativo ſuo, ſed ob vicinitatem *Latinorum*, ſeu *Romanorum*) *Latio*, ſeu *Latino* ſermone uti, illumque, poſtquam cum *Henetis* commiſceri, terrasque in eorum ſolo colere cœperunt, in aliquo corrumpere. *Heneticum* tamen, ſeu *Slavonicum* pro vulgari magis uſurpare. Deinde poſtquam *Dalmatæ* una cum reſiduis *Illyris* jugum *Romanorum* portare coacti fuiſſent, credendum eſt, eos ſe etiam *Romanorum*, utpote ſuorum Principalium ſermoni accomodaſſe, & eo tum etiam aliqualiter idioma ſuum *Heneticum*, ſeu *Slavonicum* alteraſſe: ſed de hoc ſecundo, utut ſit, de primo certum eſt, quod hodiedum in *Hungaria*, & noſtra quoque *Croatia*, ſeu *Slavonia* reſpectu Principatus *Germanici* practicari animadvertatur. Hinc pro tertio, quod *Dalmatæ* etiam præcitatis à *Lucio* Annis, & temporibus uſi fuerint, & hac tempeſtate lingua *Romana*, ſeu *Italica* utantur, id eis vitio vertendum non eſt, ſiquidem *Dominio Veneto* ſubjecti, ſe eisdem gratioſos exhibere conentur, quemadmodum & *Dalmatas*, qui *Portæ Ottomanicæ* juriſdictioni addicti ſunt, idipſum practicare intellexi à viris fide dignis, earumque partium practicis, dum idiomati *Turcico*, ad complacendum ſuperioritati, ſtudent; per hoc tamen nullatenus *Slavonicam* linguam apud *Dalmatas* in *Illyrico* ſuppreſſam fuiſſe, arguendum eſt.

IV. Linguam porrò *Slavonicam* in *Dalmatia* viguiſſe *Wilhelmus Archi-Ep. Tyrien.* In Itinerario *Comitis Toloſſani lib.* 2. *cap.* 12. docet ſequentibus: *Hi omnes* (Comes, & ejus ſocii) *in Italiam deſcenderunt, transcurſaque Longobardia, per eorum Regionem, quæ Forum Julii appellatur, juxta Aquilejam, tranſeuntes Iſtriam, inde tandem in Dalmatiam*

Digitized by Google

matiam deſcenderunt. Eſt autem Dalmatia longè patens Regio inter Hungariam, & Adriaticum Mare ſita (Hic textus bene notandus, & ad præcedentia *cap.* 19. & 20. expoſita applicandus) *quatuor habens Metropoles* &c. Quibus nominatis, expoſitisque *Dalmatarum* moribus, & habitationibus montuoſis, ſilveſtribus, ac campeſtribus, tandem in fine ſubjungit: *Exceptis paucis, qui in oris maritimis habitant. Hi ab aliis & moribus, & lingua diſſimiles Latinum habent idioma, reliquis Slavonico utentibus.* Ex quibus colligitur: *Dalmatas* ad oras maritimas habitantes, utpote *Italis* vicinos, *Dominioque Veneto* ſubjectos uſurpare omnino Idioma *Italicum*, tale forte, quale ſupra *Lucius* propoſuit. Reſiduos autem *Dalmatas* usque *Hungariam* habitantes, nonniſi idioma *Slavonicum* coluiſſe, quæ & hodie in uſu habetur per univerſam modernam *Dalmatiam*, ſive *Venetam*, ſive *Turcicam*, in qua vernacula eorum lingua nunquam aliter, niſi *Slavonica* nominatur. Idque probatur ex *Muſa Slavonica*, quam *Georgius Barakovich* idiomate *Slavonico* conſcripſit, intitulavitque *Vila Szlovinkinija*, id eſt: *Muſa Slavonica.* Præterea ex opuſculis Poeticis pariformiter vernaculo *Dalmatarum* ſermone compilatis à *Vincentio Zambon*, & *Joanne Johanich*, quæ *Dalmatæ* ipſi nonniſi *Opera Slavonica* nominant. Citatus *Joannes Zambon* Æneidem *Publii Virgilii* in Vernaculam *Dalmaticam* traducens, *Slavonicam* appellat, lectoremque hiſce verbis, *Slavonicis* quidem, ſed per me in *Latina* translatis, alloquitur: *Non curo mundi laudem pro ſermonis elegantia: quippe quotquot in hac Regione civitates ſunt, tot, poſſum dicere, Grammaticæ dialectos eſſe, & quisque particulari ſuo modo loquitur, adeo ut cum omnes Croatæ ſimus, alter tamen alterius omne verbum non intelligimus.* Pro confirmatione uberiori adducendi ſunt *Bohemi*, atque *Poloni*, qui pariformiter *Slavonico* utuntur idiomate; illudque pro ſua lingua vernacula habent, ut fuſe tradit *Ablavius* natione *Bohemus* in Annalib. Bohem. Item *Stanislaus Hoſius* pariter *Bohemus*, qui *Slavonicum* idioma pro Matre agnoſcens, in *Dialogo* de Miſſæ Officio ita loquitur: *Illud fateamur, neceſſe eſt, Slavorum, aut Dalmatarum linguam eſſe multo elegantiorem, quam ſit noſtra: ita, ut ſi precationes, & Sacras lectiones in vernaculam transferri linguam opporteat, in eam potiſſimum transferendæ ſint, à qua noſtra duxit originem, quæ præſtat.* Ubi Eminentiſſimus hic vir linguam *Slavonicam*, à *Dalmatica* non diſcernit, ſed eandem, ſeu æqualem eſſe pronuntiat, atque inter alias *Slavicas* linguas elegantiſſimam confitetur.

V. Concludendum itaque ex his exiſtimo, *Slavonicum* idioma, poſt ejus in *Illyricum*, per *Henetos*, ſeu *Venedos* temporibus *Alexandri Magni* implantationem, nunquam ceſſaſſe; verum eam vernaculam *Illyriorum* extitiſſe; quamtumvis poſt *Gallorum*, ſeu *Germanorum* in *Illyricum* adventum *Germanicum* etiam, & pariter poſt *Romanorum* in idem *Illyricum* ingreſſum *Latinum* quoque in uſu fuerit. Quemadmodum pro moderno rerum ſtatu in ipſa *Croatia*, *Sluvonia*, & *Dalmatia* vigent idiomata primo, & principaliter inter omnes præcitatorum Regnorum incolas *Slavonicum*, ſeu *Croaticum* utpote vernaculum: dein etiam *Hungaricum*, utpote *Hungariæ* Regno vicinos, ejusdemque Sacræ coronæ Legum, Privilegiorum identitate conjunctos; Item *Germanicum*, propter Reges, qui ex Auguſtiſſima Domo *Germano-Auſtria* a multis jam annis ad Regnorum *Hungariæ*, *Croatiæ*, *Slavoniæ*, & *Dalmatiæ* gubernacula aſſumpti fuere; Præterea *Italicum*, ſignanter in *Dalmatia* ob rationes *num.* 4. aſſignatas: ac tandem *Latinum*, quod nonniſi in Scholis magno ſtudio, & labore addiſcitur. Hæc tamen quatuor poſteriora non niſi inter Nobiliores, & politiores

Digitized by Google

Perſonas uſurpantur, primo dumtaxat utpote vernaculo, apud communem plebem remanente.

VI. Sed nè Urbibus, & oppidis derogare videamur, adnectere hic placuit, quod & inter cives linguæ ſupra enumeratæ vigorem ſuum habeant, utpote qui ex variis coadunantur nationibus, incolatum Regnorum memoratorum aſſumentibus, uti ſunt, & primi quidem, ac principales *Slavones*, *Croatæ*, & *Dalmatæ* tanquam domeſtici, deinde *Bohemi*, *Moravi*, *Servii*, *Bulgari*, qui aliunde nationis cenſentur *Slavonicæ*: Quibus admixti ſunt etiam *Hungari*, & *Itali*, & vel maxime varii opifices ex natione *Germanica*, ut ſunt *Auſtriaci*, *Suevi*, *Bavari*, *Sileſitæ*, *Carinthi*, *Tyrolenſes &c.* *Styri* autem & Carnioli innumeri, etiam inter Ruricolas. Qui tamen omnes ſucceſſu temporis, imo mox in ſecunda, vel ad minus tertia generatione & lingua, & moribus *Dalmatis*, & *Croatis* efficiuntur æquales; ac ſi parentes eorum nunquam alienigenæ extitiſſent nationis. Hæc de idiomate *Dalmatarum* hic loci adnectendum judicavi, ne quis *Criticorum* temere judicare præſumat, *Sanctum* compatriotam noſtrum *Illyrum Hieronymum*, nunquam linguam caluiſſe *Slavonicam*, quantumvis ipſe ſe *Dalmatam* natione fuiſſe fateatur.

VII. De Idiomate porro ſupra nominatorum *Bohemorum*, *Münſterus* de Germania *lib. 3.* Tit. *Bohemici Regni deſcriptio*: ſic diſſerit: *Sermo genti, & Dalmatis unus eſt.* Et paulo infra: *Nam Bohemi Vandali ſunt, remanente veteri nomine in Provincia, ut ſcilicet Bohemi dicantur à Bojis. Apud Ptolom. appellatur magna gens Bohemi, nec enim unquam habuit Germania majorem gentem, quam ſit etiam hodie Vandalica, complectens Ruſſos, Polonos, Bohæmos, & Dalmatas: teſtis eſt una lingua, quadam varietate, ut fit per diverſas Regiones, alterata.* Et quia in hoc eodem textu nominavit *Münſterus* etiam *Polonos*, de eorum pariter idiomate *lib. 4.* de Polonia Tit. *De Regno, & tota Regione Poloniæ* taliter diſcurrit: *Habent etiam Lechitæ, qui & Poloni, linguam communem Slavis, Vandalis, Bulgaris, Serviis, Dalmatis, Croatis, Boſniis, Bohemis, Ruſſis, Lithuanis, Moſcovitis, & aliis populis circum circa habitantibus, niſi quod in unoquoque populo lingua ſuos habeat dialectos.* Linguam autem *Slavonicam*, ſeu *Slavicam*, alias *Illyricam* latiſſime per orbem diffuſam eſſe, nullus eſt, qui non affirmet. Hæc ſiquidem etiam noſtris hiſce temporibus ab univerſis *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, *Albaniæ*, *Thraciæ*, *Boſnæ*, *Serviæ*, *Bulgariæ*, *Slavoniæ*, *Iſtriæ*, *Carnioliæ*, *Carinthiæ*, *Styriæ inferioris*, *Moraviæ*, *Bohemiæ*, *Poloniæ*, *Lithuaniæ*, *Moſchoviæ*, *Ruſſiæ*, magnæ quoque partis *Hungariæ &c.* incolis cum lacte ſugitur: apud *Turcas* vero etiam *Aulicæ* titulo gloriatur. Et quamvis à frequentibus gentium migrationibus, quas confuſio linguarum comitari conſuevit, lingua *Slavonica* in compluribus Provinciis multum detrimenti acceperit, ea tamen in *Illyrico* ſtricte tali, ab omni fere corruptela immunis perſtitit, unde & promeruiſſe videtur, ut aliarum, ſeu ſola dialecto diverſarum, ſeu etiam à puritate longius aberrantium, affinium tamen, *Mater* diceretur! *Sacra* vero exinde nominatur, quod Sacrum *Miſſæ* Officium *Illyrice* æque ac *Latine*, *Hebraice*, & *Græce* peragere liceat: qui mos à *SS. Cyrillo*, & *Methodio* Epiſcopis, authoritate *Sedis Romanæ* introductus, etiamnum in pluribus *Eccleſiis Illyricanis* viget. Hæc de lingua *Slavorum* erudite, eruditus *P. Andreas Jambreſſich* in ſuo *Lexico*, verbo *Illyricum*. Atque hæc ſunt, quæ de Origine, & Progreſſibus *Dalmatarum*, eorundemque Regionis limitibus, ac idiomate exponenda fuerunt: Nunc ad confinem huic *Pannoniam* ingrediamur, ibidemque propoſito noſtro neceſſaria inquiramus, opportet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXII.
De Origine Pannoniæ.

I. NOmen *Pannoniæ* certum eſt, quod ab incerto, ſeu immemorabili ævo notum extiterit: ſed certum quoque eſt, quod incerti de ejus origine Authores ingens dubium, quid certi ſtatuendi, habuerint. Quidam enim à longe eam cum *Beroſo* in Fragm. *lib.* 2. de primis Ducibus, educunt, aſſerentes: *Maſa filius Aramæi genuit quinque hos Duces: Getum, Dacum, Bannonem, Brycum, & Tynum.* Hos ſequitur *Lazius* de Migr. Gent. *lib.* 4. *pag.* 113. dicens: *Maſa filius Aramæi Nepos Sem, Pronepos Noë, quinque filios genuit: quorum Getus Tyregetas, Dacus Dacos, ſeu Tranſſylvanos, & ſpecialiter Bannio Pannonios fundaverunt, eisque nomina impoſuerunt.* Alii derivant hoc nomen à *Panis copia*, & *Pane* Paſtorum Deo, propter abundantiam panis, & pecorum, quibus *Pannonia* dives eſt. Ita *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 1. §. 2. *Joan. Freigius* in Synopſi Hiſtorica agens de rebus Germaniæ *Num.* 11. hæc notat: *Panno, Szalo, Azalo fratres, incoluere Pannoniam.*

II. Sed quia *Appianus* de quodam *Pannonio*, inquit *Lazius loc. cit.* (forte de eodem, cujus ſupra citatus *Freigius* meminit) vel potius *Pæono* ſcribit, quod is filius *Autarii*, nepos *Illyri* (ut nos *cap.* 3. *num.* 1. in Tab. Genealogica expreſſimus) fuerit, qui ſuo nomine populum vocari juſſerit *Pannones*; dubium reſtat à quonam horum *Pannonia* originem ſumpſerit. Verum hoc reſolvit *Cluver.* Antiquit. Germ. *lib.* 1. *cap.* 5. inquiens: *Pannonia, & Pannonii* nomen ſuum à *Pannone* hæreditarunt. Atque hanc opinionem veroſimillimam exiſtimat *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. Ex eo plerumque quod Scriptores Provinciam hanc inæqualiter notent. *Græci* enim *Pæoniam* vocant, ipſamque populos inhabitantes *Pæones*. E contra *Latini* ſemper, & ubique *Pannoniam*, incolas autem ejus *Pannones*, vel *Pannonios* nominant; ſicque *Pæoniam*, à *Pæone*, & *Pannoniam* à *Pannone* vocabulum ſumpſiſſe credit, citatus *Fuhrman.* Eapropter meo vili judicio, ſiquidem quondam *Pæonia* in *Græcia* diſtincta fuerit Provincia à *Pannonia*, eamque antiqui *Græci* à *Pæone* filio *Priami* nominatam fuiſſe teſtentur apud *Lazium loc. cit.* probabiliſſima evadet opinio *Pannoniam* accepiſſe nomen à *Pannonio* filio *Autarii* nepote *Illyri*. *Pæoniam* vero *Græcorum* Provinciam, juxta eorundem aſſertum à *Pæone* filio *Priami*.

III. Ad hæc confirmanda repetenda ſunt hic noſtra dicta *cap.* 6. *num.* 2. Ubi ex *Appiano* retulimus, qualiter in *Illyrico* regnante *Autario*, ejusdem filius *Pannonius*, collecto ex *Illyris* exercitu, primum ad fines *Macedoniæ*, deinde trans *Danubium* Colonias duxerit, atque duplicis nationis unius in *Macedonia Pæonum* dictæ, alterius vero *Pannoniorum*, à quibus & regio *Pannonia* compellata fuit, fundator quaſi extiterit. Malo tamen credere *Græcis* Scriptoribus *Pæoniam* Provinciam *Græciæ* à *Priami* filio *Pæone* conditam eſſe ante adventum in *Græciam* noſtri *Pannonii*: attamen credere etiam cogor *Pannonem* ex *Illyrico* in *Græciam* migraſſe, atque apud *Pæones*, forte propter quandam nominis identitatem conſediſſe, ſeque ac ſuos *Pæones* appellitaſſe, ſucceſſu vero temporis *Græciam*, & *Pæoniam* dereliquiſſe, ſedesque pro ſe, ſuisque inquiſiviſſe, quibus trans *Danubium* inventis, eas à ſuo nomine *Pan-*

Digitized by Google

nonias appellaſſe. Dicit namque *Appian.* in Illyr. *Pæones etenim illi ex inferiore Pæonia, ſunt Illyriarum colonia.* Quem textum *Pr. Fuhrman loc. cit.* ex *Lazio* ſic intelligendum eſſe docet: quod nimirum *Pæones*, id eſt: *Pannonii*, qui in *Græcia* habitarunt, fuerint *Illyriorum* colonia, iidemque nomen *Pannoniorum* exinde ſecum apportaverint, quantumvis à *Græcis* non niſi *Pæones* nominabantur. Et quia *Strabo* quoque *lib. 6. & 7*, de *Pæonibus*, & *Pannonibus* agens, diſtinctos eſſe hosque *Illyricæ*; illos vero *Græcæ* nationis fuiſſe profitetur, apparet *Pannonem Illyrum*, non vero *Pæonem Græcum* colonias in *Pannoniam* duxiſſe; cum & ipſi *Græci* apud *Dionem* fateantur: *Pæoniam*, quam *Latini* dicunt *Pannoniam*, à *Pæone*, quem nos *Pannonem* vocitamus, filio *Autarii*, nepote *Illyri* nomen ſortitam fuiſſe.

IV. Ante migrationem porro *Pannonii* ex *Illyrico* in *Pæoniam*, & inde in *Pannoniam* diſtrictus ille, quem ſibi pro ſtabili ſede ſua elegerat, vel armis occupaverat, non alio certe nomine, quam Generali *Scythico*, vel *Celtico*, aut *Hyperboreo* compellabatur: teſte *Bombardio Par. I. cap. I. n. I.* ex *Strabonis lib. II.* recitante: *Veteres Græcorum Scriptores univerſas gentes Septentrionales Scytharum, & Celto-Scytharum appellatione affecerunt.* Quæ autem populorum ejus nomina, quæ primæ origines fuerint? nemo in Scriptorum, præſertim de primis temporibus, inopia eruit, vel eruet, niſi conjecturando, ut univerſi Antiquarii facere aſſolent, & ego de *Illyrio* noſtro, hos immitando, agere præſumpſi. Dixi *cap. I. num. 6. Gomerum*, & *Javanum* filios *Japheti*, atque ex his progenitos *Thuiſcones*, & *Græcos* primos fuiſſe, qui ad utramque *Danubii* ripam ſe locaverunt: An hi ibidem perſeveraverint, vel his alii populi ſucceſſerint, & quando? Antiquitati reſpondendum relinquere cogor. Eapropter his, utpote immemorabilis vetuſtatis rebus prætermiſſis, ad recentiora progrediendo, *Pannonium* ex *Illyrico* in *Pæoniam*, & inde in *Pannoniam* ſuam inſtituiſſe migrationem intra A. M. 2600, & 2700. ex iis, quæ *cap. 6. n. 2.* connotavimus, conjecturare licet.

V. Idiomate *Slavonico* uſos fuiſſe primos *Pannones* notat *Szentivanii* Diſſert. Parſip. *Cat. 119.* ſed unde hæc excerpſerit, vel qua ratione probare poteſt, fateor me ignorare, ingensque ſuper hoc aſſerto dubium habere. Siquidem *Autarius* filius *Pannonii* ex *Illyrico*, in *Macedoniam*, migrans, nonniſi Idioma *Græcum*, reſiduis etiam *Illyris* commune (ut ſupra *cap. 5. num. 7.* oſtendimus) noverit: recedens quoque ex *Macedonia*, Provincia *Græca*, inter *Pæones Græcos* exiſtens, vix alio idiomate, quam *Græco* imbui, & loqui quiverit; conſequenter primorum *Pannonum*, à ſuo nomine denominatam *Pannoniam* inhabitantium idioma non *Slavonicum*, ſed *Græcum* extitiſſe concludendum arbitror. Opponet quis: In *Illyrico* fuiſſe *Henetos*, quos nos *Slavos* fuiſſe dicimus, atque ab iis potuiſſe *Autarium* cum ſuis idioma *Slavonicum* condidiciſſe. *Henetos*. ut ſupra *cap. 6. num. 2.* inſinuavi, ad *Mare Adriaticum* cum *Antenore* veniſſe, & ſucceſſu temporis per *Illyricum* diffuſos fuiſſe, non nego; ſed tempora conſideranda ſunt. *Autarium* enim cum ſuis ex *Illyrico* ante *Trojanum Bellum eod. cap. 6. num. 2.* receſſiſſe, *Henetos* autem poſt *Trojæ excidium* ad *Mare Adriaticum* comparuiſſe dixi: conſequenter aſſerendum erit, *Autarium* ab *Henetis* idioma *Slavonicum* condiſcere nequiviſſe. Id tamen non negaverim, quod in *Pannoniam* idioma *Slavicum* inductum fuerit temporibus, quibus *Sarmatæ Heneti*, ſeu *Vendi* ad partes *Danubianas*, videlicet circa A. M. 1546. (ut *cap. 13.* retuli) ſuas deduxerunt colonias, quo tempore forte *Pannones* partibus in illis exiſten-

Digitized by Google

ſtentes, vel vero ex poſt ſupervenientes, ut ſe & lingua à *Græcis* diſtinctos redderent, idiomati *Slavonico* ſeſe addixerunt.

VI. *Pr. Timon* in Imag. Hung. *lib. 1. cap. 12.* de Idiomate *Pannoniorum* tractans ſic differit: „Id non fuiſſe *Germanicum*, teſtificatur *Corn. Tac.* in „Lib. *de Moribus Germanorum*; inquiens *Oſos Pannonica lingua coarguit* „*non eſſe Germanos.* At neque *Græcum* erat; quare enim Author *Oſorum*, qui iidem *Jazyges* fuerunt, „linguam peculiariter diceret *Pannonicam*? Fuit itaque *Pannoniorum* „Sermo *Slavonicus.* Si enim *Boëi* „*Ptolomæi*, ut tradit *Sext. Rufus*, fuerunt *Marcomanni*, & *Quadi*, cur „non iis propinqui *Coletiani*, *Latobici*, „cæterique? quorum nomina *Slavo*-„*nicum* quiddam ſonant. Non negaverim tamen in oppidis, ac præ-„cipue *Sirmii*, cujus urbis conditorem *Græcum* fuiſſe ferunt, ſtudium „*Græcæ* quoque linguæ viguiſſe: *Latinum* vero ſermonem genti familiarem fuiſſe conſtat ex *Vellejo Paterc.* qui *lib. 2. Hiſt.* ex ſuamet experientia *Pannoniorum* ſtudia, & mores deſcribens, ait: *In omnibus autem Pannoniis non diſciplina tantummodo, ſed linguæ quoque notitia Romanæ: pleriſque etiam litterarum uſus, & familiaris erat animorum exercitatio.*

CAPUT XXIII.

De Terminis, ſeu Limitibus Pannoniæ.

I. TErminos, ſeu Limites ſuos *Pannonia* quam procul, antequam *Romanorum* agnoviſſet *Imperium*, extenderit? vix aliquam, minus genuinam dare poterimus informationem, ſiquidem Authores tam Hiſtorici, quam Geographici, qui de his tractant, plerumque illis temporibus vixerint, quibus jam *Illyricum*, & *Pannonia* ſub jugo *Romanorum* gemebant. Ne tamen hi totaliter incogniti maneant, indagemus tantiſper eorum, quæ extant, Authorum ſentimenta. *Appianus* in Illyr. qui ſecundo Sæculo poſt Chriſti adventum vixit, eos taliter locat: *Pæones, natio ſunt ad Iſtrum ingens, in longitudinem quidem illa ab Japodibus ad Dardanos porrecta.* *Japodes*, ſeu *Japydes* ſunt moderni *Morlachi.* Nam juxta *Bombardium* Topogr. Hung. *cap. 1. ſegm. 4. num. 4.* hodie *Japydia* eſt *Morlachia.* *Dardani* autem fuerunt in hodierna *Boſna*, *Servia*, & *Raſcia.* Putabat fors *Appianus* totum prætactum terræ tactum ex identitate idiomatis, quod *Japydibus*, *Dardanis*, *Pannonibus*, aliiſque *Illyriis* æquale fuit, eodem vocabulo appellari debere.

II. Hinc melius *Pannoniæ* limites deſcripſiſſe videtur *Plinius* A. C. 70. florens, qui Hiſt. Nat. *lib. 3. cap. 25.* tradit: *Inde glandifera Pannonia, qua miteſcentia Alpium juga per medium Illyricum, à Septentrione ad Meridiem verſa, moli in dextra, ac læva devexitate conſidunt: A Septentrione finitur Danubio, à fronte Scordiſci, à tergo Tauriſci.* Hoc ipſum confirmare videtur *Dio Caſſius lib. 49.* qui in ſuperiori *Pannonia* gubernio potitus de temperamento aëris *Pannonici* ſic ſcribit: *Poſt Præfecturam Africæ, atque Dalmatiæ, cui per aliquod tempus Pater etiam meus præfuerat, Superior mihi Pannonia decernitur: hinc igitur exacte edoctus de rebus ipſarum ſingulis geſtis ſcribo:* In cujus Scripturæ contextu de terminis *Pannoniæ* differens, ſequentem dat informationem: *Pannonii prope Dalmatiam habitant ad ipſum Iſtrum, à Norico ad Myſiam uſque, quæ eſt in Europa.* Iſte *Myſiam*, prouti & plures

Digitized by Google

res Hiſtorici, vocat modernam *Boſnam*, quamvis ex *Timonio Par.* 2. c. 17. *Myſia* quondam *inferior* nunc nominetur *Bulgaria* juxta *Tomkonem* in vita *S. Sabæ*: & *Ritterum* in Stemmatograph. *Myſia* ſeu *Mæſia superior* eadem eſt, quæ modo *Raſcia*, ſeu *Servia* olim dicta: *Dardania* vero *Dacia Ripenſis*, nunc *Valachia*, & *Moldavia*. Ex aſſe *Dioni* concinere videtur *Strabo* de Illyr. Nobil. *pag.* 219. dicens: *Hæc ſunt Pannonum montanæ planicies verſus Danubium ad Dalmatas usque, verſus ſeptentrionem ad Iſtrum deſinentes.*

III. *Scordiſcos* porro à *Plinio* ſuperius citatos intra *Savum*, *Dravumque*, & *Muram*, habitaſſe ſupra *cap.* 3. *num.* 14. & *cap.* 17. *num.* 6. ex *Bonfinio* ibid. *citato* retulimus. Quamvis *Scordiſci* ultra *Savum* etiam ſuas habuerint ſedes, ſi verum eſt, quod *Schönleb.* in Chron. pag. 127. ait: *Skordiskam, à qua populi Scordiſci, nunc eſſe Szrediskam*: juxta cujus opinionem ominari licet (ut jam ſemel *loco* ſupra prima vice *citato* expoſuimus) eos quoque inter fluvios *Dravum*, & *Muram*, in hodierna *Inſula*, & *Dynaſtia Cſaktornyenſi* domicilia habuiſſe, quandoquidem tam ad *Muram*, quam ad *Dravum* hodiedum extent pagi (olim oppida) *Szerdiſche* nominati. *Tauriſcos* autem populos, quorum *num. præc.* ex *Plinio* mentionem fecimus, *Styros* modernos fuiſſe, agnoſcere cogor cum *Cluverio*, qui in Introd. Geogr. *lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 8. expreſſe ſcribit: *Norea fuit Tauriſcorum urbs, qui inde poſtea Norici Transalpei dicti ſunt.* E partibus campi *Turovo* in urbem *Noream* probabiliter, vel è contra migrantes. De his *Tauriſcis*, à *Celto-Gallis* juxta *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 7. §. 7. oriundis *Plinius lib.* 3. *cap.* 25. ita inquit: *Mons Claudius, cujus in fronte Scordiſci, à tergo Tauriſci. Tauriſcos* hos *Ritterus* in Chron. ad *A. M.* 3859. (ut *cap.* 17. *num.* 5. inſinuatum eſt) exiſtimat habitaſſe in hodierno *Campo Turopolenſi* trans *Savum*, idipſum ominatur *Gesnerus*, citans *Pomponium Melam*. hinc forte campus memoratus à *Tauriſcis* corrupto vocabulo *Turovo* nuncupatur. Sed hæc linquenda ſunt Grammaticis, nos ad propoſitum redeuntes, ex præmiſſis *Plinii* verbis inferimus *Pannoniam* terminatam ſuo tempore fuiſſe *Danubio*, & *Scordiſcis*, qui ad *Muram* fluvium habitabant.

IV. Idipſum ſentire videtur *Cluverius*, qui de limitibus *Pannoniæ* ſcribens *lib.* 4. *cap.* 1. & 2. ſic diſſerit: *Limites Pannonia habuit ab occaſu Cetium montem, qui nunc Viennæ eminet, ab ortu Danubium, à Meridie Dravum.* Neque hic dubitandum eſt *Cluverium* de *Vetuſta Pannonia* non loqui, cum in præterito ſermocinetur. Ex his itaque id, quod paulo ante diximus, concludi poteſt: Pannoniæ terminos, ſeu limites temporibus Regum, vel Ducum ejusdem, ante adventum videlicet *Romanorum* in *Pannoniam*, fuiſſe ipſam Regionem *Norici*, *Danubium*, & *Dravum* fluvios, atteſtante *Floro cap.* 12. dum dicit: *Pannonii duobus ſaltibus, ac tribus fluviis Dravo, Savo, Iſtroque vallantur.* Quos fluvios nonniſi cum ſuis confluentiis (ut *cap.* 19. *num.* 8. remonſtratum eſt) limites Pannoniæ effeciſſe intelligendos eſſe cenſeo, prouti apud *Jornandem lib.* 1. de Regnorum, & Temporum ſucceſſione legitur. Opponi hic poſſet: Neque in textu *Cluverii*, neque *Flori* nominari *Muram*, conſequenter *Pannoniam* extenſam fuiſſe usque ad *Dravum*. Sed hoc oppoſitum alio textu *Cluverii* ſolvitur, dum in ſuis Præliminaribus in univerſam Geographiam *lib.* 4. *cap.* 2. Tit. de *Incolis Pannoniæ* ſic habet: *Figura ejus quadra eſt*: & poſt pauca: *Maxima ejus longitudo à Patiſſi fontibus, ad Muræ confluentem.* Hoc ipſum docet *Santon Atlas* Tit. *de Hungaria*, dicens: *At maxima ejus longitudo à Patiſſi fontibus ad Muræ confluentem porrigitur.* Quod clariſſime expreſſit *Ferras Ale-*

Digitized by Google

xandrinus in Lexico Geographiæ Illuſtratæ, qui de *Mura* fluvio ſic loquitur: *Mura fluvius tandem Dravo miſcetur in ipſo limine Hungariæ.* Conſequenter optime infertur: *Pannoniam* terminatam olim fuiſſe (juxta hic *num.* 3. dicta) *Danubio*, & *Scordiſcis*, qui ad *Muram* amnem reſidebant. Hic rememoranda venirent illa, quæ *cap.* 20. *num.* 4. adnotavimus, ſed prolixitatem vitans ad relegenda ea Benevolum Lectorem remitto.

V. Neque obſtat illud *Schönlebenii* in Chron. *pag.* 127. ſcriptum: *Batho Regulus Pannoniæ Saviæ, qui concitatis ad rebellionem Dalmatis fortunam Romanam plurrimum retardaverat, per transactionem Tiberio ſe commiſit.* Nam *primo*: ipſemet *Schönleb.* in Chron. *pag.* 140. Dum eundem *Bathonem* ſcribit jus aliquod, & Dominium in *Japydiam*, ubi eo tum *Dalmatia* fuerat, uſurpaſſe, ex eo, quod *Dalmatas* ad belli ſocietatem pertraxerit: de hoc jure, & Dominio ſubdubitat dicens: *Sed quia obſcurius illud ejus Dominium &c.* & ipſa ratio vacillare apparet, quaſi vicinus Rex, alium vicinum Regem, vel populum, imo & remotiorem non poſſet in ſocietatem belli, contra hodiernam etiam experientiam, attrahere. *Secundo*: Nullus Hiſtoricorum *Bathonem* vocat Regulum *Pannoniæ Saviæ*, præter *Shönlebenium*: cum pro *tertio*: *Pannonia Savia* primo poſt diviſionem Provinciarum *Illyrii* à *Romanis* tardius inſtitutam tali nomenclatura vocitari cœperit. *Quarto. Sextus Rufus*, *Bathonem* dicit *Amantinis* præfuiſſe, *Amantinos* autem inter *Danubium* & *Dravum* habitaſſe certum eſt ex *Ptolomæo*, qui eos populos *Pannoniæ* circa modernum *Mohachinum* habitantes fuiſſe tradit; *Mohachinum* porro antiquitus *Amantiam*, & *Amantinam* vocatam fuiſſe, legitur apud *Bombardium* Topogr. Hung. *par.* 2. *ſegm.* 1. Ex citato ergo *Schönlebenii* textu non poteſt inferri *Pannoniam* ante *Romanorum* in ea Dominium extenſam fuiſſe usque ad *Savum*, eſto *Batho* Regulus *Pannoniæ*, juxta *Sextum Rufum* inter *Savum*, & *Dravum* cum ſuis *Amantinis* proſtratus ſe *Tiberio* per transactionem dediderit, hoc enim factum eſt, quia *Dalmatis* noſtris auxiliares *Amantinorum* ſuorum copias duxit contra *Tiberium*, atque inter præmemoratos fluvios conſiſtens ab ejusdem *Tiberii* cohortibus circumventus, victusque, & captus fuit.

VI. Præterea nihil concluſioni noſtræ contradicit *Plinius*, dum de diſtinctione *Superioris*, & *Inferioris Pannoniæ* populos *lib.* 3. *cap.* 25. ſequentibus exponit: *Dravus per Seretes, Serapillos, Joſos, Sandrizetes; Savus per Collapinos, Breucosque: Populorum hæc capita. Præterea Arivates, Azali, Amantes, Belgites, Catari, Corneates, Araviſci, Hercuniates, Latovici, Oſeriates, Vareiani.* Nam *Plinius* prææattactos populos enumerabat pro eo tempore, quo ille vivebat, nempe circa A. C. 70. vel maxime temporibus *Titi*, & *Veſpaſiani Imperatorum*, quibus adhuc *Pannonia*, una cum *Illyrico* Provincia, ſive unum Regnum ex identitate idiomatis cenſebatur; idque exinde colligi poteſt, quod *Suetonius* Secretarius intimus *Hadriani Imperatoris* circa A. C. 110. vivens, *lib.* 3. *cap.* 10. de *Tiberio Dalmatas*, & *Pannones* ſubigente notat ſequentia: *Perſeverantiæ grande præmium tulit, toto Illyrico, quod inter Italiam, Regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & ſinum Maris Adriatici patet, perdomito, & in ditionem redacto.* Ubi cum neque *Dalmatiæ*, neque *Pannoniæ* mentionem faciat, unius *Illyrici* nomine omnes Regiones complexus, ſignum eſt, ipſum & populos, de quibus citatus *Plinius* ſub nomine *Pannoniorum* egit, ſub unica *Illyriorum* nomenclatura comprehendiſſe, vel ex eo etiam, quod prima *Illyrici* in Provincias diviſio ſub eodem *Hadriano Impera*-

Digitized by Google

ratore, ut ſuo loco dicetur, inſtituta fuerit. Deinde qualiter præinſinuatos populos *Plinius* univerſaliter pro *Pannoniis* ſumpſiſſet? cum in ſupra allata *Pannoniæ* limitum definitione contrarium ſenſerit.

VII. Judicium quod de *Plinii* textu tulimus, applicabile eſt textui *Ptolomæi* circa A.C. 150. temporibus *Pii Antonini Imperatoris* florentis: qui Geogr. *lib.* 1. *cap.* 15. & 16. de *Superiori Pannonia* ſic diſcurrit: *Tenent autem Provinciam à parte ſeptentrionis Azali, qui magis occidentales ſunt, & qui magis orientales ſunt Cytni. A Meridie vero Latobici ſub Norico. Verſus ortum autem Varciani, in medio autem verſus occaſum Boei, & ſub iis Coletiani.* Deinde de *Pannonia inferiori* pariformiter diſcurrens inquit: *Tenent autem & ipſam Provinciam in partibus quidem occidentalibus Amantini magis ſeptentrionales, ſub quibus Hercuniates, poſtea Andiantes, poſtea Breuci. In partibus vero orientalibus qui maxime ſeptentrionales ſunt Avariſci, & qui magis meridionales ſunt Scordiſci.* Hiſce namque convincere nequit ante adventum *Romanorum* ſic conſtitutam fuiſſe, bene vero poſt illorum ingreſſum, diviſionemque *Illyrii* ſub *Hadriano Imperatore* (cujus *num. præc.* meminimus, inſtitutam.

VIII. Quibus ex rationibus ruit etiam recentiorum Scriptorum ſententia, vel opinio, qui *Sexto Rufo* adhærentes ſtatuunt *Pannoniam* ante *Romanorum* in eam Dominium extenſam fuiſſe juxta *Savum* fluvium, urbem *Æmonam*, quam nunc *Labacum* nominamus, & *Celejam* usque, firmantesque ſe in textu *Sexti Rufi* in Brev. *num.* 7. (cujus jam *cap.* 20. *n.* 3. meminimus) ſic dicentis: *Bathone Pannoniorum Rege ſubacto, in ditionem noſtram Pannoniæ venere, Amantinis inter Savum, Dravumque proſtratis, Regio Savienſis, ac ſecundariarum Pannoniarum loca obtenta ſunt.* Nam præter rationem *præſentis cap. num.* 5. appoſitam, eſt & ſequens: quia videlicet *Sextus Rufus*, qui ſub *Valentiniano Imperatore* circa A.C. 364. floruit, atque longe poſt diviſionem *Illyrii* in Provincias, ſcribens, loca *Illyrii*, ejusdemque limites ita compellavit, quo ſe vivente, & conſcribente nuncupabantur, nullam mentionem faciens de vetuſtioribus *Illyrii* nominibus, minus limitibus. Sed neque ſecus facere poterat, ſiquidem tanto temporum tractu vetuſta illa nomina, uti & metales, demortuis quoque hominibus, qui eum informare quiviſſent, in oblivionem devenire poterant.

IX. Quæ *Bathonem* Regulum *Pannoniæ* eodem *Sexti Rufi* textu citatum concernunt, ea *cap. bujus num.* 5. dum *Schönlebenii* de eodem opinionem explanavimus, declarata ſunt. Attamen firmantur magis ſequentibus. *Suetonius lib.* 3. *cap.* 20. ſcribit; unum *Bathonem* fuiſſe *Pannoniorum* Ducem, eumque per *Tiberium* devictum. Alterum *Bathonem* vero *Dio Caſſius lib.* 55. & 56. atque ex hoc noſter *Ratkajus* Regulum, vel Ducem *Dalmatiæ* per eundem *Tiberium* deditione in *Auderio* caſtro captum, atque *Romæ* in *Triumpho* ductum pronuntiat. *Dalmatiam* autem eo tum usque ad *Dravum*, ſi non ad *Muram* amnes *cap.* 19. *num.* 9. protenſam extitiſſe retulimus: conſequenter *Bathonem* illum in *Pannoniam* remiſſum, hunc vero *Romam* abductum colligere fas eſt. Quamvis *Dio loc. cit.* apud *Cellarium* commentatorem *Sexti Rufi* ſcribat: *Bathonem gentis Pannonicæ Ducem à Bathone Duce Dalmatarum occiſum.* Quod contingere potuit ſecundo, vel tertio *Belli Pannonici* anno, ex eo, quod *Batho Pannon* à *Tiberio* pacem petierit, qui tamen primaria origo rebellionis Dalmatarum extitiſſet: quam cauſam inſinuare videtur *Vellejus* dum *lib.* 2. *cap.* 137. dicit: *Omnis Pannonia, reliquiis belli in Dalmatia manentibus pacem petiit.* Fe-

rocem

Digitized by Google

rocem illam, tot millium juventutem (intelligit *Pannonicam*) *paulo ante ſervitutem minitantem Italiæ, conferentem arma, quibus uſa erat, apud flumen Batbinum, proſternentemque ſe univerſam genibus Imperatoris, Batbonemque, & Pinetum excelſiſſimos Duces captum alterum, alterum deditum &c.* Ob hanc igitur ſubjectionem *Tiberio* factam, & initi fœderis non ſervatam ſponſionem, poterat, ut diximus, irrabiatus *Batbo Dalmata* occidiſſe *Batbonem Pannonium.* Ex his colligitur *Batbonem* illum, quem *Schönleb.* ſcribit fuiſſe *Pannoniæ Saviæ* Regulum, non *Pannoniæ*, ſed *Dalmatiæ* Regulum extitiſſe, atque hunc *Romæ* in *Triumpho* ductum, dein *Ravennam* in cuſtodiam translatum fuiſſe.

X. Neque obſtat, quod *Suetonius* doceat *Batbonem Pannoniorum* Regulum *Ravennam* miſſum fuiſſe, id enim ex identitate nominis feciſſe cenſendus eſt, eſto id *Batboni Dalmatæ* attribuere debuiſſet, ut fecit ſupra citatus *Dio Caſſius*, qui non multo poſt *Suetonium* vixit, nempe A. C. 230. Hiſtoriamque ſuam expiſcatæ veritati conſonam ſcripſit, vix etenim contra *Suetonii* ſcripta aliquid attentare præſumpſerit: cui ſubſcripſere etiam, ut dixi *Vellejus* & *Cellarius*. *Batbinus* porro fluvius qualiter hodie nominetur, vel ubi locorum defluat? nuſpiam reperi: ominor tamen eſſe quempiam ex fluviis *Inferioris Hungariæ*, quondam *Pannoniæ* circa *Batbaſeeg*, qui diſtrictus antiquitus *Batbanatis* intra flumina *Danubium*, & *Sarviſium* ſitus compellabatur. Vel vero *Bacons* fluvius, qui apud *Ortelium Tab. 84.* ex *Slavonia inferiori* ad vicinam urbis *Syrmienſis* defluit in *Savum.* Quocum lucubrationi noſtræ, de limitibus vetuſtæ *Pannoniæ* finem imponimus, exiſtimando nos ex præallegatis veterum Scriptorum textibus, dilutisque, quæ opponi poſſent, objectis, ſufficienter deſideratos terminos, ſeu limites indigitaſſe. Ex quibus benevolus Lector prudenti ſuo judicio facile conjectare valebit, ubi ſtatuenda ſit Patria *Divi Hieronymi*, qui ſe ſcribit natum *in Dalmatia, oppido Stridonis, quod Pannoniæ, Dalmatiæque confinium fuit.* Sed de hoc ſuo loco uberius.

CAPUT XXIV.
De Geſtis, & Regibus Pannoniorum.

I. COpioſiſſima *Pannoniorum* vetuſtiora geſta, eaque absque dubio glorioſa, hic loci memorari deberent, ſed cum nobis ad ſcopum noſtrum minus videantur proficua, ea breviter, ut apud *Szentivanium* Differt. Paralip. *Catal. 84.* habentur, refero, Annorum *Diluvii univerſalis* loco ſignans *Annos Mundi*, ut apud *Brietium* reperi. Et primo ad A. M. 3546. vel potius 3547. *Pannones* hactenus liberi à *Dario*, ſeu *Daræo* filio *Hyſtaſpis*, aut vero ſimilius à *Megabyzo* Duce *Darii* ſubacti fuere, & magna ex parte in miſeram abacti ſervitutem, qui tamen A. M. 3555. occaſione rebellionis *Aſtragoræ* contra *Darium* rediere rurſus in patriam. Quibus dein A. M. 3684. *Amyntas* Rex *Macedonum* bellum indixit, ſed ab iisdem victus, cladeque magna affectus fuit. Quam cladem *Perdiccas* frater *Amyntæ*, & in Regno ſucceſſor ad A. M. 3694. ulciſci volens, ipſe in captivitatem *Pannoniorum* incidit, atque in ultimam miſeriam redactus fuit: liber tamen effectus ad A. M. 3695. ab *Illyriis* ingenti prælio victus, &, ut *cap. 7. num. 1.* recenſui, occiſus eſt. Eodem autem Anno *Pannones* ob vi-

Digitized by Google

ctoriam proxime à *Macedonibus* reportatam, Duce *Bardyle* ipſam *Macedoniam* invadunt, ſed à *Philippo* Rege *Macedonum*, qui *Perdiccæ* ſucceſſerat, victi, pacem ab eo precario impetrant, cujus tamen ad A.M. 3700. violatores facti, bello à Macedonibus impetuntur, domitique Tributarii eorum efficiuntur. Ac tandem ab *Alexandro Magno* A. M. 3720. contra *Darium* Regem *Perſarum* in ſocietatem armorum evocati, ob rem ſtrenuè geſtam, multis libertatibus donati, & aucti ſunt, quietique vivebant, usque ad A. M. 4000. quo *Bœrebiſta* Rex *Daeorum*, ſeu *Getarum* audacter *Iſtrum* tranſiens, primo *Thraciam* (ut *Strabo lib.* 7. ſcribit) & *Macedoniam*, dein *Pannoniam*, & *Illyricum* vaſtans ſuo ſubjecit imperio. *Illyrici* partem, debellatis etiam *Bojis*, quorum *cap.* 6. *num.* 7. memini, à quibus *deſerta Bojorum* hodiedum nuncupantur, *Tauriſcis*, & aliis *Gallicis*, *Illyricisque* gentibus, ita vaſtam, deſertamque reddidit, ut vel nulli fuerint incolæ ejusdem, vel ad imam redacti conditionem, ita, ut ipſis *Romanis* jam terrorem idem Rex cœperit afferre.

II. Quæ *num. præc. ad finem* ex *Strabone* retuli fidem omnino merentur, cum & alii Hiſtorici belli *Bœrobiſtiei* meminerint. Quæ vero *ſub init.* ex *Szentivanio* connotavi, an ſe res ita habuerint? non diſputo, imo plenam Scriptori adhibeo fidem, cum credam, ipſum hæc non ex ſuis exſuxiſſe digitis, verum ex probatis connotaſſe Hiſtoricis. Habeo tamen quod notem ad A. M. 3695. Quo *Bardyles* juxta *Szentivanium* Ducem, aut Regem Pannonum egit. Univerſa enim *Bardylis* acta à Scriptoribus, nullam *Pannonum* mentionem facientibus, ſolis *Illyris* attribuuntur, quod ſi vero *Bardyles*, alias *Illyriorum* Rex, ut ſupra *cap.* 7. *num.* 2. expoſitum eſt, concedatur fuiſſe etiam Rex *Pannonum*, admittendum erit, quod eo tum *Illyrici* Regnum ſe trans *Danubium* etiam extenderit, conſequenter eadem *Pannonia* poſt obitum *Alexandri Magni* reſiduos quoque *Illyriorum* Reges, ut *Pleuratum*, ejusque filium *Agronem* (quem ſupra *cap.* 14. *num.* 6. Urbis *Agrienſis* conditorem retulimus) pro ſuo Duce aut Rege agnoverit, vel ex eo etiam, quod eundem *Agronem* copiis terreſtribus, & navalibus omnes priores *Illyriorum* Reges ſuperaſſe tradat *Polybius lib.* 2. *cap.* 4. & *Dio Caſſius* in Fragm. Qua modalitate porro *Bardyles*, & conſequenter alii usque ad *Agronem*, Reges *Pannoniorum*, ſimul & *Illyriorum* conſtituti fuerint, in defectu Scriptorum nihil concludendum, ſed conjectandum cenſeo. *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. ſcribit: *Pannones* in ſumma tranquillitate viventes habuiſſe ſuos Duces, aut Reges, ſed nullatenus notos, præter ultimos, qui temporibus *Auguſti Cæſaris* primo innotuere. Ante hos igitur poterat ab A. M. 2700. quo *Pannonius* (ut ſupra *cap.* 22. *num.* 5. inſinuavimus) Provinciam à ſe pro incolatu ſuo, ſuorumque delegerat, vel occupaverat, atque à ſuo nomine *Pannoniam* compellaverat, Regnum quoque ibidem probabiliter inſtituerat, usque ad A. M. 3695. quo *Bardylem* Regem *Illyrii* fuiſſe notavimus, adeoque intra annos circiter 990. ſucceſſio Regum, vel Ducum Pannoniorum, aut ſeminis defectu, aut ob alias rationabiles cauſas per aſſumptionem vicinioris, utpote ejusdem naſcitæ, vel fors etiam cognatæ in *Bardylem* devolvi, atque eodem tempore cum ſuis *Illyriis*, ſimul & cum *Pannonibus* invadere *Macedoniam*, & à *Philippo* Rege *Macedonum* vinci, ac profligari, Tributariusque tandem effici.

III. An reſidui poſt *Bardylem* Reges *Illyriorum* in regimine *Pannoniarum* ſucceſſerint? aſſerere non præſumo. Sed quia *Szentivanius* Differt. Paralip. *cat.* 8. agens de urbe *Agria*, pro Duce *Illyriorum*, ſimul & *Pannoniorum* nominet

minet

minet *Agronem* his verbis: *Agria à D. Stephano ædificiis eſt exculta, ab Agrianis Illyricis, Pannoniisque populis, vel rectius ab eorum Duce Agron eſt condita, longe ante Hunnorum in Pannoniam adventum.* Auſim igitur & ego conjecturam meam concludere, & dicere: Reges, vel Duces Pannoniorum fuiſſe eosdem, qui à *Bardyle* inchoando, usque ad *Agronem*, fors & ultra, fuere *Illyriorum*. Dixi: *fors & ultra*: memini namque me ſupra *cap. 4. num. 6.* inſinuaſſe *Gentium* Regem *Illyriorum* condidiſſe urbem *Mogentianam*, quæ hodie in vili oppido *Meſtrianum* dicto conſiſtit, conſequenter inferre licebit alios quoque Reges *Illyriorum*, qui poſt *Agronem* fuere usque ad *Gentium*, in *Pannonia* regnaſſe; *Gentius* etenim nullatenus ab alio Rege *Pannonum* in *Pannonia* civitatem ædificare permiſſus fuiſſet. Quando porro *Theutimus* (quem *P. Fuhrman loc. cit.* primum *Pannoniorum* Regem nominat, nos autem *cap. 18. num. 4.* à *Romanorum* exercitu *Dalmatis* ſuppetias ferentem interemptum eſſe ſcripſimus) à *Pannoniis* Regni gubernacula ſuſcepit, tempus ob Scriptorum inopiam determinare nequeo. Id tamen accidiſſe reor poſt captum à *Romanis Gentium* Regem *Illyriorum*, & ſimul, ut præmiſi *Pannoniorum*. An autem mox, vel tardius? neque conjecturari poteſt: exiſtimarem tamen potius tardius, quam citius. *Gentius* namque Regno ſuo *Illyrico* privatus fuit A. M. 3887. *Theutimus* porro interremptus eſt circa A. M. 4020. impoſſibile autem videtur, ut *Theutimus* Annis 133. regnaſſet, conſequenter cenſendum eſt, hunc multo tardius poſt *Gentii* incaptivationem in Regem Pannonum electum extitiſſe. Interempto *Theutimo* ſucceſſiſſe *Bathonem* (cujus *cap. 20. num. 3.* & *cap. 22. num. 8.* meminimus) paſſim Hiſtorici tradunt. Quamvis aliqui duos *Bathones* Reges *Pannoniorum* fuiſſe ſcribant, ſignanter *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag. 135.* his verbis: *Bathones duo, & Pinetus Pannoniæ dominantur.* Sed & de horum utroque *cap. 23. num. 9.* actum eſt, & concluſum ex *Vellejo*, & *Dione Caſſio*, unum fuiſſe omnino Regulum *Pannoniæ*, alterum Ducem *Dalmatiæ*. Nominatur tandem & *Pinetus*, quem neque Regem, neque Ducem, ſed partis alicujus *Pannoniæ* Dominatum tenuiſſe aſſerit *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par. 3. lib. 3. cap. 3.* ſed & hunc à *Tiberio* victum, atque *Romanis* ſubjugatum, tradit *Lazius* de Migr. Gent. *lib. 5. cap. 145.*

IV. His expoſitis iterum ad Geſta *Pannoniorum* cum *Romanis Imperatoribus* habita tranſire neceſſitamur. Idque primo, quod *Szentivanius*, forte per inadvertentiam omiſit, referimus ex *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par. 3. lib. 3. cap. 3.* qui id ex *Hiſtoriographo Auſtriaco* connotavit: Qualiter nimirum ad A. M. 3883. *Licinius* Conſul primus fuerit, qui ſub actuali *Macedonico* bello contra *Perſeum* habito, partem copiarum ſuarum equeſtrium, & pedeſtrium ad *Pannonios* vexandos *Bacuntium* usque *Pannoniæ* fluvium, qui nunc *Boſueta* dicitur expediverit, nihil tamen memorabilis egerit, præterquam quod incendiis, & ſpoliis urbes, ac villas *Carnuntum* usque vaſtaverit. Hoc relato ad alia progredimur. Quæ de *Theutimo* Rege dicenda erant, recenſita ſunt ſupra *cap. 18. num. 4.* Poſt cujus obitum ad A. M. 4029. populi plerique ſervitutis Romanæ impatientes, ſignanter *Dalmatæ, Mæſi, Macedones, Daci, Aſtures*, atque *Cantabri* arma corripiunt, ſeque avitæ libertati aſſerere conantur. Poſterioribus his denuo ſub jugum miſſis, ſoli primi, nempe *Dalmatæ* reſtabant, quos *Publius Silius*, ut *Florus lib. 4. cap. 12.* refert, uti & *Pannonios* his ſubſidia ferentes reciprocis aggreditur armis, qui primum impetum fortiter ſuſtinentes, ſe vinci tam facile non poſſe, *Publio Silio* demonſtrarunt: nihilominus ad A. M. 4028.

altero impetu percuſſi *Publio Silio* triumphum *Romæ* procurarunt. Ita *Faſti Capitol.* ſed necdum quietos *Dalmatas*, & *Pannones* ſimul utrisque illato bello *Tiberius* perdomuit, & in ſuam redegit poteſtatem, ad A. M. 4043. adeoque & huic ab *Auguſto*, & *Senatu* decreti *honores Triumphales*, ut ovans *Romam* ingrederetur: quod & præſtitit, poſtquam iterum ad A. M. 4044. *Dacos* in *Pannoniam* per *Iſtrum* frigore concretum transgreſſos, horumque ſocios *Dalmatas*, & *Pannones* ob acerbius exactum tributum tumultuantes compreſſiſſet. Ita *Dio Caſſius lib.* 54. & *Vellejus lib.* 2. *cap.* 44. ubi ſummatim multa complexus dicit: *Bellum Pannonicum magnum, atroxque per Neronem* (*Tiberium* intelligit) *geſtum eſt.* His ita domitis *Cæſar Auguſtus* ad A. M. 4046. iterum ſimulavit ſe deponere Principatum, quem per decennium portandum ſuſceperat, illum tamen eundemque ſub iisdem conditionibus ei in aliud decennium à *Senatu* conceſſum, ut ipſum ſucceſſoribus perennaliter ſtabiliret, denuo aſſumpſit. Ita *Brietius.*

V. Appropinquante diu deſideratiſſimo tempore, quo ſub principium Mundi appromiſſus *Meſſias* universi generis humani *Salvator* naſciturus expectabatur, multa eidem diverſis temporibus præluſere prodigia. Pacatis namque populis *Senatui Romano* infeſtis, pacatus quoque fuit orbis univerſus. Quare *Cæſar Auguſtus* neceſſitatus fuit *Jani* portas, *Belli*, *Pacisque* prodromos claudere: decuit ſiquidem *Auctorem* pacis, qui ruptum inter *Deum*, & *hominem* concordiæ fœdus redintegrare venerat, pacatiſſimo tempore progigni. Sed & ipſe *Auguſtus* appellationem *Domini*, ut homo, declinare voluit: competebat enim *Domini* compellationem *Dominorum Domino* reſervare. Idem *Auguſtus* ab *Oraculo Delphico* obmuteſcente, quod conſulebat, audiit ſequentia, nonniſi naſciturum *Meſſiam* præcinentia.

Me Puer Hebræus Divos Deus ipſe
gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque ſubire
ſub orcum,
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito
noſtris.

Reſponſo hoc accepto *Romam* rediit *Auguſtus*, atque in *Capitolio* Aram erexit cum inſcriptione: *Ara Primogeniti Dei.* Præterea Templum *Palladis* miræ ſtructuræ Romæ corruit de repente, juxta *Oraculi* vaticinium: *Tunc ruiturum, cum Virgo pareret.* Hæc, & plura prodigia Nativitatem *Emanuelis* præcurrentia habentur in *Hiſt. Miſcell. lib.* 7. *cap.* 8. apud *Diodorum lib.* 45. & 47. Item apud *Plinium lib.* 2. *cap.* 31. *Oroſium lib.* 6. *cap.* 8. *Suetonium* in Octaviano. *Euſebium* in Chron. apud *Cedrenum* in compendio, *Nicephor. lib.* 1. *cap.* 17. & *Baronium*, *aliosque.*

VI. Ad finem igitur A. M. 4053. juxta *Brietium*, in ſtabulo, extra *Bethlehemiticæ* urbis portam locato, expectatiſſimus ille tam ſupernis & infernis piis mentibus, quam univerſis mortalibus *Dei filius*, ante novem menſes in *Mariæ intemeratæ Virginis* utero, *Spiritus Sancti* opera corporatus, in lucem ſub medio noctis ſilentio prodiit, illibata *Matris* ſuæ virginitate die 25. Decembris. At qua in purpura, quo in palatio, quo ſatellitio, quibus deliciis? in mediæ noctis aura perfrigida, viliſſima inter animantia, in antro deſerto, in fœno, in palea, repoſitus in præſepio ligneo, lutoſoque. Octavo à Nativitate die, ipſis videlicet Kalendis Januarii eadem in ſpelunca circumciditur puerulus ex *Maria* natus, indito ei ex Angeli præcepto *JESU* nomine. Ita *Sacra Evangelia.* Hæc adnotare placuit ob *Æram Chriſtianam*, quæ hic incipit, *Dionyſiana* dicta, ex eo, quod eam *Dionyſius* cognomento *Exiguus* tradiderit: qua & per decurſum Chronologiæ noſtræ uſuri ſumus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

De Geſtis Illyriorum, & Pannonum poſt natum Chriſtum.

I. NAto *Salvatore* Mundi noſtrum *Illyricum*, & *Pannonia*, quam denſis errorum tenebris, & caligine infidelitatis ſepultum fuerit, facile eſt divinare. Nihil ad hos de Chriſto nato allatum, aut ſignificatum; quem contribules Judæi non agnoſcebant. Sed nec vanæ Religionis magna illis cura, aut major quam cæteris convicinis gentilibus. Armorum tractatio, & vicinæ *Romanæ* potentiæ qua metus, qua odium princeps eorum ſollicitudo, dum ſubacti de jugo excutiendo cogitant, & liberi rerum ſuarum conſervationi, ac augmento intendunt; quaſi *Princeps Pacificus* non veniſſet *Pacem* mittere, ſed *Gladium*. Nam paulo poſt ejusdem optatiſſimum Natalem iterum *Romæ* aperiri debuit *Janus*.

II. Dum gravis ad A. C. 6. fames *Romam* vexaret, *Marobodus* Rex *Marcomannorum* (nunc *Moravos* vocamus) accitis in belli ſocietatem *Pannoniis*, ac *Dalmatis* non tantum veſtavit *Macedoniam*, ſed & *Italiæ* prædabundus imminebat: ad hunc retundendum mittitur *Claudius Tiberius Nero* jam ab *Auguſto* in ſpem *Imperii* adoptatus. Hic aſſumptis in contubernium *Sentio Saturnino*, & *Corvino Meſſala* arma cum hoſte contulit, ſociorumque adjutorio repreſſit *Marobodum* tribus *Romanis* Ducibus imparem. *Vellejus lib. 2. cap. 106.* Sed & *Pannonia* ad A. C. ferox longioris pacis bono, & ſuæ virtuti fidens: quin & adulta viribus *Dalmatia*, omnibus Tractûs ejus gentibus, *Liburnis* videlicet, *Iſtris*, *Japydibus*, *Carnis*, *Noricis*, univerſis denique *Illyriis* in comitatum adductis, ex conſtituto arma corripuit. Numerus horum ad octuaginta millia excreverat: viginti millia præter hos pedeſtrium, equitum novem millia colligebantur armis habilia. Duces exercitus *Batbones* duo, & *Pinetus*. *Cellarius* Commentator *Sexti Rufi* (Bathonem unum ut *cap. 23. num. 9.* dixi) aſſerit fuiſſe *Pannonium* ex *Suetonio*, alterum *Dalmatam* ex *Dione Caſſio*.

III. Coadunato ergo exercitu, conſilioque inito, pars una *Italiam* petere, altera in *Macedoniam* irrumpere ſtatuit, parte tertia relicta ad ſarcinas ſedibus ſuis cuſtodiendas. Pars quæ *Macedoniam* verſus iter arripuerat, oppreſſis *Civibus Romanis*, trucidatis negotiatoribus, magno vexillariorum numero ad internecionem cæſo. *Macedoniam* ingreſſa, loca ejus ubique igne, ferroque vaſtavit. Pars altera *Italiam* tendens *Meſſalinum* Præfectum *Illyrici* in *Dalmatia* circumvenit, eumque una cum cohortibus *Auli Cæcinnæ*, & *Sylvani Plautii*, quas hi ex transmarinis duxerant Provinciis, auxilio *Rhemoëtalcis* Regis *Thraciæ*, clade quaſi exitiali fudit, & proſtravit. Pars tertia ad cuſtodiendas ſarcinas relicta, intellectis felicibus ſuorum ſucceſſibus, *Pannoniam* ingenti obſederat multitudine, ne *Romanorum* exercituum ad eam pateat acceſſus. Tantus hujus belli metus fuit, ut ſtabilem illum, & firmatum bellorum experientiâ *Auguſti* animum concuteret, inquit *Suetonius*. Hinc habiti mox novi delectus, revocati undique veterani, viri, fæminæ ex cenſu libertinum coactæ dare militem, *Senatorum*, *Equitumque*, *Romanorum* exactæ ad hoc bellum operæ promiſſæ. Dux Belli poſtulatus *Claudius Tiberius*.

IV. Sed cum *Tiberius* tardius ad belli Theatrum comparuiſſet, cruenta ſuorum clade intellecta, mirum in modum indoluit, pacaſſe tamen nonnihil ſuo adventu Malecontentos, vel exinde colligere licet, quod & majorem deducti ſecum exercitus partem dimiſerit, & ipſe *Siſſium* ad hyberna conceſſerit. Medio tempore *Tiberius* ſuſpectus cœpit eſſe *Auguſto*, quaſi bellum de induſtria, ad ſui oſtentationem, in *Dalmatia*, & *Pannonia* protraheret. Miſſus igitur A. C. 8. *Quæſtor Germanicus* cum copiis, quibus in *Pannonia* plures acceſſêre, ut in unius *Germanici* caſtris decem Legiones numerarentur: *Tiberio* vero ſeptuaginta cohortes, alæ quatuordecim, & notabilis numerus voluntariorum remanſerint. Tantus tamen exercitus nihil memoria dignum egit, niſi quod *Germanicus Macceos* (aliqui ſcribunt *Maseos*, & *Mezeos*: *Szentivanius* nominat *Macros*, ſcriptor Domeſticus *Ritterus Marrinos*, Slavonice *Makarſchane*) gentem *Dalmaticam*, quæ ſibi ad liberas populationes, ſub prætextu pabulationum viam aperuerat, prælio vicerit.

V. Dum *Germanicus* ad A. C. 9. oppugnabat validam *Dalmatiæ* urbem (cujus nomen Hiſtorici ſubticuerunt) ubi miſſili ſarco in murum conjecto, pinnas ita concuſſit, ut ſtatim cum viro iis incumbente corruerit. Cives eo caſu perterriti, relictis muris in arcem confugêre, ſed nec ibi ſatis firmo præſidio muniti, oppugnantis iram deditione ſpontanea prævenerunt. *Batho* etiam *Pannoniæ* Rex, qui concitatis ad rebellionem *Dalmatis*, eisdem ſuppetias ferens ſe per tranſactionem una cum *Pinnto* Duci *Germanico* commiſit. Hic poſtridie pro tribunali ſedens, ad ſe adductum *Bathonem* interrogavit? *Quare ſui rebellaſſent? Scito*, reſpondit: *Quia Lupos, non Canes, ad regendos populos ſuos Romani adhibuiſſent.* Audax, ſed vera pro eo tempore objurgatio. In ambiguo belli fine conſtituti *Pannonii*, & *Dalmatæ*, atque fame primum, & morbis potius, quam armis oppreſſi pacem petiere, ſed quo minus eam impetrarent, per eos ſtetit, quibus aut ex pace nullum commodum, aut apud *Romanos* nulla ſpes conſequendæ ſalutis.

VI. Bello huic usque adeo intentus erat *Auguſtus*, ut rejectis in *Senatum* curis, ipſe *Ariminum* conceſſerit, quo *Dalmaticis*, & *Pannonicis* rebus propior, ex nutu ſuo dirigeret exercitum, jam olim ad *Metulum* expertus, quam fortes, & ſtrenuos Heroes contra *Romanos* gigneret *Dalmatia*. Ergo *Auguſti* juſſu *Germanicus* cum exercitu A. C. 10. *Recatinam* (hodiernam *Poſegam*) urbem *Dalmatiæ* profectus ibidem damnum tulit. Cum enim *Cives Recatini* viribus ſe impares cognoviſſent, ignem intra mœnia, & in vicina ædificia injecerunt, qui non prius emicaret, quam *miles Romanus* inter mœnia & domos admiſſus eſſet, ipſi ſeſe in arcem recepêre. Ejus rei ignari *Romani*, dum animoſe irrumpunt, & arcem ingredi parant, intra ignis ambitum ſe deprehendunt, cum deſuper telis petuntur, multi periere, paucis per ipſas flammas evadentibus. *Auguſtus Tiberium*, qui interim *Romam* redierat, expoſcit à Senatu in *Dalmatiam* pro terminando hoc bello mittendum. Paret is, & cum videret milites moræ impatientes, etiam cum periculo finem belli poſtulare, copias tripartito diviſit: & unam *Syllano*, alteram *Lepido* dedit, cum reliqua ipſe, & *Germanicus* adverſus *Bathonem Dalmatam* interemptorem *Bathonis Pannonii* movet. *Syllanus*, & *Lepidus* haud difficulter ſuos adverſarios, utpote pluribus in locis diſtractos domuerunt. *Tiberius* autem omnem fere pervagatus eſt Regionem, *Bathone* in diverſa loca fugiente, quem tandem in *Anderio* caſtello

pene

pene inexpugnabili ad deditionem compulit. De his *Romanorum* contra *Dalmatas*, & *Pannonios* bellis ſcribunt *Dio Caſſius lib. 55. Suetonius lib. 3. cap. 16. Eutropius lib. 7. cap. 15. Sextus Rufus* in Brev. *cap. 7. Oroſius lib. 6. cap. 21. Vellejus lib. 2. c. 109.* Qui ſe comitem in his expeditionibus *Tiberii* fuiſſe gloriatur.

VII. Taliter ergo *Bellum Pannonicum*, & *Dalmaticum* ſimul confectum eſt. Vocat illud *Suetonius* graviſſimum omnium bellorum externorum poſt *Punica*. Hoc *Tiberius* triennio geſſit, & quamvis ſæpius revocaretur, tamen perſeveravit, metuens, ne prævalens hoſtis inſtaret ultra cedentibus, ac grande, ut *Suetonius* aſſerit, pretium tulit, toto *Illyrico*, quod inter *Italiam*, *Noricum*, *Thraciam*, *Macedoniam*, interque *Danubium* flumen, & ſinum *Maris Adriatici* patet, perdomito, & in deditionem redacto. Hac occaſione primo *Pannones*, *Dalmatæ*, *Liburni*, *Japydes*, *Mœſi*, *Daci*, *Iſtri* reſiduique *Illyri*, deſperata libertate ſeſe *Romanis* conſtanti fide ſubdiderunt. Victoriæ nuncium *Romam* tulit *Germanicus*, ubi *Auguſto*, & *Tiberio* nomen *Imperatorium* auctum, & confirmatum, ac *Triumphus* decretus. Quonam *Pinetus* Dux *Pannoniæ* devenerit? nulla fit mentio apud Scriptores, præterquam apud *Vellejum*, qui eum captum pronuntiat. De *Bathone* deditione accepto *Suetonius* notat, eum ingentibus donatum prœmiis *Ravennam* translatum, ubi eum in honeſto quidem, ſed duro cordi exilio, & areſto mortem obiiſſe credendum eſt. Sic fata coronatis etiam capitibus illudunt.

VIII. Nondum *Pannoniis*, ac *Dalmatis* ex aſſe crediſiſſe *Auguſtum*, & *Tiberium* exiſtimat *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag. 139.* Ex quo ad A. C. 12. *Germanicus* juſſu *Auguſti* in *Illyricum* proficiſci debuerit. *Exercitus* quidem *Romani* in *Illyrico* per Præſidia diſpoſiti contra novitates invigilabant, ſed *Auguſto* ſuſpecta ſemper gens, quæ ſæpe domita, cervices ſæpius erexit, & feliciter ſæpiſſime contra invictos arma tractavit: hanc tamen ſingulari induſtria *Junii Blæſi* in officio retentam animadvertit *Germanicus*. Nihilominus *Auguſtus* decem Legiones *Pannoniis*: totidem *Dalmatis* intertenendas impoſuit: quo factum, ut *Illyri* in ſumma pace *Romanos* coluerint. Hæc *Vellejus lib. 2. cap. 125.* Compoſita in *Illyrico* pace *Cæſar Auguſtus* morbo, & ſenio confectus vitam clauſit A. C. 16. Principum ſummus, qui prudentiâ fortunam emendans, vix Adoleſcens ſibi *Imperium* comparavit, oppreſſisque æmulis fortitudini, & ſapientiæ debuit, quod regnarit: hic *Imperio* uſus *moderato* ſibi ſecuritatem, poſteris perennitatem peperit: electus e pluribus, qui bellis extinctis, *Chriſto naſcenti* orbem componeret ad pacem: ut vivus amori, ſic à vita luctui fuit, adeo virtus per oppoſita magis eluceſcit. Nam ſucceſſorem *Tiberium* privignum dixit, qui virtutum ſpecie ingentia prætexens vitia, mox oſtendit, quanta eſſet clades peſſimus Princeps, nec *Auguſtum* fulgere ſplendidius, quam in *Tiberio*, qui ſtatim, veluti ex *Auguſti* voluntate, cædi juſſit *Agrippam*, ne quis ejus ingenio ad res novas abuteretur. Recuſabat interea *Tiberius Imperium*, annos jam natus 55. cui ſe parem negabat eſſe, cum tamen ejus inſanâ cupiditate flagraret: quare ſapienter à quodam *Conſule Romano* acclamatum: *Aut agat, aut deſiſtat.* Tandem quaſi renitens, & invitus ſuppoſuit humeros oneri pretioſo. *Suetonius lib. 2. cap. 97. Tacitus* Annal. *lib. 1. Dio Caſſ. lib. 58.* Et *Vellejus lib. 2. cap. 123.*

IX. Hic igitur *Tiberius* poſt *Auguſtum* à Nato *Chriſto* primus *Illyrii* noſtri *Princeps* cenſendus eſt: qui vix gubernii ſceptrum gerendum aſſumpſit, mox *Romano-Pannonicas*, & *Dalmaticas* Legiones ſeditio inceſſit, nul-

Digitized by Google

nullis novis cauſis, ſed quod mutatus Princeps licentiam turbarum, ex civili bello ſpem præmiorum concepiſſent. In quanto tamen diſcrimine tunc res *Romanorum* apud *Pannones*, & *Dalmatas* verſarentur, ſollicitudo *Tiberii* manifeſtavit. Is enim mox *Druſum* filium cum primoribus urbis, duabusque cohortibus ad ſedandos tumultus mittere in *Illyricum* coactus eſt. Appropinquanti *Druſo* quaſi per officium obviæ fuere Legiones, quanquam triſtitiam imitatæ, contumaciæ tamen propiores: nihilominus & *Druſi* adventu, & Lunæ defectu, quem eo tum, rationis ignaræ, velut ominoſo, à ſeditione deſtiterunt. Hæc *Megiſerus lib. 3. cap. 15.* & *Brietius*.

CAPUT XXVI.

De Potentia Romanorum ante, & poſt natum Chriſtum.

I. SIquidem in præmiſſis, ſignanter in *Chronologia* frequentiſſime *Romanorum* mentio habita, ſæpiſſime etiam in poſterioribus habenda ſit, non abs re erit breviter accreſcentem eorundem potentiam ab ôvo, ut ajunt, referre. Ab urbe *Roma* condita usque ad *Chriſtum* natum numerantur anni 754. ſub *Regibus* propriis anni 243. ſub *Conſulibus* 467. reſidui vero 54. attribuuntur partim *Cajo Julio Cæſari*, partim *Octaviano Auguſto*. Quamvis aliqui è veterioribus, ut *Aurelius Victor*, & *Jovonius* excluſum habere velint ex *Imperatorum* cenſu *Julium Cæſarem*, quod poſt necem ipſius anno proximo Gubernium omnium *Provinciarum Romanorum* ad Conſules *Panſam*, & *Hirtium* redierit. Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc eſt *Regio*, *Conſulari*, & *Imperatorio* mirum in modum profecit *Roma*.

II. Sub *Regibus* 7. per annos 243. non amplius quam usque ad portum *Tiberis* amnis, atque *Oſtiam* (gemino oſtio *Tiberis* in *Mare* defertur, ad latus dextrum eſt portus, inſtar oppidi portum habentis, ad ſiniſtrum *Oſtia*, prima *Romanorum* colonia. Ita *Philoſtorgius lib. 12. cap. 3.* & *Procopius* Hiſt. Gothicæ *lib. 1. cap. 26.*) intra ſpatium 18. milliarium à portis urbis *Romæ*, utpote adhuc parvæ, atque à Paſtoribus conditæ, quam finitimæ circum civitates premerent, *Romanum* extendebatur *Imperium*.

III. Sub *Conſulibus* 867. præter eos, qui in eundem annum forte aliquâ ſubrogati ſunt, inter quos nonnunquam & *Dictatores* fuere, per annos ſimul 467. usque trans *Padum Italia* occupata eſt: *Africa* ſubacta, *Hiſpaniæ* acceſſerunt: *Galliæ*, & *Britanniæ* tributariæ factæ ſunt. Inde *Illyrici*, *Iſtrii*, *Liburni*, *Dalmatæ* domiti ſunt: ad *Achajam* tranſitum eſt: *Macedones* ſubacti: cum *Dardanis*, *Mæſis*, & *Thracibus* bellatum eſt: etiam ad *Danubium* usque perventum eſt. In *Aſia* expulſo *Antiocho*, primum pedem poſuêre *Romani*: *Mithridate* victo, *Ponti* Regnum occupatum; & *Armenia minor*, quam idem tenuerat, armis obtenta eſt: In *Meſopotamiam* pervenit exercitus: cum *Parthis* fœdus initum eſt: contra *Carduenos*, ac *Saracenos*, & *Arabes* bellatum eſt, *Judæa* omnis victa eſt: *Cilicia*, & *Syria* in poteſtatem populi *Romani* venerunt. Ægypti Reges fœderati erant.

IV. Ac tandem ſub *Imperatoribus* ab *Octaviano Cæſare Auguſto* usque ad *Jovi-*

Jovinianum 44. (*Cellarius* Comment. in *Sext. Ruf.* aſſerit: hunc *Imperatorum* numerum eſſe majorem, quam apud *Euſebium*, & *Caſſiodorum* habeatur; hi enim *Galbam*, *Othonem*, *Vitellium*, *Verum* &c. poſtponunt) per annos 47. quum diverſa *Reipublicæ* fortunâ multi *Principes* imperarent: acceſſerunt tamen *Alpes Cottiæ*, *Rhetiæ*, *Noricæ*, *Pannoniæ*, *Mœſiæ*; & omnis ora *Danubii* in Provinciam eſt redacta; *Pontus* omnis, *Armenia major*, *Oriens* totus, cum *Meſopotamia*, *Aſſyria*, *Arabia*, & *Ægypto*, ſub *Imperii Romani* jura tranſivit: *Marcomanni*, & *Quadi* pulſi, *Germani*, *Dacique* debellati. Ita *Sextus Rufus* in Brev. *cap.* 3.

V. Quo porro ordine ſingulas Provincias *Romana Reſpublica* aſſecuta ſit? cum longum foret enarrare, benevolum Lectorem remittendum cenſuimus ad *Breviarium Sexti Rufi*: Illius tamen non meminiſſe nefas foret, quod *Romani* cum nulla enumeratarum *Provinciarum* natione, pro earum ſubjugatione tantum ad agendum habuerint, quantum cum *Illyrica*; ſiquidem *Suetonius*, ut ſupra etiam inſinuavimus, bellum *Dalmaticum*, & *Pannonicum* pro *Illyrico* nominet, omnium bellorum externorum graviſſimum, poſt *Punica*, aſſeverare non dubitaverit. Imo ipſemet *Cæſar Auguſtus*, atteſtante eodem *Suetonio*, in *Senatu* conſidens, cum inter loquendum *Marci Antonii* inertiam explicuiſſet: *Illyricam gentem præ cæteris bellicoſiſſimam, & ſe moleſtiſſime ſæpe numero infeſtantem*, declaraverit.

CAPUT XXVII.

De Ordinatione finium Illyrii per Romanos inſtituta.

I. POſtquam fauſtiſſima fortuna favente, ingenio perſpicaci, conſilioque provido regente Romani primo *Gentium* Regem *Illyriorum*, dein etiam *Macedonum Perſeum* ſui effeciſſent juris, titulosque Regios, juraque Regiæ dignitatis his in Regnis ſuppreſſiſſent, *Illyriumque* totum, id eſt: *Liburniam*, & *Japydiam*, *Mœſiam*, & *Dalmatiam*, quæ hodie *Croatia*, & *Slavonia* dicitur: tandem etiam & *Macedonidm* ſubjugaſſent, ſibique viam bellici progreſſus in *Pannoniam* aperuiſſent, omnes ſupra nominatas Provincias unico *Illyrici* vocabulo vocitabant. Ita *Pr. Fuhrman* ex *Strabone lib.* 2. & 7. & ex *Herodiano lib.* 6. Hiſt. *cap.* 7. Idipſum confirmat *Appian.* in Illyr. Quia vero ſenſim, & ſenſim in *Pannoniam* partim ex *Macedonia* partim ex *Illyrico* pluribus tentatis irruptionibus progrediebantur, quidquid de ea ſubjugare contingebat, id *Illyrico* adnectebant. Hinc orta eſt apud ſcriptores diverſitas opinionum circa Metales *Illyrii*, cum ii diverſis temporibus diverſimode etiam adnotari debebant. Hos enim aliter *Græci*, ac aliter *Latini* ſeu *Romani* locabant, *Geographique* horum ſignabant: aliter priores, & aliter poſteriores ſcriptores determinabant. Ut autem ex opinionibus Hiſtoricorum, & Geographorum genuinos *Illyrii* fines eruere valeamus, ſentimenta plurium audire neceſſum erit.

II. De iis, qui ſub initium conditi *Illyrii* fuerunt, & qui ſucceſſive aucti ſunt, egimus *cap.* 4. hic diſcuſſuri eos, quos tempore gubernii *Romanorum* probati deſcripſerunt Authores. Horum primus eſt *Strabo*, qui A.C. 19. floruit. Cujus tempore apparet, habuiſ-

Digitized by Google

buiſſe *Illyricum* longe ampliores fines, quam *cap. cit.* indigitaverimus. *Iſte* etenim eos Geograph. *lib.* 7. ſic innuit: *Primo igitur loco Illyrica dicamus, quæ & Iſtrum & Alpeis attingunt, ſita intra Italiam, & Germaniam, initium ducentia à lacu, qui eſt apud Vindelicos, & Rhetos, atque Helvetios*: videlicet, ut explicat *Fr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. Verſus Orientem probabiliter *Cymerii montes*, verſus meridem pro certo *Mare Adriaticum*, & *Italia*, verſus occidentem *Lacus Podamicus*, verſus ſeptentrionem *Danubius* & *Germania* pro metalibus *Illyrii* extitere. Conſequenter *Illyricum* eo tum ſuo circuitu complectebatur modernam *Vindelitiam*, *Rhetiam*, partem *Helvetiæ*, *Noricum* & *Pannoniam*, id eſt: actualem *Bavariam*, *Auſtriam*, *Tyrolim*, diſtrictum totum *Salisburgenſem*, *Carinthiam*, *Styriam*, *Carnioliam*, præterea *Iſtriam*, *Liburniam*, *Dalmatiam*, *Croatiam*, *Slavoniam*, totamque *inferiorem Hungariam*, & *Bosnam* integram cum *Servia*, ac majori parte *Macedoniæ*. Quibus perpenſis *Herodianus lib.* 6. *cap.* 7. ſubſcribere videtur, dum dicit: *Illyricæ gentes ſolæ diſcrimen faciunt inter Italiam, & Germaniam.*

III. Poſt *Strabonem* unico Anno vixit *Pomponius Mela qui lib.* 2. *cap.* 3. ſcribit: *Illyris usque Tergeſtum, cætera Gallis, Italicisque gentibus cingitur.* Et paulo poſt: *Tergeſtum in intimo ſinu Adriæ ſitum finit Illyricum*; quaſi diceret: *Illyrium* usque *Tergeſtum*, quæ civitas in *Adriatici Maris* litore ſituata eſt, ubi Metales *Illyrii* fuerunt: de reſiduo vero hæc Provincia ex parte *Italicis*, ex parte vero *Gallicis*, ſeu *Germanicis* populis cingebatur. Poſt hunc *Ptolomæus* alter *Græcus* ſcriptor fines *Illyrii* definit pro ſuo modo *lib.* 2. *cap.* 17. dicens: *Illyris terminatur à ſeptentrionali plaga utraque Pannonia, ab occaſu vero Iſtria, ab ortu vero ſuperiore Myſia per lineam, quæ à dicto divertigio Sai fluminis usque ad finem, qui juxta montem Scardum eſt, extenditur: à meridie tandem terminatur parte Macedoniæ, & usque ad Adriam pertingit, & hinc latere Adriatico usque ad dictum Iſtriæ limitem.* Hæc *Ptolomæi* metalium *Illyricorum* adnotatio, quemadmodum obſcura eſt, ita huic tempori, id eſt: *Tiberianæ* ordinationi crica A. C. 18. factæ nihil deſervire videtur, ſed potius temporibus poſterioribus, quibus *Illyricum* in plures Provincias dividebatur; de quo agemus infra *cap.* 29.

IV. Inter omnes hos nullus, meo videri, melius *Illyrii* limites determinavit, quam *Appianus Alexandrinus* (qui circa tempora A. C. 150. vixit) induſtrioſam certe, ſolertem, ac ſagaeem adnotationem faciens de diverſitate plurium opinionum, quoad definitionem *Magni Illyrii* diverſam ex diverſitate ſcriptorum diverſæ nationis provenientium: ſiquidem prædictos fines aliter *Græci*, aliter *Latini*, ut paulo ſupra inſinuatum eſt, dimenſuraverint. De prioribus itaque (id eſt *Græcis*) citatus *Appian.* in Illyr. apud *Schönlebenium* & *Steph. Abb. Gradii Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodem* ſic diſſerit: *Illyricos Græci eos exiſtimant, qui ſupra Macedoniam, & Thraciam à Chaonibus, & Thesprotis ad fluvium Iſtrum ſedes habent: Hæc enim Provinciæ totius longitudo eſt, amplitudo ejus ex Macedoniæ, & Thraciæ montibus ad Pæones usque, & Jonium mare, Alpiumque objecto protenditur, quo dierum quinque iter continent: Longitudo triplo productior.* Hic bene notandum *Pæones*, de quibus hoc textu agit *Appianus*, non eſſe *Pannones* noſtros, ſed *Pæones*, qui in finibus *Macedoniæ* habitare dicebantur *cap.* 22. *num.* 2. De poſterioribus porro, id eſt: *Romanis* ſeu *Latinis* ſcriptoribus idem *Appian.* loc. cit. habet ſequentia: *Romani non hos duntaxat, ſed Pæones ultra eos, nec non Rhetios, Noricos, & Myſios qui Europam incolunt, & quorcunque alios his finitimos, qui Iſtrum à* dex-

dextra navigantibus ſeſe offerunt, viciſſim & Hellynes à Græcis diſtinguunt, eosque propriis appellationibus ſeparatim nominant: cæterum communi vocabulo Illyrios omnes arbitrantur: ab Iſtri ortu enim, usque ad Mare Ponticum Illyrici eſſe voluerunt. Quippe tributum harum nationum inter fontes Iſtri, & Mare Ponticum ſitarum, tanquam unum exigunt, & Illyricum tributum vocant. Hic denuo notandum bene venit: *Pœones*, de quibus iterum hoc textu mentionem *Appianus* facit: omnino eſſe *Pannones* noſtros, & non *Pœones* in *Macedoniæ* finibus habitantes. Memorata hæc *Appiani* metalium Illyrii deſcriptio etiam cum *Strabonis*, & *Herodiani* opinione optime concordat. Opponet fors quis: qualiter *Appianus* natione *Græcus* hæc tam ex aſſe noviſſet? aſt audiat ipſummet *Præfatione in ſuas Hiſt. Rom. ad finem* reſpondentem, his verbis: *Quis vero hæc ſcribam, multi norunt, & ipſe ante docui: ut autem apertius dicam: Alexandrinus ſum, honeſtiſſimo loco habitus in patria, verſatusque Romæ in agendis cauſis apud Auguſtorum Tribunalia, donec me inter ſuos Procuratores aptaverunt.* Poterat igitur *Appianus Romæ* in *Curia* converſatus ab ipſis *Romanis* informatus, non hæc ſolum, verum & alia quam plurima, quæ de *Bellis Romanis* conſcripſit, cum rei veritate notitiæ poſterorum in ſuis commentariis relinquere.

V. Textibus *Appiani* ſimillima *Suetonius* in *Tyberio Illyricum* ſubigente inſinuat, dum *cap. 16.* ſcribit: *Perſeverantia grande præmium tulit, toto Illyrico, quod eſt intra Italiam. Regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & ſinum Maris Adriatici patet, perdomito, & in deditionem redacto.* Hoc autem accidiſſe ſcribit *Ritterus* in Chron. prouti & ego *cap. 25. num. 6.* adnotavi, ad A. C. 10. quo *Illyri* concitantibus eos *Pannoniis* ſervitutem *Romanorum* excutere attentabant, hosque præattactus *Tiberius* coercitos ſubjugavit. Præmemoratus ergo *Appian.* proprios *Magni Illyri* fines pro temporibus *Tiberii* ſtatuit, qui nihilominus in continua *Romanæ Monarchiæ* accreſcentia magis adhuc dilatabantur; His etenim acceſſit etiam *Dacia*, quæ *Citerior* dicta, atque in *Mediterraneam*, & *Ripenſem* diviſa fuit, in tractu illo, ubi nunc *Bulgariam* notant *Geographi.* Hanc *Trajanus* A. C. 101. *Romanæ* adjunxit poteſtati, conſequenter *Illyricum* ultra *Danubium* etiam ſe extendebat: idque colligitur ex *Epiſtola Valerii* ad *Ablavium Muræenum* de electione *Claudii* ſui ſucceſſoris ſcripta, in qua hæc leguntur: *Dux factus eſt, & Dux totius Illyrii: habet in poteſtate Thracios, Mæſios, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus.* Ita *Trebellius Pollio* in *Valeriano.*

VI. Ex ſupradictis itaque *Illyricum* juxta hodiernam *Geographiam* complexu ſuo tenuiſſe, cenſendum eſt, *Valachiam ſuperiorem, & inferiorem, Hungariam, Serviam, Raſciam, Bulgariam, Bosnam* majoremque partem *Græciæ, Slavoniam, Croatiam, Dalmatiam, Iſtriam, Liburniam, Styriam, Carnioliam Carinthiam*, & *Vindorum Marchiam.* Item *Salisburgenſem diſtrictum, Sueviam, Tyrolim*, partemque *Helvetiæ, Bavariam*, & *Auſtriam cis Danubianam.* Quæ *Illyrici* extenſio vivente etiam *S. Hieronymo* viguiſſe colligitur ex ejusdem *Epiſtola*, quam in hac materia ad *Geruntium* ſcripſit his verbis: *Olim à Mari Pontico, usque ad Alpes Julias non erant noſtra, quæ noſtra ſunt.* Subintelligit: *Illyrica:* quem ſequitur *Cluverius*, qui *Illyricum* à *Gallia, Lacuque Brigantino* pariter ad *Pontum Euxinum* protendit. Sicque accepti *Illyrici* limites fuere: *Mare Ponticum, Ægeum*, & *Adriaticum, Græcia, Italia, Gallia, Germania*, & *Danubius. Pontus* autem *Europæus*, ſeu *Mare Ponticum* pertinebat ad *Mæſiam inferiorem*, nunc *Bulgariam*, ut vult *Piachevich*

Digitized by Google

vich in ſua Geograph. *de Illyrico.* Item *Philippus Ferrerius* Topograph. in *Martyrologium Rom.* Nam *Tomos* urbem ſtatuit in *Mœſia inferiori*, illamque nunc *Preſlavicʒam* vocitari ſcribit. *Alpes* porro *Juliæ* (quæ ſunt in limitibus *Carnioliæ*, & *Fori Julii*) nunc nominantur *Slavonico* idiomate *Hruſchicʒa*, *Germanico* vero Pürnbaumer-Wald. Atque hæc de ordinatis per *Romanos* finibus *Magni Illyrii* ſufficiant, usque dum ad ejusdem pertigerimus Diviſionem: nunc ad *Chronologiam* noſtram paſſum referimus.

CAPUT XXVIII.

De Geſtis Illyriorum ſub Romanis Imperatoribus.

I. COntinuaturi Chronologiam noſtram unius *Illyrici* nomine uti decrevimus, usque dum ad ejusdem pervenerimus diviſionem, quandoquidem univerſæ Provinciæ in *Illyrico* comprehenſæ ab ipſismet etiam Romanis unico *Illyrici* vocabulo compellabantur. Hujus incolæ *Junio Blæſo* melius, quam antea parere coacti ab armis quieverunt, cum nec tacitùs ſub pectore volvere poterant, ut ea adverſus *Romanos* tam potentes hoſtes, quibus undique cingebantur, ſuſciperent, præſertim cum per totum *Illyricum* Præſidiaræ copiæ, Legionesque diſpoſitæ extitiſſent: ubi eas *Druſus* juſſu parentis *Tiberii* A.C. 19. & 20. luſtrabat: qui A.C. 21. *Romam* revocatus à Parente in Tribunitiam poteſtatem evectus *Cenſor Imperii* à Senatu agnoſcitur: ſed huic invidia *Sejani* lentum propinat venenum, ex quo lente contabeſcens *Candidatus Imperii* moritur. *Tiberius* interea ex optimo in peſſimum mutatus Principem ſeceſſit in *Campaniam*, ubi *Reipublicæ* curam omnem pene deponens Veneri, & crapulæ indulſit, neque Præſides Provinciarum mutavit, data eis tacita licentia prædandi, atque furandi. Hinc *Daci*, & *Sarmatæ* ſuperato *Danubio* in *Illyricum* infuſi ingentes ibi populationes ſede exercebant. *Sueton.* in Tiberio. *Dio Caſſ. lib.* 57. *Tacitus lib.* 2. *cap.* 129. *Victor.* Epit. *cap.* 10.

II. Adventante tandem tempore, quo Sol Veritatis, hucusque in privato degens univerſo Mundo, conſequenter & *Illyrico* noſtro media pro æternæ vitæ præmiis conſequendis dictaturus oritur, merito paucis hic ejusdem ſanctiſſima geſta inter noſtra *Illyrica*, *Illyrio* etiam profutura perſtringenda exiſtimavi. Prodiit etenim è latebris privatæ vitæ A.C. 30. ipſemet *Salvator Mundi* nomine JESUS CHRISTUS (quem *cap.* 24. *num.* 6. natum in *Bethlehem* retulimus) æternæ ſapientiæ arcana Mortalibus revelaturus: ſed prius in morem peccatoris baptizari vult à *Joanne*, adit deinde Eremum, & 40. dies jejunando, orando, vigilandoque traducit, tentatus ibidem à Diabolo victoriam in publicum reportat. Convocat dein Apoſtolos homines piſcatores, & rudes, inter quos primas tenuere *Petrus*, & *Andreas*, quibuscum, ſuaque ſanctiſſima Matre intereſt Nuptiis in *Cana Galilææ*, ubi aquis in vinum converſis, oſtendit quantum ſupra hominem poſſet. Venit poſtea *Hieroſolymas* ad celebrandum *Paſcha*, obitoque hoc religioſo opere, *Judæam* per integrum triennium peragrabat, in qua infinitis patratis miraculis, animabusque, atque corporibus mortalium providebat. Sæpius tamen medio tempore *Hieroſolymam*, utpote Regum, & Pontificum *Judæorum* ſedem, inviſebat, ibidemque cum Legis peritis, Scribis, ac Phari-

ſæis

ſæis de lege diſputabat, ſeque *Deum*, & *Hominem*, ac verum *Meſſiam* ſub parabolis dictitabat. Sed cum odium potius, quam amorem apud eos propterea incurriſſet, prædixit ſe ex *Gentibus* potius, quam ex *Judæis Eccleſiam* ſuam fundaturum.

III. Hinc A. C. 34. Paſchate inſtante *Hieroſolymam* petiit pro ſalute omnium hominum Crucis ſupplicium ſubiturus, quo cum perveniſſet, habita cum Apoſtolis cœna Paſchali, pro ultimo, atque perenni amoris ſui erga genus humanum ſigno, conſecrando panem, & vinum inſtituit ſui *pretioſiſſimi corporis*, & *ſanguinis Sacramentum.* Quod omnibus, & ſingulis in futurum etiam communicandum, eo tum decrevit, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Abſoluta cæna, receſſit *Chriſtus* ad montem *Oliveti* Patrem oraturus, in quo nocte concubia à *Juda* ductore, à *Pilati* ſatellitio comprehenſus, in *Prætorium* adductus, à militibus, & populo, ſcribis, & Phariſæis inſtigantibus ludibrio habitus, per *Tribunalia* ſpiritualia *Annæ* & *Caiphæ*, item ſæcularia *Herodis*, & *Pilati* circumductus, ſerviliter cæſus, diris impetitus, ſpinis coronatus, cruci demum in monte *Calvariæ* affixus, poſtquam *Legem Moſaicam* conſummatam eſſe pronunciaſſet, expiravit. *Chriſto* in Cruce mortuo, vehementi terræ motu concuſſa eſt tellus, tenebris obductum cœlum, multaque alia prodigia acciderunt. *S. Dionyſius Areopagita* tradit terræmotum hunc, & tenebras per univerſum mundi circulum animadverſas fuiſſe, conſequenter & in *Illyrico* noſtro, ſed quid pro eo tempore juvit? ſi illi, ad quos *Salutis Verbum* venerat, *Judæi*, gens alias à *Deo* electa, eum non recognoverunt: qualiter ex his ſignis *Illyri*, gentilitatis tenebris aliunde involuti, eum nunquam viſum, ſed nec ex auditu pro hoc tempore cognitum ſuſcepiſſent, ſuo tamen tempore cognituri, doctrinamque ipſius amplexuri, ac fideliſſime conſervaturi.

IV. Sepulturam depoſiti de Cruce *Salvatoris* curavit *Joſephus* ab *Arimathæa*, corpusque ſacratiſſimum ſindone involutum ſaxeo condidit monumento, quod tertia die reſurrexit glorioſum, apparens Sanctiſſimæ *Matri* ſuæ, *Mulieribus* id ungere volentibus, ac tandem *Apoſtolis*, quibuscum, dum per 40. dies ſanctiſſime converſatus fuiſſet, eos plena ſacerdotali poteſtate donat, *Petrum* imprimis, cui *Navis Eccleſiaſticæ* clavum regendum contulit, prærogativa inter alios ſingulari. *Apoſtoli* tandem die quadrageſimo juſſi conſcendere *Oliveti* montem, interfuere glorioſæ *Magiſtri* ſui Aſcenſioni, glorioſiſſimo triumpho, utpote in comitiva *Sanctorum Patrum* de *Limbo* eductorum, ac *Cœleſtium Angelorum* peractæ; qua animati, & confirmati rurſus *Hieroſolymam* reverſi; ubi ſubſtitere usque ad adventum *Paracleti*, à quo mire incenſi, inſtructique opus longè maximum aggreſſi, *Orbem terrarum*, ut ipſis impoſitum erat, *Chriſto* ſubdere ex compoſito decreverunt. Hæc ex Sacro Evang. *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, & *Joannis.*

V. Noſtri hoc tempore *Illyri* in altiſſima ſuperſtitionis nocte communes *Romanis*, quorum jam mores imbiberant, colebant Deos *Solem*, *Lunam*, *Vulcanum*, *Herculem*, & *Martem*, aliosque quivis pro libitu ſuo, ut ſcribit *Julius Cæſar* de Bell. Gall. lib. 6. Quin & *Diomedis Phanum* erat ad fontes *Timavi* in *Illyrico*, cui candidis equis in Mare præcipitatis ſacrificabatur, ut notat *Palladius lib. 1.* & *Strabo lib. 5.* Et quemadmodum ſingulæ nationes *Idololatriæ* deditæ, ſingulares, ſibique ſpecialiter aſſumptos, ſpeciali cultu adorabant Deos, ita *Illyrica* quoque, ſignanter *Henetica*, ſeu *Slavonica* quendam ſuperſtitioſum Deum nomine *Ladum* venerabantur,

Digitized by Google

ut teſtatur *Ritterus* in Natali Solo S. Ladislai R. H. *pag. 44.* In cujus honorem certum hymnum, idiómate vernaculo concinnato, in cujus quolibet verſiculo *Ladus* ad ter repetendo invocabatur, decantabat. Præter hunc *Illyro-Slavi* adorabant etiam peculiari cultu certum *Idolum* in ſtatua virili cum quatuor capitibus effigiatum, quod brevi tunica indutum, gladioque præcinctum, ſiniſtra manu arcum, dextera vero cornu gerebat, *Szvetovid*, quod *Sanctus viſus*, vel *Mundum videns* interpretari poteſt, nominabant. Ita *Cranzius* de reb. Vandal. *lib. 5. cap. 12.* & *Helmoldus lib. 2. cap. 12.* His *Otrokocſi* Orig. Hung. *cap. 11. num. 15.* adjungit quoddam *Idolum* nomine *Thot*, idiomate *Græco Ermis*, *Latino* vero *Mercurius* dictum: cui, quia *Slavo-Illyri*, ſignanter in *Pannonia* exiſtentes, devotiſſimum exhibebant cultum, nominati fuerunt *Thot*, ſeu in plurali *Thotok*, quo nomine hodiedum ab Hungaris vocitantur, quamvis ipſi ſe ſuo idiomate *Szlovake*, id eſt; *Slavos* compellent. His *idololatriæ* noſtrorum *Illyrorum* adnotatis, ad geſta eorum revertimur.

VI. *Tiberius* in ſcelera jam, & dedecora præceps, bona initia peſſimo fine corrumpens, à *Cajo Caligula* in Collegam Imperii adſcito veneno interimitur A. C. 37. Succeſſit ei nequior ſuprafatus *Caligula*, qui cœpit *Imperium* ut *Parens*, geſſit ut *Tyrannus*. Imperii namque Provincias, adeoque & *Illyricum* graviſſimis onerabat exactionibus, ita, ut ubique rebellionem incolæ molirentur, *Dacique* & *Sarmatæ* iterum *Illyricum* incurſarent: ſed nihil ex eo melior factus, libidine, crudelitate, rapinis, & inſana prodigalitate infamis, ab omnibus ut *Deus* coli voluit, attamen morte, nec *homine* quidem probo digna, 30. confoſſus vulneribus interiit A. C. 41. Ita *Tacitus lib. 6.* Dio Caſſ. *lib. 59. Hiſt. Miſcell. lib. 7. cap. 24.* Locum ejus occupavit *Tiberius Claudius*, qui in *Illyrico*, ubi *Pannonia* olim, *Suevos*, & *Lygios* cum *Vannio* eorum Rege diſtributis eisdem agris locabat. Sub ejusdem Regimine *Petrus Apoſtolus* in orbis capite *Romana* urbe *Eccleſiam Chriſti* poſiturus, ut à fonte in terras omnes derivaretur, ſedem conſtituit A. C. 43. Atque hinc in omnes *Romani Imperii* Provincias, adeoque & in *Illyricum* ad fidem *Chriſti* propagandam mittebat diſcipulos. Hinc eſt, quod ad A. C. 54. *Titus* diſcipulus *Pauli Apoſtoli Dalmatis* in *Illyrico* Evangelium prædicaverit. Eodem anno *Tiberius Senatui*, & *Populo Romano* acceptiſſimus, niſi uxorum ſuarum, quibus nimium afficiebatur, famam ſuam obſcuraſſet, à quarum una, & quidem ab impia *Agrippina* venenato boleto ſublatus eſt, ut *Nero* filius ab eodem in *Collegam Imperii* contra votum populi adſcitus, non vero *Britannicus* filius alterius uxoris *Meſſalinæ* ab univerſa plebe deſideratus, eidem ſuccedere poſſit, qui & ſucceſſit. *Tacitus* Annal. *lib. 12. cap. 29.* *Suetonius lib. 13. cap. 35.* *Victor* Epit. *cap. 10.* *S. Hieron.* in Chron. ad A. C. 46.

VII. In *Illyrico* imperante *Nerone* magnam Anni Chriſti 58. partem, inſumpſit *S. Paulus* electus *Doctor Gentium*; ut ipſemet *Epiſt. ad Rom.* teſtatur: *Se ab Hieruſalem per circuitum usque ad Illyricum repleviſſe Evangelium Chriſti.* Neque illa verba; *Usque ad Illyricum* eo accipienda ſunt ſenſu, ut limites duntaxat *Illyrii* attigiſſe intelligatur, ſed vere ipſum *Illyricum* pertranſiens Evangelio *Chriſti* prædicato, ejusdem populos *Chriſtianos* effecerit, omnino dicendum eſt, teſte *S. Damiano* labores *S. Pauli* per *Illyricum* deſcribente, & inquiente: *Reſpice Paulum totum pervagantem Illyrium, ſuſcitantem mortuos, ſubvertentem templa Deorum.* Hoc ipſum *S. Gregorius Nyſſenus.* Hoc *Dorotheus Tyri Ep.* Hoc *Joan. PP. VIII. Epiſt.* ad Regem *Bulgariæ* conteſtantur, quibus ſubſcribunt *Inchoffer* Annal. Eccl.

Hung.

Hung. ad A.C. 47. & ſeq. Item *Schönleb.* Annal. Carniol. ad A.C. 57. Imo *Joann. Tomko Ep. Bosnen.* in Fœcunditate Sanctitat. Illyric. ſcribit: *Illyricam gentem primam ab Apoſtolo Paulo Chriſto aquiſitam.* Et *S. Irenem Virginem primam in Illyrico Chriſtianam effectam, plurimaque tormenta propterea ſuſtinuiſſe, ac tandem ſancto fine quieviſſe, docet.* Et quamvis plantatum à *D. Paulo* ſalutiferæ fidei ſemen dira, quam *Nero* non multo poſt in *Chriſtianos* concitaverat, perſecutione, non nihil ad ſuccreſcendum impeditum fuerit, attamen *S. Titus* Magiſtri ſui *Pauli* A. C. 59. veſtigia ſecutus *Verbum Dei* tempore aliquo prædicare continuavit. Poſt hunc A.C. 60. *S. Lucas Evangeliſta*, teſte *Epiphanio* perrexit in *Illyricum* ad *Dalmatas*, ubi exemplo *S. Pauli* verbum Dei diſſeminavit, quem ſecutus fuit *S. Marcus* pariter Evangeliſta, qui *Aquilejæ* in parte *Illyrii* ſupra *Mare Adriaticum* prope modernam *Carnioliam*, quæ eo tum *Dalmatia* appellabatur, Evangelium prædicaverat, *Alexandriæ* A. C. 64. glorioſo Martyrio finem vivendi fecit, atteſtantibus *S. Hieronymo* lib. de Scriptor. Eccleſ. & *Euſebio* in Chron. In horum locum *S. Petrus* Apoſtolorum Princeps miſit *S. Domnionem*, ut Epiſcopum, qui *Salonam Dalmatiæ* urbem perveniens, multos per totum *Illyricum* à gentilitatis erroribus convertens, non parvam *Chriſto* Eccleſiam adunavit, ubi & agonem ſui Martyrii felici cruore peregit. Ita *Thomas Archidiac.* de Dalm. *cap.* 3.

VIII. *Nero Imperator* durante ſuo Imperio nihil in *Illyrico* egiſſe videtur, præterquam quod *Illyricum* adverſus *Dacorum*, & *Sarmatarum* impetum Legionibus firmaverit, & *Italiam* adimendo *Illyrico*, Regno *Italiæ* cum plena incorporatione adſcripſerit, aſſerente *Tacito* Annal. *cap.* 15. & *Victore* Epit. *cap.* 12. Hic *Nero* ſub initium imperii optimus Princeps, ſed paulo poſt nihil prioribus tribus melior, imo deterior, ipſius *Romæ* urbis ſuccenſor, crudelitate Tyrannos omnes ſuperans, *Provincias Romanas* exactionibus extraordinariis, & rapinis decoquens, ultimo omnibus execrabilis, cum neminem reperiſſet amicum, manu propria ſe interemit A. C. 70. in quo *Cæſaris Auguſti* familia, ut in ſcopulo, paſſa eſt naufragium. Extincto *Nerone*, an caſu, an ex propoſito? non ſcitur, qualitercunque tamen, ingenti *Reipublicæ Romanæ* malo, vulgatum fuit *Senatus*, *Imperiique* arcanum: *Poſſe Principem alibi, quam Romæ fieri.* Hinc varii non modo in urbe, apud *Senatum*, & *Populum*, verum & apud *Urbanum Militem*, atque *Legiones* per Romanas Provincias diſlocatas motus animorum orti fuerant. Hinc *Legiones Illyricæ* fidem *Othoni* jurabant, quamvis eas *Martius Celſus* Dux in officio *Galbæ* conſervare ſtuduerit: Hic nihilominus à potioritate *Romanorum Militum* acclamatus *Imperator*, inſidias *Othonis* evitare impotens, ab eodem in foro *Romano* perimitur. A.C. 72. ſed *Imperium*, quod *Otho* per *Galbæ* ſanguinem hauſerat, mox eodem anno ad *Bebriacum* victus à *Vitellio*, ipſe ſibi ferro incumbens mortem adſcivit. Sed & *Vitellius* hoc eodem pariter anno helluonum facile Princeps, popinæ, quam ſolio aptior cum *Veſpaſiano* commiſſus, multis ingeſtis vulneribus neci datur. Qua de cauſa *Veſpaſiano* ex *Senatus* conſulto miro omnium conſenſu decretum eſt *Imperium*, quod & aſſumpſit A.C. 73. *Illyris* quoque eidem fideliter adhærentibus; quo tempore *Illyricum* duo duntaxat adminiſtrabant *Romanorum Præfecti Appianus* & *Fabianus*. Hæc *Tacitus Hiſt. lib.* 1. & 2. *Sueton. lib.* 8. *cap.* 6. *Dio Caſſ. lib.* 64. & *Brietius*.

IX. Pacis amantiſſimus *Veſpaſianus* rediens *Hieroſolymis*, relicto ibidem ad conficiendum *Bellum Judaicum* filio *Tito*, clauſit *Janum*, Templumque *Pacis* condidit, irritatus tamen

men à rebellantibus *Britannis*, & *Germanis*, bis, & tricies cum iisdem confligens, juri eos *Romanorum* reſtituit. Domeſticis etiam virtutibus, ſignanter manſuetudine clarus, atque ideo omnibus charus. *Bello Judaico* cum *Veſpaſiano*, & *Tito* interfuiſſe etiam *Illyrios* credibile eſt, ſiquidem in eosdem *Veſpaſianus* cumprimis propenſus fuerit, ut notat *Pr. Alexius Piariſta* Vet. & Nov. Illyr. Tract. Prælim. *cap. 3.* §. *8.* ubi addit etiam *Antonium* Legiones *Pannonicas*, ſeu *Illyricas* duxiſſe, easque conſtanter partibus *Veſpaſiani* faviſſe. Sub cujus Regimine *Illyrico* præfuere *Pompejus Sylvanus*, & *Titus Flavianus*. Morti proximus *Veſpaſianus* inquiebat: *Imperatorem ſtando mori opportere*: dumque conſurgere nititur, inter ſublevantium manus expiravit A. C. 81. Cui ſucceſſit *Titus* filius, ante *Imperium* nimis probus, eo vero obtento, ſemet raro exemplo mutavit in meliorem, vir bellis, ſcientiis, & virtutibus clarus. *Xiphilinus* in Vitellio. *Victor.* in Cæſarib. cap. 8. *Suetonius cap. 8. Dio Caſſ. lib. 66. uterque* in Tito. Quo, uti & Patre ejus imperantibus Religio *Chriſtianorum* quotidie latius propagabatur in *Illyrico*: per aliquot etenim ſuperiores annos pauca admodum reperiuntur Acta *Chriſtianorum* in *Illyrico*, fas ergo eſt credere, illos opportunitate pacis memoratæ diebus velut *Alcioniis* uſos fuiſſe, earumque numerum inſigniter indefeſſo ſtudio Epiſcoporum *Æmonenſis*, *Celejenſis*, *Siſcienſis*, *Novodunenſis*, *Murſenſis*, *Stridonenſis*, *Vindobonenſis*, & *Scarabantini*, in capite autem *Laureacenſis*, cui, ut Archi-Præſuli, præinſinuati ſubjacebant Prælati, auctum extitiſſe. Ita *Palladius lib. 7. Ludovicus Petrus*, & *Brietius*.

X. Non diu imperavit *Titus*, ob ſuas virtutes: *Amor, & delicium generis humani* vocitatus, veneno, ut creditur, à *Domitiano* fratre propinato A. C. 84. extinctus, ut fratri ſuccedere poſſit, prout & ſucceſſit 14. annis imperaturus. Hic adverſus *Dacos*, *Sarmatas*, *Quados*, & *Marcomannos* atrox bellum ex *Illyrico* per Duces *Appium Sabinium*, ac *Cornelium Fuſcum* movit. Sed hoc à *Decebalo* Rege *Dacorum* cæſo, illo vero à *Quadis*, & *Marcomannis* oppreſſo, aliis autem *Romanis Legionibus* per *Sarmatas* fugatis, pacem cum *Decebalo* ſancire coactus eſt. *Domitianus* ultimis Imperii annis *Neronem* referre viſus eſt, & ſtulta arrogantia infamis, qua ſe primus *Dominum*, & *Deum* appellari juſſit, diram in *Chriſtianos* perſecutionem indixit, qua non ſolum innumeris *Chriſti* in *Illyrico Athletis*, ſed & *Romæ* Primati *Conſulum Romanorum* clariſſimo *Marco Annicio* (cujus poſteri, poſt aliquot ſæcula facti fuere incolæ *Illyrii*, ſimul & Indigenæ, quos inter fuit etiam *Frangepanorum* Illuſtriſſima familia) immarceſcibilem æternæ vitæ coronam adipiſci occaſionem præbuit. Qui tandem, multis nece ſublatis, dum uxor ejus *Domitia* ſubductis de Cæſaris pulvinari tabulis, ſe quoque morti deſignatam didiciſſet, inſtituta conjuratione, è vita ſublatus eſt. A. C. 98. *Imperium* hujus mox eodem anno acceſſit *Cocceus Nerva* non *Senatus* modo authoritate, ſed *Militum* etiam aſſenſu, extrema jam ætate, ideo nonniſi annua poteſtate *Imperii Præſes*. Actis *Domitiani* reſciſſis, *Chriſtianos* in *Illyrico* & ubique in libertatem repoſuit, deque iis Quæſtionem imposterum haberi prohibuit. Graviſſima tributa, omnibus Provinciis impoſita, partim remiſit, partim condonavit: quo favore *Illyricum* quoque reſpiravit; Legiones item in *Illyrico* adverſus *Dacorum*, *Sarmatarumque* impetum redintegravit. *Princeps* recti, & erecti animi eo præcipue de *Republica* bene meritus, quod præteritis cognatis *Ulpium Trajanum* exterum, ob ſolam virtutem ſucceſſorem *Imperii* deſtinaverit: *Rempublicam* magis à ſe, quam *Cognationem* diligi

Digitized by Google

ligi profeſſus. *Sueton.* in Nerva. *Dio Caſſ. lib. 68.* Et hactenus quidem, ut obſervat *Author* Hiſt. Miſcell. *lib.* 9. *cap.* 13. *Romæ*, aut in *Italia* orti rexere *Imperium*, ab hinc etiam *Advenæ*, nam & *Nerva* ex *Umbriæ* oppido *Narniæ* oriundus erat.

XI. Habenas *Imperii* demortuo ad A. C. 99. magno bonorum luctu *Nerva* ſenio gravi, *Trajanus* natione *Hiſpanus* ingenti *Reipublicæ* bono ſuſcepit optimus omnium ore *Princeps*. Tertiam tamen contra *Chriſtianos* perſecutionem orſus eſt. Qua durante plurimi etiam *Chriſti* pugiles in *Illyrico* Martyrio afficiuntur. Inter reliquos fuit etiam *Eleutherius* Epiſcopus, *Illyriorum Apoſtolus*, ut teſtatur *Surius*, *Nicephorus*, & *Petrus de Natalib.* Medio perſecutionis tempore adverſus *Decebalum* Regem *Daciæ* animum efferentem *Exercitum Illyricum* duxit, ſed mox impar reſiſtendi *Decebalus* pacem petens, eam ex compoſito obtinet, quare *Legiones* ad bellum paratas *Trajanus* reduxit. Sed dum viribus ampliatis *Decebalus* alias quoque finitimas nationes contra initum fœdus ad defectionem ſollicitat, *Trajanus* extructo in *Danubio* admirandi operis lapideo ponte (cujus hodiedum columnæ intra aquam in ruderibus extare à pluribus ſcriptoribus aſſeruntur) *Danubium* cum exercitu tranſivit, devictisque ad internecionem quaſi *Dacis*, ipſum Regem *Decebalum* captum habuit, qui ne captivus *Romam* in *Triumphum* duceretur, ipſe ſibi mortem adſcivit, atque taliter *Daciam* in poteſtatem *Populi Romani* redegit *Trajanus*. Hoc bello confecto *Armeniam* ſubegit, & paulatim finitimos Reges cum ſuis in deditionem accepit. Luſtrans deinde de more *Exercitum*, inventos in eo undecim mille *Chriſtianos*, qui cum *Idolis* ſacrificare renuiſſent, à cæteris ſejunctos in *Armeniam* relegavit, atque, ut *Menologium* habet: *In fidei confeſſione perſtantes ſupplicio mortis ſubjecit.* Ita *Sueton.* in Trajano. *Dio Caſſ.* Hiſt. Rom. *lib.* 68. *Xiphilin.* in Trajano. *Victor* in Cæſarib. *cap.* 13. *Eutrop. lib.* 8. *cap.* 2. *Jornand.* de Regnor. ſucceſſ. Illud, quod de SS. undecim mille Martyribus paulo ante inſinuavi, conjecturat *Baronius*, hos ipſos eſſe decem mille Martyres illos, quibus unum mille, per eos converſi, acceſſit, & in *Armeniæ* monte *Ararath* crucifixi ſunt. *Sanctos* hos *Martyres* Venerabile Cathedralis Eccleſiæ *Zagrabienſis* Capitulum in moderni *Illyrici* Regno *Slavoniæ*, ſeu *Croatiæ* peculiari devotione die 22. Menſis Junii *Officio*, & *Miſſa* in cantu, uti & *Hymno*: *Te Deum Laudamus*, cum exploſione majorum bombardarum devotiſſime colit, ex eo: quod glorioſiſſimam de *Turcarum Tyrannide* Præſidium *Siſſienſe*, memorato Capitulo hæreditario Titulo à piis Regibus concreditum A. C. 1593. obſidente, obſeſſosque jactu globorum tormentariorum fortiter premente, in natali præinſinuatorum *SS. Martyrum*, ſuæ, & nationalis militiæ robore, ac virtute conſecuti fuerint victoriam. Obſidionis hujus meminit, præter *Ritterum* ſcriptorem domeſticum, etiam *Szentivanius* in Synopſi Chronol. ad A. C. 1593. & *Bombardius* Topogr. Hung. *Par.* 3 *cap.* 2. *ſegm.* 2. *num.* 15. Devotionis porro Capitularis erga *SS. Martyres*, cum nullus de hac ſcribat, ego teſtimonium perhibeo, qui ipſemet huic ſæpius interfui, & *Hymnum gratiarum actorium* decantare adjuvi. Crediderim tamen ego devotionem præmiſſam potius inſtitutam ad A. C. 1594. quo per *Turcas* ad A. C. 1593. occupatum *Siſſium*, A. C. vero 1594. priſtinæ libertati reſtitutum eſt, atque ab eo tempore conſtanter præfato Venerabili Capitulo paret. Si tamen octo dempſerimus annos, quibus fatum Præſidium (ut *Pr. Benger* Annal. O. S. P. p. E. Vol. 2. *pag.* 244. notavit) Comes *Ludovicus Suſa* Generalatus *Varasdinenſis* ſummus Præ-

fectus aſtu occupatum dicto Capitulo ademerat, atque ab A. C. 1672. usque ad An. 1681. quo in Diæta Sopronienſi piæ memoriæ *Martinus Barkovich* Ep. Zagr. validiſſimis precibus interpoſitis reſtitui ſuo Capitulo à *Cæſare Leopoldo* impetravit, poſſederat. Quæ ante hæc de eodem Siſſienſi caſtrorecenſita ſunt,colliguntur ex ſequenti citati *Ritteri* Poëmate, *Plorantis Croatiæ* pag. 41. & ſeq.

Ad A. C. 1592. *Tanta noſtrorum de clade ſuperbior Haſſan*
Siſſiam in occurſu Colapis, Savique jacentem
Obſidione acri premit, ignivomique metalli
Crebra glande quatit, vaſtas faciente ruinas:
Et jam turmatim ſalit has temerarius hoſtis;
Sed vanos, poſtquam conatus cerneret omnes
Haſſan, per placidas artes ſibi dedier arcem
Poſtulat. At Mikacbich, vir fortis, Presbyter æquus,
Arci Præfectus, poſcebat præcipuorum
Agmina Turcorum, tantum queis cederet arcem,
Vilibus indignam tradi, portaque patente
Quingentos recipit, dimiſſoque ad oſtia clathro,
Interimit cunctos. Quo vulnere Paſſa recepto,
Siſſiacis poſt multa plagis minitatus abivit.
Ad A. C. 1593. *Non auſus contra Sennam procedere Paſſa,*
Ad Colapim vertit, Siſſanamque impetit arcem
Ante laceſſitam. Et paulo poſt:
Arx quaſſata feris, noctuque, diuque baliſtis,
Aſſultu crebro petitur, jam diruta magna
Parte ſui, extremum tamen expertura periclum,
Non ceſſura hoſti, vel in uno milite ſpirans.
Qua tam grande malum vi, formidabili toti
Europæ frangat Prorex in limine, multum
Cogitat, & ferro tentanda extrema reſolvit;

Explicat deinde, qualiter *Pro-Rex*, ſeu *Bannus Croatiæ* Comes *Thomas Erdödius* coacto exercitu domeſtico ad ſolvendam obſidionem Præſidii *Siſſienſis* comparuerit, quid dein ibi egerit, ſequentibus exponit.

His ſociis Prorex, acies denſo ordine ſtantes
Impetit hoſtiles; primusque Turocius omnem
Suſtinuit belli molem; primasque phalanges
Dum fregit victor, reliquas dare regna coëgit:
Ordine confuſo miles fugit, atque Stragus,
Quisque petit pontem: nimio ſed pondere fractus
Pons ruit, at de ſe firmum prima agmina pontem
Conficiunt, turbas paſſum tranſire ſequentes.
Devorat Haſſanem Colapis, clarumque Sinanem
Kliſſenſem Beguim regali ſanguine natum,
Præcipuosque Duces, bellatorumque cohortes:
Pars in aquis periit, pars enſe perempta remanſit;
Raros effugium ſalvavit. Siſſia tandem
Halitu in extremo feſſum caput erigit, hoſte
Diſpatente, ſui Proregis lumine fota.

Deinde ad A. C. eundem:

Vix mea tam celebrem vulgarat fama triumphum
Dum mihi mœſta novos declamat præfica luctus.
In rabiem verſus Murat hac clade ſuorum

Cum

Digitized by Google

Cum valido Exarchum Bellonæ robore mittit,
Turcarum damna ulturum, mortemque Sinanis.

Et poſt aliquot verſus ſubjungit:

Centum ſed pedites Siſſana non procul ab arce
Egregios Juvenes Turcus mihi ſuſtulit enſis.
Obſidet at major Siſſanam exercitus oram:
Utque oppugnatam, defenſam fortiter, arcem
Tandem vi magna capit: omnes enſe trucidat
Et jacit in Colapim, pretioſam piſcibus eſcam.
Primus Groina arcis Capitaneus ipſe Sacerdos
Inter tela cadit; captus Fabricius alter
In Conſtantini Sultano traditus urbe:
Impoſitus ſacco moritur projectus in æquor,
Eccleſiam Patriæ decoravit Martyr uterque.
Sic tandem infauſto cecidit mea Siſſia fato,
Fertilitate ſoli, piſcoſisque amnibus uber.

Ad A.C. 1594. tandem referens varias, per varia loca, ac Præſidia *Croatiæ* excurſiones *Turcarum*, eorumque clades adjicit:

Hoſtes,
Effugiunt ſiſſega poſt ſe tamen igne cremata.

XII. Præmiſſis inter Parentheſim relatis regredimur ad *Trajanum*; Qui *ſalinunte* in *Cilicia* appoplexia tactus obiit A.C. 119. ſucceſſorem nactus Nepotem ſuum *Ælium Adrianum*, litterarum fautorem, pariter & æmulatorem: inque patriam, ac populum liberalem. Hic, intellectis ſimultatibus, quas *Sarmatæ*, & *Alani* ad *Boriſthenem* moverant, *Roma* profectus eſt cum exercitu in *Mœſiam*, eosdemque de imminutis ſtipendiis quæſulantes paccavit, & mox *Romam* reverſus eſt. *Dio Caſſ. lib.* 69. *Euſeb.* in Chron. *Eutrop. lib.* 8. *cap.* 3. & *Spartianus.* Et quia à *Trajano* indicta contra *Chriſtianos* perſecutio continuabatur, paſſi ſunt in *Illyrico* plures *Chriſti* fideles, inter reliquos *Philetus* Senator, *Lydia* ejus conjunx, *Macedo*, & *Theopropius* filii, qui miſſi in lebetem oleo, & reſina ferventem, cum illæſi manerent, *Amphilochius* Præſes *Chriſtum* profeſſus in eundem lebetem inſiliit, quem ſecutus *Chronides* ſexta pro *Chriſto* victima acceſſit, illæſa tamen univerſa ex lebete prodiit. Hoc cognito *Imperator* ira tumens *Roma* in *Illyricum* properavit, lebetem ſeptem diebus cum oleo, & reſina ſuccendi, prænominatosque *Chriſti* Confeſſores denuo injici juſſit, quos cum vidiſſet illæſos, pudore perfuſus eos liberos eſſe pronuntiavit, qui tamen *Deo* gratias agentes placide obdormiverunt. *Mœnea Græca.* Item *Incboffer* Annal. Eccl. Hung. ad A. C. 120. *Henſchenius* in Actis Sanctor. *Tract.* 11. ad *diem* 27. *Martii. Schönleb.* in Annal. ad A.C. 125. Recedens ex *Illyrico Imperator* mitiorem ſe adverſus *Chriſtianos* præbuit, qui poſtquam ſenio confectus fuiſſet, adoptavit in filium *Commodum Verum*, eumque *Ælium Verum* appellavit, & mox *Prætorem* creavit, Limitibusque *Illyricis* (ubi nunc *Auſtria inferior*) *Ducem*, & *Rectorem* præfecit, eosdem limites ipſi in partem laborum, vel potius ad honeſtam, & ſtatui competentem intertentionem aſſignando, Ita præter ſupra citatos *Brietius*, & *Szentivanius.* Occaſione memoratorum limitum *Illyrii* recordatus ſum, me *cap.* 23. *num.* 6. & 7. inſinuaſſe Diviſionem *Illyrii* ſub *Adriano Imperatore* accidiſſe, eapropter, qualiter illa inſtituta fuit, *ſequens caput* edocebit.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.
De Diviſione Illyrii in Provincias.

I. POſtquam *Illyricum* ſucceſſive, ut inſinuatum eſt, *Magnum* dictum, juris *Romani* effectum fuiſſet, neque illud, utpote ampliſſimum, populoſiſſimumque ab uno, vel duobus Ducibus, ſeu Procuratoribus regi poſſe Imperatores animadvertiſſent, illud diſmembratum, atque in plures *Provincias* diſtributum haberi, & à pluribus Præfectis regi voluerunt. Hinc etiam dividendum in Provincias judicarunt, prout *Sextus Rufus* in Epit. Hiſt. *ad Valentinianum*, apud plures ſcriptores, ſignanter apud *Lazium* de Migr. Gent. *lib.* 5. deſcripſit, dicens: *Habet Illyricum decem, & ſeptem Provincias: Noricorum duas, Panoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mæſiam, Daciæ duas: Et in ditione Macedoniæ ſunt ſeptem; Macedonia, Theſſalia, Achaja, Epiri duæ Prævalis, & Creta.* Erant ergo inſimul ſeptemdecim, vel octodecim Provinciæ in *Illyrico*, ſiquidem *Jornand.* duplicaverit *Prævalitanam*, & ſimul etiam *Thracia* his adnumerata fuerit, *Thraciam* namque tempore *Valentiniani Imperatoris* fuiſſe inter *Illyrii* Provincias, tradit *Schönleb.* ex *Trebellio Pollione*, ita & *Emanuel Schelſtratius* Bibliothecæ olim Vaticanæ Præfectus, *Thraciam* numerat inter ſeptemdecim *Illyrii* Provincias apud *Bombardium* Topogr. R. H. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 2.

II. Inter has ſeptemdecim *Illyrii* Provincias duas *Pannoniarum* effectas fuiſſe inſinuavimus. Una harum ſub prima diviſione *Pannonia Superior*, altera *Pannonia inferior*: ſucceſſu vero temporis *Pannonia Superior* vocitari cœpit: *Pannonia prima Conſularis*, ſimiliter *Pannonia inferior* nominabatur: *Pannonia ſecunda Conſularis.* Quo tempore autem diviſio hæc contigerit? Authores diverſarum ſunt opinionum. *Cellarius* in Notitia Orbis antiq. *lib.* 2. *cap.* 7. exiſtimat cum *Rainesio* quod *Noricum* primo ſub *Diocletiano* intra A.C. 288. & 307. vel vero ſub *Conſtantino Magno* intra A.C. 310. & 338. taliter diviſum fuerit, appellatumque *Noricum mediterraneum*, & *Noricum Ripenſe*: cum nullus alius *Hiſtoricorum*, præter *Sextum Rufum* (qui A.C. 364. ſub *Valentiniano floruit*.) de duabus *Norici* Provinciis mentionem faciat, dicatque: *Sub Julio, & Octaviano Cæſaribus per Alpes Julias iter factum eſt, Alpinis omnibus victis Noricorum Provinciæ acceſſere.* Idemque Author expreſſè binarum Provinciarum *Norici* in deſcriptione diviſionis *Illyrii* meminerit: notans: *Habet Illyricum decem, & ſeptem Provincias: Noricorum duas &c.* Quod *Cellarius* de *Norico*, idipſum ego exiſtimo dicendum de Provincia *Valeria*, & *Savia*: poſterioris *cap.* 20. *n.* 3. & *cap.* 23. *n.* 8. meminimus, & ſuo loco plura de utraque dicturi ſumus, nunc primæ duntaxat *Illyrii* diviſioni inhærentes.

III. His prænotatis *Cellarius* inſinuare videtur: quod, quandoquidem *Sextus Rufus* primus de duplici *Norici* Provincia ſcripſerit, neque ex ullo alio *Hiſtorico* quidquam de his acceperit, antecedenter, temporibus videlicet *Diocletiani*, vel *Conſtantini* diviſio hæc *Norici* inſtituta fuerit. Qua vero *Cellarius loc. cit.* in enarratione Diviſionis *Illyrii* in Provincias ſequitur *Ptolomæum*, apud quem Geograph. *lib.* 2. *cap.* 15. & 16. expreſſe legitur *Pannonia Superior*, &

Digitized by Google

& *Pannonia Inferior*, apparet temporibus *Ptolomæi*, qui 200. circiter ante *Sextum Rufum* vivebat annis, ſub *Antonino Pio* circa A. C. 150. *Pannoniam* diviſam extitiſſe. Quam opinionem confirmare contendit *Pr. Puſch* in Chron. Sacræ Styriæ §. 2. pag. 8. dicens: *Quamvis autem Ptolomæus Noricum velut unicam Provinciam deſcribat, id tamen tum temporis in bifariam, mediterraneam ſcilicet, & Ripenſem fuiſſe diviſam ex Imperii Romani Notitia ſub Adriano Cæſare conſcripta, quam ex Codice Vaticano Emanuel Schelſtratius Antiquitatum Eccleſiaſticarum volumine ſecundo circa finem Sæculi præcedentis vulgavit, compertum eſt: Etſi longe veroſimilius ſit, utramque ante Conſtantini tempora ſub uno Procuratore fuiſſe gubernatam.* Cum igitur temporibus *Ptolomæi* citatus *Pr. Puſch* etiam *Noricum* diviſum fuiſſe aſſerat, ipſemet quoque *Ptolomæus* ſcribat *Pannoniam* jam diviſam in *Superiorem*, & *Inferiorem*, concludendum erit, *Diviſionem Pannoniæ* accidiſſe ſub *Imperatore Adriano* circa A. C. 120. cum nulla in contrarium pugnare dignoſcatur ratio, quare una ex his Provinciis prius, vel poſterius, quam altera diviſioni obnoxia extitiſſet: neque ullus ſcriptorum ſe ad impugnandam hanc opinionem ingeſſerit.

IV. Cur autem tempore diviſionis *Magni Illyrii*, ſuppreſſo aliqualiter *Illyrii* nomine, vel potius in *Generale* omnium Provinciarum, quas complectebatur, transmutato, reasſumpta, & ſimul ampliata fuerit nomenclatura *Pannoniæ*, quia ut prætattactum eſt, hæc non ſolum in bifariam diviſa extitit, verum etiam in *Dalmatiam*; id eſt: modernam *Slavoniam*, & *Croatiam* cum immutatione nomenclaturæ protenſa fuerit? *Hiſtorici* cauſalem nullam adferunt, præter *Schönlebenium*, qui Annal. Carniol. *pag.* 165. hanc ſequentibus exponit verbis: *Hæ Regionum diviſiones, & nominum mutationes ab eorum pendebant arbitrio, quibus parebant. Imperatorum* videlicet, & *Senatus Romani*. Præter hanc fors alia etiam adduci vili meo judicio poſſet ratio: Et primo quidem pro *Pannonia ſuperiori* celeberrimo illa ejusdem Regionis urbs *Carnuntum* olim cognominata, qua multis centenis ante *Chriſtum* natum à *Celtæ* ſeu *Gallo-Illyris* (quorum *cap.* 6. *num.* 4. memoriam habuimus) condita, ac propter ſuam amplitudinem, ſingularemque ornatum totius Regni *Metropolis* effecta, ac juxta *Lazii* opinionem *Parva Troja* (cujus hodiedum incolæ mentionem faciunt) vocitata fuit. Quæ poſtquam à *Romanis* ſubacta fuiſſet, ab iisdem quoque muro cincta, ac fortiſſimis propugnaculis munita, amplisque, ac ſplendidis ad omnem, innatam *Romanæ genti*, magnificentiam ædibus ornata, non tantum *Belliduces*, & *Legiones*, *Conſules*, ac *Senatores*, verum etiam ipſos *Auguſtos Romanorum Imperatores*, in ſpecie *Marcum Aurelium*, *Septimium* etiam *Severum*, & ſucceſſive *Antoninum Baſſianum Caracallam*, & *Conſtantinum Chlorum*, aliosque pro Reſidentia habere merebatur, reſiduæque *Pannoniæ Superiori* tanquam caput jura dictabat.

V. Eadem quaſi ratio militare poteſt pro *Inferiori Pannonia*, ab antiquiſſima, ſimul celeberrima quondam urbe *Sirmio* deſumpta. Hanc enim civitatem *Matrem Urbium* nominat *Ammianus Marcellinus lib.* 21. fuit namque *Metropolis* noſtræ *Pannoniæ Inferioris*, ut habet *Aubertus Myræus* in Notitia Epiſcopatuum. De eadem urbe *Anemius* ejusdem Epiſcopus, in Synodo Aquilejenſi A. C. 381. celebrata apud *Pagium* ad *A. C.* 365. *num.* 4. ſic ait: *Caput Illyrici, nonniſi Civitas Sirmienſis.* In qua ſimiliter probe munita, ampla, culta, ac ſplendida præter Bellicos, & Politicos majores *Officiales Romanos*, ipſi *Imperatores* quoque habitare, ſubjectumque ſibi *Inferioris Pannoniæ* po-

 pulum

Digitized by Google

pulum immediate regere dignabantur. In ſpecie *Probus*, qui ibidem non tantum natus, ſed & mortuus, ac ſepultus eſt. Eapropter *utraque Pannonia* intitulata quoque fuit *Auguſtalis*, quia *Imperatores* (quos omnes ab *Auguſto*, qui *Imperatoriam* dignitatem poſt *Julium Cæſarem* ſuis meritis, & potentia ſtabilivit, hodiedum *Auguſtos*, imò *Auguſtiſſimos* titulari, compertum eſt, eam inhabitarunt. Et *Conſularis*, quia à *Conſulibus* prædictas binas urbes inhabitantibus *Populus Pannonicus* plerumque gubernabatur: reſiduæ namque harum partium *Romanæ Provinciæ* ſupra *num. 1.* ex *Sexto Rufo* recenſitæ horum titulorum prærogativa, nullatenus gaudebant.

VI. Sed, ut aliquantiſper digreſſi, ad propoſitum noſtrum redeamus, denuo limites utriusque *Pannoniæ*, qui illi ſub *Romanorum Imperio* fuerint? inſpiciamus. Et primo quidem *Pannoniæ Superioris* fines inveſtigandi veniunt, more ſolito, ex probatis Authoribus. *Ptolom. lib. 5. cap. 15.* eos ſic deſcribit: *Pannonia Superior ab occaſu monte Cetio, & pro parte Caravanca à meridie parte Iſtriæ, ac Illyridis, à Septentrione vero Norici termino, & à parte Danubii, quæ eſt in Cetio monte, usque ad divertigium Narabonis fluvii, ab ortu vero Solis Inferior Pannonia.* Ex quibus eruitur, quod major pars *Carnioliæ*, & tota *Inferior Styria*, conſequenter totus tractus *Auſtriæ* qui ſe à *Cetio* monte juxta defluxum *Danubii*, usque ad metales modernæ *Hungariæ*, & per transverſum, usque ad *Styriam* exporrigit, *Pannoniæ Superioris* nomine cenſebantur. De his recentiores ſcriptores diverſimode ſcribunt. *Maginus* Geograph. novæ de *Germania* notat: *Auſtria, hoc eſt: Terra Orientalis dicta, olim Pannonia ſuperior dicebatur.* Aliter autem *Stephanus* in Dictionario, Verbis *Pannonia ſuperior*, exiſtimat, dicens: *Superior Pannonia hodie ab Auſtria, Carinthia, & Carniolia occupatur.* Expreſſius *Cluverius* introduct. Geograph. *lib. 4. cap. 1. num. 2.* ſcribit: *Pannonia ſuperior, quæ & prima Conſularis verſus occidentem eſt, in qua nunc Carniolia, Croatia, Vindorum Marchia, Carinthia, Styria, Auſtriaque major pars.* Hanc tamen *Cluverii* deſcriptionem *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par. 3. lib. 3. cap. 2.* nimium ſe extendere aſſerit, *Laziumque* de Migr. Gent. *lib. 4. pag. 116.* exactius tangere affirmat, ita loquens: *Continebat prima Pannonia eum fere tractum, quem bodie Auſtria inferior à Vienna usque Sabariam, & Ginzium.*

VII. Pro *Pannonia inferiori* apud *Ptolomæum lib. 2. c. 16.* leguntur ſequentes limites: *Pannonia inferior terminatur ab occaſu ſuperiori Pannonia à divertigio Narabonis fluvii: à Meridie parte Illyridis, quæ à dicto limite usque ad flexum eſt Danubii, juxta quem divertitur Saus fluvius: à Septentrionibus autem, & ab oriente terminatur ea parte Danubii, quæ eſt à divertigio Narabonis fluvii usque ad Sai divertigium.* Evolutis *Ptolomæi* temporibus, quemadmodum de *Superiori Pannonia*, ita & de *Inferiori* recentiores ſcriptores diverſos ſtatuunt limites. *Steph. loc. cit.* verbis *Inferior Pannonia*, dicit: *Hæc Pannoniæ pars hodie fere uno nomine Hungaria vocatur.* Quem ſequitur *Maginus* Geog. Nov. *num. 22. pag. 150.* ſcribens: *Hungariæ Regnum ea eſt hodie Regio, quæ totam Pannoniam inferiorem complectitur.* Tandem *Cluver.* Introduct. Geograph. *lib. 4. cap. 1. pag. 379.* optime concludere videtur, dum ait: *Pannonia inferior, quæ & ſecunda Conſularis, complectitur Bosnam, Slavoniam, & quantum Danubium, Dravum, Arabonemque amnis interjacet.* Quo textu apparet *Cluverium* corrigere ſententiam ſuam de *ſuperiori Pannonia num. præc.* relatam, qua aſſerebat *Carnioliam, Croatiam, Vindorum Marchiam* ad *ſuperiorem* ſpectaſſe *Pannoniam*: hoc porro de *inferiore Pannonia* textu eandem usque ad fluvium *Dravum* extendit:

No-

Digitized by Google

Notum etenim cuilibet eſt, *Carnioliam*, *Croatiam*, *&* *Vindorum Marchiam* amne *Dravo* in *Styria* ſeparari. Hinc tanto firmior opinio *Pr. Fubryman. cap. 19. num. 8.* uti & hic *num. praec.* relata evadit, vel maxime cum ſit authoritate *Lazii* ſupra citati firmata.

VIII. Siquidem autem diviſionis hujus intuitu notabilis *Dalmatiae* pars, ſignanter illa, qua nunc *Slavonia*, ſeu *Croatia* appellatur, *Pannoniae* adſcripta fuerit, de neceſſe *Dalmatia* eodem tempore fines ſuos late in *Japydiam*, & *Liburniam* (quarum Regionum nomina ſuppreſſa fuiſſe cenſendum eſt, cum in catalogo Provinciarum à *Sexto Rufo* confecto non legantur, ſed neque ex poſt *Japydiae* mentio fiat, præterquam apud vetuſtiſſimos Hiſtoricos, qui ante memoratam diviſionem ſcripſere, extendere debuit, ita, ut in una parte ſui reſtricta, in altera autem extenſa extiterit. Hujus opinionis videtur eſſe etiam *Schönleben* Annal. Carniol. *pag.* 156. qui ibidem refert: *Iſtriam* circa A. C. 60. ab *Illyrico* avulſam, atque *Italiae* adſcriptam fuiſſe, *pag.* vero 147. conjecturat *Liburniam Dalmatiae*, *Japydiam* autem *Pannoniae* accenſitam, quantumvis cenſerem ego potius *Japydiam Dalmatiae*, & partem unam *Liburniae Pannoniae*, alteram vero ſignanter maritimam *Dalmatiae* annexam fuiſſe, quod ipſemet modernus etiam Regionum harum ſitus abunde probare dignoſcitur. *Illyridem* porro, cujus *Ptolomaeus* in præcitatis duobus de Limitibus *Pannoniarum* textibus meminit, eundem pro *Dalmatia* intellexiſſe exiſtimo, ſiquidem, ut hic *num.* 4. inſinuavi, nomen *Illyrici* in genericum omnium Provinciarum tranſiiſſe pro certo habeam, *Dalmatiam* autem *cap.* 19. usque ad *Danubium* extenſam fuiſſe demonſtraverim. Ex his itaque hucusque dictis colligitur: Scriptores illos deceptos fuiſſe, qui *Sextum Rufum* ſequentes *Pannoniam* ante ingreſſum *Romanorum* in *Illyricum* eo modo, quo ille eam deſcripſit, id eſt: in moderna *Slavonia*, ſeu *Croatia* locarunt, cum tam ex his præmiſſis, quam ex deſcriptione limitum *Dalmatiae cap.* 19. & 20. Item *Pannoniae cap.* 23. facta conſtat *Pannoniam* eo tum ultra *Muram*, ſeu *Dravum*, & *Danubium* protenſam non fuiſſe, ſed primo temporibus *Adriani Imperatoris* (qui ut *Dominus*, & *Princeps* terræ *Illyricae* agere, & in hoc, & in alio agendorum genere poterat, quod ei libebat) ejus extenſionem inſtitutam fuiſſe.

IX. Præter recenſitam *Pannoniae* diviſionem, in utraque etiam facta fuit ſubdiviſio, ſed quia hæc tardius inſtituta extitit, dum ad ea pertigerimus tempora, de ea quoque diſſerere non omittemus. Illud tamen hic prætermittendum non exiſtimamus, quod eſto *Dalmatiae* partis cujusdam occaſione ſuprafatæ diviſionis nomenclatura aliquantiſper ſupreſſa fuerit, hoc tamen non obſtante, adhuc nomen ſuum, inter incolas probabiliter ſubintellectum retinuerit, quandoquidem idem, poſt declinationem *Romani Imperii*, novo Regno cum titulo Regio, Regiaque plena jurisdictione in eadem ſub nomine *Dalmatiae* (*ut cap.* 20. *num.* 7. inſinuavimus) condito reaſſumpſerit.

CAPUT XXX.

Geſta Illyriorum duplici Pannoniâ, & Dalmatiâ incluſorum ſub Romanis Imperatoribus.

I. CUm ad modernam patriam noſtram è ſuprarecenſitis ſeptemdecim Provinciis per *Illyricum* limitatis, nonniſi *Pannonia Inferior*,

Digitized by Google

Dalmatiaque pertinere cognoſcatur, omiſſis reſiduis, harum duntaxat trium Provinciarum *Chronologiam* expendendam ſuſcepimus. Eapropter regredimur denuo ad *Adrianum*, qui cum *Ælium Commodum Verum* adoptivum filium, *Cæſaremque* dictum minus ſanum, moriturumque perſentiſceret, *Aurelium Antoninum*, vel potius, ut pluribus placet, *Antoninum* in filium adoptat, & paulo poſt, demortuo *Commodo*, ipſe etiam aqua intercute laborans, finem vitæ imponit A. C. 139. Huic mox ſucceſſit *Antoninus* ab omnibus *Pius*, vel quod *Adrianum* vitæ tædio affectum, mortemque ſibi conſciſcere nitentem, impediviſſet, vel quod Socerum ætate feſſum in Senatum duxiſſet, dictus, à clementia, manſuetudine, & liberalitate *Imperium* auſpicatus, quod authoritate ſola regens incruentum omnino habuit. Hinc Legiones *Pannoniarum*, & *Dalmatiæ* quieſcebant, artes e contra ingenue, & cœtus *Chriſtianorum* mirifice ſuccreſcebant, *S. Eleutherio* per *Illyricum* noſtrum religionis Salvificæ eximio propagatore: & quamvis perſecutio contra Chriſtianos ab *Adriano* excita a ſub *Antonino* aliquantiſper ſopita fuerit, nihil omnibus *Præfecti* Provinciarum in eos ſævire non deſtiterunt, ſed quia vindice *Deo* ob necem tot *Chriſtianorum* diverſis *Imperium* affici cladibus animadvertiſſet *Antoninus*, timore perculſus, reſcripto edito, perſecutionem cohibet. *Spartian.* in Adriano *cap.* 23. *Victor*, Epit. *cap.* 30. *Eutrop. lib.* 8. *cap.* 8. *Inchoffer* Annal. Eccl. Hung. ad A. C. 140. *Megiſerus lib.* 3. *cap.* 37. *Schönleb.* Annal. Carniol. ad A. C. 138.

II. *Antoninus Pius* poſtquam *Imperio* non tam præfuiſſet, quam profuiſſet, diem obiit A. C. 163. ſucceſſere in *Imperio* duo: *Marcus Aurelius*, cognomento *Philoſophus*, & *Lucius Ælius Verus*, moribus diſſimiles, concordes tamen, ut inde *Divi Fratres* appellarentur. Hi à bellis nunquam quieverunt: *Oriens* namque, *Illyricum*, *Italia*, *Gallia* bello fervebant. Nos ad *Illyricum* ſpectantia digredimur; ubi *Marcomanni*, *Quadi*, *Sarmatæ*, & *Daci* infenſiſſimi *Romanorum* hoſtes eorum Provincias impetebant: quorum primus belli impetus in *Pannoniam inferiorem*, modernam videlicet *Slavoniam* ſeu *Croatiam* ſe effudit, partemque *Romani* exercitus delevit, interim tamen, ambobus *Imperatoribus Aquilejam* advolantibus, hoſtes timore perculſi ſe ad ſua receperunt. Et ne gratis uterque *Imperatorum* adventaſſe videatur, *Noviodunum* (quod hodie, ut *Schönlebenio* ex *Itinerario Antonini* placet, *Kerchko* dicitur) contulerunt, compoſitisque ibidem rebus *Pannoniam* utramque ab ulteriori hoſtium irruptione *Legionibus Romanis* communierunt. Orta interim in *Babylonia* peſte, qua orbis majorem non vidit, totus etiam *Europæus* mundus, conſequenter utraque *Pannonia*, & *Dalmatia* extremum exitium pertimeſcebat: hanc non ſolum pars quædam exercitus *Romani* contra *Marcomannos* adducti, ſed & ipſe ſecundarius *Imperator Ælius Verus*, in ſolos Chriſtianos, diſſimulante *Aurelio*, crudelis coactus eſt experiri, dum aura peſtilenti afflatus extingui debuit, *Marco Aurelio* feliciter *Romam* reverſo.

III. Nondum *Roma* quieverat bene *Marcus Aurelius*, cum iterum *Marcomannos* (fuit hic populus *Theutonicus* in moderna *Bohemia*, *Moravia*, & *Sileſia* usque ad ipſum *Danubium*, utpote inter *Romanos*, & hancce gentem, limitem habitans) juratos *Romani Imperii* hoſtes, cum *Sarmatis*, *Quadis*, & *Suevis* confœderatos tumultuari inaudit. Contra hos *Imperator*, aſſumpto prius pro *Imperii Collega* filio ſuo *Commodo* profectus, eductis ex utraque *Pannonia*, & *Dalmatia* legionibus per quatuor annorum ſpatium variante Marte, jam victor,

Digitized by Google

victor, jam victus pugnavit: ac tandem anno belli quinto, dum à Barbarorum multitudine in hodierna *Moravia*, ubi actu extat vicus *Dürrenkrut*, ſeu *Dürrenkraut*, ſic à *ſiccitate* appellatus, loco adeo iniquo, ut ne fugæ quidem via pateret, circumfuſus, ob ingentem ſiccitatem, & calorem, ſiti, & intolerabili æſtu cum cohortibus periturus, niſi ultimum naufragii tabulam apprehendiſſet, Legionemque *Chriſtianam*, quæ in ejusdem Caſtris militabat, *Deum ſuum* appellare paſſus fuiſſet,* qua *Deum Exercituum* exorante, ſubſecuta eſt pluvia totum exercitum in extinguenda ſiti recreans, dein fulmen poſt fulmen de cœlo horrende cadens, hoſtemque miſerande conterens, quo prodigio *Aurelius* glorioſam de ſuis, *Imperiique* inimicis conſecutus eſt victoriam ad A. C. 174. ut *Thomas Jordanus* notat. Legio hæc deinceps *Fulminatrix* nominabatur. Agnita hac ſpeciali *Dei Chriſtianorum* gratia, *Imperator* edicto cavit, ne deinceps qui ſolo nomine *Chriſtianitatis* accuſaretur, atque eo tum *Pannoniam* utramque inter *Proconſulares* Provincias retulit, iisdemque in Officio *Proconſulatus* præfecit *Septimium Severum* potiſſimum *Carnunti* reſidentem. Medio tempore *Avidius Caſſius* in *Oriente*, audito aliquo levi obitus *Marci Aurelii* rumore, *Imperium* invadit, quem rumorem cum falſum fuiſſe milites ejusdem intellexiſſent, eum ipſimet occiderunt. Recruduit tamen iterum contra *Marcomannos*, eorumque *Fœderatos* bellum, quod ipſemet *Marcus Aurelius* triennio geſſit, ita atterendo hoſtes, ut, ſi ſuperfuiſſet unicus *Aurelio* vitæ annus, eorum Regio in *Provinciam Romanam* converſa fuiſſet. Sed fatis ita exigentibus, cum filium *Commodum* in ſucceſſorem delegiſſet, eumque, ne belli reliquias contemneret, commonuiſſet, peſte, ut quidam ſcribunt, quidam vero ajunt, veneno à filio propinato, ac tandem, ut alii dicunt, inedia voluntaria, animam efflavit A. C. 182. vir integritate, morum, præter ſuperſtitionem, nulli ſecundus. *Julius Capitolinus cap.* 22. *Dio Caſſ. cap.* 70. *Miſcell. lib.* 10. *n.* 16. *Oroſius lib.* 7. *cap.* 15. *Eutrop. lib.* 8. *c.* 6. *Victor. cap.* 16. Imperatorem hunc *Baronius* ad A. C. 182. in *Pannoniæ inferioris* urbe *Sirmienſi*: *Victor*, & cum eo *Eutrop.* ac *Paulus Diac. Vindobonæ*: *Ritterus* tandem, ad A. C. 181. ſed quo Authore? non conſtat, in *Kriſovlyan* Caſtro *Croatiæ* diſtrictus *Vinicenſis* juxta campum *Varasdinenſem* obiiſſe ſcribunt. Ego potius *Baronio*, utpote Eccleſiaſtico ſcriptori, atque ex hac ratione magis veridico, adhæreo. Ne tamen temere *Baronio* adhærere, noſtrumque *Ritterum* contemnere videar, acceſſi ipſemet memoratum *Croatiæ* Caſtrum *Kriſovlyan*, veſtigia aliqua ſepulturæ prædicti Imperatoris *Marci Aurelii* experiri volens; nihil tamen ibidem, bene vero ad Parochialem ejusdem loci Eccleſiam reperi unius circiter orgiæ in longitudine, duorum autem pedum in latitudine marmoreum albi coloris lapidem, in medio, & à ſuperiori parte lævam verſus, ab angulo ad quantitatem ſemi alterius pedis imum usque fractum, erutum autem in diſtrictu *Vinicenſi* prope villam *Babinecz* ad radicem montis ſituatam, indeque ad ſuprafatam Eccleſiam deductum, cui ſequentia inciſa fuere, hodieque apprime leguntur, nullam tamen *Marci Aurelii* mentionem, ſed neque mortis *Veſpaſiani* faciunt; Eapropter non ſepulchralem, verum inſcriptionalem memoriæ cujusdam cauſa lapidem, à *Veſpaſiano* fieri curatum fuiſſe, viri litterati arbitrantur.

VESPASIAN.
NNIO AFR
LEG

Dimidia lapidis hujus pars deperdita, vel (ut plerique circumſtantes arbitrabantur) ſtrato Eccleſiæ applicata, reperiri haud poterat. Proh

Ee dolor!

dolor! ſimiles namque lapides cum Inſcriptionibus ſuis, certiſſima ſunt vetuſtatis teſtimonia, quæ Hiſtoriis quoque maximam afferunt lucem. Plerumque tamen in manus, & poteſtatem incurrunt eorum, à quibus non æſtimantur: quod vel ignorantiæ tribuendum, vel avaritiæ dum vix in lucem eruti, denuo novis ædificiis ſepeliuntur, atque ex veteri duntaxat figura, non ex ſcriptura æſtimati peſſumdantur antiqui, ne novi emantur.

IV. Hujus inſcriptionis occaſione meminiſſe inter Parentheſim liceat, ſupramemorati diſtrictus *Vinicenſis*, campo *Varasdinenſi* contigui, amœna, ac fertili planicie in longum, & latum apprime gaudentis. In hujus ora campeſtri prope villam (ut ſupra retuli) *Babinecz*, ad radicem montis ſtetiſſe olim urbem aliquam *Romanorum* tempore celebrem, rudera, quæ paſſim ibidem eruuntur, ſubterraneique fornicati meatus teſtimonium luculentiſſimum perhibent. *Romani* namque (ut *Don Joan. de Jordan* Origin. Slavicar. *cap.* 14. §. 15. aſſerit) ſervatis ſibi ſitibus felicioribus, parum ſolliciti de aſperioribus, ut gentibus aliis traderentur, colonias ſuas in his pro proprio commodo ſtatuebant, ſibique ex gentium, aſperiora loca incolentium, labore, ac induſtria commercia adaugebant. Planicies autem fertiles, quæ *Romanorum Coloniarum* animos attrahere poterant, inveniuntur circa *Varasdinum*, *Petoviam*, & *Cilejam*, inquit idem *Don de Jordan loc. cit.* §. 34. *in fine.* Ad firmandam porro tam meam, quam memorati *Joan. de Jordan* opinionem produco lapides cum ſuis Inſcriptionibus in præmentionato urbis loco erutos. E quorum numero unius *Vinicæ* curiæ Parochiali appodiatus viſitur cum ſequenti inſcriptione.

FIRMIA L. F. SCARABANTINA. AN. XXXV. H. S. E. Q. CAESERINVS JVSTVS FIL. H. F. C.

Duo alii lapides pariformiter è ſupradictis ruderibus collecti, deducti ſunt ad Arcem Comitum *Draskovich*, diſtrictui *Vinicenſi* inter montana propinquam, *Klenovnik* dictam; quorum unus turri angulari Arcis immuratus infra poſitam repræſentat inſcriptionem.

ANN. XXXV. F. T. HELBONIVS MAXIMINVS ANIV H. S. S. HELBONIA FAVENTINA VI. SIBI. ET CONJUGI FIL. ROGAT. AT AM MAXIMI VOITIONIS CON. HELBOINVS SPERATVS ANIV.

NB. Lineâ 4. inter ly AT, & AM, duæ litteræ abraſæ deſunt, neque ullatenus cognoſci poſſunt. Item: Linea ult. pariter vox integra in fine deeſt, neque in ejusdem cognitionem deveniri poteſt. Infra ſcripturam hanc cernitur Ruſticus duobus bobus arans, atque in medio quaſi ſupra aratrum ciſta aperta in duplici fune dependens.

In eadem Arce *Klenovnicenſi* ad portam horti deliciarum viſitur alter lapis ex iisdem ruderibus levatus, hucque deductus, atque diſpartite muro horti circumferentiali, unus quidem ad dextram intrantibus, alter ad lævam immuratus, qui exiſtimatur fuiſſe per modum parvæ quadrangularis columnæ, cui ſuperimponebatur alter per modum capitelli, in quo tria capita ad usque pectus effigiata viſuntur: an autem virilia, vel fœminea ſint? dignoſci nequit. In Capitello præter litteras D. & M. nihil eſt inſcriptum, in Columnella vero ſequentia leguntur.

I. O. M. DEP. C. TIBERIN. FAVENTINVS. DEC. COL. POTE. PREF. FABRVM. QVESTOR. PREF. PRO II VIRIS. PRO SALVTE SVA SVORVMQ. OMNIVM.

Liquere igitur ex his cenſendum judico, in ſupramemorato *Vinicenſi* diſtri-

Digitized by Google

diſtrictu ſituatam olim fuiſſe non exiguam civitatem, eamque *Romanorum Coloniis* inhabitatam, quo tamen ſub nomine? vetuſtas abraſit, memoriamque delevit. Ego exiſtimo fuiſſe *Ramiſtam* vocitatam. Hanc etenim *Itinerar. Hieroſol.* apud *Weſſeling. p.*559. & apud *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſt. *par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 3. ad fluvium *Dravum* cum pluribus aliis Romanis civitatibus, Municipiis, & Manſionibus locat hoc ordine: *Petovione*, juxta omnes *Petovium*. Dein: *Ramiſta*, *Aquaviva*, *Popolis*, & *Jovia*. Juxta *Don. de Jordan.* Orig. Slav. *cap.* 14. *Zaurich*, *Majeſſe*, *Schemovetz*, & *Ludbreg.* Modernum porrò *Zaurich* à villa *Babinecz*, in cujus territorio rudera inveniri dixi, vix ſemialterius quadrantis ſpatio ad lævam fluvii *Dravii* aſcendendo diſtet; per conſequens ominari licet *Ramiſtam* in iisdem *Babinecenſibus* ruderibus conſtitiſſe. Præſertim cum & *Ortelius* in Tab. *Veteris Illyrii* eandem dictis in partibus ſituet.

V. Poſt obitum Patris *Marci Aurelii* Faſces *Imperii* capeſſit Filius *Lucius Commodus* toti *Imperio* plusquam *Incommodus*, utpote *Domitiano* ſeverior, *Nerone* impurior. Hæc peſtis graſſata eſt annos quaſi 13. uſque dum A. C. 194. a *Narciſſo Athleta* extinctus fuiſſet, poſtquam ſororem, affines, & voluptatum uſu chariſſimos perimi curâſſet. *Hoſtis Patriæ* a *Senatu* proclamatus. Hoc regnante *Publius Helvius Pertinax* contra *Marcomannos* aliósque *Imperii* hoſtes limites *Danubianos* laudabiliter tutatus eſt. Hic *Mœſiæ*, mox *Daciæ*, quin & *Illyrico* toti præfuit, ex quo ad *Imperium* elevatus *Didium Julianum* ſocium *Imperii* elegit, ſed hujus ſcelere poſt 88. dies a militibus confoſſus *Imperium* cedere *Juliano* coactus eſt. Sed cum & hic Populo inviſus fuiſſet, *Senatûs* ſententiâ poſt 66. dies obtruncatur. Interea *Septimius Severus* in *ſuperiori Pannonia* gerens *Pro-Conſulatum* a *Pannonicis* militibus *Imperator* acclamatur, in *Syria* vero *Peſcenius Niger*, item *Clodius Albinus* in *Gallia*, ſibi *Imperium* uſurpare cœperunt. Sed his forti animo ſuppreſſis *Septimius* ingreſſus *Romam* mox in dignitate *Imperatoria* firmatus fuit, ſibique in *Pro-Conſulatu Pannonico* ſuccedere fecit *Valerium Catulinum.* Hic *Imperator* in *Chriſtianos* crudelis, perſecutionem quaſi exitialem in eos ſuſcitat, qua durante tanta fuit fidelium perturbatio, ut jam *Mundi* finem, & *Antichriſtum* adeſſe crederent; quorum plerique per *Pannonias*, & *Dalmatiam* divexati, mortem opetierunt glorioſam. *Septimius* interim pace *Pannonicâ*, & *Dalmaticâ*, imo totius *Illyrii* clarus, bellisque *Gallicis*, & *Britannicis* felix, ſed in filio *Antonino Baſſiano* infelix, hic etenim eum non ſemel palam ferro, occulte vero veneno occidere tentabat, quapropter mœrore confectus *Eboraci* ultimum clauſit diem A.C. 213. *Dio Caſſ. lib.* 72. 73. 74. 75. & 76. *Victor* in Cæſarib. *cap* 17. 19. & 20. *Oroſ. lib.* 7. *cap.* 17. *Herodianus lib.* 3. *Xiphilin.* in Commodo. Helvio. & Severo.

VI. Succeſſerunt *Septimio Severo* de voluntate ejusdem, & *Senatus* pari imperandi poteſtate *Antoninus Baſſianus Caracalla*, & *Geta* fratres: verum ut ipſe *Antoninus* regnare valeat, fratrem *Getam* in ſinu Matris multis vulneribus peremit. Commiſſa dein Provinciarum cura Ducibus, libidinis impatiens, voluptati indulſit, eapropter juſſu *Opilii Macrini* Præfecti Prætorii à *Martiale* centurione occiſus pœnas paricidii luit A.C. 217. Poſt cujus deceſſum *Marcus Opilius Macrinus* pollicitationibus impetrat à Militibus *Imperium*, & filium *Diadumenum* ſtatim in *Collegam Imperii* aſſumit, ſed poſt unius anni, ac duorum menſium ſpatium, quia ſtipendia militaria comprimebat, uterque ab exercitu, à quo in *Imperatorem*

Digitized by Google

creatus fuerat *Opilius*, obtruncatus eſt A.C. 218. relinquentes *Imperium Aurelio Antonino Vario*, gente *Mauro*, nihilo meliori prioribus, *Cæſarum* omnium *Carcinoma.* Qui *Marcomannis* bellum ex *Pannoniis*, & *Dalmatia* intentabat, non ut hoſtes reprimeret, verum ut ſpe victoriæ conſecrationem *Legionis Fulminatricis*, quam Magiæ inſimulabat, diſſiparet, *Idolumque* ſuum *Heliogabalum* dictum, ſupra omnes alios *Deos* extolleret. Aſt impuriſſimo omnium mortalium diu vivo eſſe non licuit, nam A.C. 222. in militari tumultu, cum ſe ob nefandas libidines omnibus exoſum reddidiſſet, una cum Matre, æque impura fæmina, occiſus eſt. Hoc imperante, ut ſcribit *Fr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſt. *Par. 1. lib. 1. cap. 3.* ex *Dacia* gens *Gotthica* in *Thraciam* pacifice advenit,, ubi libertatem ſectari ſtatuens, colonum agere recuſavit, verum *Romanis* ſe *Legionibus* erga ſtipendium adjunxit. Locum *Aurelii Varii* in ſolio *Imperiali* conſcendit *Severus Alexander* miro omnium aſſenſu *Imperator* acclamatus, optimisque Principibus æquatus. Hic à *Chriſtianis* minime abhorruit, imo inter ſimulachra Deorum ſuorum *Chriſti* quoque *Domini* imaginem repoſuit, atque ideo clam in larario ſuo una cum Matre ſua *Mammæa* coluiſſe *Chriſtum* perhibetur. Hinc Religio *Chriſtiana* in Provinciis *Romanis*, conſequenter in *Pannoniis* quoque & *Dalmatia* acceſſiones fecit, quos potuit, maximas. *Alexander* in bellis & boni Ducis, & optimi militis officio fungens, dum cum *Perſis* in *Oriente* confligit, utraque *Pannonia*, *Dalmatia*, imo totum *Illyricum*, libertatis cupidiſſimum, uti & *Germania* rebellant. *Pannonias* quidem, & *Dalmatiam* per *Varium Macrinum* ſibi auro conciliat, cæterosque *Illyrios* in fide *Romanorum* confirmat. Confecto autem bello *Perſico*, *Africano*, & *Mauritanico* ipſemet in tumultuantes *Germanos* bellum movet, qua occaſione, cum eſſet diſciplinæ militaris tenaciſſimus, ſeveriſſimeque militum exceſſus puniret, odium illorum incurrit, atque ab iisdem dolo *Julii Maximini* ſupremi Militum Præfecti, una cum Matre interfectus eſt, A.C. 235. *Dio Caſſ. lib.* 77. 78. 79. & 80. *Victor* in Cæſarib. *cap.* 21. 22. & 23. In Epit. *cap.* 37. 38. 39. & 40. Zoſimus *lib.* 1. *cap.* 9. & 10. *Lampridius* in Alexandro *cap.* 55. *Herodian.* in Alexandro.

VII. Occiſo *Severo Alexandro* illico *Julius Maximinus* gente *Thrax*, Patre *Gotho*, Matre *Alana* natus, ab Exercitu *Imperator* acclamatus eſt, qui filium cognomine *Maximinum* ſine *Senatus* conſenſu *Cæſarem* dixit: & mox ducto in *Germanos* milite, magna late graſſatus eſt feritate. Ex *Germania* redux in *Pannonia inferiori Sirmii* hyemavit, data Præfectis poteſtate non ſolum in *Chriſtianos* ſæviendi, ſed & prædandi, atque furandi, denique omnibus, ſed bonis maxime, ſignanter *Severi Alexandri* familiæ, de qua plures colebant *Religionem Chriſtianam*, quam perdere, & annihilare intendebat, formidandus. Et quia *Gothis* ſtipendia *Romana* merentibus hac occaſione à Præfecto *Daciæ* cenſus appromiſſus diminutus fuiſſet, *Gothi* exacerbati, primo tumultuari, dein cum reſiduis *Dacis* vicinas Provincias armis infeſtare cœperunt. Præterea, dum *Maximinus* in *Pannoniis* furit, non imperat, exercitus *Africanus Gordianum* Proconſulem ætate ſenem, & invitum eligit *Imperatorem*, datque eidem filium *Gordianum* dictum *juniorem* pro *Collega*, ab ipſo *Senatu Romano* grataner acceptatos, edito ad perſequendum *Maximinum* Decreto, omnibus omnium Provinciarum Præfectis communicato. Quod dum *Maximinus* inaudiiſſet, quis tunc fuerit *Pannoniarum*, in quibus bellua hæc morabatur, *Dalmatiæ*, totiusque *Illyrii* ſtatus? facile eſt divinare. Interea A.C. 237. *Junior Gordianus* in *Africa* ſeditione *Ca-*

pelliani

pelliani, *Maximino* faventis, occiſus eſt: *Senior Gordianus* vero ſpontanea ſtrangulatione vitam finivit. *Senatus Romanus* nihil morandum ratus, crudelitatem *Maximini* metuens, *Clodium Maximum Pupienum* urbis Præfectum, virtutibus clarum, & *Decium Cœlium Balbinum* creavit *Imperatores*: quibus à populo, & militibus adjectus fuit *Antoninus Gordianus* filius *Gordiani junioris*, nepos *Senioris*, ut huic velut avitum *Imperium* conſervarent. His intellectis *Maximinus*, furore plenus, cum exercitu properat *Romam*, futurus ibidem ingentis cædis materia, niſi in via *Aquilejæ*, quam *Senatui Romano* fidelem obſidebat, ab ipſismet ſuis militibus crudeliter, ut merebatur, una cum filio itidem *Maximino* peremptus fuiſſet A. C. 237. vir Regno indigniſſimus, quod ſola immanitate teneri poſſe affirmabat. Sed neque *Balbino*, neque *Pupieno* ſummum *Imperium*; nam & hi, populo quidem grati, ſed Militibus inviſi, ab his anno eodem trucidantur, rerum ſumma in *Antoninum Gordianum* devoluta. *Victor* Epit. *cap. 41. & 42. Julius Capitol.* in duobus Maximinis. *Zoſimus lib. 1. cap.* 13. & 14. *Jornand.* de Regnor. ſucceſſ. In Gordianis. *Herodian. lib. 7.*

VIII. *Antoninus Gordianus* juvenis adhuc uſus conſilio, & ope *Miſithei* ſoceri ſui, & Ducis præſtantiſſimi omnia prudentiſſime diſponentis, exercitum ſuum ducens in *Pannonias*, & *Dalmatiam*, ibidemque harum Legiones ſuis adjungens profectus eſt contra *Perſas*, *Thraciam* occupare nitentes, *Italiæque* minitantes: ubi feliciſſime pugnans frequentibus præliis eos ſtravit, & confecit; quo in campamento fideles ſibi quoque habuit *Gothos*, quos *Miſitheus* ſapienter pacificavit, poſtquam ipſis debitum ſalarium tam hucusque neglectum deponi feciſſet, tam futurum ad amuſſim numerandum appromiſiſſet. Sed demortuo *Miſitheo*, dum Miles annonæ caritate laborat, *Imperatori Antonino Gordiano* imperitiam exprobrat, eidemque in Præfectum, & Tutorem *Marcum Julium Philippum* aſſignat: quo jubente, vel connivente, dum *Gordianus triumphaturus* ingredi *Romam* intendit, ab exercitu *Imperio* privatur, & paulo poſt ad A. C. 244. interimitur, *Princeps* alias omnibus animi, & corporis dotibus ornatus, & cui nihil aliud deeſſet ad *Imperium*, præter ætatem. In hujus locum eligitur à Militibus ſupra memoratus *Philippus* Patre Latrone natus, qui pace cum *Perſis* inita, & *Philippo* filio in conſortium *Imperii* aſſumpto *Romam* proficiſcitur, ubi, quamvis à *Senatu* confirmatus extiterit *Imperator*, didicit tamen inique rapta diu ſtare non poſſe. Contra *Pannonios* etenim rebellantes, dum *Decium Trajanum* cum exercitu mittit, mucronem in ſe concitavit, *Decius* namque à Rebellibus *Imperator* acclamatus, arma in *Philippum* convertit, victumque acie cædit, cujus factione *Philippus* quoque filius *Romæ* interimitur A. C. pariter 244. mox ſucceſſorem nactus, quem *Pannones* acclamavere *Imperatorem Decium Trajanum* itidem *Pannonem* in urbe *Cibali* (quæ nunc *Valpo* dicitur) natum, virum fortem, & bello clarum, optimique *Principis* nomen merentem, niſi illud, avita faſcinatus ſuperſtitione, *Chriſtianorum* ſanguinis profuſione obſcuraſſet. Edicta enim contra hos perſecutione acerbiſſima, multos in *Pannoniis*, & *Dalmatia* Confeſſores *Chriſti* duris cruciatibus juſſit enecari; occaſione cujus urbs *Aſſeſia* (nunc *Bribis* dicta, & in *Croatia maritima* ſituata) glorioſa eluxit Martyrio S. *Maximi* Epiſcopi *Æmonenſis*, ut ſcribit *Baronius*, & habet *Gambarucius* apud *Manſolium*. Sed & S. *Paulus* perſecutionem hanc declinare volens, ſeceſſit in Eremum ætatis ſuæ anno circiter 15. factus *Eremitarum Author*, & *Magiſter*. Medio tempore *Decius* filium *Hetruſcum*

Digitized by Google

jam *Cæſarem* nominatum miſit ad inferiores *Illyrici* Provincias luſtrandas, qui *Lucium Priſcum* Præſidem *Macedoniæ*, & per eum *Gothicam* gentem *Mœſiam*, & *Thraciam* trajecto *Iſtro* infeſtantem, in ſe concitavit. Quo intellecto *Decius* filio opem laturus properavit, hoſteſque primis congreſſibus fundens, & in anguſtias locorum compellens, proditione *Treboniani Galli* Ducis limitanei, & fraude *Bruti* ab hoſtibus victus, dum fuga ſalutem captat, in profundam paludem, una cum equo demerſus interiit A.C. 251. Dices fortunæ rotam *Romanum Imperium*, vel *Auguſtos* ipſos victimas eſſe, ornatas tantum, ut ferirentur, miſereque perderentur. Hujus belli occaſione *Gothi*, ut tradit *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par. 1. lib. 1. cap. 3.* trajicientes *Danubium* cœperunt in *Mœſia* urbem *Martianopolim*, quam *Ulpius Trajanus* qua *Imperator* conſtrui fecerat, eamque ſecundum ſororis ſuæ *Martiæ* nomen *Martianopolim* appellari juſſerat. Hæc *Fuhrman*, reſidua ſupra anarrata *Victor* in Cæſarib. *cap.* 28. & 29. Item Epit. *cap.* 42. 43. & 44. Zoſim. *lib. 1. cap. 16. 17. 18.* & *19.* *Eutrop. l. 9. c. 3.* & 4. *Jornand.* de Regn. ſucceſſ. *c. 16.* & *18. Paulus Diac. lib.* 10.

CAPUT XXXI.

De Origine Nationis Gothicæ, Sarmaticæ, & Vandalicæ.

I. *Capitibus præcedentibus* ſæpius occurrebat *Gothorum*, & *Sarmatarum* mentio, *poſterioribus* occurſura etiam *Vandalorum* ac *Alanorum*. Ideo non abs re erit, ſi de origine eorum, progreſſuque aliquid diſſeruerimus, ſiquidem hos *Pannoniarum* inquilinos ex plurium ſcriptorum notatis conſtet. Sed quemadmodum hi de origine eorum diverſiſſimas producunt opiniones, ita nobis aliquid determinati, & certi eruere, atque ſtatuere impoſſibile, quaſi apparet. Attamen productis his, quid concludendum eſſet, prudentis Lectoris judicio ſubiiciendum duxi. *Scythia Europæa*, quæ & *Sarmatia* dicebatur, apud omnes vetuſtiores, & recentiores ſcriptores, pro fœcundiſſima gentium officina habita eſt, ſignanter autem una ex fertiliſſimis Inſulis *Scandia* (quam *Ptolom.* appellat *Scandinaviam*) in quatuor partes diviſa. In qua occidentem verſus *Chaëdini*, orientem *Phavonæ*, & *Phyreſii*, Meridiem *Guttæ*, & *Dauciones*: in medio vero *Levionii* habitabant. Item præter hos *Crepemiæ*, *Suetani*, *Themices*, *Vagothi*, *Perdiones*, *Hallini*, *Licbidæ*, *Alvuli*, *Famaitæ*, *Ferviri*, *Scantbigothi*, *Ravarici*, *Vinoviletbi*, *Suatidi*, & *Cogeni*. Ex quibus *Bonfinius Dec. 1. lib. 1.* ſcribit *Davos* promanaſſe, qui propriis ſedibus *Herulos* ex *Dacia* (quos *Ritterus* in Prodromo Croat. Rediv. *pag.* 3. gentem *Sarmato-Heneticam*, ſeu *Slavicam* fuiſſe, eoſque primo *Verlos*, id eſt *Egregios*, dein *Hertos*, ac tandem *Herulos* compellatos extitiſſe, aſſerit) ejecerunt, *Dacique* dicti ſunt. Huic ſubſcribit citatus *Ritterus* referens, eos omnino à *Davis* ex *Dacia* pulſos fuiſſe, inde vero ad confinia *Dalmatiæ* migraſſe, ibidemque longiori tempore commoratos, usque dum videlicet ſibi ſedes trans *Danubium* in hodierna *Moravia* fixiſſent, Regnumque *Herulorum* condidiſſent.

II. Neque defuere in præfata populorum feraciſſima *Scandinaviæ* inſula *Granii*, *Granzii*, *Etnelcugi* & plures alii armis ſtrenuiſſimi, audacia generoſiſſimi, belliſque clariſſimi. Hinc illam *Gothorum* innumerabilem multitudinem profluxiſſe *Albuinus* ſcriptor *Gothicus* docet: ſed

Digitized by Google

ſed & indicio eſt, ut *Bombardius* Topogr. Hung. *Par.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. tradit, ajens: *Hodierna Gothia, Suecorum Provincia perampla, tum inſula vicina Scandinavia, Gothlandia à Latinis dicta.* Ubi plures *Scandinaviæ* populos, atque inter hos etiam *Gothos* enumerans, ſubjungit: *Hi populi orti ſunt ex inſula Scandia, ſive Scandinavia, quæ poſtea appellata eſt Gothlandia.* Atque hoc veriſſimum eſſe arbitror, cum legam eos ex hac Inſula migrantes, varias ex poſt ſedes in *Thracia, Dacia, Mœſia*, usque dum ſe pro aliquo tempore in *Pannonia*, ut infra dicetur, locaſſent, inquiſiviſſe. Sed an eorum natale ſolum Scandinavia fuerit? vel vero ex *Sarmatia* ſe eo tranſtulerint? An origine *Thuiſcones*, ſeu, ut actu loquimur *Germani*? vel vero *Heneti* aut *Veneti*, ſeu *Vindi*, ex *Sarmatia* prodeuntes extiterint? hodiedum inter Authores controvertitur.

III. *Münſterus* in deſcriptione orbis terrarum, dicit: Omnes Hiſtoricos tradere, ſimulque teſtari, illos genere, & origine *Germanos*, aut *Germanorum* vicinos fuiſſe: quibus nihil videtur concludere, ſiquidem per ly: *Aut Germanorum vicinos*, poſſit etiam alia natio, diſtincta à *Germanica* ſubintelligi. *Cluver.* Antiquit. Germ. *lib.* 3. *cap.* 34. tradit: *Gothones*, ſeu *Guttones* populos, *Germaniæ* (quos *Tacitus* inter *Lygios* ab Auſtro, & *Lemovios* à Septentrione concludit) unam cum *Gothis*, qui univerſum fere orbem oppreſſere, gentem extitiſſe. Sed hæc ſententia à plerisque recentioribus reprobatur, vel ex eo, quod *Scandinavia* inſula, quæ *Gothlandia* nunc vocitatur, nullatenus vicinetur *Lygiis*, & *Lemoviis*. Hinc plerique *Getas*, & *Dacos* gentes affines, atque ad *Iſtri* oſtia ſepoſitas, eandem cum *Gothis* nationem extitiſſe affirmant; quas tamen *Cluver. loc. cit.* potiſſimum *Herodoti*, & *Strabonis* teſtimonio roboratus, diſtinguit, atque *Gothos Germanicam, Getas* autem *Thracicam*, aut certe *Thracibus* immixtam nationem fuiſſe concludit. Sed contra *Cluverium* inſurgunt ex Poëtis *Sidonius, Claudianus*, & *Auſonius*: ex aliis vero ſcriptoribus, *D. Hieron. Oroſius, Procop. Spartianus*, & *Jornandes*, ipſe quoque *Gothus* natione, qui omnes proxime ad ea tempora vixerunt, quibus tam *Getarum*, quam *Gothorum* erat memoria celebris, & intra utramque gentem mutua ejusdem originis agnitio, ut inſinuat *Jornand.* cum & opus ipſum, quod ipſe de *Gothis* conſcripſit, *de rebus Geticis*, intitulaverit. Cui nec ego, ſed neque reſiduis ſupra citatis aliquid derogatum habere velim pro eo tempore, quo hi floruerunt, nam multis antea annis, ut *cap. præc. num.* 5. inſinuavi. *Gothi Thraciam, Daciam*, & *Mœſiam*, conſequenter *Illyricum* intraverunt, ibidemque *Thracibus, Dacis, Getisque* & *Mœſiis* commixti habitarunt, atque pro uno populo, ex identitate idiomatis, affirmante *Strabone*, reputati fuerunt.

IV. Verum alia hic quæſtio reſolvenda venit: cujus nimirum *Gothi* nationis fuerint eo tum, dum ex inſula *Scandinavia* in prædictas venerunt Regiones? *Schönleb.* Appar. Carniol. *lib.* 1. *cap.* 7. §. 10. pariter authoritate ſupra citatorum Poëtarum, & reſiduorum ſcriptorum *Dacos, Getas, Gepides, Gotbones, Guttones*, & *Gothos* unius gentis, ejusque *Germanicæ* multiplicia nomina eſſe acriter contendit. Quod obſervans *Bombardius loc. cit.* in id, ubi *Schönleb.* citatus *Getas*, & *Gothos* eosdem populos fuiſſe aſſerit, invehitur, dicens: *Profecto nemo inficias ierit, jam olim Getarum nomen, cum Gothi ad glacialis Oceani ripas obrigeſcerent, Græcis, Latiniſque ſcriptoribus, prout ex Tomitano vate, jam civitate donato, abunde diſcere eſt, innotuiſſe.* Cujus porro nationis fuerint? *Hiſtoricis*, cum ipſe ſe *Geographum* tantum, Regionum, Populorumque nomina indicantem nuncupet, controverſias ſimiles evol-

ventibus diſcutiendum reliquit. Quamvis nec ego me *Hiſtoricum*, ſed rudem hac in parte *Chronologum* reputem, nihilominus ex *Münſtero pag.* 263. vetuſtum *Græcum* ſcriptorem *Procopium* (qui *Hiſtoriam Gothicam* laborioſe conſcripſit) citante, & dicente: *Gothi, Vandali, atque Alani uno Sarmatarum nomine appellantur, eademque eſt natio, tantum Ducibus, quorum nomina accepere, diſcreti;* concludo: *Gothos* fuiſſe nationem *Sarmaticam*, adeoque cum *Vandalis*, & *Alanis* ejusdem fuiſſe propaginis, conſequenter & nationis: non tamen cum *Vandalis* illis, qui à *Vandalo* ſuo Duce, ſe *Vandalos*, & Provinciam *Vandaliam* prope *Daniam* denominaverunt; verum cum *Vandalis Sarmaticis* (ut *Procop.* in ſupra citato ex *Münſtero* textu inſinuat, qui *Vandaliam* occupantes, ſe à Regione *Vandalos* etiam, ut *cap.* 13. *num.* 7. dictum eſt, cognominarunt.

V. Cujus porro nationis fuerint *Sarmatæ, Vandali, & Alani*? inquirendum eſt. Agendum ergo primo eſt de *Sarmatis*. *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſt. *Par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. ſcribit: Ab *Aſcenez*, ſeu *Aſcanio*, etiam *Thuiſcone*, juxta quorundam opinionem, compellato, prognatos fuiſſe populos, qui ſucceſſu temporis *Germani* dicti ſunt. Ut *Oleaſter*, *Delrio*, & *Alii* apud *Cornel. à Lap.* in *Gen. cap.* 10. probant, confirmantibus *Kirchero* in Turri Babel *lib.* 3. *cap.* 4. & *Valvaſorio lib.* 5. Ubi vero primas in *Europa* ſedes *Aſcenez* poſuerit? colligitur ex *Beroſo*, qui in Fragm. *lib.* 5. ſic diſſerit: *Aſcenez Sarmatas maximos populos fundavit, qui nunc Thuiſcones.* Nos *cap.* 12. poſteritatem *Moſoch* (ex quo *Slavonicam* nationem proceſſiſſe *cap.* 10. docuimus) longo tractu per *Sarmatiam* ſub nomenclatura *Henetorum*, *Venetorum*, *Venedorum*, *Vendorum*, & *Vindorum* dilatatam, pluresque ex his ſub pluribus nominibus populos progenitos, atque generali vocabulo à Regione, quam incolebant, *Sarmatas* appellatos extitiſſe, retulimus.

VI. Binas olim *Sarmatias* fuiſſe tradit *Ptolomæus*: quarum unam locat in *Europa*, quæ, ut *lib.* 3. ait: *A ſeptentrione Oceano, ab occaſu parte Germaniæ, à Septentrione Jazygibus Metanaſtis terminabatur*: in eaque *Olbam* eſſe tradit, quæ nunc *Ruſſia*, & *Tartaria* creditur. Alteram *Sarmatiam* ſituat in *Aſia minore.* Eamque *lib.* 5. *A Septentrione terra incognita, ab occaſu Sarmatia Europæa, & fluvio Tanai terminati, Caucaſiosque* montes in ea haberi refert. Prææattactam *Europæam Sarmatiam* dicit *Dubravius lib.* 1. fuiſſe communem quandam omnium gentium, quæ nunc *Slavinæ* vocantur, patriam, ipſasque varia ſortitas fuiſſe vocabula: Alias namque *Hyros*, & *Scyros*, alias *Syrbos*, & *Serblos*: item alias *Henetos*, & *Venetos*, alias denique *Venedos*, *Vendos*, & *Vindos* appellatas. De quibus *Plinius lib.* 4. *cap.* 13. ubi de inſulis Septentrionalibus *Oceani* agit, hunc in modum loquitur: *Sævo mons ibi immenſus, ne Rhiphæis jugis minor, immenſum ad Cimbrorum usque Promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur, refertus inſulis, quarum clariſſima Scandinavia, & incompertæ magnitudinis.* Ac mox ſubjungit: *Quidam banc habitari Inſulam usque fluvium à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hyris tradunt.* Confirmat hoc *Ptolom. lib.* 3. *cap.* 5. *Tab.* 8. *Europæ* dicens: *Tenent autem Sarmatiam maxime gentes Venedæ per totum Venedicum ſinum. Nam ubi Mare Balthicum, ibi ab eorum nomine Venedicus ſinus, uti etiam Venedici montes appellantur.* Et juxta *Bunonem* in Notis ſuper *Cluverii* Introduct. Geograph. *lib.* 4. *cap.* 21. Dicitur *Venedum* civitas *Livoniæ*: item *Vinda* in *Curlandia*, ac *Venda* in *Pomerania*, quæ hodiedum his ſuis vetuſtiſſimis nomenclaturis gloriantur.

VII. Ex his præinſinuatis Benevolus Lector colligere poterit, *Sarmatas*, quorum frequentiorem tam in *Chronologia*, qua *Lucubrationibus* meis facio mentionem, non fuiſſe alios, quam ex *Moſoch* progenitos *Henetos*, *Ve-*

Digitized by Google

Venedos, *Venidos*, & *Vendos*, eosque non aliam, quam *Sluvicam*, quamvis hoc nomine needum appellatam, extitiſſe nationem; quamtumvis id aliqui, ſignanter ex Heterodoxis *ſacrorum Codicum* textus ſecus interpretantibus, impugnent, qui *Moſchovitas* à *Moſoch* omnino, ſed *Venedos* à *Riphat* derivant, hasque nationes diſtinguunt. Convincuntur tamen plurium ſcriptorum argumentis ſupra *cap.* 10. adductis, quibus adjungitur *P. Fuhrman*, qui Vet. & Nov. Auſtr. *Part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. nec reſpondere volens objectis, aſſerit: *Moſchovitas*, & *Vendos*, ſeu *Vindos* eandem eſſe, & æqualem, atque utramque a *Moſoch* procedere nationem. Hoc tamen non obſtante alia occurrit difficultas, quam *Cluver.* Antiquit. Germ. *lib.* 1. *cap.* 3. & *lib.* 3. *cap.* 44. proponit, per omnia negando, per *Venetos*, & *Venedos*, ſeu *Vendos*, vel *Vindos* eandem nationem intelligi debere. Sed difficultatem iſtam reſolvit *Jornand.* de Reb. Geticis, in quibus modo *Wenedos*, modo *Venetos* nominavit, atque ſub tali nomine non alios, niſi *Vinidos*, ſeu *Vindos*, id eſt: *Slavos* intellexit. Eapropter concludi debet cum *Peſſina* Mart. Morav. *lib.* 1 *cap.* 3. Item cum *Schönleb.* Annal. Carniol. pag. 506. & cum *Schardio* in Vocabulario Regnor. & Gent. noſtros *Henetos*, *Venedos*, *Vendos*, *Vindos*, eosdem eſſe populos, qui originem ſuam a *Moſoch* ducentes *Moſchovitæ* dicti, dein ſub diverſis nomenclaturis *Henetæ*, *Venetæ*, *Venedæ*, *Vinidi*, *Vendi*, *Vindi*, atque, ut *Dubravius lib.* 1. ex *Plinio lib.* 4. *cap.* 13. etiam *Hyri*, *Scyri*, & *Syrbi* nominati, generica autem appellatione olim *Scythæ*, dein *Sarmatæ*, ſubinde etiam *Jazyges*, ac tandem *Slavi*, ſeu *Slavones* nuncupati ſunt.

VIII. His de natione *Sarmatico-Henetica* productis, tranſitum facere oportet ad nationem *Vandalicam*, qua cum etiam *Alanicam* complectemur. Diximus nationis ex *Moſoch* progenitæ partem ex *Paphlagonia*, & *Cappadocia* Duce *Antenore* ad *Mare Adriaticum*: partem alteram admittente *Alexandro Magno* in *Illyricum*; partem tertiam in *Sarmatiam* migraſſe. Ex *Sarmatia* vero primo in *Daciam*, dein in *Pannoniam*, inde vero in *Germaniam*, *Galliam*, & *Angliam* ſedes opportunas quæſiſſe, ſeque hic *Henetos*, ibi *Venetos*, alibi *Vendos* vel *Vindos* nominaſſe, quantumvis in re, non niſi, *Vindi*: id eſt; *Slavi* fuerint. Sed contra hæc *Strabo* de Italia *lib.* 5. *pag.* 146. opponit dicens: *Venedi*, *ſeu Vendi*, *vel Vindi mei temporis ad Adriaticum mare conſidentes fuerunt Galli*, *ſeu Germani*, *ejusdem nationis cum Venedis in Gallia*, *& Britannia habitantibus*. Sed & *Tacitus* ſcribens de moribus *Germanorum* exiſtimat *Venedos* potius pro *Germanicis*, quam *Sarmaticis* populis. Horum duorum ſcriptorum opinio effecit, quod recentiores quoque ſcriptores propter ſimilitudinem nominis *Vandalos* cum *Venedis* confundant, atque utroſque hos unius *Germanicæ* nationis fuiſſe aſſerant. Ubi tamen, ut *Pr. Fuhrman loc. cit.* ſcribit: *Illi*, id eſt: *Vandali*, non vero hi, id eſt; *Venedi Germani* fuere; quantumvis & *Venedos* poſſe appellari *Vandalos* exiſtimet. Quod facile probamus ex *Dubravio lib.* 1. Poſtquam enim *Venedi* litora *Maris Balthici*, & eas Regiones, quas *Vandali* populus olim *Germanicus* tenuerunt, occupaſſent, nomenque ſibi ex devicta gente, ut fieri interdum aſſolet, adoptaſſent, pro *Venedis*, ſeu *Vindis* ſe *Vandalos* cognominaverunt. Hoc ipſum confirmat *Hornius* in Arca Noë pag. 320. ſub hoc itaque nomine *Vandali* non ſolum *Pannonias*, *Gallias*, & *Hiſpanias*, verum & in ipſam *Africam* penetrarunt, in qua Regnum quoque ſuum conſtituerant, non tamen niſi ad *Juſtiniani Imperatoris* tempora durans.

IX. Cognomen tamen *Vandalorum* in regionibus, quas initio ad *Mare Balthicum* poſſederant, incolæ hodie-

 dum

Digitized by Google

dum retinent, qui &, teſte *Münſtero pag.* 770. uſi ſunt ante ſuſceptum *Chriſtianiſmum* idiomate *Vandalico*, moribusque ſuis vixerunt, quoadusque incorporati fuere *Romano Imperio Germanico*, & tunc una cum Religione ſimul didicerunt ab *Imperatoribus* nationis *Saxonicæ* linguam *ſaxonicam*, ſeu *Germanicam*, quam & in hunc usque diem retinent. Qualis autem fuerit *Vandalica* lingua? colligitur ex eodem *Münſtero pag.* 766. ubi deſcribens *Pomeraniam*, ſic diſſerit: *Diximus jam in deſcriptione Magnopolenſi, quod tota ora maritima ab Holſatia, usque ad Livoniam una fuit Vandalica, ſeu ſlavonica natio.* Idque probatur ex Vocabulis etiam *Vandalicis*: & primo quidem urbis *Sztargard*, ſeu, ut *ſlavones* exprimunt *Sztarigrad*, quæ, ut idem *Münſterus pag.* 760. dicit, latine ſonat *Vetus civitas*, de qua pariter Münſterus *pag.* 773. ait: *In Aldenburgo civitate Vandalorum, quam illi ſua lingua Sztargard dixere, ſita ad Mare Balthicum.* Et paulo infra ſic diſſerit: *Certum eſſe, quod Vandalicæ urbes aliam apud Danos, aliam apud Saxones, & aliam apud Vandalos habuerint nuncupationem, quam enim Vandali dixere Sztargard, Saxones Aldeburgh, Dani vero Branetiam vocaverunt, quæ tamen non aliud, niſi Veterem denotant civitatem.* Item: *Pomerani* (nomenclatura populorum *Vandalico-Slavorum* in *Pomerania* eſt nomen originarium *ſlavicum* à præpoſitione *Po* (quod eſt: *penes*) & vocabulo *morje*, ſeu *more* (quod eſt: *Mare*) compoſitum, adeoque *Pomerani* populi idem ſunt, ac maritimi, aut ad mare habitantes. Item *Odera* fluvius antiquitus vocabatur *Viadrus*, à *Vandalo-ſlavis* autem accolis nomen *Oderæ* inditum, a Slavico vocabulo *Odere*, quod idem eſt: ac *vellicat*, ſeu *rodit*, eo quod rapacitas hujus fluvii ripas hinc inde vellicet, & rodat. Ita *Joan. Bapt. de Jordan* Orig. Slavicar. *Par.* 3. *ſect.* 34. *num.* 50.

X. Præterea iidem *Vandali* habentes *Idolum*, quod, antequam fidem ſalutiferam recepiſſent, pro *Deo* adorabant, idque nominabant *Radegaſt*, quod vocabulum ex idiomate *Slavonico* in *Latinum* translatum, *Lubentem*, ſeu *Non invitum*, id eſt: *Gratum hoſpitem* ſignificat. Plura his ſimilia vocabula *Vandalica* idiomati *ſlavonico* propria produci poſſent, interim brevitatis gratia prætermittuntur. Unicum *Vandalicum*, pro majori robore prædictorum, haud omittendum exiſtimo *Pater noſter*. Quod *Valvaſorius* Topog. Carniol. *lib.* 6. *cap.* 1. inter tredecim *Slavonicorum idiomatum Orat. Dominic. n.* 8. ſic recitat.

Latine.	*Slavonice.*	*Vandalice.*	*Latine.*	*Slavonice.*	*Vandalice.*
Pater	Otecz	Woſchzi	nobis	nam	nam
noſter,	nas,	naſch	hodie.	deneſz.	ſchiſz.
qui	ki	Kéns	Et	I	A
es	jeſzi	ſy	dimitte	odpuſzti	wodaj
in cœlis:	na Neboſzch:	nu nebu:	nobis	nam	nam
Sanctificetur	Szvetiſze	Nasvesche	debita	dúge	wini
nomen	ime	meno	noſtra,	naſſe,	naſche,
tuum.	tvoje.	twoyo	ſicut	kak	ak
Adveniat	Dojdi	Pſiſz knam	& nos	i mi	my
regnum	kralyeſztvo	krajloſtvo	dimittimus	údpuſchamo	wodawano
tuum.	tvoye.	twojo.	debitoribus	dusníkom	winikom
Fiat	Budi	Sé ſtavi	noſtris.	naſſem.	naſchym
voluntas	volya	wola	Et	I	A
tua:	tvoia	twoja	ne inducas	ne vpelyaj	ne weſich
ſicut	kak	yako	nos	naſz	nas
in cœlo,	na nebu,	na nebo	in tentationem.	vu ſzkuſſovanye	do pitowaine.
ſic &	tak y	ytu a	Sed	Neg	Ale
in terra.	na zemlyi.	na zemmi	libera	oſzlobodi	umoſz
Panem	ktuha	kleb	nos	naſz	nas
noſtrum	naſſega	neſs	à	od	wod
quotidianum	uſzagdasnyega	dneisthi	malo.	zla.	ſlego.
da	daj	day	Amen.	Amen.	Amen.

XI.

XI. Quod vero *Venedi*, *Vendi*, & *Vindi* ob commixtionem cum *Germanica* natione *Vandalorum* nomen, mores, conſuetudinesque fors & amictum aſſumpſerint, ita, ut pro unica natione *Germanica* judicati fuerint, nullatenus tamen ex eo *Germani* cenſendi ſunt. Siquidem *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par. 4. lib. 1. cap. 4.* inſinuet, *idioma diverſitatem nationum declarare.* Præterea *Polyb.* Hiſt. lib. 2. cap. 17. teſtatur: *Vindos*, conſequenter & *Vandalos* diſtinctam fuiſſe à *Germanis* nationem ſequentibus: *Ad Adriaticum Mare babitat alia vetuſta natio, Veneda dicta, quæ à Gallis, ſeu Germanis diſtincto idiomate loquitur; de cætero in moribus, & veſtitu parum differunt.* Quem textum perpendens *Fr. Fuhrman loc. cit.* ſic diſſerit: *Idioma Vendorum, ſeu Vindorum non fuit Germanicum, vel Gallicum, ſed neque Græcum, vel Latinum, verum proprium, & quidem illud, quod ſuceeſſu temporis Illyricum, ſeu ſlavonicum, unum ex Matricibus denominatum fuit.* His accedit *Cranzius* de Vandalis *lib. 1. cap. 22.* (cui *Schönleb.* Annal. Carniol. *pag. 219.* fidem dandam exiſtimat) dicens: *Vandalis eandem fuiſſe linguam, quæ Ruſſis, Polonis, Bohemis, Dalmatis, Hiſtriis hoc tempore communis eſt, diverſa tamen Dialecto;* Sed his omnibus pro nunc eſſe, atque ab antiquo fuiſſe linguam vernaculam *Slavonicam*, conſtat: ergo & *Vandalis*, qui ex *Sarmatia* ſub nomine *Henetorum*, vel *Venedorum &c.* progreſſi *Vandaliam* occuparunt, ſeque *Vandalos* cognominarunt.

XII. Ex quibus univerſis hactenus dictis colligitur, *Sarmatas*, quorum gratia hanc ſuſcepimus elucubrationem, non fuiſſe alios, quam *Henetos*, *Venedos*, *Vendos*, *Vindos*, & *Vandalos*, eosque de natione *Slavonica*, ex *Moſoch* procedente, generali vocabulo *Sarmatas*, utpote ex *Sarmatia* migrantes appellatos. Opinioni huic patrocinatur *Conradus Schurzfleiſchius* in Diſſert. *de reb. Slavicis*, & *Junkerus*, cenſentque apud *Bombardium* Topogr. Hung. *Par. 1. c. 2. ſeg. 1. num. 23.* male ex recentiorum quorundam placito *Vandalos*, à *Slavis*, ſive *Slavinis* ſejungi, cum una, eademque gens fuerit. Idipſum dicendum eſt de *Syrbis*, qui juxta *Dubrav. lib. 1.* occupata *ſuperiore*, & *inferiore Luſatia*, ſe *Luſatios* nuncuparunt. *Hyrri* vero & *Scyri* inter *Nomades* ab *Ambroſio Calepino* computati, pariter ex *Sarmatia* progreſſi, vagam diu, mercenariamque militiam, interdum etiam *Alanis*, & *Gothis* immixti militabant, donec cum iisdem *Gothis*, & *Alanis*, cæterisque *Heneto-Sarmaticis* populis, ſignanter autem cum *Vandalis*, & *Gothis* inter *Illyricos-Slavos*, vel maxime in utraque *Pannonia* ſedes ſuas figerent. De *Roxolanis* eadem fere dicenda forent, quæ de *Sarmato-Henetis*, *Venedis*, *Vindis*, *Vandalis* lecta fuere: nam iſti etiam olim *Alani* dicti ex eo, quod ad *Alanum montem* in *Sarmatia*, ut *Steph.* in Onomaſtico ſcribit, habitaverint: vel vero, ut *Plinius lib. 4. c. 13.* notat, quod ad *Alanum* fluvium primo conſederint, inde vero ad *Mæoticas paludes* progreſſi *Roxolani* dicti ſunt, ac ultimo tandem *Rutheni*, vel *Ruſſi*, ut declarat *Schönleb.* Annal. Carniol. *p. 198.* Et iterum ab inde in *Daciam Illyricam*, quæ & *Mæſia* dicebatur, venientes *Sarmaticis* populis, ut aſſerit *Julius Capitol.* commixti fuere.

XIII. Inquirebamus hic *num. 4.* cujus *Gothi* nationis fuerint? reſolvimusque ibidem, ejusdem eos fuiſſe nationis, cujus & *Sarmatæ*, *Vandali*, atque *Alani* fuere: Hos autem *ſequentib. num.* declaravimus fuiſſe nationis ex *Moſoch* prognatæ, nempe *Heneticæ*, poſt *Slavonicæ* dictæ, conſequenter *Gothos* quoque hujuſce nationis extitiſſe affirmandum eſt: ex *Procop. num. 4. cit.* Nunc inquirendum eſt: Quo tempore *Gothi* primum ingreſſum habuerint in *Thraciam*,

Digitized by Google

ciam, *Daciam*, & *Myſiam*, conſequenter & in *Illyricum?* Quamvis incertum tempus Authores perhibeant, attamen *Fr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par.* 1. *lib.* 1. *c.* 3. primo ingreſſui *Gothorum* in *Daciam* aſſignat A. C. 219. *Ritterus* in Chron. A. C. 252. *Albertus Reichard* autem in Brev. Hiſt. Carinth. A. C. 271. *Procopius* apud *Münſterum p.* 263. de *Gothis* ſic diſſerit: *Famam eſſe Gothos ex Cimeriis, qui ad Tanaim habitant, veniſſe juvenes quosdam, & cervum inſectando, fluvium trajeciſſe, revertentes deinde ſuis agrum optimum ſe vidiſſe renuntiaverunt. Illi armis freti cum exercitu ad Iſtrum usque vincendo pervenerunt: fuerunt bellicoſiſſimi, quibus multi Imperatores prævalere nequiverunt. Julius Cæſar eos devincere nequivit, neque Cajus Tiberius, ſed neque Domitianus duodecimus Cæſar, qui in ſuperiori Mœſia juxta Danubium ab ipſis victus amiſit multas civitates.*

XIV. Ex quibus colligitur *Gothos*, antequam *Chriſtus* pro ſalute humani generis naſceretur, in *Daciam* veniſſe, ibidemque ſedes ſuas fixiſſe, atque eo tum ex antecedenti Provinciæ vocabulo *Dacos*, & *Getas*, ſeu *Gepidas* appellatos fuiſſe, quamtumvis illi ſemetipſos nonniſi *Gothos* nominaverint. De *Gothicis* bellis, quorum *Procopius loc. cit.* meminit, reſidui *Hiſtorici* tacent. Unicus *Iſidorus Hipal.* qui de origine eorum ſcribens, ait: *Gothi jam in civili diſcordia inter Pompejum, & Julium Cæſarem auxiliares duxerunt copias Pompejo contra Cæſarem. Imo multi eorum habitarunt in Romano ſolo in Thracia, & in Mæſia: è quorum genere fuit Julius Maximinus Imperator, ut fatentur omnes Hiſtorici cum Jornande.* Sed an hoc, vel alio tempore *Gothi Illyricum* intraverint? nihil intereſt, ſufficit eos cum *Vandalis*, & *Alanis* ex eadem natione *Sarmato-Henetica* originem duxiſſe, conſequenter *Slavos* extitiſſe, atque ut tales *Illyricum Slavis* refertum intraſſe.

CAPUT XXXII.

Continuantur Geſta Illyriorum duplici Pannoniâ, & Dalmatiâ incluſorum ſub Romanis Imperatoribus.

I. CHronologiam meam continuaturus à *Decio Trajano* tranſeo ad ejus ſucceſſorem *Cajum Fibium Trebonjanum Gallum*, qui cum *Hoſtiliano* A. C. 251. *Auguſtus* declaratus fuerat. Sub horum regiminis initium adveniente ab *Æthyopia* lue peſtilente, totumque *Romanum Imperium* miſerabiliter, & ipſum *Hoſtilianum* depaſcente, ſolus *Trebonianus Gallus* renuens adminiſtrare *Imperium*, filium ſuum *Voluſianum* ſibi in *Collegam Imperii* adſciſcit, qui tamen nihil memorabilis geſſerunt, præterquam, quod à *Gothis* rurſus *Illyricum* trajecto *Iſtro* vaſtantibus, civitatesque omnes in *Dardania*, & *Thracia* diripientibus, fœda tributi annui pactione, pacem emerint, fœdusque cum iisdem percuſſerint. Hinc *Gothi* ferociores effecti, ipſi quoque Italiæ minitabantur. Quo viſo, aliæ etiam Provinciæ à *Romano Imperio*, inter quas & *Pannoniæ*, deficiunt. Hac occaſione *Æmilius Æmilianus* Dux *Pannonicarum Legionum*, poſtquam *Gothos* profligaſſet, acclamatur *Imperator*: Contra quem *Gallus* cum *Voluſiano* profectus, uterque à ſeditioſo ſuo milite *Æmiliano* favente interfectus eſt: ſed & hic trimeſtri tantum *Imperio* functus eſt, nam & ipſe ab iisdem militibus, *Licinii Valeriani* mores, ac nobilitatem ſuſpicientibus, cæſus eſt, A. C. 254.

Digitized by Google

II. Intellecta Æmiliani morte, non tantum *Pannonicæ*, verum & *Germanicæ*, ac *Italicæ Legiones* una voce *Valerianum* dixere *Imperatorem*, quem & *Senatus Romanus* confirmavit, ac ſimul filium ejus *Gallienum Cæſarem* declaravit. *Valerianus* ſub initium Imperii ſui *Chriſtianis* impenſe favit, ſed ſeductus à *Magis*, incenſusque à *Macriano* Præfecto, octavam in hos orſus eſt perſecutionem. Ex quo tempore, *Deo* manum ſuam ab eo detrahente, dum à duobus *Romanus Orbis* male gubernatur, pejus à pluribus in partes ſcinditur. *Valerianus* namque commendatis filio *Gallieno* negotiis Occidentis, ipſe in Orientem profectus eſt cum *Sapore* Rege *Perſarum* conflicturus: quo diſcedente, dum *Gallienus* otio, compotationibus, laſciviæque deditus *Romæ* delituiſſet, & cum *Marcomannis* Provincias *Imperii* vaſtantibus pacem iniiſſet, ac *Pannoniæ ſuperioris* partem *Pipæ* filiæ *Marcomannorum* Regis, ſpe Matrimonii *Romam* evocatæ, poſſidendam conceſſiſſet, plerique Duces à fidelitate defecere. Inter quos *Ingenuus* in *Pannoniis*, quo interempto *Regilianus* in reſiduo *Illyrico* à Legionibus *Imperatores* effecti fuere, reliquis *Tyrannis* dominatum in aliis Provinciis occupantibus; ſed & *Valerianus* medio tempore à *Sapore* Rege *Perſarum* captus, ludibrio habitus ſaleque conſperſus, interiit A.C. 260. Quo intellecto *Gallienus* plenè *Imperii* curas ſuſcipiens, quaſi de ſomno excitatus, cladeque Patris reſipiſcens, perſecutionem in *Chriſtianos* comprimit, arreptoque ferro in rebelles *Pannonios* proficiſcitur; ſed dum hos comprimit, *Daciam*, quæ nunc *Tranſylvania* eſt, à *Gothis* occupatam amittit. Qua occaſione *Mœſia*, & *Thracia* depopulationibus *Scytharum* diripiuntur, *Pannonia* à *Marcomannis*, *Sarmatis*, & *Quadis*, qui in moderna *Polonia*, & *Sileſia* habitabant, vaſtatur, item pars illa *Pannoniæ ſuperioris*, quam *Gallienus* conceſſerat *Pipæ*, nuptiarum promiſſis non ſtando, à *Romano Imperio* ſeparatur, denique *Imperium* totum rebellionibus diſſipatur. Et quamvis *Tyranni* in *Imperatores* proclamati invidia ad invicem trucidarentur, attamen alii, aliique inſurgunt, ita, ut à 30. *Tyrannis* in diverſas partes *Imperium* diſcerptum extiterit. *Odenatus* namque Rex *Palmyrenorum* toti *Orienti* imperavit: *Aureolus* Exercitus voluntate purpuram in *Illyrico* induit, qui objectum ſibi Ducem *Macrianum* peremit: *Gallienum* quoque apud *Mediolanum* occurrentem militum manu percuſſit A.C. 268. *Victor* in Cæſarib. *cap.* 30. 31. 32. & 33. Item Epit. *cap.* 45. & 46. *Eutrop. lib.* 9. *cap.* 5. *Zoſim. lib.* 1. *c.* 26. *Trebellius Pollio* in Gallieno. *Pomponius Lætus* & *Jornand.* de Regnor. ſucceſſ. *uterque* in Gallo, & Voluſiano. *Euſebius* in Chron.

III. *Gallieno* occiſo *Marcus Aurelius Claudius*, natione *Dalmata*, in *Imperatorem* ab Exercitu eligitur, approbante *Senatu Romano*. Qui illico contra *Aureolum* ad oppugnandam *Romam* properantem movet, & prope *Bergomum* minus generoſe pugnantem occidit. Cecidiſſe tunc etiam magnam partem noſtrorum *Pannonum* veroſimile eſt, cum enim ipſis per aliquot annos imperitaſſet *Aureolus*, ſecum etiam ad capeſſendum *Imperium Romam* pergens, non invitos deducebat. Victoria hac habita *Claudius* cum receptis ab *Aureolo* legionibus adverſus *Alemannos*, vel potius *Francos*, qui ingenti numero in *Italiam* proruebant, proſpere dimicavit. Interim *Gothi* omnes ſuos connationales, diverſis nominibus, pro varietate locorum (ut vult *Eutrop. lib.* 9.) appellatos, populos, *Peucinos*, *Trutungos*, *Auſtrogothos*, *Virtinguos*, *Sigipedes*, *Sarmatas*, *Vandalos*, *Herulos* ad prædas *Romanas* excitaverunt, conflatoque trecentorum viginti millium exercitu, in *Romanum ſolum* irruerunt, ſed infelici opera:

Digitized by Google

Hos quippe *Claudius* diverſis præliis ita attrivit, ut pauci eorum in patriam redierint, multi etenim fuga elapſi ſe intra *Hæmi* montem contulerunt, plurimi vero interempti, & plurimi capti in miſeram tracti fuerunt ſervitutem. Hinc impletæ ſunt *Illyrici Provinciæ* barbaricis ſervis, agrorumque coactis cultoribus. Hoc in bello ingens *Equitum Dalmaticorum* fertur extitiſſe virtus, quod ex ea Provincia originem duceret *Claudius*, qui propterea fidelitati generoſitatem jungens tantam hoſtium multitudinem fortiter proſtraviſſent, & paulo poſt Ductore itidem *Claudio*, 30. *Tyrannorum* vires ita imminuiſſent, ut quarta eorum pars vix ſupereſſet. In *Claudio* denique nihil deſideratum eſt, ſi *Chriſtianis* tantum ſe mitiorem exhibuiſſet. Iſte poſt anni unius, & 10. menſium *Imperium* peſtilentia per *Illyricum* graſſante, *Syrmii* in *inferiori Pannonia* deceſſit A. C. 270. ſucceſſitque ei Frater *Marcus Quintilius*, cum in Præſidio *Italico* eſſet *Imperio* dignus, etſi *Claudii* frater non fuiſſet. Verum, cum ſe gravem, & verum *Principem*, ut decet, præſtaret, à ſuis Militibus decimoſeptimo *Imperii* ſui die cæſus, Romanis tantum oſtenſus fuit. *Victor* de Cæſarib. *cap.* 33. Item Epit. *cap.* 48. *Trebellius* in Claudio. *Eutrop. lib.* 9. *Caſſiodorus* in Chron. *Flavius Vopiſcus* in Aureliano. *Zoſim.* Hiſt. *lib.* 1. *c.* 41.

IV. Interempto *Quintilio* habenas *Imperii* militum acclamatione capeſſit *Lucius Domitius Aurelianus*, obſcuris quidem parentibus *Syrmii* in *Pannonia*, ut plerique ſcribunt, vel, ut aliqui tradunt, in *Dacia*, aut *Mœſia*, quæ nunc *Boſna* dicitur, natus, qui tamen ut privatus miles ita alios virtute exceſſit, ut ad ſupremos etiam militiæ gradus evadere meruerit: *Valeriano* contra *Gothos*, & *Claudio* contra *Aureolum* fideliſſimus Exercitus Ductor. *Alemannos*, & *Marcomannos* junctis viribus *Romanum Imperium* adortos, illatis in ipſam *Italiam* ſignis, tribus præliis cecidit. *Sarmatarum* incurſiones à *Pannoniis* removit, & multa Barbarorum (*Barbari* omnes à *Romanis* reputabantur, qui Ditioni *Romanorum* non ſuberant). millia, conſertis ad *Iſtrum* armis, una cum *Canabaude* Duce *Gothorum* delevit. His ita debellatis, ut erat natura ferocior, *Romam* petit, atque in ſeditioſos ſeverius animadvertit, diſordinibusque, qui in *Republica* per ſocordiam *Principum* emerſerant, compoſitis, arma in *Orientem* vertit contra *Palmyrenos*, multaque eo itinere bella feliciter confecit, & ſimul integrum *Orientale Imperium* per *Tyrannos* occupatum, recepit, *Orientis* & *Occidentis Triumphator* acclamatus. Bellis finitis in *Chriſtianos* perſecutionem decrevit, qua complures in Provinciis *Illyrici* cœlo adſeruit *Martyres*. Cæterum, quum *Daciam* (hodiernam *Tranſylvaniam*) ſub *Gallieno* amiſſam frequentioribus *Gothorum*, & *Scytharum* irruptionibus vaſtari cerneret, ex propoſito recuperare negligit. Hinc abductos inde *Romanos* in media Mœſia collocat, eamque appellat *Novam Daciam*, atque in duplicem dividit, *Ripenſem* ſcilicet, & *Mediterraneam*, utramque computando inter 17. *Illyrii* Provincias. *Daciæ Mediterraneæ* Metropolim fecit *Sardicam*, & *Daciæ Mediterraneæ* denominavit *Razariam*. Qua de cauſa autem hanc diviſionem inſtituerit *Domitius*? quamvis ipſemet diceret, *Daciam* minus utilem eſſe *Romano Imperio*, utpote multorum inanium bellorum cauſam, attamen reſpondetur cum adagio: *Stat pro ratione voluntas*, utpote *Principis* ſummi. Atteſtante *P. Timonio* in Imag. Hung. *lib.* 1. *cap.* 10. *Sexto Rufo* in Brev. & *Pagio* ex *Hierocle*. Quibus porro Provincias has metis diſtinxerit *Domitius*? incertum eſt: *Myſia* tamen, ſeu, ut *Volaterrano* placet, *Mœſia*, ad diſtinctionem nimirum *Myſiæ Ariaticæ*, juxta *Bombardium*

To-

Topogr. Hung. *Par.* 1. *cap.* 1. *ſegm.* 1. *num.* 1. à Septentrionali latere *Danubio* definita, & poſt *Taurunum* incipiens ad *Euxinum Pontum* usque orientem verſus porrigebatur: reliqui ejus limites fuerunt *Scardus*, & *Hæmus* montes, per quos à *Dalmatia*, *Macedonia*, & *Thracia* dirimebatur. Idque confirmat *Plinius lib.* 3. *cap.* 26. Diviſione hac inſtituta *Domitius Aurelianus* derelictam *Veterem Daciam* indulſit *Gothis*, & *Marcomannis*, ut ab his quietiores manerent reſiduæ *Illyrici* Provinciæ.

V. Dum *Domitius Aurelianus* in ſecundaria *Orientis* expeditione adverſus *Imperii* hoſtes feliciter dimicat, perit *Mneſtæi* Notarii ſui fraude, qui Principis manum mentitus ad Amicos Tabulas dedit, in quibus eorum nomina ad necem deſignata legere erat, ii igitur præveniendum ſibi rati, *Aurelianum* trucidarunt A. C. 275. Detecta vero fraude *Mneſtæus* beſtiis lacerandus obiicitur, *Aurelianus* vero ab univerſis, etiam occiſoribus, deploratur, utpote *Reipublicæ* utiliſſimus Princeps, quem *Alexandro Magno* nonnulli, *Cæſari Dictatori* alii, contulerunt. Poſt obitum *Domitii Aureliani* ſecutum eſt contra morem longum *Interregnum*, dum *Milites* creandum *Principem* offerunt *Senatui*, ne ipſi ex iis, qui in cæſi *Principis* cauſa erraverunt, aliquem ſeligant: *Senatus* rejicit electionis actum ad *Exercitum*, ne, ſi proponatur à *Patribus*, id fiat cum electi periculo, & eligentium invidia. Poſtquam in hac honeſta contentione octo Menſes inſumpti fuiſſent, *Marcus Claudius Tacitus*, cum in *Senatu* ſententiam edicere vellet, interruptus eſt eidem ſermo à circumſtantibus tam *Senatus*, quam *Exercitus* primoribus, & ſimul *Imperator* acclamatus, reluctans licet: *Princeps* magni animi dotibus clarus, & digniſſimus, qui unanimi clariſſimorum virorum conſenſu *Imperator* crearetur. Ultus mox *Domitii Aureliani* interitum, multa ſanctiſſima, & utiliſſima *Reipublicæ* promulgari fecit Edicta, neque *Chriſtianos* amplius urgeri paſſus eſt, in victu, & veſtitu temperantiſſimus. *Sarmatas*, qui trajecta *Palude Mæotide* per *Pontum Euxinum* in *Aſiam* eruperant, Provinciasque *Romanas* adusque *Ciliciam* crebris vexabant incurſionibus, ad *Mæotidem paludem* repulit partim, partim delevit. Qua in expeditione apud *Tharſum* obiit A. C. 276. (ſed qua morte? variant ſcriptores) ingenti *Senatus* dolore. Adeo, quæ bona ſunt, diuturnitatem non ferunt. *Victor* in Cæſarib. *cap.* 35. Item Epit. *cap.* 49. *Eutrop. lib.* 9. *cap.* 9. *Jornand.* de Regnor. ſucceſſ. in Aureliano. *Paulus Diac.* Hiſt. Miſcell. *lib.* 10. *Flav. Vopiſcus* in Aurel. *cap.* 3. & in Tacito *cap.* 4. *Zoſim.* Hiſt. *lib.* 1. *cap.* 63. Dum *Pr. Alexius à S. M. Magd. Piariſta* Vet. & Nov. Illyrii *Tract. Prælim. cap.* 3. §. 34. mentionem facit *Taciti Imperatoris*, ſequentia ex *Joan. de Jordan*, Orig. Slav. *Par.* 4. *ſect.* 46. *num.* 630. ſubjungit: *Eos vero* (*Sarmatas* intelligit) *Slavorum, ac Venedorum majores fuiſſe, atque nunc primum innotuiſſe Orbi Romano, non ſine vero, rerum Slavonicarum ſcriptores obſervant.* Hujus textus occaſione non abs re facturum me exiſtimo, ſi originem vocabuli *Slavorum* examinavero, atque ex confecto examine erutam rei veritatem legendam propoſuero.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

De Origine Vocabuli Slavorum.

I. ORiginem *Sarmatarum* expoſuimus *cap.* 31. *num.* 5. & *ſequ.* Ubi eos ſub nomine *Henetorum*, *Venedorum*, & *Vindorum* pro *Sarmatis* intellectos fuiſſe, oſtendimus: illos autem nullius alterius, quam *ſlavonicæ* nationis extitiſſe, demonſtravimus. Hinc neque nos negare poſſumus *Sarmatas*, qui *Heneti*, *Venedi*, *Vendi*, & *Vindi* appellabantur, pro *Slavorum* majoribus recognoſcendos eſſe. Sed ſi dicatur, *ſarmatas* ut *Henetos*, ſeu *Vendos*, aut *Vindos* his primo temporibus, id eſt: ſub *Claudio Tacito Imperatore* cognitos eſſe in *Illyrico*, ſimpliciter negamus ex iis, quæ de adventu *Henetorum* ex *Paphlagonia* in *Illyricum cap.* 5. *num.* 8. & *cap.* 9. *num.* 6. ac 7. Item *cap.* 11. *per totum*, & de eorundem *Sarmatarum* migratione ad *Danubiales* partes, indeque ad diverſa Regna, & Provincias *cap.* 12. *per totum*, retulimus, ad quæ præcitata loca benevolum Lectorem relegamus, acturi hic de Origine vocabuli *Slavorum*.

II. Originem quoque *Slavonicorum* populorum *cap.* 10. *num.* 6. & *ſeq.* declaravimus, hos tamen neque *Slavnos*, neque *Slavinos*, aut *Slavones* eo tum, ſed *Henetos*, *Venetos*, *Venedos*, *Vinidos*, *Vindos*, *Vinulos*, *Vandalos*. Item: *Fennos*, *Scyros*, & *ſyrbos*, *Hyros* quoque & *Herulos*, nec non: *Alanos*, *Roxolanos*, *Jaſyges*, *Getas*, *Gepides*, & *Gothos* cognominatos fuiſſe retulimus. *Ortelius* in Synonim. ſub *lit. V.* adducens in teſtem *Melanthonem* in *Tacitum* differentem ſcribit: *Vandalos*, *Venetos*, *Venedos*, *Fennos*, & *Slavos* eſſe unius gentis varias appellationes. Alibi dein exponit idem *Ortelius* ex *Eginharto* in vita *Caroli Magni* loquente: *Slavos eſſe eos, qui alias conſuetudinario loquendi modo Wilſi, ſed ſua lingua Vandali dicebantur.* Adducit præterea plura hujus gentis nomina citatus *Ortelius* ex *Rheginone*, qui *Slavos* quosdam *Ukranos* nominat, ac tandem ex *Wittikindo*, qui eorum nonnullos *Ukros*, *Herelos*, *Luſios*, *Luſatios*, & *Ulabines* dici tradit. Plura quoque nomina ac genera eorum *Joan. de Jordan* Orig. Slav. *par.* 3. *ſect.* 34. *num.* 50. ex *Helmodi* Chron. *cap.* 2. exponit, habitationemque deſcribit. Quos omnes ſub diverſa nomenclatura ejusdem nationis *Slavicæ* ex *Moſoch* prognatos indubium videri debet, cum tot probatorum ſcriptorum authoritate confirmetur, teſteturque *Adamus Boborich* in ſui Operis Arctici Horizontis *Præfat.* dicens: *Quoquot hactenus Hiſtorias conſcripſerunt, & in eis gentis originem, & mores rimati ſunt, omnes in eo conſentiunt: Henetos, Vindos, Vandalos &c. & Slavos, eandem, & unius, ejusdemque eſſe originis gentem. Omnia hæc Epitheta à frequenter, & ſæpe mutatis ſedibus conveniunt.* His univerſis tamen, & principaliter adnumerandi veniunt *Moſchi*, ſeu *Moſcovitæ*, qui pariter à *Moſoch* Parente *Slavonicæ* gentis prognati, nomen quoque Patris hæreditario titulo retinent, ſeque *Slavinos* compellari gloriantur.

III. Sed quæritur: unde his populis nomenclatura *Slavica*, ſeu *Slavonica* enata ſit? *Jornand.* in Hiſt. Gothica, ex *Aurelio Caſſiodoro* conſcripta, primus, ut obſervare licuit, præattactos populos *Slavonico* vocabulo vocitatos notavit, circa A. C. 550. florens, dicitque nomen *Slavorum* circa A. C. 500. quo *Caſſiodorus* vixit, vel non multum ante emerſiſſe. Quo in paſſu alii ſcriptores paſſim

Digitized by Google

ſim variant tempus, alii namque longe prius, alii poſterius aſſignant. Ego malim tempus hoc cum *Joan. de Jordan loc. cit.* ad A. C. 276. quo *Tacitus* imperabat, reponere. Siquidem *Sarmatæ*, quos *Tacitus* debellaverat, ut citatus *de Jordan* tradit, non receſſerint in priſtinas ſuas ſedes, ſed in partibus *Getarum* ſubſtiterint. De quibus *Jornand.* in cit. Hiſt. Goth. ait: *Introrſus Dacia eſt, ad coronæ ſpeciem arduis montibus communita, juxta quam ad ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem vergit, ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpatia venit, Vinidorum natio populoſa conſedit, quorum nomina, licet nunc per varias familias, & loca mutentur, principaliter tamen Slavi, & Antes nominantur.* Supponit itaque *Jornandes*: Illos *Sarmatas* prius *Vinidos*, dein *Slavos* dictos, eorumque nomina nunc mutari. Item *Idem Jornand* in ead. Hiſt. de iisdem *Vinidis* agens, inquit: *Ab una Stirpe exorti tria nunc nomina reddidere: Vendi, Antes, & Slavi.* Quaſi diceret: Natio hæc *Veneda* ex uno Patre prognata, inque varias familias diviſa, variis, iisque multiplicibus nominibus compellata, hoc tempore nomenclaturas ſuas conſtringens, atque in tres duntaxat ſe turmas dividens, tribus ſe tantum nominibus *Vindorum*, *Antarum*, & *Slavorum* compellari patitur.

IV. Tam multiplex igitur nationis ex *Moſoch* progenitæ nomenclatura, toti orbi, ſignanter *Romano* glorioſis facinoribus notiſſima, primo *Moſcovitico*, *Cappadocico*, & *Paphlagonico*; dein communi *Sarmatico*, ac *Scythico*, ac tandem *Henetico*, *Venetico*, *Venedico*, *Vendico*, *Vindico*, *Vinulico*, *Vandalico*, *Herulico*, *Scyrico*, *Syrbico*, *Sorabico*, *Alanico*, *Roxolanico*, *Jazygico*, *Antico*, &c. nominibus vocitata, ad tres duntaxat, temporibus *Taciti Imperatoris*, nomenclaturas *Vindorum*, *Antarum*, & *Slavorum*, noſtra vero ætate ad unicum *Slavorum* toti *Europæ* notiſſimum nomen devenit: a *Mari Adriatico* namque, usque ad *Balthicum* extenſi ſub generico nomine *Slavorum*, diverſis tamen cognominibus, ut ſunt: *Bohemi*, *Moravi*, *Sileſii*, *Poloni*, *Lithuani*, *Moſchi*, *Rutheni*, *Ruſſi*, *Bulgari*, *Servii*, *Iſtrii*, *Dalmatæ*, *Croatæ*, *Carnioli*, *Carinthi*, *Styri* &c. & *Vindi* vetuſtum nomen in *Styria inferiori*, ſeu *Vindorum Marchia* (quæ & *Slavonica* dicitur) circa *Celejam* urbem retinentes, hodiedum appellari non dedignantur, imo honori ducunt.

V. De occaſione porro, ſeu cauſa *Slavonici* vocabuli *Jornand. loc. cit.* agens, opinatur, ajens: *Slavini à civitate nova, & Sclavino Rumunenſe, & loco qui appellatur Murſianus, usque ad Danaſtrum, & in Boream Viſclatenus commorantur.* Textum iſtum *Grutterus* in Notis ad *Jornandem* ex Palatinis Codicibus ſic interpretatur: *Slavini à civitate Novi, & Unenſe, & lacu, qui appellatur Murriano.* Ex his colligitur *Jornandem* indicare velle, quod *Slavini* habitaverint in *Pannonia inferiori*, ubi *Murſia* civitas (quæ nunc *Eſſekinum* eſt) ſituatur, à qua forte lacus circumjacens dicebatur *Murſianus.* Item in alia quadam civitate *Novi*. de qua *Hiſtoria Miſcell. lib. 17. cap. 33.* agit ad tempora *Mauritii Imperatoris*, ſed ejus ſitum non deſcribit. Bina autem actu dari *Novi* in moderna *Croatia* ipſemet novi, unum, quondam civitatem celebrem, nunc Præſidium adverſus *Turcarum* incurſiones ad *Vunam* amnem, aliud etiam olim urbem, nunc oppidum cum cœnobio Ord. S. Pauli pri Er. ad littus *Maris Adriatici* in diſtrictu *Vinodolenſi.* Cum autem *Jornand.* civitati *Novi* adjungat ly *Rumunenſe*, quod *Grutterus* interpretatur *Unenſe*, credendum videtur *Slavinos* ſuos habitaſſe etiam in civitate *Novi*, quæ ad *Vunam* fluvium ſituata eſt. Præterea citatus *Jornandes* ly *Rumunenſi*, præponit ly *Sclavino*, quaſi quidam locus

Digitized by Google

dictus olim fuiſſet *Sclavino-Rumunenſe*, atque ab hoc loco *Venedos*, ſeu *Vindos* nomen *Sclavinorum* adeptos fuiſſe contendit. Non videtur tamen veridica hujus nomenclaturæ deductio, ſiquidem imprimis *Venedi*, ſeu *Vindi* & aliæ ſupra exarratæ ex *Moſoch* progenitæ nationes non fuerint nominatæ *Sclavini*, ut *Jornand.* ſcribit: ſed *Slavini*, & *Slauni*, ut *Dubravius*, & *Freſchottus*, aliique paſſim notant ſcriptores. Secundo, qualiter à loco hoc potuiſſent dictæ gentes *Sclavini* nominari? cum præfatum locum nondum tempore *Taciti Imperatoris* incoluerint, ſed primo circa A. C. 500. ſub nomine jam *ſlavorum* occupaverint. Pro tertio: Et antequam hunc locum noviſſent jam *ſlavi* trans *Iſtrum* adhuc exiſtentes, ut omnes Hiſtorici tradunt, nuncupati extiterint. Alia igitur hujus vocabuli origo inquirenda eſt.

VI. *Bombardius* Topogr. Hung. *Par. 1. cap. 2. ſegm. 1. num. 23.* *ſlavos* à communi omnibus *Slavicis* nationibus *szlovák*, dictos exiſtimat, atque cum *Eduardo* in Diſſert. contra *Ottrokocſium* (cujus meminit *Czvitingerus* in ſpecimine *Hungariæ Litteratæ*) idem eſſe cum *Chlovek*, quo homo ſimpliciter denotatur, aſſerit. *Albertus Cranzius* de Vandalis *lib. 1. cap. 6.* ſubſcribens *Æneæ ſylvio*, putat *ſlavos* dictos à verboſitate, ait quippe: *Slavones ſua lingua verboſos appellari, quod multa loqui nativum ſit genti.* In idem tendere videtur *Dubravius* Hiſt. Bohem. *lib. 1.* inquiens: *Slavonium vocabulum ex commercio unius linguæ natum: id enim Szlowo apud Sarmatas, quod verbum apud latinos perſonat. Quoniam igitur omnes ſarmatarum nationes late jam tum per regna, & provincias ſparſæ, unum tamen eundemque ſermonem, atque eadem propemodum verba ſonarent, ſe uno quoque verbo Slavones cognominabant.* Verum hæc derivatio vocabuli *ſlavonici*, utpote à longe petita, ſubſiſtere vix poterit, ſignanter cum ipſemet *Dubravius* veroſimilius eſſe judicet, quod *loc. cit.* ſubjicit, dicens: *Ab ipſa præterea gloria, quæ apud ipſos Szlava appellatur, Slauntii dicti.*

VII. Ejusdem opinionis fuit etiam *Adamus Boborich* in Arctico Horizonte ſic ſcribens: *Slavorum Epitheton à rebus præclare geſtis genti huic merito ſuo obtigit: Nam Szlava noſtris hominibus gloriam ſignificat. Hinc Slavi, quaſi laudabiles, celebres, & clari dicuntur. Siquidem Etymon vocis nunquam quis melius divinaverit, quam ex cujusque gentis propria lingua.* Idque confirmat, aſſumpta paritate à *Germanis*, qui dicti ſunt *Germani*, quaſi *Gar man*, id eſt: *Plane viri*, vel: *Integri viri.* Item *Allemani*, quaſi Alle Männer / id eſt: *Omnes viri*, ſic *Græci Germanos*, antequam *Germanorum* vocabulum innotuiſſet, nominabant *Gallos*, propter albedinem faciei, quaſi *Lacteos*, ut probat *Pr. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *Par. 3. lib. 1. cap. 6.* ex *Magino*, & *ſtephano*, à *lacte*, nam *lac* in Græco idiomate *Gala* ſignificat. *Boborichio* ſubſcribit *P. Andreas Jambreſſich* in *Lexico* verbo: *Illyricum*, dicens: *Nationem porro Illyricam, generali vocabulo, eoque antiquiſſimo, Orbinus, & Rhanzanus Sclavones; Alii Slavones, Slaunios, & Slavonios, ab Illyrica voce Szlava, latinis gloria, cujus nunquam non ſtudioſi erant Illyrii, nominant.*

VIII. Hinc mirari ſatis non poſſum *ſchönlebenium*, quod, quantumvis hos omnes Authores pro origine vocabuli *Slavonici* loquentes, *Appar. Carniol. cap. 6. §. 14.* citet, totamque *Carnioliam* quondam *Illyrii* partem extitiſſe *cap. 1. §. 10.* fateatur, recognoſcatque *cap. 6. §. 2.* hodiedum Idioma *Slavonicum* per univerſam *Carnioliam* uſurpari, attamen nullis nixus fundamentis vocabulum *Slavoniæ* à *Savo* amne, ad quem *Savia Pannonia* tempore *Romanorum* ſita fuerat, quaſi modo *Savia*, modo *Svavonia*, dein molio-

Digitized by Google

moliori pronuntiatione *Slavia*, & *Slavonia* dicta fuiſſet, derivat: populisque ad *Savum* fluvium conſidentibus, id eſt *Illyris* duntaxat hoc nomen *svavicum* primo, dein *Slavicum* inditum dicat, ſucceſſu vero temporis, cæteris quoque ex *Moſchi* prognatis populis, uti ſunt: *Moſoch, Poloni, Bohemi, Moravi, Servii, Bulgari, &c.* utpote cognatis gentibus, communicatum fuerit, ita, ut omnibus commune evaſerit, conjecturet. Cum tamen *Freſchottus* natione *Italus*, recentior Regni *Dalmatiæ* Hiſtoricus, & Geographus *cap.* 1. *pag.* 18. potius ſupracitatis Authoribus *Boborichio*, & *Dubravio*, quam *Schönlebenio* adhæreat, declaretque expreſſe *Slavonicum* vocabulum nonniſi à ly *Szlava*, quod *gloriam* ſignificat, derivari. Deinde contra *Schönlebenium* idem argumentum militat, quod hic *num.* 5. contra *Jornandem* adductum eſt *in fine.* Nam *Pannonia inferior* necdum ſub *Tacito Imperatore* nominata fuit *Savia*, ſed longe poſt, ut *cap.* 35. patebit, conſequenter neque à *Savia* præenumeratæ gentes vocabulo *Suavorum.* vel *Slavorum* nominari poterant, utpote, qui jam ante *Saviæ* denominationem *Slavi* nuncupabantur.

IX. Hiſtoricus noſter domeſticus *Georgius Rakay* de Dalm. Croat. & Slav. *lib.* 1. duplicem *slavonici* vocabuli originem à majoribus traditam refert, ſic inquiens: *Quidam Savoniam absque litteris* C. *&* L. *à Savo fluvio denominandam autumnant, ac Savones, non Slavones dicendos eſſe, ut Ranzanus adnotavit. Alii Slaunos, non Slavos appellari volunt, ex voce proprii idiomatis Szlava, quod gloria interpretatur.* Atque utramque hanc Etymologiæ deductionem, gentique conſonam arbitratur. Huic *Rattkaianæ* relationi, quantum ad primam partem in tantum aſſentior, in quantum omnino *Slavi* ſine littera C, non vero ſine littera *L.* ſcribendi, & pronuntiandi ſunt, & in quantum quoad *Savones Ratkajus* authoritate *Ranzani* fulcitur, cum & hic forte, uti *Schönlebenius* conjecturando potius, quam aſſerendo eadem referre cenſeatur. Quantum vero attinet ſecundam *Ratkaianæ* relationis partem, eam, quaſi certiſſimam amplector plurium ſcriptorum adminiculo protectus, ſignanter Eruditiſſimi, & accuratiſſimi *Slavicarum* rerum inveſtigatoris *Joannis de Jordan*, qui *Par.* 4. *ſect.* 51. *num.* 708. de vocabulo *Slavini* ſic diſcurrit: *Hoc proprie domeſtica eſt originis, à primitivo Szlava, quod eſt gloria, & laus: Inde venit adjectivum Szlavni, celebres, laudabiles: verbum Szlaviti, celebrare, prædicare: participium Szlaveni, celebrati, deprædicati: Hoc nomen igitur ipſa gens ſibimet aſſumpſit.* Et paulo infra: *Ut ſe tales præſtarent in bello contra inimicos, in pactis erga amicos, & in moribus inter ſe: quæ qualitates quoque à ſcriptoribus æquis genti ei attributæ leguntur. Poterant quoque Slavi in hoc eligendo nomine reſpicere ad populos Aſiaticos trans Mare Ponticum Paphlagones, qui ſe Enetos græce dicebant, ita, ut Slavi ab hoc exemplo ſimile nomen, ſed proprii ſermonis ſuſciperent.*

X. Quid porro *Enetos* ſignificat, *Jornand.* de reb. Get. *cap.* 29. exponit, dicens: *Urbs Ravenna inter paludes, & pelagus, interque Padi fluenta uni tantum patet acceſſui; cujus dudum, ut tradunt majores, poſſeſſores Eneti, id eſt: laudabiles, dicebantur.* Item *Paulus* Diac. de Geſtis Longobardor. *lib.* 2. *cap.* 14. dum de *Henetis Adriaticis* agit, ait: *Eneti enim, licet apud Latinos una littera addatur, græce laudabiles dicuntur.* In *Notis* Editionis *Muratorii* additur: *Laudabilis, ſive prædicabilis Ajnetos, à voce primitiva Ajnos, quæ laudem ſignificat.* Ergo *Eneti* vocabulum *Græcum*, & itidem *Szlavini* vocabulum *slavonicum* populos *laudabiles*, & *glorioſos* indigitat, ita, ut quemadmodum origo vocabuli, nationis quoque eadem videri poſſet.

Digitized by Google

Aſt huic opinioni refragari videtur *Strabo* Geograph *lib.12.* ubi exponit, qualiter *Cappadocia Paphlagoniæ* vicina utroque utatur ſermonis genere, vocabuliſque Paphlagonicis abundet: *Cujus generis ſunt* (inquit) *Bagas, Biaſas, Enietes, Ratotes, Tiberus, Gaſys, Ologaſys, Manes &c.* Et quidem ex his vocabulis nulla radix *Slavonica* elici valeat, conſequenter *Paphlagones*, & eorum vicinos *Cappadoces* à *Slavonica* lingua alienos fuiſſe, neque *Slavis* ſtemma præbere quiviſſe, concludendum eſſe, exiſtimat.

XI. Sed hoc argumento *Strabo* parum, aut nihil probare cenſendus eſt, cum is circa A.C. 10. vivens, ſuamque *Geographiam* ſcribens, pro eo tum exiſtentium *Paphlagonum*, & *Cappadocum* idioma connotare potuerit, non autem illud, quo primitivi *Paphlagones*, & *Cappadoces* circa A. M. 2841. utebantur; ab illo namque tempore, uſque ad tempora *Taciti Imperatoris*, id eſt: intra annos, juxta computum *Brietii*, circiter 1488. poterat per variarum gentium migrationem in *Paphlagonia*, & *Cappadocia*, & populus, & idioma populi immutari, prout accidit cum *Gallis* circa A.M. 3784, qui ex *Germania* migrantes in *Illyricum*, inde vero *Græcis* juncti in *Aſiam* penetrarunt, ibidemque occupata *Bythiniæ* parte cum *Galatiam* ſeque *Gallo-Græcos*, & *Galatas* compellarunt, atteſtante *Brietio*, & *Juſtino* Hiſt. *lib.24. cap.4.* & *lib.25. cap.2.* Quod autem hi iidem *Galatæ* idiomate ſuo *Theutonico* etiam in *Aſia* uſi fuerint, tradit *S. Hieron.* in fine Proœmii *lib. 2.* Comment. in *Epiſt. ad Gal.* dicens: *Galatæ, excepto ſermone Græco, quo omnis oriens loquitur, propriam linguam, eandem pene habent, quam Treviri.* Cui textui ſubjungit *Cornel. à Lap.* Comment. in *Epiſt. eand.* hæc verba: *Germanicam ſcilicet.* Plura ſimilia exempla habentur de aliis populis, Regnis, & Provinciis, id enim contigit etiam in *Illyrico* noſtro, quod primitus *Græcum* eſſe diximus, nunc *Slavonicum* experimur: id in *Pannonia veteri*, quam pariter primitus *Aſcenaſicam*, ſeu *Germanicam*, dein *Græcam*, tertio *Slavonicam* fuiſſe declaravimus, nunc partim *Germanicam* præſertim *Superiorem*, partim *Hungaricam*, & *Slavonicam* conſpicimus. Par ratio eſt circa *Bohemiam*, quæ olim *Celtica*, ſeu *Theutonica* fuit, nunc eſt *Slavonica*. Et multa ſimilia. Idipſum igitur de veteri *Paphlagonia*, *Cappadocia* concludendum exiſtimo.

XII. Perſeverandum itaque eſſe judico in ſententia, qua nationem *Slavicam* ad ædificium *Turris Babel* ortam, inde in *Paphlagoniam* primo, dein in *Cappadociam* ſe transferentem, hinc vero partem ejuſdem unam cum *Antenore* ad *Mare Adriaticum* ſub vocabulo *Henetorum*, alteram vero partem ſub eodem nomine *Henetorum* in *Sarmatiam*, ſucceſſu vero temporis ab utrinque in *Illyricum* migraſſe, ſibique à vocabulo *Henetos*, quod *gloriam* ſignificat vocabulum *Slavorum* impoſuiſſe concluſimus. Hoc tamen tam inclytum vocabulum non levem ſubire coactum eſt ſui immutationem apud exteras gentes *Slavici* idiomatis ignaras. *Itali* namque, quibus pronuntiatio vocabuli *Slavini* litteralis pura ad palatum non erat, primæ ſyllabæ *Sla* litteram *c* intermiſcebant, ſecundam vero *uni* per interjectam vocalem *i* dividebant, adeoque triſyllabum *Sclavini* efformando, nomen id quaſi radicibus ſuis evellebant: & quia apud *Italos* *Schiavini*, ſeu *Schiavi* idem ſonat ac *Servi*, ſeu *Mancipia*, gens *Slavica* pro *Servis*, & *mancipiis* reputabatur contra proprii idiomatis *Slavonici* ſignificationem. Et quantumvis juxta *Eccardum* de Reb. Francicis *lib. 23. cap.7.* Item *lib.25. ad finem*; præterea *lib.26. cap.12.* & *lib. 28. cap. 258.* ſub *Carolingicis Imperatoribus* circa A.C. 741. pars nationis *Slavonicæ* in Epiſcopatu *Wir-*

Digitized by Google

Wirzeburgenſi in ſilveſtribus locis *Radantiam* inter, & *Mœnum* fluvios, hæc *Moinvinda*, illa *Randawinda* dicta, ſedes vixerit, terramque ex certo cenſu excoluerit, Comitesque ſuper ſe cenſus exactores habuerit, atque in Diplomate *Ludovici*, & *Lotharii Imperatorum* (quod *Rettenpach* Annal. Cremiſanenſium *lib.* I. ad A. C. 828. refert) *Serva*, vel *Sclava* dicta fuerit, conſequenter celebre *Slavorum* vocabulum inverſe plane, & immerito à ſua propria ſignificatione detortum, & pro Synonimis quaſi *Sclavus*, & *Servus* habitum extiterit: Et licet etiam *Slavi Sorabi*, aliique *Slavi* ad *Mare Balthicum* conſidentes ſub *Saxonicis Imperatoribus* omnes ferme exciſi, & in alias Provincias quaſi deportati, atque ſub jugum ſervile miſſi fuerint; attamen detorſio hæc vocabuli, ejusdemque ſignificationis, occaſione quorundam tantum *Slavorum*, in terras alias commigrantium, ibidemque conditionem ſervilem ſuſcipientium cœpta, gentem illam, quæ in ſedibus ſuis perſeveravit, nihil affecit, minime vero nationem *Croato-Slavicam*, *Dalmato-Slavicam*, *Bulgaro-ſlavicam*, *Serblo-Slavicam*, *Bohemo-Slavicam*, *Polono-Slavicam*, & *Iſtro-Slavicam*, utpote quæ illis temporibus, ſæculi videlicet octavi, dum promiſcuus uſus vocabulorum *Servi*, & *Sclavi* oriretur, liberrima permanſit, ſubque ſuis Regibus, Ducibus, Magiſtratibus, Legibus, & Conſuetudinibus ſuis vivens, ab *Imperatoribus* etiam, & *Pontificibus Romanis* gratiis, favoribus, ac privilegiis aucta, & honorata extitit. Hinc merito modernis etiam temporibus ex vocabulis *Sclavonia*, & *Sclavi*, ſeu *Sclavones*, quæ perperam ita, & cum ignominia nationis ſcribuntur, ac pronuntiantur, littera *c* eliminari, & absque hac *Slavonia*, & *Slavi*, ſeu *Slavones* ſcribi, & pronuntiari deberet; præſertim cum plerosque ſcriptores Hiſtoriarum idipſum in ſuis impreſſis Libris practicare advertere eſt; & quandoquidem eadem natio, ſignanter *Croato-Slavica*, & *ſlavo-Croatica* his præteritis annis, dum hæc ſcribebantur, ab A. C. videlicet 1741. usque ad A. C. 1750. Auguſtiſſimæ Reginæ Hungariæ *Mariæ Thereſiæ* fideliter armis ſuis contra *Gallum*, *Hiſpanum*, & *Pruſſum* deſerviens, non minus glorioſe, quam victorioſe ſe *Slavnam*, id eſt: *laudabilem*, & *glorioſam*, ad ſtuporem etiam hoſtium, exhibuerit.

CAPUT XXXIV.

Continuantur iterum Geſta Illyriorum duplici Pannonia, & Dalmatia incluſorum ſub Romanis Imperatoribus.

I. POſt obitum *Taciti Imperatoris*, non expectata *ſenatus*, aut *Militum* voluntate, invaſit *Imperium* quaſi hæreditarium *Florianus* defuncti *Taciti* ex Matre Frater, qui quamvis à *Senatu Romano*, non quia idoneus, ſed ne per vim retinere videretur *Imperium*, approbatus fuiſſet, attamen poſt duorum menſium evolutionem à legionibus *Romanis*, non patientibus cognatis *Imperium* quaſi hæreditarium tradi, deguſtans duntaxat dignitatis Imperialis ſuavitatem, & ſimul mortis amaritudinem, occiditur, A. C. 276. Cum interim *Marcum Aurelium Probum* milites *Rempublicam* moderandam evexiſſent. Hic *Sirmii* in *Pannonia inferiori* agreſti Patre natus, electione mira *Imperator* effectus eſt; cum enim Milites clamitarent: *Eligendum eſſe Imperatorem fortem*, *ſanctum*, *verecundum*, *clemen-*

Digitized by Google

tem, *& probum*, illico *Probus* (ſolo nomine augurii loco deſerviente) dictus eſt *Imperator*; unanimiter vociferante milite: *Probe Auguſte Dii te ſervent!* Idipſum ei acclamatum eſt à *Senatu*, cum ad eum dediſſet litteras in ejus libertatem reponens *Imperium*. Invitus igitur injunctam ſibi acceptavit dignitatem. De qua, cum etiam de *Senatus* voluntate ſecurus fuiſſet, eos, qui *Tacitum*, & *Florianum* ſuſtulerant, fortiter, & ſapienter punivit, ne incaſtigatam ſceleratorum accenderet audaciam.

II. Mox ſub initium *Imperii* ſui *Probus* conceſſit in *Galliam*, à *Germanis*, ſeu *Francis* poſt *Aureliani* interitum fœde laceratam. Ubi novem Reges diverſarum gentium ad pedes provolutos, pacemque petentes habuit: ſeptuaginta nobiliſſimas urbes à captivitate hoſtium vindicavit: quadraginta millia hoſtium cecidit, & ſedecim millia armatorum in fidem recepit: totamque *Galliam* pacavit. Inde digreſſus in *Rhætiam*, eam ab *Alemannis* occupatam recuperavit. Rediit dein in *Illyricum*, quod *Slavo-Sarmatæ* depopulabantur, eos debellavit, & quæ dirripuerant, reaccepit. Pergens deinde in *Thraciam*, nondum quietos *Gothos* ſola geſtarum rerum fama terruit, paratosque cum eo, quem vere *Imperatorem* eſſe cognoverant, militare, in *Thracia*, & *Mæſia* ſedes habere paſſus eſt, multisque *Gepidarum*, ac *Vandalorum* in Provincias *Illyrici* tranſire conceſſit. Facta dein cum *Perſis* pace ex *Oriente* in *Pannonias* rediens, popularibus ſuis gratificari cupiens, vites plantare indulſit, quod antea alii vetabant *Imperatores*, ipſeque primus *Almum* montem juxta *Sirmium* militari labore, *non decere* (inquiens) *ut miles panem fruſtra comedat*, vitibus conſevit, unde poſtmodum & apud *Pannonios*, & apud alias gentes, ipſosque *Romanos* vinum *Sirmienſe* in pretio ſemper fuit, actuque æſtimatiſſimum cenſetur.

III. In *Orientem* iterum progreſſus *Iſauricos* latrones domuit. In *Ægypto* Provincia *Romana* à ſeditioſis militibus *Auguſtum* proclamatum *Saturninum Gallum*, in caſtro obſeſſum, & captum jugulari paſſus eſt. Tunc quoque *Blemyas* ſubegit, *Capton*, & *Ptolemaidem* eidem eripiendo. Dum *Probus* in *Oriente* his bellis occupatur, *Vandali* egredientes de *Illyrico* totum pene orbem pedibus, & navigando pervagati, non parum moleſtiæ *Romanæ* gloriæ intulerunt, variis victoriis poſtea à *Probo* preſſi, non tamen oppreſſi, multi namque eorum in patriam redierunt, *Proboque* ſervire maluerunt, quam *Bonoſo*, & *Proculo Tyrannis*, à quibus ſollicitabantur. *Proculus* apud *Coloniam Agrippinam* dum latrunculis luderet, ac decies victor exiret, à ſcurra quodam ſalutatus eſt *Imperator*, ſed victus à *Probo*, & ad *Francos* confugiens, ab his proditus, *Imperatorique* traditus pœnas *Tyrannis* debitas luit. *Bonoſus* autem, quem *Britannia* fecerat *Cæſarem*, charior *Baccho*, quam *Marti* ſemper de ſobrietate ſecurus, ſocios quoscunque, quibus cum bibebat, inebriavit: atque ideo de hoc *Probus* dicere ſolebat: *Natum eſſe, non ut viveret, ſed ut biberet.* Qui tamen oblatam ſibi dignitatem non ſolum conſervare, ſed & contra *Probum* fortiter defendere ſtuduit: poſt longa attamen, gravia, & periculoſa certamina à *Probo* adjutoribus *Francis* ſuperatus laqueo vitam in arbore finivit. De quo, joco militari jactatum fuit: *Non hominem, ſed Amphoram pendere.*

IV. Pace tandem ubique parta, & *Triumpho* illuſtri de tot, tantisque victoriis *Romæ* habito, *Probus* in Patriam *Sirmium* rediit, *Vandalosque* in fidem recipiens eisdem ſedes in moderna *Moldavia*, & *Valachia* aſſignavit. Et dum de more Milites non ſinit eſſe otioſos, diceretque frequentius: *Pacato jam orbe terrarum milites brevi neceſſarios non fore*; a ſeditioſis

Le-

Digitized by Google

Legionibus A. C. 282. confoditur magno *Reipublicæ* damno, cui ſublevandæ, atque reparandæ par unus erat *Probus*, vir inter *Romanos* Duces, & *Imperatores*, qui hactenus erant, nulli ſecundus. Cui occiſo, milites in ſe reverſi, dolore pleni parentare volentes, ingens excitavere ſepulchrum, cum elogio marmori inciſo tenoris ſequentis: *Hic Probus Imperator, & vere probus, ſitus eſt: Victor omnium gentium barbararum, Victor etiam Tyrannorum.* Hæc *Victor* in Cæſarib. *cap.* 37. Item Epit. *cap.* 42. *Eutrop. lib.* 9. *cap.* 11. in Probo. *Fl. Vopiſcus* in Probo. *cap.* 1. & *ſeq. Paulus Diac.* Hiſt. Miſcell. Regnante *Probo* turpiſſima *Manichæorum* hæreſis, quæ *Illyricum* quoque totum graviter affecit, prodiit, cujus Author *Manes*, natione *Perſa*, qui *Dæmonis* inſtinctu modo ſe *Chriſtum*, modo *Paracletum* prædicavit. Sed de his cum nobis agere propoſitum non ſit, benevolum Lectorem ad alios ſcriptores, qui de origine *Hæreſum*, earumque progreſſu tractatus integros edidere, remittimus.

V. Succedit *Probo* electus omnium judicio, & omnium digniſſimus *Marcus Aurelius Carus*, Parentibus *Illyricis* in urbe *Romana* natus, qui ambobus filiis *Carino*, & *Numeriano* in *Cæſares* adlectis, *Probi* amici ſui mortem conſtantiſſime vindicavit: Hic ſtatim *Slavo-Sarmatas*, morte *Probi* ferociter inſoleſcentes *Illyrico* minitantes ſic retudit, ut intelligarent *Probo* mortuo, *Romanum* vivere *Imperatorem.* Prima dein *Caro* cura fuit *Bellum Perſicum*, quod *Probus* proſequi meditabatur, quare compoſito *Occidente* filium *Carinum* ad tuendas *Gallias* cum lecto milite miſit, ipſe cum altero filio *Numeriano* profectus in *Orientem* facili negotio *Meſopotamiam* cœpit, *Perſis* domeſtica ſeditione occupatis. Hic poſt breve regimen in Caſtris æger in Lectulo ictu fulminis (ut plerique ſcribunt) exanimatus eſt A. C. 284. unus plurium *Imperatorum*, qui militari ferro non periret. *Victor* in Cæſarib. *cap.* 38. *Eutrop.* Hiſt. *lib.* 9. *cap.* 12. in Caro. *Fl. Vopiſcus* itidem in Caro. *Paulus Diac.* in Hiſt. Miſcell. Temporibus *Cari Imperatoris* circa A. C. 283. *S. Maximilianus* Epiſcopus *Laureacenſis*, & Apoſtolus *Pannoniorum*, dum Conterraneos ſuos *Celejæ* viſitat, eosque in fide *Chriſti* partim edocet, partim confirmat, ibidem jubente *Euſebio* Præfecto *Martyrii* palmam capitis obtruncatione cœlo intulit. *Cuſpinianus* in Chron. Auſtr. *Lazius* Reipubl. Rom. *lib.* 12. *Adelsreiter* Annal. Boicor. *Par.* 1. *lib.* 5. *Ritterus* in Chron.

VI. *Caro* in *Oriente* filius *Numerianus*: in *Occidente* pariter filius *Carinus* ſucceſſerunt; ſed neutri diuturnum *Imperium* extitit. *Numerianus* namque ex dolore Paternæ calamitatis, cum aſſiduis lachrymis oculos læſiſſet, atque ex eo in cooperta lectica metu lucis, & venti portatus fuiſſet, ab *Arrio Apro* ſocero ſuo, *Imperium* affectante, cæſus eſt. Quo cognito, Milites, Duces, & Tribuni, præterito *Apro*, alterum, *Cajum Valerium Dioclem* videlicet, qui poſtea *Diocletianus* dictus eſt, natione *Dalmatam*, in *Imperatorem* eligunt; cum & eodem tempore toti *Eccleſiæ Chriſtianæ* præeſſet *Cajus* pariter *Dalmata*, filius *Maximini*, fratris ipſiusmet *Diocletiani*. Alter *Cari* filius, & *Numeriani* frater *Occidenti* dominans in *Julianum Sabinum*, qui audita *Cari* morte ſibi *Imperium* uſurparat, movet, eumque acie victum, & obtruncatum pœnas affectati *Principatus* ſolvere coëgit. Sed dum adverſus *Diocletianum* in *Mœſiam* pergit, prælio ingenti fugatus ad urbem *Murſiam* (nunc *Eſſekinum*) à propriis interficitur militibus, ejus libidinem, qua in militum quoque thalamos ruebat, nequaquam ferentibus. *Victor* in Cæſarib. *cap*, 38. *Eutrop.* Hiſt. *lib.* 9. *c.* 12. *Fl. Vopiſcus* in Caro, *Paulus Diac.* in Hiſt. Miſcell.

Digitized by Google

VII. *Diocletiano* habenas *Imperii* gerente, cum Ruſtica gens Ducibus *Amando*, & *Æliano* tumultum in *Galliis* ſuſcitaſſet, factionique ſuæ *Bagaudorum* nomen impoſuiſſet: item *Carauſius* adverſus *Francos* tractum *Belgicæ*, & *Armoricæ* infeſtantes Dux militiæ conſtitutus, *Purpuram* induendo, & *Britanniam* occupando rebellaſſet: *Achillæus* præterea *Alexandriæ* acclamatus *Imperator* fuiſſet: *Narſes* etiam *Perſarum* Rex modo *Armeniam*, modo *Meſopotamiam* populari præſumpſiſſet: *Africam* item *Quinquegenti*, id eſt: *Quinque* diverſarum *gentium* populus (inter quos etiam *Slavo-Sarmatas*, vel *Slavo-Vandalos*, aut *Slavo-Gothos*, vel forte omnes hos fuiſſe probabile eſt) cum *Juliano* invaſiſſent: *Diocletianus*, ſibi, & *Reipublicæ* proſpicere volens, *Maximianum Herculium* creat *Auguſtum*, & *Imperii Collegam* declarat, ut efficacius *Tyrannos*, & *Imperii* invaſores opprimere valeat. Et quamvis *Herculius* in *Gallias* miſſus agreſtem plebem levibus præliis domuerit, *Galliisque* pacem pepererit, nihilominus cum tot inſurgerent *Tyranni*, neque tot turbis, atque Locis pares ſe duo *Imperatores* judicarent, ambo in *Cæſares*, ſeu *Collegas*, & ſimul in affinitatem aſſumunt Duces bellica laude inclytos. *Diocletianus* quidem *Conſtantium Chlorum* tunc *Dalmatiæ* Præſidem: *Maximianus* autem *Galerium Maximianum*. Prior *Herculii* Privignam *Fauſtam Theodoram*, repudiata *Helena*, ex qua jam genuerat *Conſtantinum*: Poſterior *Valeriam* filiam *Diocletiani* pro Conjugibus ſortiuntur. His omnibus *Illyricum* patria fuit. Rei hujus geſtæ occaſione ſecuta fuit *Pannoniarum* ſubdiviſio, quæ qualiter acciderit, *ſequens* exhibebit *Caput*.

CAPUT XXXV.

De Subdiviſione Pannoniarum.

I. DE inſtituta hoc tempore *Pannoniarum* ſubdiviſione nullus prorſus datur ambigendi locus, cum id plures probatiſſimi atteſtentur ſcriptores. Et ſignanter *Lazius* de migrat. Gent. *lib.* 4. *cap.* 126. *num.* 50. Subdiviſa *Pannonia ſuperior* in *Valeriam* & *Saviam*, ſeu *Interamnenſem*. Deinde *Pannonia inferior* in *Amantinam*, *Sirmienſem*, & *Bubaliam*. Ex his prima *Valeria* (cui pro Metropoli aſſignata fuit *Sabaria*) adepta eſt nomen à *Valeria* filia *Diocletiani Imperatoris*, quam in ſociam vitæ duxerat *Galerius Maximianus* jam *Cæſar*. De hoc *Ammianus Marcellinus lib.* 19. ſic diſſerit: *Imperator, ut dictum eſt, Valeriam venit, partem quondam Pannoniæ, ſed ad honorem Valeriæ, Diocletiani filiæ, & inſtitutam, & ita cognominatam, ſub pellibusque exercitu diffuſo per Iſtri fluminis margines Barbaros obſervabat.* Ex quo textu apparet: Quod *Valeria* inter *Dravum*, vel potius *Muram*, & *Danubium* fluvios, non vero, prout aliqui ſcriptorum volunt, inter *Dravum*, & *Savum*, ſita fuerit: conſequenter genuinam *Valeriæ* Provinciam fuiſſe majorem partem modernæ *Styriæ inferioris*, & partem *inferioris Hungariæ*, vel maxime circa lacum *Peiſonem*, qui modo Neuſidler-See vocabulo *Germanico*, aſt *Latino*, & *vulgari Niſider* dicitur. Idque probatur ex *Sexto Aurelio Victore* in Cœſare Conſtantino *cap.* 40. ſic differente: *Cum agrum ſatis Reipublicæ commodantem* (fors *commodum*) *cæſis immanibus ſylvis, atque emiſſo in Danubium lacu Peiſone apud Pannonios fuiſſet* (intelligit *Gallerium Maximianum*) *cujus gratia Provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit.*

II.

II. Altera *Pannoniæ ſuperioris* ſubdiviſæ Provincia appellata fuit *Savia*, ſeu *Interamnenſis*, & hæc fuit antiquitus dicta *Savonia*, quæ eſt hodierna *Superior*, & *inferior Slavonia*, & prout ex ipſo Etymo nominis colligitur, ita nominata, quia inter duos fluvios *Savum*, & *Dravum* ſituata fuit. Quod confirmat *Pancirollus* in Not. Imp. *Par.* 2. de Occid. *cap.* 63. ſcribens: *Savia citra Savum, à quo nomen accepit.* Habuit pro ſua Metropoli, ut declarat idem *Panciról. lib.* 2. *cap.* 2. Urbem *Siſciam* non inelegantem, in qua *Corrector* reſidebat, officinaque *Monetaria* ſervabatur. Quantum attinet genuinos hujus Provinciæ, *Saviæ* appellatæ limites, ne eadem repetamus, Lectorem benevolum ad *cap.* 19. *n.* 8. & ad *cap.* 29. *num.* 7. perpendendum remittimus, ac pro eorum, quæ ibi dicta ſunt, confirmatione adjungimus, *Saviam* non gratis etiam *Interumnenſem*, id eſt: inter plures fluvios, ſeu amnes ſituatam, nominatam fuiſſe. Occaſione præterea hujus ſubdiviſionis Provinciarum *Valeriæ*, & *Saviæ* non abs re notanda veniunt ſequentia: *Cum ergo Savia* (ſunt verba *Joan. Lucii* de Dalm. & Croat. *lib.* 1. *cap.* 6. (*ſumenda ſit pro ea regione, quæ inter Savum, & Dravum flumina continetur, reliquum usque ad Adriaticum Mare poſt Imperii diviſionem nomine Dalmatiæ, vel Dalmatiarum cenſitum fuiſſe, dicendum eſt.*

III. His explicatis ad ſubdiviſas redeamur *Valeriam*, & *Saviam*. De utraque *Lazius loc. cit.* hæc habet: *Pannoniæ ſuperioris pars quoque erat Valeria: Ripenſis quoque Pannonia Codici Præfecturarum Romanarum nuncupata, & Interamnenſis aliis, eo quod in Savum, Dravumque multis irrigua fluentis, ut hodie in tractibus Rakelſpurgenſi, Petovienſi, Celeienſique videre eſt, quorum agri quondam ad Valeriam pertinebant.* Sub quo nomine præcitatus *Lazius* promiſcue explicando, unicam tantum intelligere videtur Provinciam, quantumvis revera, ut prædeclaratum eſt, fuerint binæ, & quidem *Savia*, ſeu *Interamnenſis* à *Celeja* juxta *Savum* usque *Dravum*, vel potius usque *Muram* verſus *Rakelſpurgam*, ut docet *P. Fuhrman* Vet. & Nov, Auſt. *Par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. A *Rakelſpurga* autem juxta ripas Lacus *Peiſonis* usque *Danubium* fuit *Valeria*.

IV. Pariformem dubiam concluſionem facit *Cluverius* Introduct. Geogr. *lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 379. dum ponit: *Utriusque Pannoniæ pars, quæ inter Dravum, Savumque fluvios porrecta, Valeria, ſive Pannonia Interamnia, & Ripenſis dicta eſt.* De his exactius *Reiffenſtuel* Topograph. Germ. Hiſt. & Styriæ ſcribit, quia cum diſtinctione exponit, dicens: *Styriæ pars ſupra Dravum fluvium, Valeria, infra eundem Pannonia Savia aliquando dicebatur. Nam illam inter Pannonios Danubio; & Dravo diſerte claudunt Sext. Rufus in Brev. rerum geſtarum populi Romani, & Jornand. de Regnorum ſucceſſ. lib.* 1. *Hanc vero idem Ruf. Valeriam inter & Dalmatiam extendit. Saviæ cognomentum à Savo fluvio, quo à meridie terminabatur, derivari palam eſt.* Ex cujus exactiori relatione concludendum videtur, quod tam bene *Valeria*, quam *Savia* cognomine *Interamnenſis*, & *Ripenſis* vocitatæ fuerint, cum utraque inter plurima flumina collocata, iisdemque tanquam limitibus cincta fuerit. Idipſum de *Valeria Notitia Imperii* atteſtatur, dicens: *Sub diſpoſitione Ducis Provinciæ Valeriæ Ripenſis.* Et hæc de ſubdiviſione *ſuperioris Pannoniæ* dicta ſufficiant.

V. In ſubdiviſione porro *inferioris Pannoniæ*, Provinciæ multo minores effectæ ſunt, uti *Amantinæ*, *Sirmienſis*, & *Bubaliæ*. Quarum prima ab *Amantia* urbe (ubi nunc oppidum *Mobatch* viſitur) Altera à *Sirmio*, celebri pariter olim urbe, ac tandem tertia, quæ & *Cibalenſis* dicebatur, à *Cibali*, ſeu *Bubali* civitate ſuas obtinuere no-

Digitized by Google

menclaturas. Harum ex parte meminit *Plinius* Hiſtor. Natural. *lib.* 4. *cap.* 25. inquiens: *Bacuntius in Savum Sirmio oppido influit, ubi civitas Sirmienſium, & Amantinorum.* Similis quid notat *Ptolom.* Geogr. *lib.* 2. *cap.* 16. & *Stephan.* in Dictionario vocabulo *Pannonia*, aſſeritque inquiens: *Illam* (intelligit Provinciam *Bubaliæ*) *à Bubali civitate ſic nominari credunt.*

VI. Præter Opus *Notitia Provinciarum* intitulatum, quod de præinſinuatis Provinciis aliquam contribuit informationem, mentionem etiam faciunt *Pannoniæ* ſub generali tamen nomine *Suetonius*, *Tacitus*, *Paterculus*, cum pluribus aliis ſenioribus ſcriptoribus, quorum plerique, & in ſpecie *Suetonius* in Octaviano *cap.* 20. hujus nunc ſubdiviſæ *Pannoniæ* tam *ſuperioris*, quam *inferioris* partes intra *Savum*, & *Dravum* conſtitutas, non pro *Pannonia*, verum pro *Dalmatia* agnovit, ſic namque ſcribit: *Extrema bella duo omnino per ſe geſſit; Dalmaticum adoleſcens adhuc, & Antonio devicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera accepit.* Ubi vero locorum *Bello-Dalmatico* extiterit vulneratus *Auguſtus*? remonſtrat *Appianus* in Illyr. apud *Lazium* de Republ. Rom. *lib.* 12. *ſect.* 4. *cap.* 1. ajens: *Petovia urbe obſeſſa, barbarorum manus ingens in auxilium advenerat, quibus obvius Caſar, urbem ingredi prohibuit. Eo in prælio lapide genu ſaucius per multos dies æger jacuit.* Ex quibus clare patet *Petoviam* urbem in *Dalmatia*, (quod bene notandum) vel ad minus proximam *Dalmatiæ* extitiſſe.

VII. Poſt recenſitam *Pannoniarum* ſubdiviſionem non exiguum iterum, quemadmodum & in prima *Magni Illyrii* diſmembratione, oritur dubium reſolvendum, quo nimirum tempore illa inſtituta fuerit? Concluſimus *cap.* 23. *num.* 6. & 7. Primam diviſionem *Illyrii*, eamque principalem probabilius inſtitutam fuiſſe ſub *Imperatoribus Adriano*, & *Antonino Pio*, atteſtante *Ptolomæo*, qui inter alias diſtinctas *Illyrici* Provincias, binarum duntaxat *Pannoniarum*, *ſuperioris* videlicet, & *inferioris* mentionem facit. Præterea *cap.* 29. enumeravimus ex *Sexto Rufo* univerſas *Illyrii* Provincias, inter quas *Valeria* quoque, & *Savia* comprehenduntur, cum tamen *Valeriam* in gratiam *Valeriæ* filiæ Diocletiani, uxoris *Galerii* (quem primo ad A. C. 284. floruiſſe, & cum *Diocletiano* imperitaſſe cap. præc. remonſtravimus) inſtitutam, & appellatam fuiſſe ex ſupradictis conſtet. Qualiter ergo hæc ad ſolvendum dubium conciliari potuerunt? examinanda ſunt.

VIII. *Sextum Rufum* temporibus *Valentiniani Imperatoris* circa A. C. 364. floruiſſe, ſæpius jam retulimus, *Ptolomæum* autem ſub *Imperatore Antonino Pio* circa A. C. 150. adeoque 200. circiter annis ante *Sext. Rufum* vixiſſe, etiam diximus. Appellationem quoque ſubdiviſionis *Pannoniarum* ſub *Imperatoribus Diocletiano*, & *Galerio* ad A. C. 284. contigiſſe recognovimus. Nihil ergo contradictorii inter hos ſcriptores inveniemus, ſiquidem *Ptolomæus* de Diviſione *Illyrii* in *Pannoniam ſuperiorem*, & *inferiorem* tantum, potuit ſcribere, utpote temporibus ſuis jam inſtituta, non autem de ſubdiviſione in *Valeriam*, & *Saviam*, quæ eo tum nec in prima forte mentis operatione habebatur, utpote poſt 200. circiter annos inſtituta. De qua *Sext. Rufus* ſcribere omnino poterat, cum eam jam factam repererit. Atque ideo & *Sext. Rufus*, & hunc ſequentes plerique recentiores ſcriptores, partes *Valeriæ*, & *Saviæ* incluſas, vetuſtiſſimas enarrando Hiſtorias, uti de *Bathone* Rege *Pannoniorum*, de bello per *Tiberium* hic habito &c. non aliter quam *Valeriam*, & *Saviam* pro diverſitate, & neceſſitate hiſtoriæ nominant. Sed erroneè, ut ipſi, ſi conſiderate agere velint, advertere poſſunt.

Digitized by Google

ſunt. Temporibus etenim *Bathonis*, ac *Tiberii* nec ſomniatum fuit de *Valeria*, & *Savia*, utpote quæ primo nunc in Provincias ſubdiviſæ ſuam obtinuerunt nomenclaturam.

IX. Neque mirum videri debet, quod tanta inter ſcriptores de limitibus *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* habeatur diſceptatio, quæ (ut jam memini) non aliunde provenit, quam ex citati *sexti Rufi* Provinciarum denominatione. Multi namque ſcriptores non perpendentes, ſed neque examinantes tempus inſtitutæ alicujus loci, vel Provinciæ denominationis, locum illum, vel Provinciam illam, de quibus diſſeritur, exiſtimant, firmiterque tenent, ab antiquo taliter vocitatum, aut vocitatam fuiſſe, ex eo, quod *sext. Rufus* taliter locum, vel Provinciam appellet. Quod tamen in pluribus non ſubſiſtit, ut in exemplo de noſtra *Dalmatia*. Quæ fines ſuos temporibus *Julii Cæſaris* ante *Chriſtum* natum, & temporibus *Octaviani Auguſti* A. C. 10. *Danubium* usque & *Dravum*, atque ut opinamur usque *Muram* fluvios, protenſos habebat, ut abunde *cap.* 19. & 20. & hic *num.* 6. ex *Suetonio* probavimus. Volentibus dein *Principibus Romanis* ei jura dictantibus in prima, & principali *Illyrii* diviſione *Pannonia ſuperior* nominata fuit, nunc vero *Savia* dicta, eamque ſub tali nomine *Sext. Rufus* temporibus *Valentiniani Imperatoris* primo circa A. C. 364. vivens, & de *Bathone*, ac *Tiberio* ſcribens intelligendam cenſet, dum dicit: *Amantinis inter Dravum, & Savum proſtratis Regio Savienſis, & ſecundarum Pannoniarum loca obtenta ſunt.* Cum reipſa eo tum, id eſt: temporibus *Tiberii* neque *ſecundarum Pannoniarum* loca, neque Regio *Savienſis* ſub talibus nomenclaturis extiterint: verum hæc eo tum nomine *Dalmatiæ* intellecta fuerint.

X. Hæc pro clariori, & evidentiori temporum notitia, ac reminiſcentia adnotanda fuerunt, ut ex his veraciter recognoſci valeat, quam frequenter, quamque variis modis, vetuſtis illis temporibus in mutationibus populorum, non tantum *Illyrii* noſtri, verum & aliorum quam plurimorum diverſas Provincias inhabitantium, earundem fines, ſeu limites, ut in *Proœmio* operis hujus declaratum eſt, aliqui dilatati, aliqui conſtricti, aliqui vero cum ipſa nomenclatura ſua, pure ex placito *Dominantium* & dicentium; *sic volo, ſic jubeo*, quibus contradicere nefas, immutati extiterint. Sed hoc ipſum ex ſequentibus etiam uberius patebit.

CAPUT XXXVI.

Continuantur rurſus Geſta Illyriorum quinduplici Pannonia, & Dalmatia incluſorum ſub Romanis Imperatoribus.

I. Quibus in *Imperatoribus* deſiimus, in iisdem quoque *Chronicon* noſtrum continuamus, *Diocletiano* videlicet, & *Herculio*. Qui poſtquam binos creaſſent, ſibique affinitate junxiſſent *Cæſares*, imminentibus undique bellis, Bellum etiam in quadrifarium partiti ſunt, atque ut *Imperii Collegæ* aſſumpti *Conſtantius Chlorus* & *Galerius Maximianus* plus poſſent, ac melius animati Provincias ſibi commiſſas fortius tuerentur, data eſt iis *Tribunitia* poteſtas. Deinde *Conſtantio Chloro* commiſſa eſt *Britannia*, objectusque *Carauſius Imperii* invaſor; *Maximiano Herculio* man-

mandata *Africa* cum *Juliano* & *Quinquegentanis* debellandis: *Galerio Maximiano Oriens*, & *Narſes* Rex *Perſarum*: Ipſi *Diocletiano* tandem *Ægyptus*, & *Achillæus Tyrannus*, ut ſuam quisque coleret Spartam, tutamque fieri provideret. *Tyrannis* his extinctis, cunctisque *Imperii* inimicis bello acerrimo ubique confectis, *Diocletianus* & *Maximianus* cum *Cæſaribus Chloro*, ac *Galerio* de cætero libere *Imperium* adminiſtrabant. In hoc otio *Diocletianus* ſe *Dominum* (inviſo *Romanis* titulo) appellari, atque ut *Deum* adorari jubet: & cum in *Circo* frequentius ludos ſpectaret, populumque duodecies *Chriſtiani tollantur!* acclamantem audiret, indicta in eos perſecutione crudeliter ſævit. Hinc *S. Cajus* Papa, & *S. Gabinius* ejus frater, *Diocletiani Imperatoris* cognati, juſſu ejusdem *Martyrio* afficiuntur, cum paulo ante eadem *Martyrii* via *S. Suſannam V.* prior quidem ut fratruelem, alter vero ut filiam *Galeri Maximiani Cæſaris* nuptias reſpuentem in cœlos præmiſiſſent.

II. Sed & hac eadem perſecutione durante, *Pannoniæ* quoque noſtræ, & *Dalmatia* plures edidere *SS. Martyres*. Hoc inter *S. Euſebius* Epiſcopus *Cibalis* in *Pannonia* intra *Savum* & *Dravum* ſita: Item *S. Quirinus* Epiſcopus *Siſcianus*, juxta quosdam *Sabariæ*, ſed potius ad *Siſciam* (cum & *Baronius* in *Martyrologio Romano* ejus Natalis meminerit ad diem 4. *Junii* dicens: *Siſciæ in Illyrico, S. Quirini Epiſcopi &c.*) in flumen merſus. His acceſſerunt *SS. Joannes* Epiſcopus *Sirmienſis*, *Donatus* Epiſcopus, *Montanus* ejusdem Presbyter cum 40. Sociis. Item *SS. Demetrius* Diaconus, *Maximianus*, *Anaſtaſius*, *Acutius*, *Timotheus*, *Heriſſus*, *Artanus*, *Tobias*, *Anaſtaſius* alter, *Jucundus*, *Ratites*, *Florus*, *Tilis*, *Florianus*, *Geminianus*, *Hermes*, *Conceſſus*, *Hilarius*, *Martinianus*, *Timotheus* alter, *Innocentius*, & *Sebaſtus* cum 30. Sociis. Præterea *SS. Laurus*, *Adriatus*, *Quadratus*, *Theodoſius* Presbyter, *Emmanuel*, *Eugenda*, *Titia*, *Moderata*, *Maxima*, *Romana*, *Rufina*, *Sebaſtia*, *Natalia*, & *Baſilla*. Item 22. *SS. Martyres*, *SS. 7. Virgines*, & aliæ *SS. 5. Virgines*, quorum, & quarum nomina legemus in *Libro Vitæ* cœleſti Bibliotheca aſſervato. Item *Cibali*, *S. Pollio* Lector, *Novioduni* in *Myſia inferiori*, *SS. Heradius*, *Paulus*, & *Aquilinus*. Item *Cyzizi* in *Mœſia*, ubi nunc *Bulgaria S. Evilaſius* Præſes *Dryzipara*, *S. Alexander* miles. Plures præter hos in noſtris *Pannoniis*, ac *Dalmatia* affectos fuiſſe *Martyrio* indubium eſſe debet, ſiquidem ad hoc *Certatim* (ut Severus *l. 2.* tradit, inquiens) *autem glorioſa in certamina ruebant, multoque avidius tum Martyria glorioſis Mortibus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus ambitionibus appetantur.*

III. Medio tempore *Maximianus Herculius*, in *Slavo-Sarmatas*, *Carnos*, & *Baſtarnas*, qui agris *Mœſiæ* multum detrimenti inferebant, ex ſolo *Romano* ejecit, renovatisque caſtellis, & auctis Præſidiis limitaneis, *Imperii* hoſtes usque in *Sarmatiam* proſecutus eſt, ex quibus innumeræ captivorum copiæ in finibus *Romanarum Provinciarum* ab *Imperatoribus* dislocatæ ſunt miſeram ſervitutem acturæ. His quoque hoſtibus profligatis *Diocletianus*, & *Maximianus* ingenti pompa *Roma* de *Perſis*, aliisque devictis *Tyrannis*, & *Imperii* hoſtibus *Triumphum* celebrant, & paulo poſt, id eſt: A. C. 304. ſe *Imperio* abdicant: ille ex *Imperii* tædio, hic ne diſpliceret *Collegæ*, ambo fortaſſis ex deſperatione, eo, quod viderent ſe, omnibus viribus adhibitis, non poſſe id, quod intendebant aſſequi, ut videlicet opprimerent, & abolerent *Chriſtianam Religionem*. *Imperio* itaque abdicato *Maximianus Herculius* in *Lucaniam*, ſocius autem *Diocletianus* *Salonas* in *Dalmatiam* privatam acturi vitam ſecedunt. *Victor* in Cæſarib. *cap.* 39. Item in Epit. *cap.* 54. *Eutrop.* *lib.*

Digitized by Google

lib. 9. *cap.* 13. 14. 15. & 16. *Caſſiodorus* in Chron. de Dioclet. *num.* 33. *Jornand.* de Regnor. ſucceſſ. in Dioclet. *Euſeb.* Hiſt. *lib.* 8. *cap.* 22. *Petrus de Natal. lib.* 3. *cap.* 17. *Paulus Diac. lib.* 17. *cap.* 26. *Inchoffer*, *Brietius*, *Szentivanius.*

IV. Mox ut *Diocletianus*, & *Maximianus* reliquerunt *Imperium*, duo, qui *Cæſares* per eos declarati fuerant, *Conſtantius Chlorus*, & *Galerius Maximianus* acclamati fuere *Auguſti*. Sed quia moribus diſpares fuerunt, merito *Imperium* diviſerunt, ex utraque parte ſolio cum plena jurisdictionis uſurpandæ poteſtate erecto, ita, ne unus ab alio dependentiam habeat, vel habere prætendat. *Maximianus* elegit ſibi integrum *Orientem*, cum *Græcia*, & *Illyrico*: cui præterea *Conſtantius*, cum majori parte in *Britannia* morari ſoleret, ceſſit *Italiam*, & *Africam*, reſervando ſibi *Galliam* duntaxat, *Hiſpaniam*, & *Britanniam*. Verum cum *Maximianus* videret unum ſe tot Provinciis regendis non ſufficere, duos *Cæſares* creavit, *Flavium Valerium Severum*, commendando eidem *Italiam*, & *Africam*: dein *Maximinum* cognomento *Gazal*, cui concredidit *Orientem*, ſibi vero reſervavit *Græciam*, & *Illyricum*. Alter porro *Imperator Conſtantius Chlorus* clemens, & *Princeps* avaritiæ oſor, in *Chriſtianos* benignus, *Conſtantinum* filium ſuum ex *Helena* prima conjuge in *Illyrico* natum (qui apud *Diocletianum*, & *Herculium* ſpecie Religionis *Romæ* obſes tenebatur) à *Galerio Maximiano* repetit, ſed impetrare nequit. *Conſtantinus* juvenis quidem, ſed ſicut eximiarum qualitatum, ita ſpei ingentis, reſcito Patris ſui deſiderio clam *Roma* elapſus, per *Italiam* feliciter *Eboracum* in *Britanniam* pervenit, qui, dum *Romæ* obſes ageret, ab *Imperatoribus* multis periculis expoſitus, in quæ ſponte ferox ruebat adoleſcens, ferociſſimum, ac grandem Barbarum ad pedes *Imperatorum* per vim attraxit; leonem etiam in *Circo* manu propria confodit. Hinc demortuo A. C. 306. Patre *Conſtantio Chloro* conſenſu omnium militum *Cæſar* eſt acclamatus, cui acclamationi conſenſit quidem ipſe, titulum tamen *Auguſti* modeſte, ne ſibi invidiam conflaret, recuſavit. *Chlorus*, præter *Conſtantinum* ex *Helena* genitum, reliquit etiam filios ex *Theodora* ſecundaria conjuge natos *Conſtantium* Patrem *Galli*, & *Juliani*. Item *Flavium Delmatium* Patrem *Flavii Julii Delmatii*, ac tandem *Flavium Claudium Hanibalianum*, quibus nihil legavit, præter benevolentiam, & *Conſtantinum* filium, quem propter eximias corporis, animique dotes ad eorum fortunam, & amplitudinem ſatis eſſe arbitrabatur; idque mox ab obitu Patris comprobavit *Conſtantinus*, dum duos *Francorum*, & *Alemannorum* reges *Gallias* invadentes unico prælio ita compreſſit, ut amplius bellum reſtaurare non præſumpſerint. *Euſeb.* Hiſt. *lib.* 8. *cap.* 26. *Zonaras lib.* 2. *Eutrop. l.* 9. & 10. *Zoſim. lib.* 2. *Victor* in Epit. *cap.* 4. Oroſ. *lib.* 7. *cap.* 28. *Sozomenus* Hiſt. *lib.* 1. *cap.* 2. *Briet.* & paſſim alii.

V. Intellecta *Conſtantii Chlori* morte *Maxentium* ſuppoſititium *Maximiani Herculei* filium *Romæ* Prætoriani milites *Imperatorem* acclamant, acclamatus vero illico ſibi *Imperii* faſces uſurpat. Audiens hoc *Galerius Maximianus* mittit contra eum *Severum Cæſarem* cum exercitu, verum hic à *Maxentii* militibus victus, à ſuis vero deſertus in fuga occiſus eſt. Advolat proinde ipſe *Galerius* cum exercitibus *Pannonicis*, & *Dalmaticis* in urbem, ſed cum cerneret milites omnes in *Maxentium* bene animatos, in *Pannonias* recedit, *Maxentium* in *Imperio* tollerare coactus. *Carnunti* in *Pannonia ſuperiori* loco interempti *Severi Cæſaris Valerium Licinium* primo in *Cæſarem* creat, & mox, ut haberet, quem hoſtibus opponeret, *Auguſtum* dicit, eique in *Collegam* dat

Digitized by Google

Maximinum, quem *Cæſarem* titulavit, atque ad regendum *Orientem* expedivit: dein una cum *Maxentio* uſurpatore *Imperii* in *Chriſtianos* ſævire cœpit. Qua occaſione *Martyrium* in *Illyrico* ſubiere *S. Urſicius*, & *S. Felix Spalati* in *Dalmatia*. Medio tempore *Maximianus Herculius*, qui ſe *Imperio* cum *Diocletiano* abdicarat rurſus avidus *Imperii* ſocium ſuum *Diocletianum* ad reaſſumendas faſces hortatur, ſed cum ab hoc irriſus fuiſſet, pergit *Romam* ut *Maxentium* filium ſibi dolo obſtringeret, ſenſim opprimendum, quod ſubodoratus *Maxentius* eum, hic quoque à Militibus deriſum, urbe exire coegit. *Roma* in *Gallias* præficiſcitur, ubi dolo compoſito *Conſtantino* ſe junxit, moliens eum, arrepta occaſione, perimere: ſed *Fauſta* mulier *Conſtantino* marito, quam parenti *Herculio* fidelior inſidias detexit, ille animadverſo periculo *Maſſiliam* ſe recepit, & morte ſpontanea, injecto collo laqueo, ſtrangulatus, vitam finivit, A.C. 310. Hunc ſequenti anno ſecutus eſt ad æternitatem *Galerius Maximianus*, peſtilentem animam è corpore vermibus ad horrorem ſcatente efflans, uterque pœnas dans crudelitatis in *Chriſtianos* exercitæ.

VI. Quia *Maxentius* fœdis libidinibus *Romæ* ſolium *Imperii* deturparet, atque in *Romanos* cives crudeliter deſæviret, invitatus ex *Galliis* à quibusdam de *Senatu*, *populoque Romano*, ſed longe potentius à *Deo* ipſo *Conſtantinus* cum exercitu copioſo *Romam* pervenit, ibidemque extra urbem caſtra metabatur, invitationis cauſam ex *Senatu* expiſcaturus, quam cum ex aſſe edoctus fuiſſet, in *Maxentium*, oblatam pacem repudiantem, arma corripit, & Sanctiſſimæ *Crucis* ſigno ſupra ſolem cum illis verbis: *In hoc ſigno vinces*, viſo, bene animatus, *Maxentium* vincit, qui fuga ſalutem quærens in *Tiberim* ad pontem *Milvium* prolabitur, mi-ſereque mergitur, A.C. 312. Eodem tempore bello in *Illyrico* exorto, quod ſola ſtimulante arrogantia *Maximinus* contra *Licinium* ſuſceperat, inſtitutum fuit prælium: in quo ad initium quidem ſuperari viſus eſt *Licinius*, ſed confeſtim redintegrata pugna *Maximinus* in fugam verſus eſt, qui per *Orientem* in *Ægyptum* diſcedens ſpe cogendarum novarum contra *Licinium* copiarum, *Tarſi* diem vitæ ſupremum obiit A. C. 313. *Conſtantinus* devicto *Maxentio* nomen *Chriſto* dedit, *Chriſtianorumque* perſecutionem ubique locorum *Edictis* prohibuit; hinc mox per univerſum orbem refloreſcere cœpit *Chriſtiana Religio*. In quo *Illyricum* noſtrum merito gloriari poteſt, quod *Conſtantinus* in *Illyrico* genitus non tantum devictis *Tyrannis* pacem *Imperio* procuraverit, verum etiam fide *Chriſti* ſuſcepta *Religionem Catholicam* in univerſo *Orbe Romano* unice ſervandam mirifice, ſimul & ſtrenuiſſime promoverit.

VII. Ordinatis urbis *Romanæ* rebus *Conſtantinus* proficiſcitur *Mediolanum*, ubi, accerſito *Collega Imperii Licinio* in *Pannoniis* tunc agenti ſororem ſuam *Conſtantiam* in Matrimonium elocavit A. C. 313. Terminatis nuptiis, cum medio tempore in *Germania*, & *Galliis* turbulentiæ quædam exortæ fuiſſent, *Conſtantinus* has Provincias petens, eos ſolo fere adventu, & aſpectu pacavit. Hinc in *Pannonias* veniens A. C. 314. cum *Licinio* agit, ut *Baſſianus*, cui nupſerat *Anaſtaſia* ſoror ſua ſecundo loco nata *Cæſar* crearetur, obtineretque *Italiam* quaſi duobus *Imperatoribus* interjectus. At incautus *Baſſianus* audiit *Sinicianum* fratrem ſuum ſibi ſuadentem, ut *Licinio* adhæreret potius, *Conſtantinum* appeteret bello. Verum ille in ipſo conatu oppreſſus pœnas temeritatis, & inſaniæ morte luit, *Sinicianus* autem belli hujus Author (quod in *Pannoniis* agebatur) à *Licinio* appetitur, & necatur. Ipſemet

met tamen *Licinius*, proſperitate rerum geſtarum elatus, ſine ſocio imperare cupiens, *Conſtantini* ſtatuis *Æmonæ* (quæ hodie *Labacum* eſt) dejectis, in *Chriſtianos* primum deſæviens, dein congregans exercitum ſe hoſtem *Conſtantini* declarat. Occaſione ſuæ in *Chriſtianos* ſævitiei *Licinius* multos in *Illyrico* interimi curat. Inter reliquos fuere *S. Hermylus* Diaconus, & *S. Stratonicus Commentarienſis* artubus præſectis, retique incluſi *Danubio* merguntur apud urbem *Singidonem* in *Inferiori Pannonia*.

VIII. Intellecta *Licinii* declaratione *Conſtantinus* A. C. 315. nihil cunctandum ratus, armatusque adverſus hoſtem, in precibus, ac *Crucis* Sanctæ virtute exercitum ad *Cibalim* (nunc *Valpo*) civitatem *Pannoniæ Saviæ* locat. Ubi *Licinio* ad præſtigias, ac magicas artes intento, prælium acre, utpote à prima luce cœptum, ad veſperum usque durans, committitur, victoriaque *Conſtantino* adhærente, *Licinius* amiſſa magna parte exercitus *Sirmium* fugit, ſed inſequente *Conſtantino*, hinc cum uxore, & theſauris in *Thraciam* elabitur, ibidemque *Valentem* creat *Cæſarem*. Ubi denuo cum exercitu *Conſtantini* manum conferere adactus, fere ad internecionem reliquiis copiarum deletis, vincitur. Nihilominus ad pacem, quam à *Conſtantino* exorabat, ineundam admittitur, conditionibus ex utraque parte firmatis, & ſignatis, ut videlicet *Thracia*, *Aſia* totusque *Oriens Licinio* maneat: *Pannonia* vero cum reſiduo *Illyrico*, totoque reliquo *Imperio* cederet *Conſtantino*, atque ut *Valens* ab ipſo denominatus *Cæſar* pro confirmatione pacis victima caderet: é contra vero *Conſtantini* filii *Criſpus* ex *Minervina*, & *Conſtantinus* ex altera Conjuge *Fauſta* geniti, uti & *Licinianus Licinii* ex *Conſtantia* ſorore *Conſtantini* prognatus, *Cæſares* deſignarentur. Interea temporis conſenuit etiam *Salonæ* in *Dalmatia* poſt *Imperatorem* hortulanus effectus *Diocletianus*, atque A. C. 316. moritur, eo vel maxime in animo tortus, quod *Chriſtianam Religionem*, quam exſcindere moliebatur, in ſolio *Imperiali* conſediſſe intellexiſſet.

IX. Inita præmemorata *Licinio* accorda *Conſtantinus* plerumque *Firmii*, aut *Sabariæ* in *Pannonia*: item in *Dacia Sardicæ*, aut *Naiſſo*, niſi, ſi quandoque proximam *Pannoniæ* urbem *Aquilejam* divertere libuiſſet, morabatur. Cum *Slavo-Sarmatis* quippe ad A. C. 319. tresque proximos *Conſtantino* bellum apud *Bonoviam* (nunc *Bonmonoſter*) item *Camponam* (hodie *Theten*) & *Viminiacum* (hac ætate *Bodim*) ad *Margum* fluvium gerendum erat, quos & A. C. 322. occiſo Rege eorum *Rauſimodo* devicit; eos tamen ad limites *Romani* ſoli circa *Parthiſcum* fluvium habitare paſſus eſt, & *Limigantes* appellari voluit. *Licinius* interim *Orientis Imperator* in odium *Conſtantini* vexat *Chriſtianos*, pluresque ob confeſſionem fidei trucidari curat, & ut magis irritaret *Conſtantinum*, omnes *Chriſtianos* è palatio ſuo ejicit, perſecutionemque in eos inchoari præcipit. Quibus de rebus *Conſtantinus* à ſorore ſua *Conſtantia*, conjuge *Licinii* monitus, eum bello aggredi parat. Commendato igitur *Occidente Criſpo Cæſari*, ipſe in *Orientem* A. C. 324. profectus, occurrentem ſibi *Licinium*; navali, & terreſtri prælio ita atterit, ut captus, indumentumque Regium exuere coactus, atque *Theſſalonicam* in cuſtodiam miſſus ſibi tantum vivere ad humilem *Conſtantiæ* uxoris inſtantiam permiſſus fuerit.

X. Usque dum *Conſtantinus* moratus in *Oriente* fuiſſet, ortum fuit bellum apud *Alemannos*, quos *Criſpus* ſicut fortiter, ita feliciter pugnando compeſcuit, ut ſe de ſanguine *Conſtantini* genitum oſtenderet, nec pa-

Digitized by Google

rente, ſi fata ſinerent, futurum inferiorem. Finito in *Oriente* bello Conſtantinus per *Gallias* tranſiens venit in *Pannonias*, moramque *Sirmii* trahens *Ethnicorum* contra *Chriſtianos* inſectationes *Sanctionibus* ſuis coërcet. *Licinius* denuo toties victus, totiesque in gratiam receptus novas res *Theſſalonicæ* moliri deprehenſus, juſſu *Conſtantini* ſtrangulatur, *Martinianus*que ab eo *Cæſar* dictus in *Cappadocia* cæditur, *Conſtantia* ſoror, cum filio *Liciniano* in Palatium recipitur. Taliter toto *Imperio* potitus ipſe *Conſtantinus*, mox ad *Eccleſiæ* ſingularem curam converſus, plurima in ejus favorem reſcripſit. *Romæ* binas Baſilicas, *S. Petri Apoſtoli* unam, alteram *Lateranenſem* conſtruere cœpit, ſicut & plures alias, in variis *Occidentis* partibus, quarum una ex antiquiſſima traditione exiſtimatur eſſe *Petinenſis* in *Iſtria* parte olim *Illyrii*. Nomen hujus ex *Slavico* idiomate *Peta*, quaſi *Quinta* eſſet ex Eccleſiis ab eo ædificatis, deſumptum eſſe, conjecturatur.

XI. Stupente *Orbe Romano* univerſo *Criſpus Cæſar* juſſu parentis *Conſtantini* vel *Romæ*, vel *Polæ* in *Iſtria* una cum *Liciniano* ſororio itidem *Cæſare* filio *Licinii* cæditur A. C. 324. Necis hujus cauſa extitit calumnioſa *Criſpi* Novercæ *Fauſtæ* accuſatio, quaſi de ſtupro eam uterque *Cæſarum* interpellaſſent, ut his ſublatis firmiores ad ſucceſſionem *Imperii* filii ſui efficerentur. Sed poſtquam innocentia Juvenum, *Fauſtæque* impudentia, ac factio *Conſtantino* patefacta fuiſſet, eam in balneo incluſam ſuffocari juſſit. *Helena* Mater *Conſtantini* de morte nepotis ſui *Criſpi*, utpote optimæ expectationis juvenis, incredibili dolore agitata in *Palæſtinam* abit, dolores ſuos (jam etiam *Chriſtiana*) recordatione dolorum *Chriſti* ſedatura. Ubi hac occaſione *Crucem Domini* humi infoſſam reperit, & miraculo detexit, partem ejus ibidem relinquens, aliam ſecum *Romam* deportans cum *Clavis*, quibus *Cruci* affixus fuerat *Chriſtus*. Tum *Conſtantinus* inſtaurare decrevit *Hieroſolymam*, ubi & celeberrimam Baſilicam conſtrui fecit *Martyrion* dictam; Mater ejus *Helena* duas, in monte *Oliveti* unam, alteram in *Bethlehem*, ut quæ loca *Ethnicorum Romanorum Imperatorum* furore deturpata fuerant, *Imperatoris Romani Chriſtiani* pietate, ac liberalitate ſacrarentur.

XII. Sacris undis à *S. Sylveſtro* Papa ablutus *Conſtantinus*, jam ex integro *Chriſtianus*, ſervusque *Chriſto* devotus, parum ſe agere ratus, ſi materialia templa extrueret, niſi etiam animarum procurandæ ſaluti intenderet. Quare dum *Arrius Alexandrinus* veram, ac ſalutiferam fidem oppugnans in capite *Chriſto* negandam *Deitatem* doceret, *Nicææ* ſynodum congregari juſſit, ubi 318. Patres collecti *Arrio* ad *Palinodiam* adacto, ſanctiſſimam fidei normam, *Symbolum Nicænum* condiderunt, *Imperatore Conſtantino*, qui & ipſe adeſſe voluit, non modice exultante. Concilio huic interfuiſſe ſcribuntur *Pannoniarum* Epiſcopi, & quidem Domnus *Stridonenſis* ex *Pannonia*, & Domnus *Laureacenſis* ex *Norico*, ubi modo *Auſtria ſuperior*. Plura temporibus ejusdem zeloſi fidei *Chriſtianæ* propagatoris *Imperatoris* fuere celebrata concilia; uti *Alexandrinum*, *Mediolanenſe*, *Gangrenſe*, *Tyri* & *Conſtantinopolitanum*, partim ad ſedandos *Schismaticos*, & *Hæreticos*, qui copioſiori numero eo tum ſubnaſcebantur, partim ad ſtatuendas ſalutares ordinationes *Evangelicæ* veritati conformes, in *Eccleſia* ſanguine *Chriſti* fundata inviolabiliter ſervandas.

XIII. Medio tempore *Conſtantinus* ex urbe veteri *Byzantina* in *Thracia* ad *Bosphorum* ſita, novam, ut *Europæ* limes, ac utriusque *Aſiæ* centrum evaderet, condit, eamque à ſuo nomine *Conſtantinopolim*, ac novam *Romam*

Digitized by Google

mam appellat. Dejecta itaque ibi Fana, erectæ Eccleſiæ, ſublata *Idolorum* veneratio, cultus ſoli *Deo vivo*, & *æterno* debitus, introductus. Hanc perfectam totius *Orbis Romani* ſpoliis locupletat, ornat, atque inſtruit, traductis in eam *Roma* Principum nobiliſſimis familiis, iisque à labe gentiliſmi innoxiis, quorum juventuti ſcientiarum *Evangelicæ Doctrinæ* conformium ſcholas conſtituit, quatenus cum lacte quaſi *Doctrinam fidei ſalutiferæ* hauriret, eamque perſeveranter retinere valeant. His ita in ordinem redactis A. C. 330. 5. Idus Maji, ſolemnem hujus neo-conditæ urbis dedicationem inſtituit *Conſtantinus*, eamque Glorioſiſſimæ Cæli, Terræque Reginæ *B. V. Mariæ* conſecrari fecit, ſedemque *Romani Imperii* conſtituit. Quo tempore reſiduos quoque duos filios *Conſtantium*, & *Conſtantem* creavit *Cæſares*, ac ubique terrarum Præſides Provinciarum *Chriſtianos* præfecit. Hinc non paucos his temporibus ad *Chriſtum* converſos fuiſſe in *Dalmatia Pannoniisque* noſtris, credibile eſt.

XIV. *Gothi* ad A. C. 332. *Slavo-Sarmatas*, *Limigantes* inter *Viſtulam* amnem, & lævam *Danubii* fluvii partem *Dacis* conterminos armis non leviter vexant, & opprimere nituntur; hi eorum ferociam metuentes auxilia petunt à *Conſtantino* eo tum *Marcianopoli* urbe *Mæſiæ ſecundæ* agente. Hic miſeris ſemper ſubvenire paratus, mittit in eos *Conſtantinum* filium jam *Cæſarem*, is inſtructa contra eos acie, ingentique fuſos prælio, eorum fere centum millia, ferro, & inedia necando, glorioſa potitus eſt victoria. In hoc bello ipſi etiam *Slavo-Sarmatæ* ſua ex parte contra *Gothos* exercitum educebant, & ut validiores eſſent, ſervos quoque ſuos, bene armatos, in numerum militum adſciſcebant. Domiti itaque *Conſtantini* armis *Gothi*, cum victorem adorare didicerunt, eapropter percuſſo cum eodem fœdere 40. ſuorum millia illi ad belli contra quascunque gentes ſubſidia parata obtulerunt, quorum ſub appromiſſo numero militia pluribus poſt annis fidelis perſtitit *Reipublicæ Romanæ* ad amuſſim ſerviens, dicebaturque *Fœderata*. Quæ hucusque de *Conſtantino* aliisque tam *Perſonis*, quam *Rebus geſtis* enarrata fuere, connotavere *Victor* de Cæſarib. *cap.* 40. & 41. Item Epit. *cap.* 58. 59. & 60. *Eutrop. lib.* 10. *cap.* 2. 3. & 4. *Zoſim. lib.* 2. *cap.* 9. usque ad *c.* 30. *Paulus Diac.* in Hiſt. Miſcell. *Jornand.* de Regnor. ſucceſſ. in Conſtantino. *Caſſiodor.* in Chron. *num.* 34. *Idatius*, & plurimi alii. Quæ porro de *SS. Martyribus* nota ſunt, ea referunt *Petrus de Natalib.* & *Baronius* in Martyrologio Romano.

CAPUT XXXVII.

De Diviſione Illyrii in Orientale, & Occidentale.

I. Quo majori in flore *Monarchia Romana* conſiſtens *Orbi* quaſi univerſo jura pro arbitrio ſuo dictabat, eo magis *Illyricum* quoque, ſignanter ſub *Imperatoribus* nationis *Illyricæ*, amplitudine, Illuſtrium Virorum, toga, ſagoque celeberrimorum, præſtantia, & multitudine, ædificiorumque ſplendore floreſcebat; ita ut in omnium nominatiſſima ſub *Adriano Imperatore* inſtituta Provinciarum diviſione ſeptemdecim ampliſſimas Provincias, ſub unico generali *Illyrici* nomine complecti meruerit. Nec tamen hæc Provinciarum, Regionumque *Illyrii* Diviſio ſatis probabatur cuilibet *Imperatori*, quorum plures pro placito

ſuo, uti leges dare, ita Provincias, Regnaque partiri, quin & nomina ipſa eorum alio transferre, limitesque novos ſtatuere conſueverant. Hinc alia Diœceſium ſub *Octaviano Auguſto* diſtributio facta legitur, alia ſub *Adriano*, alia ſub *Diocletiano*, alia denique ſub *Conſtantino*. Qui primus inter *Principes*, quemadmodum ipſum totum quantum *Imperium*, ita & *Illyricum*, utpote *Orbis Romani* meditullium, in *Orientale*, & *Occidentale* diviſit.

II. Diviſionis hujus mentionem faciunt *Schönleb.* Annal. Carniol. *p.* 219. Item *Joan. Lucius* de Dalm. & Croat. *lib.* 1. *cap.* 6. & *Bombardius* Topogr. Hung. *Par.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Et quamvis de hac diviſione *Sext. Ruf.* alias omnium *Romanarum Provinciarum* exactus enumerator in ſuo *Breviar.* altiſſime taceat; eam tamen ſubſecutam fuiſſe tam ex ſupra citatis, quam infra citandis ſcriptoribus conſtat. Quali autem ſub formalitate diviſio iſthæc ordinata fuerit? ſupracitati non exponunt. Ex aliis itaque id nobis eruendum eſt, ut & de præſentis *Provinciarum* partitionis conſtitutione Lectoribus conſtet, locusque, & ſitus earum remonſtratus informationem uberiorem præbeat, ad intelligenda ea quæ ulterius de Geſtis *Illyriorum* dicturi ſumus.

III. Diximus *cap.* 29. ex *Sexto Rufo*: *Illyricum* temporibus *Adriani Imperatoris* in 17. Provincias diſtinctum fuiſſe. Ex his *Notitia Imperii lib.* 2. *c.* 2. & *Pancirollus* Comment. in *Notitiam Imp.* attribuit *Imperio Occidentali* Provincias ſeptem ſequentes: *Dalmatiam*, *Pannoniam primam*, *Pannoniam ſecundam*, *Saviam*, *Valeriam*, *Noricum mediterraneum*, *& Noricum Ripenſe.* veteribus nominibus conſervatis; conſequenter decem reſiduas Provincias, videlicet *Daciam mediterraneam*, *Daciam Ripenſem*, *Mœſiam primam*, *Mœſiam ſecundam*, *Dardaniam* cum *Prævalitana*, *Macedoniam Salutarem*, *Novam*, & *Veterem Epyrum*, *Achajam*, ac tandem *Cretam*, reſervatis pariter antiquis nomenclaturis *Orientali Imperio* accenſitas eſſe, dicendum eſt.

IV. *Occidentale* porro *Illyricum*, ut *Notit. Imp. loc. cit.* declarat, *erat ſub viro Illuſtri Præfecto Italiæ, velut acceſſorium cæteris Italiæ Provinciis.* Confirmat hoc *Lucius lib.* 1. *cap.* 6. dicens: *Ab eo tempore, quo Conſtantinus Auguſtus ſedem, & decorem Imperii Byzantium tranſtulit, quatuor Præfectis Prætorii inſtitutis, cum Orientali parti Illyrii proprium Præfectum Prætorii dediſſet, Occidentali vero ſimul cum Africa Præfectum Prætorii Italiæ aſſignaſſet, Illyricum abſolute ſumptum pro Orientali Illyrico ſumi cœpit; Occidentale autem pro parte Præfecturæ Italiæ cenſitum fuit.* Et paulo poſt ſubjungit: *Abindeque Occidentalis Illyrici nomen obſoleſcere cœpit.* Quare ſi moderna Geographia ſpectetur, *Illyricum Occidentale*, quod *Italiæ* juxta præcedentem textum attributum fuit, continebat in ſe, *P. Fuhrmanno* Vet. & Nov. Auſtr. *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. atteſtante: *Inferiorem Hungariam*, *Slavoniam*, *Dalmatiam*, *Carnioliam*, *Iſtriam*, *Styriam*, *Vindorum Marchiam*, partemque aliquam *Croatiæ*, *Carinthiæ*, *Salisburgenſis territorii*, & in ſpecie *ſuperiorem*, & *inferiorem Auſtriam*, quæ modo cis *Danubium* Occidentem verſus ſituatur. Atque hic univerſus tractus ab *Exarchatu Italiæ* (ut citatus *Pr. Fuhrman. loc. cit.* tradit) *Ravennæ* inſtituto dependebat.

V. Hinc non immerito apud *Lucium lib.* 1. *cap.* 6. quidam *Byzantini* ſcriptores *Dalmatiam*, utpote partem *Præfecturæ Italicæ*, pro *Italica* Regione ſumpſerunt, nam apud eundem *Lucium loc. cit. Stephani Epitomator* dicit: *Dalmatia Italiæ eſt Regio.* Et *Conſtantin. Porphyrogenitus ibid.* inquit: *Dalmatia Italiæ Regio eſt.* Qua ex ratione probabiliter *Philippus Bergomen.* in *Proœmio* Operis hujus citatus, *Sanctum* noſtrum *Hieronymum* non *Dalmatam*

matam

matam contra ſenſum Breviarii Romani, ſed Italum natione fuiſſe aſſerit: immemor, quod idioma ſit principale nationum diſtinctivum: immemor præterea, quod neque Galli, neque Hiſpani, neque aliarum Regionum incolæ, ex eo, quod à Romanis jura acceperint, pro Romana natione habiti fuerint, quemadmodum neque hodie Regna Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ, ex eo, quod Sacræ Coronæ Hungaricæ adnexa ſint, pro ipſa Hungaria cenſentur, ſiquidem & idiomate, & juribus municipalibus ab Hungaria diſcernantur.

VI. Quod autem attinet Illyricum Orientale cum ſuis decem Provinciis, in quo juxta modernam Geographiam ſituatæ fuere: ſuperior Hungaria, usque Tibiſcum fluvium, Vallachia, Servia, Raſcia, Bulgaria, Boſna, Albania, & fere tota Græcia cum Thracia, directe pertinebat ad directionem ipſiusmet Principis Conſtantinopolitani. Univerſa hæc quam optime cohærent cum Notitia Imperii tam Orientalis, quam Occidentalis temporibus Arcadii, & Honorii Imperatorum conſcripta, ſi unicam Valeriam Provinciam excipiamus. Hæc etenim, ut Lucius loc. cit. ſcribit: circa finem Imperii Theodoſii Junioris intra Provincias numerari deſiit, Barbaris namque eo tum nationibus Iſtro ſuperato, utrumque Illyricum vexantibus Pannoniæ Ripenſis nomen in deſuetudinem abierat, conſequenter Provinciæ nomen amiſerat.

VII. Tam copioſæ igitur, & amplæ ſub Romani Imperii gubernio fuere Illyrici Provinciæ. Optime itaque citatus cap. 4. num. 1. noſter Ratkajus ſenſiſſe videtur, qui ex unico Illyrico novem ſucceſſu temporis, id eſt; declinante Imperio Romano Regna fundata aſſerit lib. 1. pag. 22. his verbis: Ac imprimis illud obſervandum, nos initio hujus libri abunde magnitudinem Illyrii latiſſime ſumpti poſuiſſe, attamen magis proprie novem cenſeri Regna, quæ Illyrii appellatione, velut communi, ac generali nomine intelliguntur, nempe Dalmatiam, Croatiam, Slavoniam, Boſnam, ſeu Mœſiam, ſive Romam, Bulgariam, Serviam, ſeu Galliciam, Raſciam, ſeu Thraciam, Dardaniam, & Epyrum, ſeu Albaniam, quibus adnumerari poteſt Liburnia, Provincia olim ad Croatiam pertinens, quemadmodum & Iſtria ad Dalmatiam. Hinc ſuffragatur recens, ſed Anonymus Coſmographus Gracenſis è Societate Jeſu, qui cap. 1. num. 6. enumerat Regna, Principatus, atque Ducatus ex unico Illyrico poſt declinationem Romani Imperii numero undecim conditos, inter quos & ipſam Hungariam modernam locat, cum & ipſa ſub nomine eo tum Pannoniæ pars Illyrici extiterit. Peſſime igitur citatus pariter cap. 4. num. 1. P. Timonius judicaſſe cenſendus eſt, qui Illyricum, prout ibidem declaratum eſt, arctiſſimis terminis, videlicet Iſtria, Mœſia ſuperiore, & Macedoniæ parte, quæ Adriatico Mari adjacet, ſub tempus florentis Imperii Romani definit. Sed omiſſis his diſceptationibus, inter Parentheſim quaſi propoſitis, ad noſtra priora redeamus.

VIII. Poſtquam Romanorum Principum authoritas, & potentia ſenſim in diminutionem vergere cœpiſſet, mutatisque temporum variabilium circumſtantiis, & occaſionibus, ita Illyrici Provinciæ coarctatæ ſunt, ut non tantum poſt ultimam ejus diviſionem Illyricum Orientale ab Imperio Romano avulſum fuerit, atque in alienas, easque exterarum, ſimul & barbararum nationum manus devenerit, verum etiam Illyricum Occidentale totaliter diſciſſum, atque dilaceratum à diverſis pariter nationibus occupatum extiterit. De Illyrico Occidentali itaque ſequentia bene ex prolixioribus Lucii lib. 1. cap. 6. lucubrationibus notanda veniunt. Et quidem, quod eſto juxta Procopium antiqua nomina Provinciarum Illyrici Oc-

Digitized by Google

Occidentalis longiori tempore in uſu fuerint, *Dalmatia* tamen ab *Illyrico* diſtingui cœpit, quod clariſſime ex *Fragmentis Hiſtoriæ Menandri* de *Avaribus*, perſpicitur. Qui relata *Sirmii* obſidione per *Avares* attentata, & *Imperatoris Tiberii II.* Principis de *Republica Romana*, & *Chriſtiana* bene meriti ſollicitudine ſic diſſerit: *Itaque Exercituum Præfectos, Duces, & Turmarum Ductores hos per Illyricum, alios per Dalmatiam mittit, ut Præſidium urbi imponerent, & quoad fieri poſſet, cuſtodirent.*

IX. Ex quibus apparet *Illyricum* pro *Orientali Illyrico* ab *Imperatoribus Orientalibus* in integro adhuc poſſeſſo ſumptum, & intellectum fuiſſe. *Dalmatiæ* vero relictum eſſe, quidquid *Illyrici Occidentalis* in poteſtate *Imperatores Occidentales* habebant. Quidquid etenim *Illyrici Occidentalis* à barbaris, ſeu exteris nationibus occupabatur, id plurimum *Dalmatiæ* reaſcribebatur; ita quidem, ut *Dalmatia*, diviſo, ſenſimque declinante *Imperio Romano*, poſt paucum temporis vetuſtos ſui diſtrictus limites *cap.* 19. & 20. definitos cum nomenclatura quoque ſua reobtinuerit. Atque ideo *Dalmatia* tota quanta apud *Byzantinos* ſcriptores pro *Illyrico Occidentali* ſumebatur: ut patet ex *Conſtant. Porphyrog.* qui de Adminiſtratione Imperii *cap.* 30. circa A. C. 911. ſcripſit, & *Dalmatiam* pro univerſo *Occidentali Illyrico*, præter *Noricorum* Provincias, antiquitus intellectam fuiſſe teſtatus eſt, dicens: *Antiquitus igitur Dalmatia incipiebat à confiniis Dyrrachii, ſive Antibaris, & ad Iſtriæ confinia pertingebat, ad latitudinem vero ad Danubium fluvium ſe extendebat.*

X. Ex his præmiſſis iterum clariſſime patet, qualiter per temporum ſucceſſiones modo dilatati, modo contracti extiterint fines Provinciarum *Illyricarum*, idque pure interdum ex ſimplici velle, & beneplacito *Principum Dominantium*: quandoque vero ex ipſarum nationum confuſa, nunc huc, nunc illuc migratione, neque mirum, quod diverſitas nominum Provinciarum, earumque finium apud ſcriptores confuſionem pariat, parietque ſemper, niſi tempora bene diſtinguantur. Hinc ortum habent tot, tantæque æquivocationes de finibus, ſeu metalibus *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ*, ut vix aliquid certi ſtatui valeat de patrio ſolo noſtri *S. Hieronymi*, quæ in confiniis Provinciarum harum, ipſomet eodem teſte extitiſſe fertur. Sed ut ad præcedentia regrediar: *Lucius loc. cit.* ſuam de *Illyrico* in *Orientale*, & *Occidentale* diviſo lucubrationem cum *Dalmatia* finit, dicitque: *Dalmatia ſupra deſcripta ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit, donec à Slavis fere tota occupata in Slavoniam, ſeu Croatiam, Serviam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit.* Et hæc ſunt, quæ de diviſione *Illyrii* in *Occidentale*, & *Orientale* notanda fuerunt. Quo autem anno *Conſtantinus Imperator* diviſionem hanc inſtituerit? non ſpecificant ſcriptores, in eo tamen omnes conveniunt, quod hæc ſub memorato *Conſtantino Imperatore* facta fuerit, atque ideo ejuſdem ſucceſſum, ad ejuſdem *Imperatoris* adhuc vivi tempora deſcribendum, ex æquo judicabam.

CAPUT XXXVIII.

Continuatio Geſtorum Illyriorum Illyrico Orientali, & Occidentali incluſorum.

I. *SLavo-Sarmatas* limigantes (quorum mentionem *cap.* 36. *num.* 9. egimus) ſeu limitantes, ex eo, quod ad limites *Romani Imperii* ſedes ſuas habe-

Digitized by Google

habere permiſſi fuerint, poſtea vero *Græco* idiomate *Arcaragantes* (quod idem ſonat, ac *Limitantes*) dictos, qui à *Gothis* bello appetiti ſervis ſuis arma pro ſui defenſione diſtribuerant, bello terminato, ſervi arma deponere, & ad ſervilia munia redire renuentes, verum libertatem, & æqualitatem jurium cum Optimatibus, itaque Regimen *Democraticum* ob recens meritum liberatæ ſua ope patriæ ſibi pervicaciter vindicantes, ſigna militaria adverſus Dominos vertunt, inſurgunt, ſpoliant, necant, eosque ſedibus ſuis deturbant A. C. 334. Pulſi Domini cum uxoribus, liberis, & famulis, qui rebellioni non conſenſerant, ad gratiam *Conſtantini Auguſti* confugêre, qui, eos benigniſſime ſuſcipiens, validiores quidem militaribus muneris inſeruit, aliis agros aſſignavit, & amplius trecenta millia hominum mixtæ ætatis, & ſexus in *Thraciam*, *Macedoniam*, *Italiamque* diviſit. *Don Joan. de Jordan* Orig. Slav. *Par. 1. cap. 11.* §. *12.* dislocationem *Slavo-Sarmatarum limigantium* per *Imperatorem Conſtantinum* factam explicat his verbis: *Quod de Italia dicitur, de ejus circuitu, ut tunc cenſebatur, comprehenſis ſimul Iſtris, & Carnis; itaque de datis ſedibus circa hodiernam Carnioliam, & Croatiam intelligendum eſt.* Et bene, nam juxta dicta *cap. præc. num. 4. Illyricum Occidentale* gubernio Præfecti *Italiæ* concreditum pro *Italia* habebatur. Idem *Don de Jordan* Operis ejusd. *Par. 1. cap. 14. num. 14.* contendit primo: hos ipſos *Sarmatas* primos ut *Slavos* modernam *Croatiam* intraſſe; ſecundo: *S. Hieronymum* ex his ipſis *Slavo-Sarmatis* per modernam *Croatiam* ab *Imperatore Conſtantino* dislocatis *Stridone* in confiniis *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* natum, quaſi ante adventum *Slavo-Sarmatarum* non extitiſſent in eadem Provincia *Slavo-Heneti*, ut *cap.* 8. *num. 6.* & *cap.* 11. *num. 3.* inſinuatum eſt: & *Slavo-Jazyges* de quibus *cap. 12. num. 7.* egimus. Sed de hoc, utut ſit, ſufficit nobis *S. Hieronymum* natum fuiſſe *Slavum*, & *Stridone* noſtro, quod *Dalmatiæ*, *Pannoniæque* confinium fuit, ut pluribus citatus *Don Jordan* apprime probat, ſuo loco producendus, nunc ad *Slavo-Vandalos* greſſum faciens, quos *cap. 34. num. 4.* in hodierna *Moldavia*, & *Valachia* conſediſſe retuli. Hi funeſto bello petiti à *Geberico* (diſtinctorum à *Fœderatis* Gothis *cap. 36. num. 14.* productis) Rege *Gothorum*, poſtquam una cum ſuo Rege *Viſumaro* cæſi fuiſſent, ſtrage hac perculſi, licet *Gothi* in ſua reverterentur, infortunatam patriam deteſtati ſunt, *Pannoniasque* ſibi, aliùnde non ſolum bellis aſſiduis, ſed & peſte frequentiori exhauſtas, ac *Principum* impietate, vel maxime autem Præfectorum tributi ſuperflui exactionibus dilaceratas, & depopulatas, ſibi à *Conſtantino Imperatore* pro incolatu ſupplices aſſignari petierunt, quas & impetrarunt ad A. C. 336. locatisque ibidem ſedibus *Imperio Romano* obtemperantes ſervierunt. Hos in moderna etiam *Slavonia*, & *Croatia* habitaſſe nullum eſt dubium, cum & hæc Regna eo tum adhuc nomine *Pannoniarum* ſubintellecta fuerint. *Marcellin. lib. 17. cap. 13. & lib. 19. c. 11. S. Hieron.* in Chron. expreſſe de *Slavo-Sarmatis* Dominis à Servis bello impetitis. *Idatius* in Faſtis. *Caſſiodor. Szentivan.* uterque in Chron. Supranominatus *Vandalorum* Princeps *Viſumarus* (à quo civitas *Viſarienſis* in *Pannonia* nomen, & originem accepiſſe creditur) genuit filium *Miſislavum*, hic vero *Radogoſztum.* Hic ſub *Arcadio* Imperatore, cum *Alarico* Rege *Gothorum* graviſſima in *Illyrico* contra *Romanos* geſſit bella, atque tandem A. C. 412. *Romam* ipſam expugnavit: ſed paulo poſt inſidiis interceptus, & à *Romanis* trucidatus eſt. Hinc *Radogoſztum* gens *Slavo-Vandalorum* ſuperſtitione ſua *Idololatrica* inter *Deaſtros* ſuos ſupputavit, cui homines *Chriſtianos*, in horum

Digitized by Google

autem defectu, animalia quæquæ immolabat. Ita *Münſterus lib. 3.* de Germania, Tit. *Magnopolis.*

II. Medio tempore *Conſtantinus* in tres *Imperium* dividit partes, cuilibet filiorum partem conſignans: Primogenito *Conſtantino* quidem *Gallias*, & quidquid eſt trans *Alpes*. Secundo genito *Conſtantio* autem *Aſiam* & *Orientem* cum *Ægypto*, ac tandem *Conſtanti* tertiogenito *Africam*, *Italiam*, *Siciliam* cum *Illyrico* & *Græcia*. Fratribus porro ſuis *Conſtantio* partem *Aſiæ minoris*, deinde *Hannibaliano* in *Cappadocia Pontum*, & *Armeniam*, poſtremo Fratrueli *Delmatio* determinavit *Thraciam*, cum *Macedonia*: hosque tres poſteriores purpura, aurataque induit veſte, tituloque *Nobiliſſimatus* honorari decrevit. Quibus peractis *Conſtantinopoli* Legatos ex *Indiis Orientalibus* cum rariſſimis, iisque pretioſiſſimis muneribus, quibus *Conſtantinum* ſuum *Imperatorem*, orbisque totius *Principem* fatebantur, excipit benigniſſimeque audit, ac poſtulatis juſtis clementiſſime annuit. Dimiſſis autem his ſecedens *Nicomediam* in villa *Achyrona* dicta moritur A. C. 337. cum annis circiter 32. imperaſſet. *Princeps* ſive cœlum, ſive terra ſpectetur, de utroque optime meritus, cœlo dum terram peperit, illamque calamitatibus liberam, ornatamque victoriis parem cœlo fecit, tam *Pietatis* virtutibus, quàm *Imperatoriis* clariſſimus, meritiſſime *Magnus* cognominatus, atque ab univerſo *Illyrico* noſtro ut decus ornatiſſimum honorandus, quia in eodem prognatus: quantumvis id multi impugnent ſcriptores, ſed exiguis fulti fundamentis. Quid de hoc nos ſentiamus *ſequens* exhibebit *Num.* prouti & *Num. 4.* de *Helenæ* primæ *Conſtantini* conjugis patria.

III. Diximus *cap. 34. num. 7.* *Conſtantium Chlorum* Patrem *Conſtantini* ex Præſide *Dalmatiæ* ad A. C. circiter 284. à *Diocletiano Imperatore* in *Cæſarem* ſeu Collegam *Imperii* aſſumptum, atque ut aſſumenti fidelior evaderet, ad repudiendam uxorem *Helenam*, *Herculiique*, qui *Valeriam* filiam *Diocletiani* matrimonio ſibi copulaverat, Privignam *Fauſtam Theodoram* in ſociam vitæ aſſumendam perſuaſum, vel adurſum: conſequenter eo tum primo ut *cap. 36. num. 1.* dicebamus, cum neo-ducta conjuge in *Britanniam*, quæ ei regenda obtigerat, circa A. C. 291. profectum fuiſſe. Retulimus præterea *cap. 34. n. 7.* *Conſtantinum*, cognominatum deinde *Magnum*, filium *Conſtantii Chlori* fuiſſe ex *Helena* priori conjuge natum. Legitime igitur concludimus, *Conſtantinum*, antequam parens ejus in *Cæſarem* aſſumeretur, & cum *Fauſta Theodora* copularetur, atque in *Britanniam* proficiſceretur, natum, adeoque in *Illyrico*, & quidem in urbe *Niſſa*. Hujus opinionis videtur eſſe apud *Bombardium par. 3. cap. 5. ſegm. 2. num. 3.* quidam *Anonymus*, quem citat *Cellarius*, refertque: quod is (*Conſtantinus* nimirum) ſæpe ibidem conſtiterit, variis ædificiis eandem urbem exornaverit, & ampliaverit. Unde etiam *Stephan.* in Dictionar. Verbo *Niſſa*: eam vocat; *Opus*, & *Patriam Conſtantini Imperatoris.*

IV. Ex præcedentibus ruit etiam eorum opinio, qui *Helenam* Matrem *Conſtantini* contendunt fuiſſe *Britannam*, cujusdam Hoſpitis filiam, & ideo per contemptum *Stabulariam* dictam. Hæc etenim pariter in *Illyrico* à *Conſtantino Chloro* in uxorem ducta, atque in *Illyrico* repudiata, probabiliter in domo Paterna *Sardicæ*, ubi natam exiſtimat *Bombard.* Topogr. Hung. *par. 3. cap. 6. ſegm. 2. num. 11.* manſit, usque dum iterum à *Conſtantino* revocata fuiſſet, atque ut Mater pro dignitate Imperatoria debito in honore ad mortem usque intertenta extitiſſet. Quemadmodum autem laudatiſſimus *Conſtantinus Imperator* frequentius *Niſſæ* morari conſue-

ſuevit, multasque leges ibidem tulit, ut *de Alimentis*, item: *De integri reſtitutione*, & *de Centenariis*: ita quoque ipſum ad *Campos Jaſios* ſæpius divertiſſe ominandum eſt, ſiquidem in eorum propinquitate ad *Aquas Jaſias* celeberrimas *Thermas* extrui fecerit, quæ hodiedum paſſim à ſcriptoribus *Conſtantinianæ* nuncupantur, ſuntque prope urbem *Varasdinum* in *ſuperiori Slavonia*, ut *cap. 12. num. 6.* dictum eſt. Et quamvis decorem illum primævum ædificiorum ſuorum ſucceſſivis crudelium bellorum, vaſtationum & depopulationum temporibus amiſerint, attamen memoria in eis *Conſtantiniana* perennat.

V. Poſt obitum *Conſtantini Magni* tres filii ſumpſere *Imperium* quilibet in ſua parte ſibi à Patre aſſignata. *Conſtantius* cui *Oriens* obtigerat, ab uxore *Euſebia* ſeductus, *Arianæ* ſectæ adhæſit, Patruosque ſuos *Conſtantium* primo, dein *Hannibalianum* interfici curavit. *Delmatium* Patruelem ex *Hannibaliano* genitum factione militari oppreſſum diſſimulavit: ſed & alii clariſſimi viri juſſu ejusdem interempti fuere. Par vitæ diſcrimen adiêre filii *Conſtantii* fratris *Conſtantini Magni*, *Gallus*, & *Julianus*, illum tamen gravis morbus, hunc ætas innocua periculo exemerunt. Hinc non longa fratrum *Cæſarum* concordia fuit, quibus acceſſit etiam prætenſio rectificationis diviſi *Imperii* à parente minus juſte, ut putabatur, facti: qua non ſecuta ad mutua bella ſeſe concitarunt. Atque ideo A. C. 340. *Conſtantinus* fratris *Conſtantis* ditiones *Italiam*, & *Illyricum* invaſit, à quo in fugam actus, & equo dejectus à ſubſequentibus *Conſtantis* militibus, ut ignotus, trucidatus *Imperium* terminavit: taliterque *Reſpublica Romana* ad duos redacta eſt *Auguſtos*, qui denuo *Imperium* partiti *Conſtantius* totum *Orientem* ſibi reſervavit, *Conſtanti* *Occidentem* regendum conceſſit.

VI. Regnante *Conſtante*, *chriſtiani* in *Occidente* pacificis fruebantur temporibus, optimus namque hic *Princeps*, uni *Chriſtiano-Catholicæ* adhærens *Religioni*, ubi *Ariani* ſuis fraudibus *Dei* turbabant *Eccleſiam*, unicus pii Parentis ſui ſecutus veſtigia, eam fortiſſime protegebat. *Gallum* quoque, ac *Julianum* Patrueles, qui ad eum confugerant, benigne ſuſceptos honorifice educari, atque edoceri curabat. *Franci* interim inundant *Gallias*, ſed hos forti prælio profligat *Conſtans*, ac poſt modicum rurſus ad arma concurrentes vincit, atque ad pacem petendam adigit. Sub hoc *Principe* in *Illyrico* ad A. C. 341. quo *Conſtans* domuit *Francos*, natus refertur *S. Hieronymus*. Hujus opinionis ex *Inchoffero* eſt *Szentivanius* in Chron. cujus verba genuina hic apponere placuit: *Eodem Anno naſcitur S. Hieronymus Patre Euſebio, Oppido Stridone, in Confinibus Pannoniæ, & Dalmatiæ, vel rectius Slavoniæ, quam nunc Croatiam vocant.* Annum tamen Nativitatis *S. Hieronymi* alii, ut *Baronius*, dicunt eſſe A. C. 342. cui accedit *P. Nicolaus Benger* in ſua Chronologia vitæ *S. Hieronymi* manuſcripta; in unico anno hic cum prioribus diſcordantes. Cum autem totius præſentis operis non alter ſcopus ſit, & finis, quam ut ex finibus, ac limitibus Regionum inveſtigetur genuinus *S. Hieronymi* naſcitæ locus, hosque in præcedentibus pluribus lucubrationibus ad tempus usque Nativitatis ejusdem *Sancti Doctoris* compilatis inſinuaverimus, neceſſum quoque judicamus, quatenus ad *unum Caput* redigantur, ut eo facilius à benevolis Lectoribus intelligantur, atque diſtinguantur. Antequam tamen hoc præſtetur, ruminandæ erunt aliorum ſcriptorum circa hoc quæſitum opiniones, quæ *ſequentibus tribus Capitibus exponuntur*.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.
Opinio Blondi de Natali Solo S. Hieronymi.

I. EX *Proœmio* præſentis operis advertere quivit eruditus Lector plurium Authorum diverſas opiniones circa *D. Hieronymi* Patriam. *Capite præſenti* diverſarum harum opinionum fundamenta examinanda veniunt. Et primo quidem in ordine primus audiendus eſt *Blondus Forojulienſis*. Hic non longe *Juſtinopoli* in *Iſtria* inter *Petram piloſam*, *Portulam*, & *Primontem* ponit oppidulum *Strignam*, olim *Stridonium* patriam *S. Hieronymi*, ubi, ait, ſuo tempore adhuc extitiſſe ſepulchrum *Euſebii* genitoris *Hieronymi*. Hæc *Blondus* produxit Authoritate *Thomæ Archi-Diaconi Spalatenſis*, ut vult. *Lucius* in *Notis* in *Marulum* & *Inbofferum*. Dum etenim *Italiæ* Regiones deſcribit, inter has decimam tertiam *Iſtriam* numerat, *in qua* (inquit) *Juſtinopolis civitas*, & *Pola*, & *Stridon oppidum ſanctiſſimi Hieronymi patria*, *quod hodie Strigoum appellatur*.

II. His verbis plenam fidem adhibens *Philippus Bergomen.* ſupplementi Chronicorum Author, *Hieronymum* non *Dalmatam*, ſed *Italum* profeſſus eſt. Cujus opinionem dum *Marcus Marulus Patritius Spalaten.* ſe legiſſe ipſemet refert, vehementer etiam admiratum fatetur, & poſtquam conſiluiſſet, Authoris nomen vidiſſet, ipſumque *Italum Bergomenſem* animadvertiſſet, contra ipſum primo invectus eſt ſequentibus: *Zelum iniquum habuit iſte*, *ut Apoſtolus ait*, *ſed non ſecundum ſcientiam*: *Hieronymi quippe ſtudioſus*, *quamvis Dalmatam fuiſſe ſciret Sanctum*, *quadam invidia deceptus*, *non indignum Monacho putavit de alieno facere*, *ſi poſſet*, *ſuum. Hieronymus* (*inquit*) *vir ſanctiſſimus*, & *Doctor celeberrimus*, *S. R. E. Cardinalis Presbyter*, *natione Italicus*, & *oppido Stridonis*, *in Iſtria Provincia conſtituto*, *quod quidem à Gothis everſum fuerat*, *Pannoniæ quondam Dalmatiæque confinium fuit.*

III. Quomodo, quæſo, iſta, quærit *Marcus Marulus* ſimul ſtare poſſunt, ut oppidum aliquod *Pannoniam*, *Dalmatiamque* diſterminet, & in *Iſtria* ſit? cum poſt *Iſtriam* eſſe *Liburniam* conſtet, *Liburniæ* autem junctam eſſe *Dalmatiam*: niſi forte aliquis de ſtirpe *Æneæ Trojani* ſit, *Illium in Italiam portans*, *victosque penates*. Aut tantam habens fidem, ut non ſolum montes, ſed etiam cum montibus Provincias transtulerit; atque ita *Dalmatiam* cum *Stridone* oppido, de loco ſuo convulſam, ultra *Liburniam* in *Iſtriam* usque juſſerit evolare: cum *Stridon*, ſicut Hieronymus ipſe dixit: & prius *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* finibus fuerit, & non, ut *Bergomenſis* ait, in *Iſtriæ* agro conſiſtat.

IV. Poſtquam *Marulus* iſta conſiderando curioſius inquirere cœpiſſet, unde homini Religioſo, veritatisque profeſſori hic error irrepſerit? ut etiam pugnantia inter ſe aſſerere non dubitaverit. Cum vero id inveniri in *Longobardorum* Regni principio ex ſupracitato *Blondo* oſtendere conatum fuiſſe advertiſſet, ipſum *Blondum* quoque de hoc conſuluiſſet, eundemque *Italiæ* Regiones deſcribentem reperiſſet, decimam tertiam, ut ſupra inſinuatum eſt, dixiſſe: *Iſtriam* eſſe, & in ea *Juſtinopolim* civitatem, & *Polam*, & *Stridon* oppidum *SS. Hieronymi* patriam, quod hodie *Strigna* appellaretur, *Marulus* pium, ſimplicemque *Monachi Bergomenſis* affectum excuſare cœpit, diſcipulique errorem Magiſtri culpam eſſe agnovit.

V. Hinc *Marulus* contra Magiſtrum *Blondum* acerbius invectus, hæc

Digitized by Google

hæc ſcribit: *Magiſter parum, ut mihi videtur, ſcrutandæ antiquitatis curioſus, nominis ſimilitudine deceptus, Stridonem olim eſſe putavit, quod nunc Strigna dicitur; & tamen hoc ſaltem ſecum animadvertere debuerat, ſi Strigna Stridon eſt, quomodo Hieronymus dixit, oppidum hoc inter Pannoniam, & Dalmatiam eſſe, & non potius inter Pannoniam, & Iſtriam? Quænam igitur iſta Novitii Authoris audacia, ut putaret ſibi magis, quam Hieronymo de ſe loquenti, credituros? ſibi, inquam, in Italia, & quidem poſt mille, & ducentos annos genito, plus fidei habituros, quam illi ipſi, qui patriæ ſuæ fines multo plenius, exactiusque, & verius noſcere potuit tum à parentibus, tum ab indigenis edoctus, quam quiſquam alius externorum, etiam illa ſua ætate vivens? vide ergo Bergomenſis Frater, Blondus iſte, Præceptor tuus, talia aſſerens, quam procul à vero ſit.*

VI. Poſt hæc producit *Marulus* Authores qui qualiter *Italiæ* deſcripſerint limites. *Italiæ* fines *Pomponius Mela* antiquiſſimus Author, qui ad *Mare* ſpectant, *Tergeſtum* usque produxit: *Strabo* ad *Polam*: *Plinius* ad *Arſiam* fluvium: *Ptolomæus Iſtriam* finibus *Italiæ* videtur concedere. *Pomponii* porro Geograph. ſuæ *lib. 2. c. 3.* verba hæc ſunt: *Illyrica usque Tergeſtum, cætera Gallicis, Italicisque gentibus cingitur.* *Strabonis* autem *lib. 7.* hæc *usque ad Polam civitatem Iſtriæ, hujus temporis Imperatores, Italiæ terminos extendêre.* *Plinii* vero Hiſt. Nat. *lib. 3.* iſta: *Et nunc finis Italiæ Arſia.* *Ptolomæi* denique *lib. 3.* iſta: *Poſt Iſtriam Italiæ ora Liburniæ, aut Illyrici patet.* Ex quibus infert *Marulus*: Ad *Arſiam* usque, ſive *Polam*, *Iſtriæ* eſſe finem, & *Illyrici* partem, quæ *Liburnia* dicitur, incipere. *Plinio* quoque *lib. 3. cap. 21.* ita dicente: *Arſiæ gens Liburnorum jungitur usque ad fluvium Titium: pars ejus* (inquit ulterius) *fuere Mentores, Hymeni, Encbeleæ, Dudini, & quos Callimacus Peucetias appellat, nunc totum uno nomine Illyricum vocatur.* Idem *cap. 22.* ait: *Liburniæ finis, & initium Dalmatiæ Scardona.* Tantum igitur ab *Iſtria* diſtat *Dalmatia*, quanta eſt totius *Liburniæ* longitudo. Quod ſi *Dalmatia* inde tam procul eſſe noſcitur, quo pacto *Stridon* non aberit? quod *Dalmatiam* cum *Pannonia* ab *Hieronymo* ibidem nato, ibidem adulto, & converſato dictum eſt. Ex quibus *Marci Maruli* inventivis evaneſcunt *Philippi Bergomenſis*, conſequenter & *Thomæ Archidiaconi*, *Blondi* quoque, ejusque ſequacium *Lilii*, *Moletii*, *Commentatorumque Ptolomæi*, uti & *Ribadeneira* fundamenta, *S. Hieronymum* in *Iſtria* natum ſtatuentia. Non ſunt hic prætermittenda verba *Joan. Lucii* quæ in *Notis* ejusdem in *Marcum Marulum* ad finem leguntur ſequentis tenoris: *Animadvertendum tamen eſt Thomam Archi-Diaconum Spalatenſem cap. 1. & cap. 13. Strignam Iſtriæ pro Stridone D. Hieronymi patria ſtatuere, cujus authoritatem facile Blondus ſecutus eſt, ambobus ex ſimilitudine nominis deceptis.*

CAPUT XL.

Opinio Marci Maruli circa Patriam S. Hieronymi.

I. SEcundus in ordine examinandus comparet ipſemet *Marcus Marulus.* Qui poſt invectivas in *Monachum Bergomenſem*, ejusque Magiſtrum *Blondum*, de Patria *S. Hieronymi* ſequentia producit: ut igitur cognoſcas *Stridonem* non illud oppidum eſſe, quod, ſicut *Blondus* ait; *Strigna* dicitur, ſed longe ab eo diverſum, & quod nunc ab accolis

 Stri-

Digitized by Google

Strigoum vocatur, & à *Ptolomæo* olim *Sidrona* nuncupatum fuit: quamvis ipſe *Ptolomæus* illud *Liburniæ* annumeret. Ita tunc anguſtiores *Dalmatiæ* fines erant, qui poſtea latius ſe effuderunt: niſi enim *Stridon* attingeret *Dalmatiam*, nequaquam *Hieronymus* potius *Dalmatiæ*, quam *Liburniæ* feciſſet mentionem. Porro *Ptolomæus lib. 2. cap. 17.* ita ait: *Civitates Liburniæ mediterraneæ hæ ſunt: Teidaſtum, Arucia, Arderium, Stupi, Curcum, Auſancali, Varvaria, Salvia, Adra, Acraſena, Aſſeſia, Burnum, Sidrona, Blanda, Ouporum, Nedinum.*

II. Deinde *Ptolomæus* commemorat etiam *Dalmatiæ* civitates mediterraneas. *Sidronam* ergo oppidum, poſtea *Stridon* dictum, in *Liburnia* poſuit, non, ut *Blondus* ſomniavit, in *Iſtria*. Quod autem *Sidrona*, & *Stridon* idem ſit, vide *Ptolomæi* expoſitorem, qui ait: *Sidrona, ſive Stridon, hinc S. Hieronymus unus de quatuor Doctoribus Eccleſiæ originem ducit.* Ex quibus ſic expoſitis *Marulus* ita diſcurrit: *Itaque cum Sidrona, ſive Stridon, ſive, ut nunc appellatur, Strigoum, non Iſtriæ, ſed Liburniæ oppidum fuerit, Hieronymus Italicus dici nullatenus debuit: quod ut clarius tibi conſtet, qui vero noſcere cupis, inſpice apud eundem Authorem Tabulam 5. Europæ, ibi, ſi à Scardona (quam Liburniæ finem, & initium Dalmatiæ eſſe Plinius definivit) ſeptentrionem verſus lineam intenderis, in radicibus montis, qui Illyricum cum Pannonia dividit, Sidronam invenies. Hoc oppidum tamen, etſi Ptolomæi tempore, qui multo ante S. Hieronymum fuit, in Liburniæ finibus erat, poſtea tamen longius productis finibus, quibus Jaderam, Enonam, Arbumque, Liburniæ quondam oppida comprehendimus. Dalmatiæ oppidum dictum fuit. Idcirco in eo definiendo Hieronymus, Dalmatiæ, non Liburniæ fecit mentionem, juxta quod oppidum Pannoniam incipere, & ad ſeptentrionem Danubio terminari ſcriptores plures teſtantur. Huic accedit* (proſequitur *Marulus*) *quod ab illis quoque, qui nunc de oppidis, ei oppido proximis, ad nos commeant, ſæpe audivimus in mediis Strigoi ruinis adhuc Sacellum ſtare S. Hieronymo dedicatum, ab accolis quidem ædificatum, ut ibi ejus permaneret memoria, ubi noverunt natum, ædium etiam partem aliquam ſupereſſe, quas parentum ipſius eſſe affirmant.*

III. Hæc *Marcus Marulus* aſſertive, ſed intereſſate, quando quidem *D. Hieronymum* potius *Liburnum* contra ſenſum ipſiusmet *ſancti*, & *Breviarii Romani*, quam *Dalmatam* probare dignoſcatur. Ideo *Joan. Lucius Traguriens* corrigere volens *Marulum*, ſic ſcribit: *Recte quidem Marulus D. Hieronymi patriam in Iſtria eſſe non potuiſſe, Dalmatiamque tempore Hieronymi dilatatam, Liburniam quoque Ptolomæi comprehendiſſe ſcribit: ſed eodem tempore Dalmatia non fuit finitima Pannoniæ, cum Savia interponeretur, ut lib. 1. c. 6. de Regn. Dalm. & Croat. dictum eſt: quod ex ejusdem D. Hieronymi verbis confirmatur, qui in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ait: Hieronymus Presbyter, Patre Euſebio natus, ex oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit. Scilicet ante Hieronymi tempora, quando Pannoniarum fines ad Dalmatiam usque extendebantur, ſed tunc temporis ad Dravum reſtrictis, Savia interpoſita erat, quando Hieronymus ſcripſit.* Ita *Lucius* contra *Marulum*.

IV. *Marco Marulo* eruditiſſimo viro, ut ego aliquid opponam, exiguus ſum, pace tamen ipſius, conſiderando enumerationem *Ptolomaicarum* civitatum *Liburniæ* (quam *Marulus* pro argumento ſuo adducit) *mediterraneæ*, cœpi ex *Szentivanii Appendice* Synopſis Chronologicæ, & ex ejusdem Diſſertationum Paralypom. *Catal.* 10. curioſius inquirere memoratarum civitatum ſituationem modernam; fateor me nonniſi ſex earum, cum aliarum fors nomina

na in deletis probabiliter etiam ruderibus ſepulta maneant, deprehendiſſe. Et primum quidem *Tediaſti*, quæ actu *Modruſſa* dicitur in *Croatia*: Secundum *Aſſeſiæ*, hodie *Tvonigratt* in *Boſna*: Tertium *Stupi*, hodie *Uskop* in *Servia*: Quartum *Arderii*, hodie *Magonichi* in *Dalmatia*: Quintum *Sidronæ*, hodie *Blanda*, quibusdam *Belas* in *Liburnia*: Sextum *Nedini*, hodie *Szuſzed* in Slavonia. Item apud *Freſchottum par. 2. cap. 1. p. 272.* inveni *Aruciæ*, nunc *Ottochecz* in *Croatia*.

V. Conſiderata itaque harum civitatum ſituatione, judicavi *Ptolomæum*, & ex ipſo *Marulum* ingentem certe plagam terræ, contra aliorum *Hiſtoricorum*, & *Geographorum* ſentimenta adſcripſiſſe *Liburniæ*, quæ modernam *Croatiam*, *Slavoniam*, *Boſnam*, *Serviam*, *Dalmatiam*, ipſamque *Liburniam* temporibus *D. Hieronymi* complexa fuiſſet, adeoque *Liburniæ*, & non *Dalmatiæ Pannoniæ* contermina extitiſſet, quandoquidem etiam *Dalmatiæ mediterraneæ* urbes, uti ſunt *Enona*, *Jadera*, & *Arbum* enumeret; quas tamen ad oram *Maris Adriatici*, utpote *Italiæ* confines, ac *Dominio Veneto* hodie obtemperantes, ſituant omnes *Geographi*: conſequenter *S. Hieronymus* non *Dalmata*, ſed *Liburnus*, quod foret contra opinionem ipſiusmet *S. Doctoris*, dicendus eſſet. Ex quibus patet, quod neque *Marulus* bene de *Ptolomæi Sidrona*, quam ipſe *Blandam* nominat, neque *Ortelius* cum *Nigro*, & *Villanovano*, qui ipſam *Belas* vocari contendunt, diſcurſum ſuum formaverint. Gratiæ tamen *Marulo* in hoc referendæ, quod *S. Hieronymum* non *Italum*, ſed *Illyrum*, ſiquidem *Liburnia* quondam *Illyrii* Provinciis, ut habet *Lucius* adnumerata fuerit, probare contenderit.

CAPUT XLI.

Opinio Ludovici Vergerii quoad locum Naſcitæ S. Hieronymi.

I. *Marulo* in ordine tertius ſuccedat *Blondi* patriota *Ludovicus Vergerius* natus *Iſtriota*, qui, ut in *Proœmio* dixi, in *Epiſt.* ad *Sebaſtianum Münſterum* A. C. 1549. ſcripta, & per eundem in ſua *Coſmographia Orbis* ſub Titulo *de Illyride* relata, *Stridonem* ponit in moderna *Dalmatia*, non procul *Salona* celeberrima quondam *Romanorum* colonia, ſic ſcribens: *Aqua* (id eſt: *Salona*) *non procul abeſt Kliſſa arx munitiſſima, quam paucos ante annos ejectis Pannoniis Turcæ occuparunt. Et non longe hinc Stridon oppidum D. Hieronymi patria, ut nonnulli affirmant, nam noſtri Iſtrii ſuum vendicant, habentque villam vetuſtiſſimam, cui nomen Stridon, atque ex ea natum putant Hieronymum, in qua ſententia fuit Eraſmus.* Citatus hic *Eraſmus* videtur fuiſſe *Roterodamus* Rhetor, & Grammaticus celeber, ſed dictus *Lutheri Præcurſor*, quod de multis dubitando perſuaſerit *Luthero* ad ea pernegandа: contra quem invehitur *Petrus Caniſius* in *Præfatione* ad ſelectas *S. Hieronymi* Epiſtolas. Obiiſſe dicitur à noſtro *Rittero* in Chron. A. C. 1536.

II. An in Epiſtola *Vergerii* expoſita, ita ſe habeant? reſpondeat pro ſe, ſuoque Manuductore *Eraſmo*, ipſe ad *Hæreticum* ſcribens *Vergerius*, utpote *Iſtriota*, conſequenter partium harum, quarum mentio hic fit, magis gnarus, quam *Eraſmus*. Quomodo quæſo, id fieri poteſt, ut

Digitized by Google

Kliſſa caſtrum, ac prope eam *Stridòn* oppidum ſit in *Dalmatia*, & *Iſtriotæ* ſuum patriotam *S. Hieronymum* prædicent? quandoquidem *Dalmatia* ab *Iſtria* diverſa dignoſcatur eſſe Provincia. Præterea, qualiter *Pannonii* paucos ante annos, id eſt: A.C.1537. (eo enim *Kliſſa*, ut vult *Bombard.* Topogr. Hung. *par.* 3. *cap.* 1. *ſegm.* 3. *num.* 7. item *Freſchottus par.* 2. *p.* 309. in *Turcarum* devenit poteſtatem) ex eâ pelli potuiſſent? cum conſtet *Pannonios* circa A.C. 1000. *Danubio*, & *Dravo* concluſos fuiſſe, neque unquam ex poſt limites ſuos transgreſſos, alias occupaſſe Provincias. Niſi fors per *Pannonias* intelligere *Hungaros* velit, ex eo, quod eo tum *Dalmatiæ* partem Reges *Hungarorum*, qua Reges etiam *Dalmatarum*, & *Croatarum* medio ſuorum Præfectorum, qui *Banni* appellabantur gubernaverint, & ab hoſtibus medio etiam militum *Hungaricorum* defenderint. Quamvis neque *Bombardius*, neque *Freſchottus*, ſed neque *Szentivanius*, vel *Ritterus* mentionem habeant *Hungarorum*, minus *Pannoniorum* militum Præſidiariorum Arcis *Kliſſæ*, bene vero ejusdem Præfecti *Petri Kruſſich* nati *Croatæ Terſzactenſis*, qui facta *Spalatum* verſus contra inimicos fidei excurſione, ubi cum exigua ſuorum manu in quatuor millia *Turcarum* ex improviſo incidens, celeri hoſtium impetu facile fractus, actusque in fugam, cum pluribus occubuit commilitonibus. Hinc *Turca* nulla interpoſita mora *Kliſſam* obſedit, quam tamen fortiter à Præſidiariis *Dalmatis*, & *Croatis* tutatam nonniſi poſt anni ſpatium fame ad deditionem compulit, ut in plorante Croatia *p.* 12. deplorat *Ritterus*.

Interea totum Klis arx obſeſſa per annum,
Condita ab Auguſto, cui Diocletia nomen
Indiderat longis vicina in rupe Salonis:
Injus hoſtis abit. Proh! cui vis ulla nocere
Non poterat: ſitis, atque fames miſeranda peremit!

III. Ex his tamen præmiſſis, eſto *Hungari* dictæ *Kliſſanæ* Arcis Præſidiarii fuiſſent, necdum *Vergerius* allegare poteſt *Pannonios*, ſeu *Hungaros* ſedes fixas *Kliſſæ* habuiſſe, ſiquidem poſt diviſionem à *B. Budemiro* Rege *Dalmatarum*, & *Croatarum* inſtitutam, *Dalmatia* ſuos, *Croatia* etiam ſuos, prouti & *Slavonia* ſuos limites ſervaverit, ac quodlibet Regnorum horum, intra limites ſuos conſtitutum, ſua nomenclatura nuncupatum fuerit; conſequenter *Dalmatiam* potius *Croatiæ*, quam *Pannoniæ*, cum inter hanc & *Croatiam* adhuc *Slavonia* interjaceat, conterminari ſcribere debuiſſet. Deinde ipſo anno, quo *Kliſſa* à *Turcis* capta fuit, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* qua Rex *Hungariæ* & ſimul *Imperator Ferdinandus I.* non *Hungarus*, ſed *Auſtriacus*, Arci vero *Kliſſæ* qua Præfectus, ſeu Capitaneus Commendans *Petrus Kruſſich Croata Terſactanus* non *Pannon* imperitavit, adeoque non poterant eo tum *Pannonii* ex *Dalmatia* pelli, conſequenter neque *Pannonia* in eo loco *Dalmatiæ* conterminari quibat.

IV. Reſpondebit fors *Vergerius* ex ipſa ſua *Epiſtola*, in qua ſub initium ſequentia leguntur: *Ab Iſtria, uſque ad Butnam, quod eſt oppidum in finibus Epiri ſunt* 400. *mille paſſus: Totum hunc tractum veteres appellarunt Illyricum, noſtri Slavoniam vocant: dividitur vero in Liburniam & Dalmatiam. Ab Arſia enim usque ad Scardonam fluviū Liburnia eſt, inde uſque ad Epirum Dalmatia.* Deinde enumerat ſpecifice urbes, Oppida, Inſulas, Fluvios &c. & quidem etiam *Kliſſam*, ac *Stridonem* ut *cap. præſ. num.* 1. notatum eſt. Sed neque his convincere poteſt ibidem eſſe patriam *D. Hieronymi*, quandoquidem nullus *Geographorum* in ſuis Tabu-

Tabulis tali in loco prope *Kliſſam* notet *Stridonem*. Sed neque *Bombardius* Regni Hung. *Topographus*, accuratus alias pro poſſe ſuo omnium urbium, civitatum, oppidorum, celebriumque villarum &c. Explorator, *Dalmatiæ* quoque tam *Hungarica*, quam *Veneta*, & *Turcicæ* deſcriptor *Stridonis* tali in loco mentionem facit, quamvis de *Kliſſa loc. cit.* in quo de *Dalmatia Veneta* agit, hæc tradat: *Kliſſa à Græco Kleiſa, quod clauſuram ſignificat, appellationem nacta, veteris Salonæ ruderibus incumbit.* Veſtigia autem *Salonæ* idem Author *loc. cit. n.16.* ſub *Martiæ Juliæ* appellatione ad ſtadia ferme ſexaginta ultra *Tragurium*, conſequenter in meditullio quaſi modernæ *Dalmatiæ* collocat: quo in loco nequivit fuiſſe Natale ſolum *D. Hieronymi*, utpote *Pannoniæ* nullatenus confini.

V. Præterea, quomodo poteſt totus ille tractus, de quo *num. præc.* diſcurrit *Vergerius*, à veteribus *Illyricum* appellatus, *Slavonia* vocitari? ſiquidem eo jam tempore, quo hæc *Vergerius* ſcripſit, à *Geographis* æqua, & juſta, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* temporibus adhuc *B. Budemiri* circa A. C. 756. inſtituta diviſio, eorundemque Regnorum ordinata limitum conſtitutio in tabulis uſurpata fuerit, hodieque uſurpetur, ut ex vetuſtiſſimis *Tabulis Geographicis* patet. Tandem univerſa ea, quæ *Vergerius* cum ſuo *Eraſmo* de diviſione *Illyrii* ſui, ſuæque *Slavoniæ* notat, ac poſt enumerationem locorum de *Stridone*, conſequenter de Patria *D. Hieronymi* concludit, refutantur iis, quibus *cap. 40.* opinio de eadem materia *Ptolomæi*, atque ex ipſo *Marci Maruli*, aliorumque ibi citatorum refutata legitur.

VI. Meo judicio videtur hic *Vergerius* limitum *Dalmatiæ* ſui ævi reflexionem facere, non vero eorum, qui temporibus *S. Hieronymi* extiterunt, atque ex eo patriam *S. hujus Doctoris* in ſuo *Stridone* prope *Kliſſam*, vel potius ex ſimilitudine nominis *Scardonæ* conſtituiſſe. Sed neque hoc ad rem: qui enim (ex quibus eſt etiam *Freſcbottus*) dicunt *Scardonam* eſſe patriam *S. Hieronymi* eos rejicit *Bombardius*: qui dum in ſua Topographia *loc. cit. num. 17.* agit de *Scardona*, hæc exponit: *Scardona, quam eruditorum non pauci Stridonium D. Hieronymi patriam, eſto non ſatis ad ipſius D. Doctoris, aliorumque complurium mentem, ſunt ſuſpicati, uti eum de Stridova ad Muram oppido ageremus, declarare contendimus.* Neceſſum ergo erit *Vergerio*, ut limitibus *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* vetuſtiſſimis, qui nempe ævo *D. Hieronymi* fuerunt, genuine inveſtigatis ſuam de patria *S. Hieronymi* ferat ſententiam, & ſi hos juxta opinionem ſuam præallegatam, ad loca prædeclarata produxerit, eidem lubenti ſubſcripſero animo. Pro interim autem, ut & ego meam communicem opinionem, ad genuina ævi *Hieronymiani* inveſtiganda *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* confinia tranſeo.

CAPUT XLII.

Contra productas opiniones genuina Dalmatiæ, & Pannoniæ declarantur confinia.

I. Cur tanta inter ſcriptores de limitibus *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* habeatur diſceptatio *cap. 35. n. 9.* inſinuavi. Ex eo videlicet, quod *Sext. Ruf.* in ſuo Brev. locum. vel Provinciam, tali, aut ſimili, vel eadem appellet nomenclatura, quali dum ipſe viveret, & ſcriberet vocitaba-

Digitized by Google

tabatur, quod tamen in pluribus ſubſiſtere nequit. Ut in exemplo de noſtra *Dalmatia*, quæ fines ſuos temporibus *Julii Cæſaris* ante *Chriſtum* natum, & temporibus *Octaviani Auguſti* poſt *Chriſtum* natum An. 10. *Danubium* usque & *Dravum*, atque, ut opinamur usque *Muram* fluvios protenſos habebat, ut ſufficienter *cap.* 19. & 20. item *cap.* 35. *num.* 6. probavi. Volentibus dein *Principibus Romanis* Jura *Dalmatiæ* dictantibus in prima, & principali diviſione *Illyrii* ſub *Adriano Imperatore*, pars *Dalmatia mediterraneæ* nominata fuit *Pannonia ſuperior*, dein vero ſub *Diocletiano* dicta fuit *Savia*, eamque ſub tali nomine *Saviæ Sext. Ruf.* temporibus *Valentiniani Imperatoris*, circa A. C. 364. vivens, & de *Bathone* ac *Tiberio* A. C. 10. ad invicem præliantibus ſcribens intelligendam cenſet: cum tamen re ipſa eo tum, id eſt; *Tiberii I.* temporibus neque *Pannoniæ ſuperioris* loca, neque Regio *Savienſis* ſub talibus nomenclaturis extiterint, verum hæc, *Savia* nimirum, eo tum nomine duntaxat *Dalmatiæ* intellecta fuerit. Ex ſimilibus igitur, & quidem pluribus *Sexti Rufi* notatis, cum tempora mutationum nominum non diſcreverit, multa ſuboriuntur dubia, & ex dubiis inter ſcriptores non exiguæ diſceptationes, dum unus ſuo modo, alter aliter ſuum dubium explanare, & reſolvere contendit.

II. Ego quantumvis omnium eruditione minor genuinos *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* fines determinare intendens, non aliunde, niſi ex præcedentibus pluribus lucubrationibus, probatorum *Hiſtoricorum*, & *Geographorum* authoritatibus ſuffultus eos ad *præſens Caput* recapitulatos, atque in unum quaſi nucleum congeſtos benevolo exhibeo Lectori. Et primo quidem de *Pannonia*. Retuli *cap.* 23. *num.* 2. limites *Pannoniæ* deſcripſiſſe *Plinium* his verbis: *Per medium Illyricum à ſeptentrione ad meridiem verſus: ad ſeptentrionem Pannonia finitur Dalmatia, à fronte Scordiſci, à tergo Tauriſci.* Adduxi ibidem *Dionem Caſſ.* limites quoque *Pannoniæ* ſic deſcribentem: *Pannonii prope Dalmatiam habitant ad ipſum Iſtrum, à Norico ad Myſiam usque, quæ eſt in Europa.* Huic concinnentem produxi etiam *Strabonem* de iisdem metalibus inquientem. *Hæ ſunt Pannonum montanæ planicies verſus Danubium ad Dalmatas usque, verſus ſeptentrionem ad Iſtrum deſinentes.* Ad dignoſcendam porro *Scordiſcorum*, & *Tauriſcorum* habitationem pluribus expoſui *cap.* 23. *num.* 3. demonſtrando *ibidem num.* 4. limites *Pannoniæ* ex *Cluverio* ajente: *Limites Pannonia habuit ab occaſu Cetium montem, qui nunc Viennæ eminet, ab ortu Danubium, à meridie Dravum.* Ex quibus omnibus colligendum *ibidem* exiſtimavi: *Pannoniæ* metales ante *Romanorum* regimen fuiſſe *Regionem Norici*, *Danubium*, & *Dravum* fluvios, ubi & teſtem adduxi *Lucium* ſic diſſerentem: *Pannonii duobus ſaltibus, ac tribus fluviis Dravo Savo, Iſtroque vallantur.* Hos porro fluvios, nonniſi cum ſuis confluentiis limites *Pannoniæ* effeciſſe dixi *cap.* 19. *num.* 8. ubi & benevolum Lectorem ad *cap.* 20. *num.* 4. pro uberiori capienda metalium *Pannoniæ* informatione relegavi, ita tamen, ut & ea, quæ eodem cap. 23. *num.* 5. 6. 7. 8. 9. & 10. utpote ſcopo, & fini meo non modicum deſervitura, perpenſiculatius conſiderare non omittat.

III. Abſoluta, ut arbitror, optima Metarum *Pannoniæ* determinatione, progrediendum mihi eſt ad reviſionem finium *Dalmatiæ*, ita quidem, ut & hi reſpectu Pannoniæ, nonniſi eidem conterminentur. Faxo pro poſſe, non mea, ſed *Hiſtoricorum*, & *Geographorum*, fide digniſſimorum, manuductione incitatus. Dixi *cap.* 16. *num.* 4. Primos *Dalmatas* arctos nimium terminos ſui territorii poſſediſſe, variis tamen poſtmodum caſibus

Digitized by Google

ſibus, ſucceſſibusque proſperis dilatati tempore ſtabilitæ *Monarchiæ Romanæ* terminos limitum ſuorum ad *Titium*, & *Drinum* flumina, dein etiam à *Mari Adriatico* usque *Pannonias* extenderunt, *Dalmatiam* namque *Pannoniæ* conterminam fuiſſe ipſemet *S. Hieronymus* clare expreſſit; dum Patriam ſuam oppidum *Stridon* confinium *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* extitiſſe ſcripſit. Ex *Itinerario* porro *Antonini* retuli *cap.* 19. *num.* 2. binas fuiſſe *Dalmatias*, quarum unam *Strabo Maritimam*, alteram *Mediterraneam vocat*: *Lucius* vero illam *Cismontanam*, hanc *Ultramontanam* appellat. Eodem *cap.* 19. *num.* 3. inſinuavi *Lucium* ex *Ptolomæi* ſententia clare percepiſſe *Dalmatiam* usque *Savum* fluvium temporibus *Octaviani Augusti* dilatatam fuiſſe, conſequenter *Ratkaium* bene intellexiſſe, dum Hiſtoriæ ſuæ *lib.* 2. *Strabonis Dalmatiam mediterraneam*, ſeu *Lucii Ultramontanam* pro moderna *Croatia*, ſeu *Slavonia* ſumpſit.

IV. Itidem *cap.* 19. *num.* 4. & 5. probavi multorum *Hiſtoricorum*, & *Geographorum* textibus *Dalmatiam* non tantum *Savum* usque, verum & ad *Dravum* extenſam extitiſſe: idque confirmo primo ex *cap.* 18. *num.* 4. ubi enarravi Hiſtoriam *Belli Dalmatici* per *Octavianum Auguſtum* geſti, & de hoc citavi *Suetonium* dicentem: *Extrema bella duo omnino per ſe geſſit, Dalmaticum Adoleſcens adhuc &c.* Et paulo poſt; *Dalmatico etiam vulnera accepit &c.* Ubi ?. oſtendi *cap.* 31. *n.* 6. ex eodem *Suetonio* ajente: *Petovia urbe obſeſſa Barbarorum manus ingens in auxilium advenerat, quibus obvius Cæſar urbem ingredi prohibuit. Eo prælio lapide genu ſaucius per multos dies æger jacuit.* Ex quibus *Suetonii* verbis *loc. cit.* colligendum judicabam: *Petovium* etiam eo tum *Dalmatiæ* urbem, vel ad minus *Dalmatiæ* viciniſſimam fuiſſe: & quamvis hoc forte negari poſſet, *Dalmatiam* tamen jam eo tum *Dravum* usque protenſam extitiſſe innegabile eſt: ſiquidem bellum, de quo hic loci agitur; *Suetonius* nonniſi *Dalmaticum* nuncupet.

V. Retuli *cap.* 19. *num.* 6. ex *Ptolomæo* juxta *Dalmatiam* habitaſſe *Tricorneſios*, & *Mœſios*. Ubi *Don Joann. de Jordan* intelligere dixi *Dalmatiam magnam*, quæ non tantum *Dalmatiam maritimam*, ſed & *Mediterraneam*, hodiernam videlicet *Boſnam*, & partem *Serviæ* complectebatur. Idipſum deduxi ex *Jornande*, referente: *Qualiter Hunimundus* Dux *Suevorum* depredaverit *Dalmatas*, eo tum *Suevis*, in *Norico* habitantibus, vicinos. Ubi etiam expoſui, qualiter *Don Joan. de Jordan* id intelligendum exiſtimat: quod nimirum ſub nomine *Dalmatarum* complectatur *Jornandes* pro more ſui ævi, non tantum *Dalmatas* proprios, ſed & modernos *Carnos*, *Croatas*, *Liburnos*, *Japides* & *Boſnenſes*. Eodem *cap.* 19. *num.* 7. Enumeravi plures urbes caſtra, & loca modernæ *Croatiæ*, & *Slavoniæ*, quæ olim *Dalmatiæ* fuere, atque ex eo nomenclaturam *Illyrici* in Dalmaticam tranſiiſſe, obſervante id *Porphyrogenito*, & dicente: *Antiquitus igitur Dalmatia incipiebat à confiniis Dyrrachi, ſive Antibaris, & ad Iſtriæ confinia pertingebat. Ad latitudinem vero ad Danubium flumen ſe extendebat.* Sed hæc intelligenda veniunt eo modo, quo *cap.* & *num. cit.* explicata ſunt; quibus non modicum ſuffragantur ſcripta *Suetonii cap.* 18. *num.* 4. relata

VI. Indigitavi *cap.* 19. *num.* 8. Limites *Dalmatiæ* in confluentiis fluviorum *Danubii*, *Savi*, *Dravi*. Ubi etiam produxi *Ritterum* terminos *Dalmatiæ* extendentem ad ipſum fluvium *Muram*, uti & *Patrem Fuhrman* ejusdem opinionem confirmantem. Item: eodem *cap. num.* 9. reſolvi dubium *Lucii* dicentis: *Dalmatia ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur Dalmatiæ nomen retinuit*, reſolvi inquam authoritate *Plinii*, qui

Digitized by Google

Pannoniam limitavit *Danubio*, & *Scordiſcis*, quos inter *Savum Dravumque* habitaſſe *cap.* 17. *num.* 6. retuli. Item authoritate *Cluverii*, qui pariter *Pannoniam* inter *Cetium montem*, *Danubium* & *Dravum* locat. Oſtendi etiam *ibidem* ex ſcriptis S. *Hieronymi*, aliorumque *Geographorum* ſæpe fatam *Pannoniam* conterminam fuiſſe *Dalmatiæ*, conſequènter concluſi *Dalmatiæ* limites usque ad *Dravum*, ſi non usque ad *Muram* protenſos extitiſſe, *Donec Dalmatia* (ut *Lucius* aſſerit) *à Slavis tota occupata in Slavoniam, ſive Croatiam, Serviam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit.* Huc pertinent etiam univerſa ea, bene expendenda, quæ *cap.* 20. *num.* 1. 2. 3. 4. & 5. objectiones diluendo, recitavi.

VII. Dum *cap.* 29. *num.* 4. de *Illyrii* in Provincias diviſione diſſerui, dixi nomenclaturam *Pannoniæ* in *Dalmatiam mediterraneam* protenſam fuiſſe ex puro Dominantium, & Dividentium arbitrio, idipſum inſinuavi *cap.* 35. *num.* 2. cum de ſubdiviſione *Pannoniarum* egi. Ubi de *Savia*, quæ fuit intra *Savum* & *Dravum* notavi ſequentia ex *Lucio*. *Cum ergo Savia ſumenda ſit pro ea regione, quæ intra Savum, & Dravum flumina continetur, reliquum usque ad Adriaticum mare poſt Imperii diviſionem nomine Dalmatiæ, vel Dalmatarum cenſitum fuiſſe, dicendum eſt.* Ex quibus patet *Dalmatiæ* nomen nunquam in toto abolitum fuiſſe, imo ſucceſſu temporis illi parti, cui ademptum fuit, reſtitutum extitiſſe. Dum etenim *Illyricum* diviſum fuiſſet, in *Orientale*, & *Occidentale*, ut *cap.* 37. remonſtravi, *ibid.* etiam *num.* 4. expoſui, qualiter *Illyricum Orientale* proprium Præfectum obtinuerit, *Illyricum Occidentale* autem, in quo *Dalmatia* comprehendebatur, acceſſerit cæteris *Italiæ* Provinciis ab unico Præfecto *Italiæ* gubernandum; & ab eo tempore juxta aſſerta *Lucii* nomen *Illyrici Occidentalis* aboleſcere cœperit. Hinc eodem *cap.* 37. *num.* 5. oſtendi, qualiter eo tum *Dalmatia* à quibusdam *Byzantinis* ſcriptoribus pro *Italica* regione agnoſcebatur, & hac ex ratione quosdam S. *Hieronymum* non *Dalmatam*, ſed *Italum* ſuſpicatos fuiſſe.

VIII. Declaravi *cap.* 37. *num.* 8. & 9. qualiter *Imperii Romani* potentia diminuta, non tantum *Illyricum Orientale* ab *Imperio* avulſum in diverſarum nationum poteſtatem devenerit, verum etiam *Illyricum Occidentale* totaliter diſciſſum à diverſis pariter nationibus, ſignanter *Slavo-Gothis*, & *Slavo-Sarmatis* occupatam extiterit. Ubi etiam prolixiores *Lucii* lucubrationes, bene notandas, produxi, quibus contendit, antiqua quidem nomina Provinciarum *Illyrici Occidentalis* longiori tempore in uſu fuiſſe, *Dalmatiam* tamen ab *Illyrico* diſtingui cœpiſſe. Quidquid enim, *eodem Lucio* aſſerente, *Illyrici Occidentalis* ab exteris nationibus occupabatur, id plurimum *Dalmatiæ* readuniebatur: ita quidem, ut *Dalmatia*, declinante *Imperio Romano*, poſt paucum temporis ſpatium vetuſtos ſui diſtrictus limites *cap.* 19. & 20. definitos, cum nomenclatura quoque ſua reobtinuerit. Atque ideo *Illyricum Occidentale* totum quantum apud *Conſtantinopolitanos* ſcriptores pro *Dalmatia* ſumebatur. Optime igitur *Lucium cap.* 37. *num.* 10. produxi, dicentem: *Dalmatia ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit: donec à Slavis tota occupata in Slavoniam, ſeu Croatiam, Serviam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit.*

IX. Plurium ſcriptorum de *veteri Dalmatia* adduxi textus *cap.* 20. *n.* 6. ut *Cholini* aſſerentis: *Dalmatia Regio juxta Illyricum inter Pannonias, & Macedoniam, quæ nunc Slavonia dicitur.* Item *Porphyrogeniti* dicentis: *Chrobati, qui nunc Dalmatiæ partes incolunt.* Item *Thomæ Archi-Diaconi Spalaten.* ſcribentis: *Dalmatia dicebatur olim*

largius; cenſebatur enim cum Croatia una Provincia. Atque *Marci Maruli* inquientis: *Miſit (Stroilus) cum parte exercitus filium ſuum Sevioladum ad Dalmatiam mediterraneam, quæ nunc Croatia dicitur.* Præterea *Lucii* primo loco differentis: *Dalmatia à Croatis, & Serviis tota ferme occupata, Servia, & Croatia nuncupari cœpit, præter maritima quædam oppida continentis, quæ cum Inſulis Dalmatarum nomen retinuere.* Item *ejusdem* ſecundo loco dicentis: *Totius ergo Croatiæ nomine comprehendebatur Dalmatia occidentalis tam maritima, quam mediterranea.* Item *ejusdem Lucii* tertio loco profitentis: *Slavos qui Dalmatiam occuparunt Croatos, & Serblos fuiſſe, à quibus deinde Croatia, & Serblia, ſeu Servia, & Slavonia ipſa Dalmatia dicta fuit.* Ac tandem *ſæpe fati Lucii* quarto loco inquientis: *Dalmatia in Orientalem, & Occidentalem diviſa, Orientalis Serviorum cenſebatur, Occidentalis vero Croatarum.*

X. Exteros quoque *cap. 20. num. 7.* produxi ſcriptores *Dalmatiam* olim *Dravum* usque extenſam fuiſſe atteſtantes. Et primo quidem *Freſcbottum Italum*, qui in ſuo opuſculo de *Dalmatia* Titulum *Capiti ſecundo* apponit ſequentem: *De Regibus Orientalis Dalmatiæ, alias Serviæ nominatæ.* Deinde *Capiti tertio* ſequentem: *De Regibus Occidentalis Dalmatiæ ſeu Croatiæ.* In quibus verificantur univerſi *Lucii* textus *num. præc.* recitati. Huic *Italo* ſubjunxi *Eginhartum Franconem*, & alterum pariter *Franconem*, ſed *Anonymum*, illum quidem Annalium *Franconiæ*, hunc vero vitæ *Ludovici Pii* ſcripotem; utrumque vero primo loco, ſub diverſis quantumvis terminis, eadem referentem: *Lindevitus, Siſcia civitate relicta, ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo ſe contulit.* Et mox de eodem *Lindevito* utrumque pariter ſequentia ſcribentem: *Quod relictis Sorabis, cum in Dalmatiam ad Lindemulum Avunculum, Bornæ Ducis in Croatia ſucceſſorem perveniſſet.* Additi *ibidem* horum textuum explanatorem *Lucium*, & reſpectu primi ſic differentem: *Lindevitum tunc metu exercitus Francorum ad Sorabos in Dalmatiam fugiſſe; id eſt: ad Serblos, qui Dalmatiæ partem Orientalem poſſidebant.* Reſpectu vero ſecundi taliter inquientem: *In Dalmatiam ad Lindemulum, Bornæ Ducis ſucceſſorem, id eſt: ex Serblia in Croatiam.* His ita recapitulatis, antequam genuinum oppidum *Stridon*, natale ſolum *S. Hieronymi* indigitetur, occaſione illius textus, quem ex *Lucio* produximus: *Dalmatia ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatia nomen retinuit, donec à Slavis tota occupata in Slavoniam, ſeu Croatiam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit.* Inquirendum venit: Quando, & qualiter hoc contigerit? Cui quæſito *cap. ſequ.* reſpondetur.

CAPUT XLIII.

De Nomenclaturæ Dalmatiæ ſuppreſſione, & iterata ejusdem reaſſumptione: nec non ipſius Dalmatiæ in Slavoniam, ſeu Croatiam, & ipſam Dalmatiam diſtinctione.

I. Dixi *cap. 29.* diviſionem *Illyrii* in Provincias ſub *Adriano* Imperatore circa A. C. 123. adeoque ante natum *S. Hieronymum* annis 118. inſtitutam fuiſſe, atque hujus diviſionis occaſione notabilem *Dalmatiæ* partem, ubi videlicet nunc *Croatia*, & *Slavonia* ſituantur, *Pannoniæ* adſcri-

Digitized by Google

ſcriptam extitiſſe, nullatenus tamen nomenclaturam ejusdem taliter à *Romanis* ſuppreſſam fuiſſe, quin ea incolis memoria excidiſſet. Hinc factum arbitror, quod *Dalmatia* poſt declinationem *Imperii*, quæ mox poſt natum *S. Hieronymum* ſub *Conſtantio* filio *Conſtantini Magni* circa A. C. 345. inchoata fuit, nullusque Imperatorum hanc, quamvis plures omnem in id operam adhibuerint, avertere potuit; civilibus namque bellis *Romanum Imperium* implicatum, viribusque exhauſtum ſub *Valentiniano*, & *Valente* Imperatoribus fines ejusdem circa A. C. 375. undique pulſabantur, præcipue in *Europæis* partibus. *Sarmatæ* namque transgreſſi *Danubium* noſtras *Pannonias*, in iisque incluſam *Dalmatiam* depopulabantur: has præterea infeſtabant *Rugi*, *Scyri*, *Heruli*, & vel maxime *Gothi*, ut ex ſequentibus patebit.

II. Præpotens olim, & ampla *Romanii Imperii* Regio *Dalmatia*, pars *Illyrii* nobiliſſima, id omne, juxta prævie dicta, quod *Danubio*, *Marique*, *Adriatico*, ab *Iſtriæ* finibus (ultima hæc *Italiæ* portio eſt) ad *Drinum* usque fluvium concluditur, complexa, declinante *Imperio Romano* vario Barbarorum jugo vexata, demum à *Gothis* in *Italia* dominantibus ſubacta, ac poſſeſſa fuit. Hi namque Ducibus *Alathæo*, & *Saphrach* ingreſſi *Pannonias*, quibus *Dalmatia* quoque *Mediterranea*, ſeu *Ultramontana* ab Imperatoribus *Romanis* adjuncta fuerat, expulſis inde, ſi qui fuere (quorum *cap. 38. num. 1.* memini) *Vandalis* illachrymandis cladibus prææmemoratas partes affecerunt, quas, cum mihi, ob ingentem harum copiam, barbaramque crudelitatem, deſcribere impoſſibile ſit, relego benevolum Lectorem ad *S. Hieronymi Epiſt. 3.* quam *Heliodoro* ſcripſit in hæc verba: *Viginti & amplius anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim, & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Vaſtant, trahunt, rapiunt: Matronæ, Virgines, & quidquid eſt Ingenuorum, & Nobilium corporum, ludibrio habiti, capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, & Clerici, ſubverſa Eccleſiæ, ad Altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſa reliquiæ: ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago.* Relego pariter Lectorem probum ad ejusdem *S. Doctoris* expoſitionem in *Oſeæ cap. 8.* Ubi hæc loquitur: *Hoc qui non credit accidiſſe populo Iſraël, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam, atque Pannoniam, omnemque terram, quæ à Propontide, & Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, & probabit cum hominibus animantia cuncta deficere.* Ex quibus textibus colligitur *Gothos* absque ulla miſericordia ſæviiſſe in omnes populos *Romanæ* ditioni ſubjectos, per conſequens etiam in *Sarmatas*, ſeu *Arcaragantes*, qui inter *Muram*, *Dravum*, & *Savum* fluvios habitabant, ex eo, quod arma pro *Romanis* contra eosdem *Gothos* levaverint, ut notat *Joan. de Jordan* Orig. Slav. *cap. 21. num.* 2. Adventum *Gothorum* in *Pannonias* ad A. C. 372. reponit *Szentivanius*: Sed opinioni meæ ſuffragatur probabilior *Pannoniæ* Chronologia à *Joanne Herold* conſcripta, Decadibusque *Bonfinii* adjuncta, in qua traditur *Vandalos* à *Gothis* expulſos fuiſſe *Pannonia*, ægrotante *Theodoſio* Imperatore; ægrotabat autem is, ut plures *Scriptores* habent, ad A. C. 381.

III. Verum an hoc tempore *Gothi* in utraque *Pannonia* ſedes fixerint? multi ſubdubitant: Ego potius ſto pro affirmativa, ſiquidem *Schönleben*, & *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par. 1. lib. 1. cap. 3.* referant, *Gothos* hac occaſione *Valeriam* & *Niſiderienſem Lacum* occupaſſe, *Petovienſem* quoque *Urbem* ruinaſſe, idque ipſum *Stridoni* oppido accidiſſe his verbis: *Tempore hoc Gothi ſub Ducibus Alathæo, & Saphrach oppidum Stridon natale ſolum D. Hieronymi, ſicut & civitatem Petovien-*

Digitized by Google

vienſem ruinarunt. Idipſum atteſtatur de ſua patria ipſe *D. Hieron.* explicando textum *Habacucb Prophetæ* multarum urbium ruinam, deſolationemque Provinciarum prædicentem, ajens: *Nonne boc impletum audivimus in noſtræ originis Regione, Pannoniæ finibus, atque Illyrii, ubi poſt varias barbarorum incurſiones ad tantam deſolationem eſt perventum, ut nec humana ibi manſerit creatura.* Ex his; quid à *Gothis* in *Pannoniis* actum ſit? eruditus Lector de facili nonniſi crudelia, cruentaque fuiſſe concludere poterit. *Gothi* hi lapſu temporis in duas turmas diviſi fuere, ſeque pars una *Viſigothos*, id eſt: *superiores* à *Slavico* nomine *Viſſi*, alias *Occidentales*, pars vero altera *Oſtrogothos*, id eſt: *Inferiores*, ſeu *Orientales* ab *Oſtok*, ſeu *Iſtok*, quod *Slavis* Orientem ſignificat, dixere, juxta *Orbinum pag. 111.* Præmemoratis *Gothis* ſucceſſerunt *Hunni* ex *Scythia* cum numeroſiſſimo exercitu prodeuntes Duce primum *Keva*, deinde *Bela*, & *Kadika*, his vero in prælio cum *Romanis* habito occumbentibus, *Attila* memoratas *Pannonias* expulſis Gothis occupantes circa A. C. 373. unde *Attila* fulminis inſtar *Europam* prope univerſam copiis ſuis, vel certe nominis ſui fama, terroreque pervagatus, imo reliquis ſibi gentibus aut adjunctis, aut perdomitis in ipſa *Romani Imperii* viſcera penetravit: Nec dubium quin *Orbis Dominam* urbem *Romam* evertiſſet, niſi Principum Apoſtolorum *Petri*, & *Pauli* minæ audenti vota, conatusque cohibuiſſent. Quare in *Pannoniam* tandem A. C. juxta *Brietium* 454. cum exercitu reverſus *Sicambriæ* (*Vetero-Budæ*) in nuptiali Thalamo mortem ſponſæ loco offendit, utpote fluxu ſanguinis è naribus ſubito erumpente extinctus: *Enſius*, *Megiſerus*, & *Bonfinius* tradunt *Attilam* è *Pannonia* per *Dalmatiam* profectum fuiſſe, indeque *Æmonam* veniſſe, & *Alpes Julias* transgreſſum vaſtata *Illyrici* ora *Aquilejam* obſediſſe. Ex quorum ſententia concludere licet, jam eo tum intra *Dravum*, & *Savum* fluvios nomen *Pannoniæ* abolitum extitiſſe, vetuſtumque *Dalmatiæ* reductum viguiſſe.

IV. Poſt obitum *Attilæ* ſubſecuta fuit aliquot nationum à filiis ejusdem pro Regno acriter ad invicem decertantibus, defectio, ut ſic in rebus adeo turbidis ſibi ſedes perquirerent, procurarentque. Hinc crudeli proprie ſtrage filius *Attilæ* inter ſe colliſis *Hunnorum* potior pars in *Scythiam*, paucis ad *Daciæ* montes remanentibus, *Siculisque* dictis, remeavit. *Heruli*, ſe è *Dalmatia* trans *Danubium* in modernam *Moraviam* transtulerunt. *Scyri* obtinuerunt *inferiorem Mœſiam*, utrisque his *Alani* mixti cohabitarunt. *Rugi* ſub *Flaccitheo* Rege Danubium transgreſſi in *Pannoniam ſuperiorem* ſeceſſerunt, ſeque circa *Vindobonam* (*Viennam*) collocarunt. *Gepides* vero, quos *Jornandes* pro *Gothis* exiſtimat, qui pariter cum *Ardarico* Rege *Attilæ* adhæſerant, derelictas in *Dacia ripenſi* ſedes cum *Pannonia inferiori* ſibi rurſus vendicarunt circa A. C. 459. Quod hoc tempore nomen *Pannoniæ Saviæ* abolitum, *Dalmatiæque* in ea renatum fuerit, probatur ex *Procopio* de Bello Gothico *lib. 1.* Ubi de *Gepidibus* diſcurrens, ſic loquitur: *Gepides inſuper Sirmium Urbem, & alias Dalmatiæ civitates majorem in partem præoccupantes tenebant.* Item idem in *Orat. Longobardor.* ad Imperatorem refert: *Gepides, Imperator! Sirmium habent, Romanos in ſervitutem abducunt, & univerſam Dalmatiam ſui ſe juris feciſſe jactant.* Præterea in *Orat. Gepidar.* inquit: *Proinde prædones iſti Sirmium oppidum, & cætera Dalmatiæ loca, belli vobis cauſam prætendunt.* Ex quibus textibus clare colligitur, temporibus *Gepidarum*, *Dalmatiam*, quæ per aliquot annorum decurſum de arbitrio *Romanorum* dominantium *Pannoniæ inferioris*, & *Savia* in ſpecie nomine ap-

pellabatur, denuo usque ad *Danubium*, *Dravumque*, imo & ipſam *Muram* fluvios productam extitiſſe. His ſubſcribit *Lucius 1. lib. 1. cap. 7.* dicens: *Declinante Imperio Romano Dalmatia à variis barbaris vexata fuit, extincto vero Occidentali, quamvis Herulis, & Gothis Italiam dominantibus, ſubdita, nomen tamen Dalmatiæ retinuit.* Et paulo infra: *Licet à Gepidibus, Herulis, Hunnis, & Slavis depopulata, nihilominus nomen ſuum ſervavit.* Hinc eſt, quod *Lucius loc. cit.* quamvis ſubdubitans ſcribſerit: *Dalmatia ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit, donec à Slavis tota occupata in Slavoniam, & Croatiam, Serviam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit.*

V. Sed necdum bellorum ſatis in *Pannoniis*: nam has *Oſtrogothi* ſub *Athalarico* Rege, *Ardarico* Rege *Gepidarum* vel demortuo, vel prælio victo, & fugato ſui juris faciunt A. C. 454. atteſtante *Heroldo in Chron.* defuncto autem poſt paucum temporis *Oſtrogothorum* Rege *Athalarico*, filii ejus *Valamirus*, *Theodemirus*, & *Videmirus* pacifici jam *Pannoniarum* Domini, & Principes eas inter ſe partiuntur: *Valamir* pro ſe uſurpavit *Saviam*, ſeu hodiernam *inferiorem* & *ſuperiorem Slavoniam.* Deinde *Theodemirus* locavit ſe in *Pannonia prima* ad *Lacum Peiſonis*, hodie *Niſiderienſem* dictum, & ad ripas inferiores *Arabonis* fluvii. *Videmirus* tandem partem mediam inter fratres, nempe *Valeriam* Provinciam *Arabone*, *Danubio*, & *Dravo* incluſam nactus eſt. Horum tempore contigit actus ille *Hudnimundi* Ducis *Suevorum* contra *Dalmatas* attentatus, quem *cap. 19. n. 6.* Item; *cap. 42. num. 5.* retuli. Ex quo conjicitur, hoc tempore *Dalmatiam* ad *Dravi* ripam initium ſumpiſſe, limitesque ſuos usque ad *Mare Adriaticum* protendiſſe. Sed ut ad *Oſtrogothos* revertar, hi poſtquam *Allemannos*, & *Suevos* propter *Dalmatarum* ſpoliationem trucidaſſent, triennale bellum ſibi ab iisdem conciverunt; & quamvis contra hos celebrem *Oſtrogothi* reportaſſent victoriam, *Valemirus* tamen equo excuſſus hoſtili manu occubuit. Extincto dein totaliter in *Auguſtulo* Imperio Occidentali circa A. C. 476. *Videmirus*, ampliora ſe regna potiturum ſperans, receſſit è *Pannonia Hiſpanias*, & *Gallias* verſus, ibidemque ſibi, ſuisque Regnum ſtabilivit. *Theodemirus* à *Bulgaris*, quos *Onogunduros* ſcriptores *Byzantini* appellant, ſi *Jornandi*, *Cromero*, *Jovio*, & *Lucio* aſſentiri lubet, vel potius, & veroſimilius juxta *Porphyrogenitum* à *Patzinacis* è vicinis terris diffuſis armis infeſtatur, invictus tamen pulſis, fugatisque hoſtibus magnam *Dalmatiæ* partem occupavit, & juxta *Savum* fluvium regnare cœpit circa A. C. 477.

VI. Non diuturnum *Theodemiro* regnum fuit, ſequenti namque anno gravi morbo confectus *Theodoricum* filium cognomento *Amalum* ab *Oſtrogothis* exoptatum Regni hæredem declarat, atque ingraveſcente infirmitate vita excedit. Hoc intellecto *Zeno* Orientis Imperator advocatum ad ſe Regem *Theodoricum Amalum* gratiſſimo ſuſcepit animo, eumque inter proceres ſuos collocavit, adoptatumque in filium Conſulem creavit, denique quacunque eum potuit dignitate exornavit. Sed cum medio tempore *Odoacer* Rex *Herulorum* in moderna *Moravia* habitans, contra *Feletheum* Regem *Rugorum* in *Auſtria* hodierna, eo tum *ſuperiore Pannonia Vindobonæ* (*Viennæ*) reſidentem, arma corripuiſſet, eoque devicto *Pannoniam* integram, cum parte *Norici*, factus ſimul *Rugorum* Rex, occupaſſet; victoriis elatus *Alpes Julias* transgreſſus, *Italiam* inſtar fulminis pervadens *Oreſte* extincto, & *Auguſtulo* Romanorum Occidentalium Imperatore in exilium relegato, eam ſui juris facit A. C. 476. Regio duntaxat titu-

Digitized by Google

titulo contentus. Sed & in *Italia* quietis impatiens in *Dalmatiam* abſente *Theodorico Amalo* movet, eamque in ſuam redigit poteſtatem: ex *Dalmatia* in *Gallias* proficiſcitur, *Andegavos* obſidet, capit, & ſpoliat. *Allemannos* infeſtos *Italiæ* aggreditur, & ſub jugum mittit A.C. 480. Traducto dein A.C. 485. exercitu in *Pannoniam* redit, & *Feletheum* Regem *Rugorum*, qui *Pannonias* abſente *Odoacre* recuperaverat, aggreditur, eumque prælio vincit, deletisque *Rugis* cum *Giſa* uxore, & filio *Friderico* capit, *Romamque* in triumpho ducit, *Pannonia* cognato ſuo *Rudolpho* reſignata, A.C. 486.

VII. *Fridericus* filius *Feletbei* fuga elapſus *Roma* in *Thraciam* ad *Theodoricum Amalum* venit, ejusque adverſus *Odoacrem* iram exacuit. *Theodoricus* gloriæ *Odoacris* invidens, ſpeque illectus prædæ, qua ſuos *Oſtrogothos* (quos ad A.C. 487. inviſerat) videbat in dies fieri audentiores, ad profligandos *Herulos* ex *Italia*, eamque pro ſe occupandam animum adjecit. Clam igitur *Zenonem* Imperatorem adit, & exorat, ut *Italiam* in ſervitute *Odoacris* verſantem, imo totum *Imperium Occidentale* à fece gentium purgandum, ſibique aſſerendum mandet: & quia filii loco à *Zenone* adoptatus fuerat, haud iniquum futurum ajebat, ſi beneficio ſuo *Imperium Occidentale* ſumptibus *Gothicis* recuperatum, *Gothorum* quoque Regi potiundum permiſerit. Imperator ne juvenem ſibi amicum, & beneficiis delinitum, præterea magnanimum exacerbaret, annuit, ratus, fore ſatius recuperatam *Italiam* cum *Imperio Occidentali* adoptati filii nomine poſſideri, quam pati, ut perpetua exterarum gentium ſervitute prematur. Collecto proinde ingenti *Gothorum* exercitu, *Theodoricus* recta per *Dalmatiam* proficiſcens ferro ſibi in *Italiam* viam aperit, perruptisque *Alpium Juliarum* clauſtris, primum cum *Odoacre* conſeruit prælium ad *Sontium* fluvium, eumque cum *Herulis* in præcipitem egit fugam, fugientemque perſecutus eſt usque *Veronam* circa A.C. 489. hoc vero, vel ſequenti anno *Odoacer* evocatus *Verona* ad iterandum certamen, cum ſe inſtructa acie denuo ſiſteret, iterum victus, tertiamque tentandam fortunæ aleam ratus, tertio etiam congreſſu victoriam *Theodorico* cedens *Romam* profugit, ſed urbe à civibus excluſus *Ravennam* veniens ſe inter mœnia communivit. Victori interim *Theodorico* certatim ſe ſubdebant civitates, & Provinciæ, frequentes accurrebant populi, & diminuta *Odoacris* potentia, minuebatur in eum fides, & obſequium.

VIII. *Theodoricus*, jam totius pœne *Italiæ* Dominus *Odoacrem* ad *Ravennam* toto deinceps triennio obſeſſum tenebat: vice tamen quadam *Odoacer*, forti ex urbe eruptione facta, quartum confligit cum æmulo, ſed rurſus profligatus intra mœnia ſe recepit, & cum nullo ſtratagemate ſe proficere poſſe ſenſiſſet, intellexiſſetque *Theodoricum* Regem *Italiæ*, ita ipſa optante *Italia*, effectum eſſe; præterea *Dalmatiam*, *Pannoniam*, *Noricum*, & *Siciliam* ſuo ſubjeciſſe imperio, ſe ipſum vero fame, & bello quotidie vexari, per Legatos ab hoſte veniam poſtulat, quam ſi impetraret, ſe *Theodoricum* in *Italici* Regni ſocietatem admiſſurum pollicetur. Impetratur hac conditione pax, obſidioque *Ravennæ* ſolvitur, atque dum de partibus Regni, quis, cui præeſſe debeat? tranſigitur, *Odoacer* à *Theodorico* in amicitiam receptus, convivio excipitur, in quo una cum filio perfide à Sicariis interimitur cum in *Italia* annis regnaſſet 17. *Theodoricus* Princeps omni encomio, niſi ſe perfidia in occiſione *Odoacris*, & *Ariani* dogmatibus commaculaſſet, meritiſſimus, ipſemet *Italiæ*, & *Siciliæ* exactis *Herulis* Regna adeptus, omni-

Digitized by Google

que metu liber Regalem induit habitum, ſeque Regem (*Imperatoris*, & *Auguſti* titulo abſtinens) proclamari fecit A. C. 494. Et ne in hoc contrarium ſibi *Anaſtaſium* Imperatorem Orientis experiri cogatur (*Zeno* namque jam obierat) ad ipſum Legatos, pacem, regniq; ſtabilitatem petituros mittit, quos Imperator honorifice ſuſcepit, eorumque poſtulatis gratum aſſenſum præbuit. Hic jam quæritur: An *Theodoricus Amalus* hac occaſione effectus etiam fuerit Rex *Pannoniæ*, *Norici*, & *Dalmatiæ*? De *Pannonia*, & *Norico*, utut ſit: De *Dalmatia*, ſi fides *Kalendariis* pluribus, ſignanter *Tyrnavienſi* adhibenda eſt, pro affirmativa ſtandum judicarem ex *Procopio l. 1. c. 15.* cui ſubſcribit **Grafheiden** in ſerie *Regum Italiæ* Tit. *Reges Gothi* & *Joan. de Jordan.* Appar. Hiſt. *ſect. 53. num. 773.* Et ſi *Kalendaria Tyrnavienſe*, ac *Zagrabienſe* ſpectamus, idipſum anni hujus, quo hæc ſcribo, 1749. à principio Regni *Dalmatiæ* numerat annos 1249. ex quo, ſupputatione facta, decerni deberet, Regiam dignitatem in *Dalmatiam* A. C. 500. conſequenter ab ipſo *Theodorico Amalo* introductam fuiſſe, ipſumque eundem primum *Dalmatiæ* Regem extitiſſe. Sed cum huic opinioni contradicant Hiſtorici non ſolum Patrii, ut *Diocleas*, *Marulus*, & *Orbinus*, verum etiam exteri, ut *Freſchottus*, & *Foreſti*, ſcribentes circa A. C. 540. primum *Dalmatiæ* Regem *Oſtroillum* creatum fuiſſe, ego quoque nihil definio, præſertim cum *Lucius lib. 1. cap. 7.* tradat, *Dalmatiam* poſt obitum *Theodorici* in poteſtatem *Romani Imperii* rediiſſe, nomenque ſuum, ut *cap. hoc num.* 1. ex eodem *Lucio* dixi, retinuiſſe; quod uberius ex ejusdem *Lucii* textu *lib. 1. cap. 6.* probatur: *Recuperata Illyrici parte occidentali à Gothis poſſeſſa, quamvis Norici, Pannoniarum, Saviæ, Liburniæ, & Dalmatiæ mentio reperiatur, cæteris tamen in deſuetudinem abeuntibus, ſola Dalmatia antiquum nomen ſingulare retinuit.*

IX. Sed eſto *Dalmatia* poſt obitum *Theodorici Amali* in poteſtatem *Romani Imperii* aſſerta fuerit, non diu tamen nomen ſuum ex integro retinere potuit; medio namque tempore, quo *Amalus* ab *Herulis* vindicabat *Italiam*, id eſt: circa A. C. 527. *Longobardi* in *Pannoniam* incolis deſtitutam venere, inde A. C. 567. à *Narſete* exciti in *Italiam*, ubi Longobardorum Regnum auſpicati ſunt, *Hunnis* ab *Avare* Rege *Avaribus* nuncupatis, qui priores *Hunnorum Attilianorum* ſedes repetebant, *Pannoniam* relinquunt, A. C. 568. quam *Avares* deinde *Hunavariam* nominarunt, qui collectis, & aſſumptis in belli ſocios *Slavis*, qui hinc inde ex *Illyrico*, & *Dalmatia* diſperſi fuerant, & qui recenter ex *Scythia* una cum *Hunnis* advenerant, ut *Otrokocſius* Origin. Hung. *cap. 2. num. 10.* tradit, ubi eosdem *Slavos* dicit reliquias fuiſſe *Vinidorum* qui cis, & ultra *Tanaim* in *Scythia* olim habitabant, ſæpius adverſo Marte cum *Romanis* præliati, A. C. circiter 600. à *Commentiolo* Duce *Heraclii* Imperatoris ex *Pannonia*, ſeu *Hunavaria* immani ſtrage, & clade ſternuntur, ut pauci adeo remanſerint, iique relicta *Hunnavaria* novas ſibi ſedes inquirere cogerentur. Sub eadem tempora *Oſtroilus*, ſeu *Oſtrivojus*, & *Totila* natione *Slavo-Gothi* circa A. C. 540. ex *Moldavia* moderna, quam *Hübnerus* ſuæ Geograph. *par. 2. cap. 3.* *Gothiam* olim à *Gothis* populis dictam fuiſſe aſſerit, ingenti cum exercitu prodeuntes, in *Dalmatiam* primo *Ciſmontanam*, ſeu *Maritimam* deſcenderunt, eamque deprædando, ac *Dalmatas* acrioribus præliis fundendo, atque fugando ſui juris fecerunt, *Oſtroilumque* Regem *Dalmatiæ* conſtituerunt, *Totila* in *Italiam* tranſeunte, ibidemque *Italiæ* Regnum ſibi uſurpante. *Oſtroilus* volens

Digitized by Google

lens *Dalmatas Ciſmontanos*, ſeu *Maritimos* in officio conſervare, ſua eos præſentia ad fidelitatem corroborabat, ut autem *Dalmatiam Ultramontanam*, ſeu *Mediterraneam* ſuæ juriſdictioni ſubjicere queat, miſit cum exercitu filium ſuum *Sueoladum*, qui deſiderio Patris ſui ſatisfacere volens, id quod Pater cupiebat, filius feliciter executus eſt, taliterque *Oſtroilus* uterque *Dalmatiæ* Rex effectus, poſt obitum quoque ſuum eundem Regium titulum filio ſuo *Sueolado* reliquit, juxta *Presbyterum Diocleatem*, & *Marcum Marulum*; atque ab hoc tempore *Dalmatia* propriis Regibus ſuberat, ultimo ad clavum ſedente *Demetrio Zvonimiro*, quo fatis ſine liberis cedente, *D. Ladislaus*, vel optimatum delectione, ut quidam arbitrantur, vel ut alii contendunt, Teſtamento *Lepæ* ſororis, Regnum hoc cum *Croatia*, & *Slavonia* (ut uberius poſtea de his diſſeremus) in nomen Imperii *Hungarici* ad A. C. 1091. adſcripſit. Tempore porro, quo *Oſtroilus Dalmatiam* occupaveret, *Dalmatia*, ut *Conſtantinus Porphyrog.* lib. de Adminiſtr. Imp. *cap.* 30. notavit, complectebatur in longitudinem oram maritimam, quæ à *Dyrrachii* confiniis, & ab *Antibari*, ad montes usque *Iſtriæ* protenditur; in latitudinem vero, regiones illas omnes, quæ ab eadem ora maritima ad *Danubium*, & *Savum* fluvios porriguntur.

X. Devoluta *Dalmatia* ad Coronam Regni *Hungariæ*, multa à Regibus *Hungariæ* adverſus *Venetos* pro ea conſervanda geſta ſunt bella. Primum enim *Colomannus* nepos *D. Ladislai*, & in ſolio ſucceſſor, Provinciam univerſam à defectione ad *Venetos* facta feliciter revocavit, fœdere hac ſuper re cum *Republica Veneta* in perpetuum inito, quo tamen mox rupto, novas in *Dalmatiam* ſuppetias duxit, profligatoque *Ordelapho* exercitus *Veneti* Duce, *Dalmatiam* rurſus ad obſequium, fidemque reduxit. *Ludovicus I.* deinde ejusdem *Dalmatiæ* cauſa bellum in *Venetos* movit, accitoque in belli ſocietatem *Leopoldo* Duce *Auſtriæ*, hinc *Dalmatiam*, inde *Iſtriam*, ac *Forum Julium* magno cum exercitu invaſit, *Venetosque* ad reſtituendam ſibi *Dalmatiam* coëgit. Huic proxime *Sigismundus* Rex, idemque Imperator in eosdem *Venetos* pro retinenda, atque integre recuperanda *Dalmatia*, iteratis vicibus bellum ſuſcepit, ac varia fortuna geſſit: ultimatim tamen *Dalmatia* partim *Venetis*, partim *Turcis* ceſſit, cum plerisque etiam ejusdem *Dalmatiæ*, & *Croatiæ maritimæ* Inſulis. Anguſtioribus, atque olim Regio hæc limitibus definita, in longum 40. duntaxat milliaria Germanica, in latum vero nonniſi 20. circiter complectitur. Atque hæc eſt moderna *Dalmatia*, quæ veterem amplitudinem ſuam, cum amiſſione nomenclaturæ, conſtringere coacta eſt. In aſſignandis porro *Dalmatiæ* præſentis, prouti & *Croatiæ*, ac *Slavoniæ* limitibus multum diſcrepant *Scriptores*, idque ex eo vel maxime accidit, quod eosdem fere ſemper *Croatia* cum *Dalmatia*, & *Slavonia* nacta Reges, certis vix unquam finibus circumſcripta fuerit. Pro moderno quidem tempere *Dalmatia* ab occaſu *Iſtria*, à Septentrione *Croatia*, & *Boſna*, ab Oriente *Servia*, *Bulgaria*, & *Macedonia*, perpetua fere montium ſerie, ac tandem à Meridie *Sinu Adriatico* coërcetur: Regibus *Hungariæ*, ſeu quod ignari eſſent terminorum antiquorum, ſeu quod eos neglectui haberent, pro poteſtate, ac libidine ſua omnis *Ora Maritima* ab agro *Raguſano*, ad arcem usque *Terſaticam* dicta eſt *Dalmatia*, ſed non bene ut infra *num.* 17. patebit. Interiora ejus *Aſiaticus* ſibi Prædator *Turca* vendicat, *Ora maritima* paret *Veneto*, *Respublica Raguſana* ſuis legibus vivit, partim *Turcæ*, partim *Veneto* plerumque ratione portuum maritimorum vectigalis.

XI. Verum *Dalmatia Magna* ſupra pluribus vicibus, quoad limites ſuos circumſcripta, ob continuos bellorum motus incolis quaſi evacuata, eam varii *Slavonicæ* nationis populi occupavere: & primo quidem *Slavo-Sarmatæ*, ſive illi *Limigantes* fuerint, ſive *Venedi*, aut *Anthæ* trajecto *Iſtro*, in *Illyricum* tranſiere ſub *Juſtiniano* Imperatore, & profligato apud *Adrianopolim Romanorum* exercitu *Conſtantinopolim* usque graſſabantur: redeuntes dein in *Illyricum* ſub *Mauritio* Imperatore circa A. C. 600. eam partem vetuſti *Illyrii* inſederunt, quæ hodie *Carniolia*, *Styria*, *Carinthia*, *Iſtria*, *Vindorum Marchia*, & *Slavonia* (olim primo *Dalmatia*, dein *Pannonia Savia* nuncupata) dicitur, ac *Samonem* natione *Francum* pro ſuo Rege crearunt, circa A. C. 625. juxta *Schönlebenium*, ſed verius juxta *Pagium* A. C. 633. atque in *Pannoniam ſuperiorem*, & *Marcomanniam*, id eſt: in modernam *Hungariam inferiorem*, *Auſtriam*, & *Moraviam* colonias ſuas cum Regno propagarunt. Succeſſu tamen temporis, vel maxime ſub *Carolo Magno* Imperii *Romani* Occidentalis Reſtauratore, *Slavi* hi, qui *Carnioliam*, *Styriam*, *Carinthiam*, & *Iſtriam incolebant*, armis debellati, *Romanoque* Imperio *Occidentali*, alias etiam *Germanico* dicto, ſubjugati, una cum diſtrictibus ſuis in *Carniolorum*, *Styrorum*, *Carinthorum*, & *Iſtriotarum* nomen tranſierunt, remanente unico *Dalmatiæ mediterraneæ* intra *Muram*, *Dravum*, & *Savum* ſituatæ diſtrictu, qui in *Slavoniæ*, & *Vindorum Marchiæ* nomenclaturam hac occaſione tranſiit. Hanc pariter *D. Ladislaus* eodem, quo *Dalmatiam* jure ſub Imperium ſuum accepiſſe fertur. At ſunt, qui *Slavoniæ* proprie talis nullam apud probatos *Scriptores* mentionem fieri, aſſeverant, niſi poſt A. C. 1105. ut *Pr. Timon* ex *Lucio* notat, cum nimirum in legitimum *Dalmatiæ* Regem inauguratus fuiſſet *Colomannus*, tunc quippe à communi *Slavorum* denominatione novum per *Hungaros* Regnum *Slavoniam* compellari cæpiſſe. Animadvertendum igitur monet *Timonius*: *Croatici* Regni partem, *Saviam* olim, & *Pannoniam interamnenſem*, poſt occupationem ab *Hungaris* dictam eſſe *Slavoniam*, quæ hodie quoque hoc nomen apud *Latinos* retinet. *Thomas Archi-Diac.* ipſe prætermiſſam à *D. Ladislao*, atque à *Colomanno* primo ſubactam teſtatur *Slavoniam*. Denique inuſitatum (ut ſupra *cap. 20. num. 7.* ex *Cærographia Hung.* memini) antiquis Regibus *Hungariæ* nomen *Regis Slavoniæ*, primum à *Mathia Corvino* Regiis titulis appoſitum. Quemadmodum autem nativis *Croatiæ* Regibus, ita & exteris ex *Hungaria* aſſumptis continuum pro *Vindorum Marchia*, quæ hodiedum *Slavonica* etiam appellatur, bellum cum *Germanis* Principibus vario marte geſtum eſt, usque dum à *Friderico IV.* Imperatore (ut ſcribit in *Geograph. Politica Joannes Pach lib. 5. tit. 51. §. 1.* poſt extinctum ad A. C. 1458. in *Ulrico* Comite *Cileæ*, in ipſa *Marchia*, *Croatia*, & *Slavonia* potentiſſimam familiam, *Slavis* violenter accepta, & *Styriæ inferiori* in exolutionem militum confiniariorum Generalatus *Varasdinenſis* incorporata fuit. Sed & ipſa *inferior Slavonia* poſt cladem *Mohachianam* rabie Turcarum depopulata Imperio *Ottomannico* in prædam, & Dominium ceſſit. Hæc tamen *Carolo VI.* Cæſari in acceptis referre debet, felicem ſe, fortunatamque eſſe, ut qui attritis ad *Petrivaradinum Turcarum* viribus, *Slavoniam* libertati, ſuisque limitibus ſub *Carlovicenſi* pace mutilatis reſtituit: ejus vero filiæ *Mariæ Thereſiæ* Reginæ Hungariæ, & ſimul Imperatrici, quæ agrum *inferioris Slavoniæ* in ternos diviſit Comitatus, eosque *ſuperiori Slavoniæ*, ac Regno *Croatiæ* reincorporavit. Cæterum plagam, quæ pro nunc ſtricte, & ex vero *Slavonia* nuncupatur, ab Oriente *Danubius*, ab Occidente *Vindorum Mar-*

Digitized by Google

Marchia, à Septentrione *Hungaria* cum *Dravi*, & *Muræ* tractu, à meridie *Servia*, *Boſna*, *Croatia*, ipſumque *Savi* flumen concludunt.

XII. Occaſione præmiſſæ de *Slavoniæ* Diſſertationis, occurrit mihi Lucubratio *P. Timonis* de quatuor Comitatibus *inferioris Slavoniæ*, ſub nomenclaturis *Sirmienſi*, *Valkonienſi*, *Poſegienſi*, & *Vörocenſi*. Qui hos in ſua *Antiqua*, & *Novæ Hungariæ* imagine Typis *Caſſovienſibus* A.C. 1733. edita Regno *Slavoniæ* abjudicat, eſſeque proprie Regni *Hungariæ* partes, adſtruere nititur: Partes has *Illyricum Hungaricum* compellando, nec ſatis modeſte *Oſcitantes* compellat *Hungaricos* illos *Scriptores*, qui *Slavoniæ* Regno eos adſcripſerunt. Ego nullarum diſputationum amans, quod veritatis eſt, quaſi inter *Parenthesim*, non modice, ſed de neceſſe, longiorem futuram, Lectori benevolo propono, & dico: *Timonium*, quod allegat de *inferiori Slavonia* ac *Illyricum Hungaricum* appellitans, facile convincitur, illuſtraturque ex *Strabone* de *Illyride*: Item ex *Ptolomæo* de *ſuperiori*, & *inferiori Pannonia*. Præterea ex *Plinio* de *Pannoniæ* populis, prouti & ex aliis *Authoribus*. Ex his enim certum eruitur, modernam *Slavoniam* pertinuiſſe ad *Magnum* Regnum *Illyricum*, quod in ſe continebat 17. Provincias, idque ſic late ſumptum: in ſpecie autem pertinebat ad *Pannoniam*, ac ideo, cum intra *Dravum*, & *Savum* fluvios ſituata ſit, vocabatur *Pannonia Interamnenſis*: & hoc quidem florente *Romanorum* Imperio, tempore nempe antiquiſſimo. Poſtea vero declinante Imperio *Romanorum* quinto Sæculo Chriſti, tempore migrationis gentium, quando pars illa à *Venedis*, ſeu *Slavis* fuit obtenta, & reliquæ partes tam *Superioris*, quam *inferioris Pannoniæ* ab *Hunnis* fuerant occupatæ, tunc tandem *Pannonia Interamnenſis* fuit appellata *Slavonia*: *Pannonia* vero reſidua dicta fuit Hungaria. Sicque dum jam *Slavi* una vice *Hunnis*, & verſa vice alia *Hunni Slavis*, præſertim ſub *Samone* Rege, vindicatore gentis *Slavonicæ* ſubditi erant; quæ omnia peregregie *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par. 1. lib. 1. cap. 6. pertractat.*

XIII. Sed ne abſque ratione *Timonium* critizare videamur, expendamus, quibus is rationibus, & fundamentis præmemoratos quatuor *Slavoniæ inferioris*, Comitatus adjudicare nitatur. I. Nititur Authoritate *Steph. Vörbeczii*, qui in Catalogo Comitatuum adnexo *Operi Tripartito* Legum *Hungaricarum*, illos inter Comitatus *Hungariæ* recenſet. II. Allegat *Steph. Brodericii* Epiſcopi *Vacienſis* teſtimonium, qui in deſcriptione Cladis *Mohachianæ*, civitates *Valconem*, *Poſegam*, & *Sirmium* divellit à *Slavonia*, adſcribitque *Hungariæ*. III. Allegat binas leges Regni, videlicet: Articulum 7. Anni 1478. ubi dum certum ſtatuum Regni conderetur Decretum, inter quoſdam ibi numeratos *Hungariæ* Comitatus, immiſcerentur etiam Comitatus *Poſeganus*, *Valkonenſis*, & *Sirmienſis*. Similiter Art. 16. Anni 1498. IV. Affert: Quod Collegio Canonicorum *Boſnenſi* data ſit facultas in toto Regno Executiones juridiciales peragendi, inſtar Capituli *Budenſis* Art. 12. Anni 1498. Id vero Capitulum habuit ſedem *Diacova*, in Regione *Valkonenſi*, conſequenter hæc pertinet ad Regnum *Hungariæ*. Nam ſubdit *P. Timon*: Nomine Regni ſumitur tantum Regnum *Hungariæ*, alia vero Regna vocantur, *Partes ſubjectæ*, vel, ut quidam perperam aſſerunt: *Partes obnoxiæ*. V. Adducit *cap. 17. Nicolaum Iſthuanfium*, & *Gregorium Pethëonem*, qui in ſua Hiſtoria pro certo habent, *Slavoniæ* Regnum tribus tractibus *Zagrabienſi*, *Crisienſi*, & *Varasdinenſi* definiri. VI. Eodem *cap. 17.* arguit, ex eo Proceres *Slavoniæ* in Conſtitutionibus ſuis A. C. 1538. conditis, pror-

Digitized by Google

prorſus tacuiſſe de *Poſega*, quamvis non longe diſtante à *Velika*, ad quam commeatum pro defendendo Regno ſubvehebant. Hæc ſunt *Timonii* Argumenta.

XIV. Sed levia hæc, & partim frivola ſunt, taliaque eſſe probantur ſequentibus. I. Authoritas *Vörbeczii* (quem *virum factioſum* nominat *Iſtſanfius lib. 4. pag. 52.* & rurſus *lib. 14. pag. 243.* inquit: *Vitam perpetuis factionibus alendis exercuiſſe*) ex eo corruit, quod ſatis conſtet ipſius *Catalogos* pluribus manifeſtis erroribus ſcatere. Recenſet namque inter *Hungaricos* etiam *Verocenſem* Comitatum, quem poſtea oſtendemus pertinuiſſe ad *Slavoniam*, & juriſdictioni Bannorum *Slavoniæ* ſubfuiſſe. Præterea in *Catalogis Epiſcoporum* multos habet errores, quorum nonnullos correxit *P. Szentivanius* in Diſſert.Paralip. *Cat. 12. & ſeq.* Similiter in Vitis Regnum, quas eorum *Decretis* præfigit, non raro hallucinatur, uti de Epiſcopatu *Colomanni*, quod ſolide refellit *P. Ladisl. Turoczii* in Hungaria compendio data *pag. 145.* Tandem, quia *Vörbeczio*, quantum dictos quatuor Comitatus concernit, *alii* quoque præclariſſimi *ſcriptores*, & quidem *Hungari*, quos infra adducemus, contradicunt. II. Teſtimonium *Broderici* pluribus *aliorum* in oppoſitum teſtimoniis refellitur: & inſuper vacillare teſtimonium ejus inde etiam liquet: nam *ibidem* dicit: *Hungariam* ab *Auſtria* diſterminari radicibus *Cetii Montis* ad *Viennam*, ut proinde ſequeretur, ipſam quoque *Viennam*, & alia *Auſtriæ* oppida verſus *Poſonium* occurrentia, eſſe proprie *Hungariæ*; quod omnino fallit. III. Leges illæ *Articulares*, in quibus potiſſimum videtur robur ponere *Timonius*, nihil probant. Nam ſi illa permixtio Comitatuum in *citatis Articulis* probarent intentum *Timonii*, ſequeretur eadem ratione dicendum: Quod Epiſcopatus *Zagrabienſis*, ſit proprie Epiſcopatus *Hungaricus*; & *Zagrabia* civitas *Hungariæ*; & *Corbavia* Comitatus *Hungaricus*. Nam in *Decreto 3. Uladislai Art. 20. An.* 1498. inter alios *Hungariæ* Epiſcopos ad danda *Banderia* ſpecificatos, ponitur etiam *Zagrabienſis*: & *ibid.* inter Barones Regni *exercituare* obligatos, numerantur *Comites* de *Corbavia*, additurque: *In hoc Regno*, ſcilicet *Hungaria*. Rurſus *Art. 38. Anni* 1498. inter civitates varias *Hungaricas* immiſcetur etiam *Mons Græciæ*, id eſt: *Zagrabia* (hanc enim intelligi patet ex *Art. 7. An.* 1572.) at ſequella omnino falſa eſt. Non ergo illæ faciunt ad propoſitum *Timonis*, ſed oporteret alia clariora fundamenta adferre, ut *Slavonica* olim ditiones ab ea avellantur. IV. Quod adducit *P. Timon* frivolum eſt: Nam illud *Capitulum* perinde, ac *Budenſe*, habuit olim ſuam activitatem non ſolum in *Hungaria* proprie dicta, ſed etiam in *partibus annexis*, ut habet *P. Szegedii* in ſuo Tripartito Tyrocinii juris *par. 2. Tit. 21. §. 10.* adeoque inde non infertur, quod *Sedes* ejus *Capituli* ſit potius in *Hungaria* proprie dicta, quam in *partibus annexis.* Illud deinde impertinenter *Timon*: quod alia Regna vocentur: *Partes ſubjectæ*; cum vix ignoraverit ſæpius appellari: *Partes annexas*, uti in *Titulo* Articulorum Diætæ *Anni* 1715. Et *ibid.* in *Diplomate* Regio Confirmatorio. Similiter in *Titulo* Articulorum Diætæ *An.* 1723. V. In rem ſuam *Timon* adducit *Iſtſanfium*, ſed nec *Librum*, nec *Textum* citat ejuſdem, probabiliter non reperit ſatis ſibi faventem: & infra pluribus oſtendemus ab *Iſtſanfio Slavoniam* etiam *inferiorem Illyrico* annumerari. Quid autem *Petheo* ſcripſerit, cum *Hungarice* loquatur, mihi ignotum eſt: interim ejus opinio non præponderat plurimorum aliorum ſententiæ. VI. Illud ſilentium de *Poſega* nihil fulcit opinionem *Timonis*, quia *Poſega à Turcis* fuit occupata A. C. 1526. ut habet *Viteznovich*

vicb in Chron. Croat. Et iterum A. C. 1537. ut ſcribit *Iſtfanfius lib.* 13. & *Joan. Kazii* in ſuo brev. Comment. ad *Ann. eund.* Unde non poterat Conventus ille Procerum *Criſii* congregatorum *Poſegam* pro commeatu invehendo deſignare; ſed alia loca deligere oportuit, nondum *Turcis* obnoxia, ut erant *Velika*, *Verocze*, & *Ujudvár*. Hoc poſterius vel fuit *Nova Curia*, ſeu Abbatia illa *Crucigerorum*, ſupra *Chaktornyam* (de qua infra *cap.* 49. *num.* 14. acturi ſumus) vel vero oppidum *Novi Grad* prope *Capronczam*.

XV. Noſtra jam fundamenta damus, quod præmemorati quatuor Comitatus proprie ad Regnum *Slavoniæ* ſpectent. Nam I. *Geographi* paſſim illos *Slavoniæ* adſcribunt, uti *P. Mich. Bombardii* in Topograph. magni Regni Hung. *pag.* 241. & 246. Item Author *Synopſis Geographicæ* totius Globi Terraquei A. C. 1721. *Gracii* editæ; qui *cap.* 7. in *Slavonia* locat *Eſſekinum* olim *Murſiam majorem* dictam. Item *Chriſtoph. Weigl* in Mappa Geographica Hungariæ, & ſimiliter *Joan. Bapt. Hoffman*, *aliique*. Præterea *P. Greg. Kalb* in ſua Geographia Slavoniam dicit in ſua longitudine complecti milliaria 66. quod non ſubſiſteret, niſi ad eam pertinerent ſupranominati partium inferiorum Comitatus. II. Idem communiter aſſeverant Hiſtorici, non ſolum domeſti, ſeu *Illyrici*, uti *Rattkajus*, *Ritterus*, & *Piachevichius* &c. ſed etiam exteri, atque ipſi *Hungari*. Ita eruditiſſimus *P. Mart. Szentivanii* in Diſſert. Paralip. *Catal.* 4. Regno *Slavoniæ*, attribuit Comitatus *Sirmienſem*, *Valponenſem*, *Zagrabienſem*, *Criſienſem*, *Poſegienſem*, *Varadinenſem*, & *Verocenſem*. Idem facit *P. Sigm. Ruman* in Imagine Hungariæ A. C. 1721. *Caſſoviæ* edita. Et *P. Ladisl. Turoczii* in Hungaria compendio data, ubi accurate deſcribit omnes Hungariæ comitatus, ab iis tamen excludit omnes illos *Slavonicos*. Item Author *Cerographiæ* Regni Hungariæ *pag* 18. ait: *Dravum Hungariam à Slavonia ſeparare*, quod & *alii* paſſim habent: ac *Petrus Ranzanus* in Epit. rer. Hungaricar. *Indice* 1. inquit: *Quidquid agrorum eſt inter Dravum, & Savum, cognominari ab incolis Slavoniam.* III. *Iſtfanfius* Illuſtris *Hungariæ* Hiſtoricus pluribus locis *Slavoniam inferiorem* attribuit *Illyrico*. Sic *lib.* 8. *p.* 122. inquit: *Mobachium à meridie Dravi oſtia, & Illyrici partem, quæ Slavonia vocatur, reſpicit*: utique autem reſpicit *Slavoniam inferiorem*, & longe ſatis diſtat à *Superiori*. Item *lib.* 9. *pag.* 144. inter eos, qui factioni *Joan. Vojvodæ* in *Illyrico* adhærebant, numeratur *Marcius Comes Poſegæ*, *natione quidem Hungarus*, *ſed qui in Illyrico ſedem, & domicilium haberet.* Rurſus *lib.* 10. *pag.* 154. ait: *In parte Illyrici, quam hac tempeſtate Slavoniam vocari diximus. - - - Petrus Marcius Poſegæ, Valcovariique Comes.* IV. Quia Bannis *Slavoniæ*, vel pluribus, vel quandoque uni ſubfuiſſe etiam *inferiorem Slavoniam* conſtat ex pluribus Decretis Regum, in quibus aliqui ſpecialiter nominantur *Banni totius Slavoniæ*. Sic in Decreto *Ludovici I.* Anno 1351. nominatur *Stephanus* totius *Slavoniæ*, & *Croatiæ* Bannus. In Decreto *Sigismundi* Anno 1405. *Paulus Biſſenus*, & *Paulus de Peſt* nominantur *Dalmatiæ*, *Croatiæ* & totius *Slavoniæ* Banni. Nec ſubſiſtit, quod *Timon* ſupra *cit. cap.* 17. ait: Nomine *totius Slavoniæ* intellectum fuiſſe *Dalmatiam*, *Croatiam*, & *Slavoniam peculiarem*, nam præter Bañum *Slavoniæ* ſæpe alii diverſi erant Banni *Croatiæ* & *Dalmatiæ*. Ita in Decreto *Mariæ* Reginæ An. 1384. ponitur *Stephan. de Lindva* totius Regni *Slavoniæ* Bannus, alter vero *Templinus à S. Gregor.* Bannus *Dalmatiæ*, & *Croatiæ*. Item in Decreto *Sigismundi* Regis ſubſcribitur *Hermanus Cilejæ*, & *Zagoriæ* Comes, Bannus totius Regni Slavoniæ, diſtinctim vero *Joannes*, & *Stephanus* Regnorum *Dalmatiæ*, ac *Croatiæ*, ac *La-*

Digitized by Google

dis aus de Gara à parte *Machovienſis* Banni. Præterea *Stephanus de Loſoncz* Regni *Slavoniæ* Bannus A. C. 1387. *Dalmatiæ* vero, & *Croatiæ* Bannus *Dionyſius*, ut habetur in litteris *Sigismundi* pro Monaſterio Ordin. S. Pauli pr. Erem. *Remetenſi* ſupra *Zagrabiam*, confirmantibus donationem Villæ *Petruſſovecz &c.* Idem habetur in pluribus aliis Diplomatibus. V. Fuerunt nonnunquam ſpeciales conſtituti Banni, & deinde Duces *Sirmienſes*. Ita in *Decreto 6.* Regis *Matthiæ Corvini* Bannus *Sirmienſis* ponitur diſtinctim ab aliis Bannis. Et in *Decreto 2.* ejusdem Regis ponitur: *Honor Bannatus Sirmienſis vacans*. Alter autem, ſcilicet *Emericus de Zapolija* dicitur: *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* Bannus, nec additur: *Totius Slavoniæ*. Item mentio Bannatus *Sirmienſis* eſt in *Art. 8. Uladislai* ad A. C. 1492. Poſtea *Laurentius de Villak* Dux fuit *Sirmii*, ut memorat *Iſtſanfius lib. 1. pag. 6.* Et iterum *lib. 2. pag. 33.* & denique *lib. 7. pag. 105.* ad A. C. 1522. Adeoque ſignum eſt diviſam quidem fuiſſe Præfecturam, ſeu Bannatum *Slavoniæ* in diverſos, non autem avulſam à Regno *Slavoniæ*. VI. Quia licet ſubinde nomine *partium inferiorum* Regni *Hungariæ* accipiebantur Comitatus illi *inferioris Slavoniæ*, non ob id habebantur ut proprii *Hungarici*, ſed tanquam annexi Coronæ Regni *Hungariæ*: ſicut etiam quandoque partes *Croatiæ*, & *Dalmatiæ*. Ita in *Decreto 3. Matthiæ* Regis *Art. 6.* Anni 1471. dicitur: *Regni noſtri Caſtra finitima, in partibus ſcilicet ſuperioribus, & inferioribus, ſive in Regnis Slavoniæ, Dalmatiæ, & Croatiæ &c.* quibus verbis hæc Regna partes Regni Hungariæ nuncupantur. VII. Peculiariter de Comitatu *Verocenſi*, quod ſubfuerit jurisdictioni Regni *Slavoniæ*, ejusdemque Banni, conſtat aperte ex *Art. 14.* conſtitutionum *Criſienſium* (quæ *Tripartito* inſertæ ſunt) ibi enim ipſa urbs *Verocenſis* conſtituta pro loco invehendi commeatum pro militia Regni. Item *Ladislaus de Egervara Dalmatiæ, Croatiæ*, & *Slavoniæ* Bannus A. C. 1480. Mandatum dedit pro introductione Fratrum de *Dobrokutchya* in Poſſeſſionibus *Felsö*, & *Alsö Chernecz* Comitatus *Verocenſis*, ut teſtantur deſuper expeditæ litteræ Capituli *Chasmenſis*. Item Bannus *Franciſcus Batthianii* in comitiis ad oppidum *Racciam* celebratis, inter alios ad expeditionem caſtrenſem adeſſe juſſit è tractu, ſeu Comitatu *Verocenſi Joan. Banfium* cum ejusdem Comitatus copiis, uti fidem facit *Iſtſanfius lib. 8. pag. 119.* His denique accedit, quod *Art. 91.* Diætæ Anni 1715. in diſtrictu *Slavoniæ* ponantur Triceſimæ *Petrovaradinum*, *Szalankamen*, *Eſzekinum*, *Brod*, *Dubicza*, *&c.* Ex his itaque, aliisque pluribus paribus (quæ in plures phyleras congerere poſſemus, niſi prolixitate rerum nos odioſos redderemus) luculenter patet prætenſos à *Timonio* Comitatus nullatenus ad *Illyricum Hungaricum*, ſed ad *Illyricum Slavonicum* pertinere. Sed his, ut ſupra *num. 12.* ſub initium hujus diſſertationis memini, per *Parentheſim* longiori, quam exiſtimabam, lucubratione, pro rei veritate expiſcanda, expoſitis, regreſſum ad mea priora, de *Dalmatia* videlicet, in ipſam *Dalmatiam*, *Slavoniam*, & *Croatiam* ſubdiviſa regreſſum facio. Et ſiquidem de prioribus binis Regnis jam ſufficienter in præcedentibus *num. 10.* & 11. me egiſſe opiner, ad Regnum *Croatiæ tranſeo.*

XVI. *Slavos* in *Dalmatiam* ſubſecuti ſunt *Croatæ*, à *Græcis* dicti *Chrobâti*. De his ambiguum eſt, an ex remotiori aliqua, & extera tellure in *Illyricum* ſe effuderint? quod quidem opinatur *Cromerus* in Hiſt. Polon. & *Bombardius* Topograph. Hung. *par. 1. cap. 2. ſegm. 1. num. 7.* & *ſegm. 2. n. 4.* dum ſcribunt eos ex *Sarmatia* cum aliis *Slavicæ* propaginis gentibus profectos in *Illyrico* ſedes fixiſſe, & fortaſſe

taſſe cum *Gothis*, quos *Slavonici* generis fuiſſe tradit *Maurus Orbinus* de Regno Slavoniæ *pag.* 7. ex *Dubravio*, & *Paulo Jovio*. Item *Schönleben lib.* 5. *cap.* 7. §. 10. ex *Oroſio*, *Procopio*, & *Jornande*. An potius vetuſta, & dudum propria *Croatorum* ſedes fuerit in *Illyrico*, ſolumque aucti familiis magis inclaruerint ſub tempora *Heraclii* Imperatoris? Quod veroſimilius videtur, adſtipulante *Thoma Archi-Diac.* Hiſt. Salonitan. *cap.* 7. Item *Joanne Tomko* in vita *S. Ivani*, & *Paulo Ritter* in Croatia Rediviva, uti & *Joanne Beloſzteneсz* in ſuo Gazophilacio Verbo *Croata*. Nam & *Lucanus* Poëta (qui floruit primo Sæculo Chriſtiano) de *Curetibus* cecinit *l.* 4. *Pharſaliæ*, ſeu de *Bello Civili*.

Illic bellaci confiſus genti Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto.

Poëta hic ſub *Nerone* extinctus eſt, ut in ejus vita habet *Joan. Sulpitius* ejusdem *Pharſaliæ* interpres, qui præattactos duos verſus ſic exponit: *M. Antonius Legatus Cæſaris contra Pompejanos bellum gerens* (A. M. circiter 4005. ante Chriſtum natum An. 48. juxta Chronologiam *Saliani*, & *Bucellini*) *illi, qui olim Curetes, vel Chrobyſi dicebantur, paululum immutata voce, ut fieri aſſolet, poſtea Chrobati, & Croati appellati ſunt.* De his *Curetibus* egimus *cap.* 12. *num.* 7. item *cap.* 17. *num.* 11. Populos vero, qui *Chrobyſi* dicebantur, *Ptolom. cap.* 9. cum *Strabone lib.* 7. & *Herodoto lib.* 4. in *Illyrico* locat; aliqui eos adjungunt *Thracibus*, ut *Herodotus*, alii dicunt *Iſtri* accolas fuiſſe, ut *Plinius lib.* 4. *cap.* 14. Hi denique ſive à *Curetibus*, ſucceſſive per diſtrictum *Corbavienſem*, ut *Ritterus* notat, diffuſis, ſive à *Chrobyſis* ad *Iſtrum* fluvium incolentibus, his, vel illis, à quinque fratribus, ut *Conſtant. Porphyrog. cap.* 30. ſcribit, *Cluca*, *Lobelo*, *Conſente*, *Mulchone*, & *Chrobato*, duabusque ſororibus, *Tuga*, & *Buga* orti, ab *Albis Montibus* (qui vulgo *Babje Gore*, id eſt: *Vetulæ montes*, idiomate *Latino* vero *Bebii montes* dicuntur: quo nomine *Lucius lib.* 1. *cap.* 11. montes *Carpaticos* dividentes *Hungariam* à *Polonia* intelligit: ſed meo videri potius intelligendi eſſent *Bebii montes* per eos, quos *Bombardius* vocat *Marinari*, eosque *Hübnerus pag.* 224. pro *Scardo monte* interpretatur. *Bebii* porro *montes Plinio* ſunt *Garjavicza*, ut tradit *Iſtſanfius pag.* 211. Hos *Ortelius Tab.* 12. locat ad fontem *Titii* fluminis, protenditque ad confluentias *Savi*, & *Drini* amnium) progreſſi, eam partem *Dalmatiæ magnæ* occuparunt, quæ olim, quorundam opinione *Liburnia* in parte, & in parte *Japydia* dicebatur, id eſt: totum diſtrictum, qui à *Savo* fluvio verſus *Oras maritimas* porrigitur, eamque *Croatiam* nominarunt. Unde non bene quidam nomenclaturam hujus à *Valerio Corvino Meſſala*, Regis *Matthiæ* gentili, ut *Reva*, vel à *Croato*, ſeu *Chrobato*, quondam *Bulgarorum* Duce, ut *Theophanes Byzantinus*, derivant.

XVII. Hujus primæ *Croatiæ* limites *Porphyrogenitus cap.* 30. ſic deſcripſit: *A Zentina autem fluvio Chrobatia incipit, extenditurque verſus Mare ad Iſtriæ usque confinia, ſive Albonam urbem, verſus montana aliquatenus etiam ſupra Iſtriæ Thema excurrit; verſus Tzetinam, & Chlebna Serviæ regionem.* Generali partitione, ut *Bombardius* Topogr. Hung. *pag.* 31. ſcribit, dividebatur in *Maritimam*, *Mediterraneam*, & *Interamnenſem*, quæ eadem erat cum *Slavoniæ* Regno, *Mura*, *Dravo*, *Savoque* concluſo: atque hac de cauſa *Croatiæ*, & *Slavoniæ* nomen, ſicut olim (ut *cap.* 20. *num.* 7. memini) ita & modo æquivocum eſt, non tantum in ſcripturis, verum & in diſcurſibus tam familiaribus, quam realibus, ut innuit *Bombardius p.* 231. idem *pag.* 23. notat, *Slavos*, & inter eos Primores *Croatiæ* partes *Dalmatiæ*

magnæ occupaſſe Sæculo Chriſti ſexto, id eſt: intra A. C. 500. & 600. ex *Lucio lib.* 1. *cap.* 19. & *Cromero*: Unde ante tempora *Heraclii* Imperatoris eos has Regiones armis obtinuiſſe concludendum eſt, tametſi ſub *Heraclio*, pace cum eodem compoſita, ſtabiles ſedes, & jura Principatus adepti fuerint. Quinimo *Slavonicam* nationem, cujus pars *Croatæ* ſunt, circa A. C. 220. *Illyricum* intraſſe, ſcribit, *Freſchottus* lib. de Dalm. & Croat. item *Dubravius* in Hiſt. Bohem. Sed hoc intelligendum cenſerem de ingreſſu nationis præmemoratæ in *Illyricum* ſub nomenclatura *Slavonica*, nam pluribus antecedentibus ſæculis nationem eandem ſub diverſa nomenclatura in *Illyrico* conſtitiſſe remonſtravimus *cap.* 6. *num.* 3. item *cap.* 9. & 10. per totum, nec non *cap.* 12. *num.* 7. Sub initium adepti ſupradicti diſtrictus, *Croatas* Ducibus ſuæ nationis paruiſſe, ex pluribus Hiſtoricis conſtat, ſed cum à *Francis* devicti fuiſſent, jugumque eorum poſt modicum temporis intervallum excuſſiſſent, ſuo aliquantulum jure vixerunt, aſt denuo à *Carolo Magno* ſeptennali bello ſubjugati, Chriſtianique effecti domeſticos iterum Duces, ut Feudatarios habere permiſſi ſunt, quorum ordine octavus, *Dircislavus* nomine, Regium ſibi titulum aſſumpſit, propriisque ex inde Regibus paruerunt, uſque ad eum, quem ſupra nominavimus *Zvonimirum* Regem *Croatiæ*, æque ac *Dalmatiæ* ultimum, cujus ab obitu ſacræ itidem *Hungarorum* coronæ gloriam adauxerunt. Regno huic ætate noſtra fines *Geographorum* plerique ab oriente *Boſnam*, à qua *Verbaſio* fluvio dirimitur: ab occidente *Carniolam* ſtatuunt. Quibus autem cancellis tum à meridie, tum à ſeptentrione cohibetur, non una omnibus ſententia eſt: *Aliis* ad *Muram*, *aliis* ad *Dravum* tantum uſque ad ſeptentrionem, ad meridiem verò *Morlachiæ* montes aduſque *Mare Adriaticum*, proferentibus. *Morlachiæ* porro montes ſtatuunt recentiores *Geographi* ab Arce *Terſactenſi*, ad Fortalicium *Carlobacenſe*, eosque *Dalmatiam Hungaricam*, & *Auſtriacam* nominant, probabiliter propter *Dalmatas*, qui è *Dalmatia* ob *Turcarum* nimiam potentiam profugio vitam ſalvarunt, atque ideo *Uſzkoki* dicti, ſe in hac *Croatiæ* terræ portione collocarunt; cum tamen antiquitus totus hic terræ tractus nonniſi pro *Croatia* reputabatur, ut *cap. præc. num.* 10. inſinuatum eſt. Idque probari poteſt ex *Porphyrogenito hic ſup. cit.* uti & ex *Paulo Rittero*, aliter *Vitezovichio*, qui in Prodromo Croatiæ redivivæ *pag.* 32. dividit *Croatiam* in *Septentrionalem*, ac *Meridionalem*: hanc *in Albam*, & *Rubeam*. *Albam* dein (de qua hic agitur) in *Maritimam*, *Mediterraneam*, & *Interamniam*, nec non *Alpeſtrem*, hactenus ita appellatas. Ex diviſione igitur *Croatiæ Albæ* colligitur: *Croatiam* ad ipſum *Mare Adriaticum* extenſam eſſe, imo in ipſo *Mari* plures Inſulas, ut ſunt *Veglya*, *Arbe*, *Oſſero*, *Cherſo*, *Pagio &c.* *Croatici* juris exiſtere. Tota hodiedum *Croatiæ* Regio Regis Hungariæ gubernio paret, demptis quibusdam Caſtellis, ut ſunt, *Buſin*, *Krupa*, *Oſtrovicza &c.* ac principali fortalitio, ſimul & Metropoli olim *Bibatchino* jugo *Turcico* obnoxiis; Inſulis item Maritimis, quæ *Dominio Veneto* parent.

XVIII. Poſt *Croatas*, an ante hos? non eſt eadem *Scriptorum* opinio; temporibus tamen *Heraclii* quoque Imperatoris, *Serbli*, ſeu *Serbii*, aut *Servii*, non à *Servis*, ut quidam aſſerunt, ſed à *Serblia* diſtrictu *Sarmatiæ* ſic nominati, natio pariter *Slavica* in præmium præſtiti contra Avares auxilii, partem *Dalmatiæ Orientalis* *Boſnæ*, & *Bulgariæ*, illi qua Occidentem, huic qua Orientem reſpicit, conjunctam: à ſeptentrione *Danubio*, à meridie *Dalmatia* proprie tali concluſam, obtinuerunt memorati

Hera-

Heraclii Imperatoris conceſſione, eamque *Serbliam* primo, dein *Serviam* nuncuparunt, quam tamen *Presbyter Diocleas*, & *Marcus Marulus* in Hiſt. Regum Slavor. Dalmatar. & Croat. ſæpius *Sumbriam* nominant; olim uno *Mœſiæ* nomine utramque tum *Serviæ* tum *Bulgariæ* Provinciam Romani compellabant, atque illam *Mœſiam ſuperiorem*, hanc *Mœſiam inferiorem* vocitabant. Multorum Scriptorum è ſententia *Servia* pars Regni veteris *Tribalorum* ſtatuitur. Suis ſub initium ut plurimum Regibus, aut Ducibus, his dein extinctis, familiæ *Nemanidum*, ſeu *Nemanichiorum* à *Friderico I.* Imperatore in Regiam dignitatem elevatæ, paruit: ſed & his demortuis, Regibus Hungariæ obſequi cœpit. Primus Serviam Coronæ Hungaricæ Rex *Salamon* adjeciſſe fertur, tum & *Andreas II.* demum *Sigismundus* facta cum Deſpote *Georgio* permutatione, traditisque illi pro *Belgrado* ampliſſimis in Hungaria ditionibus, Regnum hoc pleniori jure Hungariæ addixit. A. C. 1389. *Amurathus Sultanus* ingenti *Serviorum*, ac *Raſcianorum* vi trucidata in maximam Serviæ partem jus ſibi aſſeruit, ipſumque *Belgradum* A. C. 1521. expugnavit: & quamvis bis à Chriſtiano milite recuperatum ſit, totidem tamen vicibus *Turcarum* vim expertum, jugum eorum complecti coactum eſt, ſub quo hodiedum gemit. *Serviæ* adnectere placet partes olim ejusdem *Raſciam*, & *Boſnam*. Compellatione *Raſciæ* inquit *Bombardius pag.* 274. aliud nil complecti lubet, quam Serviæ tractum meridionalem, quem primi Reges à *Raſca* fluvio prætorlabente *Raſciam* dixere. Neque eorum cum *Brietio* ſcriptorum ſequendus error, qui *Serviæ*, *Raſciæque* vocabulis absque ullo diſcrimine abutuntur, aut certe à Raſcianæ gentis reliquiis, belli injuria huc, atque illuc diſſipatis, Regionis denominationem mutuantur, unde perperam *Themeſienſi* quoque, ac *Sirmienſi* plagæ eandem appingunt.

XIX. Sed ut & Regni *Boſnæ*, partis olim *Dalmatiæ* origo, limitesque noſcantur, exponendum exiſtimavi. Illa itaque intra *Verbaſium*, *Savum*, & *Drinum* fluvios, interque *Montes Bebios* poſita, nomen traxit à *Boſna* fluvio, *Slavoniam* à ſeptentrione, ab Occidente *Croatiam*, *Raſciam* à ſolis ortu, ab occaſu *Dalmatiam* reſpicit. Duplex plerumque ſtatuitur, ſuperior, & inferior: quarum prior Ducatus, quæ *Herczegovina*, ſeu *Ducatus S. Sabæ*, aut *Montis Nigri* audit; altera *Regalis à Rama* fluvio *Ramæ* nomen (ut Boſna à ſibi cognomine amne) mutuata eſt. Latius igitur *Boſnam* olim patuiſſe neceſſum eſt: unde conficitur idem pro Boſnæ Regno, Regnum Ramæ intelligendum eſſe, varieque pro libitu jam Boſnæ, jam Ramæ Regum titulo Regas vocitari. Adjunxit Ramam Coronæ Hungaricæ *Bela II.* cognomento Cæcus A. C. 1138. ut *Szentivanius* perhibet. *Orbinus* narrat eam cum *Creſimiri IV.* Dalmatiæ, & Croatiæ Regis filia obveniſſe. Hungarici vero Scriptores plerique vi armorum aquiſitam contendunt. Boſnam dehinc Banni Regum Hungariæ nomine rexere, è quorum numero *Stephanus* cum eſſet affinis Regi *Carolo*, eandem Principatus titulo poſſedit, cum ſubjectione tamen erga coronam Hungariæ. Hujus ſucceſſor, & ex fratre nepos, itidem *Stephanus*, cognomine *Tvartkus*, à *Ludovico I.* Rege Hungariæ, Rex ob inſigne in Tartarorum è Regno ſuo expulſione auxilium præſtitum inauguratus, & corona regia redimitus eſt, tali tamen ſub conditione, ut Regni noviter inſtituti confirmationem, Regiorumque inſigniorum uſum à Summo Eccleſiæ Romano-Catholicæ Principe, & Paſtore Papa impetret. Proprios poſthæc Reges Boſna habuit, usque ad A. C. 1464.

quo ultimus eorum pariter *Stephanus*, non *Thomaſius* ut quidam aſſerunt, ſed filius ejusdem Nothus etiam *Stephanus* (ut *P. Alexius Piariſta* Vet. & Nov. Illyrii *cap.* 8. §. 23. contendit) ex concubina *Vojaccia* natus, ſubacta à *Mahomete* Regione univerſa, Rex ipſe per deditionem *Jaicæ* Metropolis, captus, & contra fidem datam necatus fuit. Et quamvis à *Matthia Corvino*, profligatis *Turcis*, Metropolis *Jaicza*, cum viginti ſeptem circumfinitimis oppidis recuperata extiterit, rediit tamen iterum ſub *Joanne de Zapolya* cum *Jajcza* Regnum univerſum in Tyrannidem *Turcicam*, quam hodiedum ſuſtinere cogitur. His bellorum occaſionibus plurimæ nobiliſſimæ, ac celeberrimæ *Boſnenſis* Regionis familiæ profugio vitam ſuam ſalvantes in varias diſperſæ ſunt Regiones, ut *Kolonichiana*, *Blagaiana*, *Guſſitbiana*, *Paulovichiana*, *Deſpotovichiana*, *Stranilovichiana*, *Vukſzaniana*, *Chernovichiana*, *Nemanichiana*, *Brankovichiana*, & pleræque aliæ: ſed & innumerus plebeus populus ſe ad partes *Croatiæ*, & *Slavoniæ* translocavit, vel maxime autem ad partes *inferioris Hungariæ* ad circumviciniam civitatum *Sopronienſis*, & *Poſonienſis*, qui hodiedum moribus, & lingua *Slavo-Boſnenſi* utuntur, *Croatæque Boſnenſes* nuncupari non dedignantur; quamvis non deſint, qui eos idiomate Germanico loco *Woſſner Krabot*, vel ex ignorantia, vel ex contemptu *Waſſer Krabot* appellitandos eſſe contendunt. Atque ita vetus, ampliſſima olim *Dalmatiæ* Regio, utpote intra *Mare Adriaticum*, *Danubium*, *Savum*, *Dravum*, & *Muram* fluvios latiſſime patens, in diverſarum *Slavonicarum* nationum Dominatum tranſiens, non ſolum in *Croatiam*, & *Slavoniam* ipſamque *Dalmatiam*, ut ſæpe citatus *Lucius* tradit, verum etiam in *Serviam*, *Raſciam*, & *Boſnam* (quibus nomenclaturis hac quoque ætate gloriatur) diſtincta extitit.

XX. Diſtincta ita *Dalmatia*, *Bulgari* etiam, pariter *Slavonica* natio, *Mœſiam inferiorem* ad usque *Pontum Euxinum* ſui juris facientes Bulgariam nominarunt, atque taliter *Illyricum*, olim late patentiſſimum, ſubortis diverſarum nationum Regnis, Regnorumque denominationibus, in unam quaſi Provinciam reſtrictum fuit. Nam *Bombardius par.* 1. *cap.* 1. *ſegm.* 4. *num.* 4. hac ætate *Illyridem* proprie dictam exiſtimat *Chulmiam*, quæ *Narone*, & *Drino* fluviis claudebatur. Sed & hæc, *Chulmia* inquam, ſucceſſu temporis ſuppreſſis nominibus *Illyridis*, & *Chulmiæ*, nominata fuit primo *Ducatus S. Sabæ*, ac tandem *Herczegovina*, à *Raguſa* initium ſumens, tendensque adusque *Orontium* fluvium. Hoc tamen non obſtante *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Slavoniæ*, *Serviæ*, *Boſniæ*, *Raſciæ*, *Bulgariæ*, *Vindorum Marchiæ*, & ipſi *Chulmiæ* generalis *Illyrici* nomenclatura nunquam adempta fuit.

XXI. Anno tandem Chriſti 744. *Hunni* ſive ex *Scythia*, ut plerique ſcribunt: vel potius *Ugri*, ſeu *Jubari*, ut *Hübner* Geogr. *par.* 2. *cap.* 1. innuit, *Bombardiusque pag.* 24. confirmare videtur, ex *Jubra* Regione Duci *Moſcoviæ* vectigali; quo ſe ſecundo ex *Pannonia* pulſi receperant, tertio ſub ſeptem Ducibus progreſſi, primo veterem *Daciam*, quæ nunc *Tranſylvania* dicitur, occupavere, in eaque, ſeptem Caſtris juxta Ducum eorum numerum conſtitutis, ſubſtitere. Hinc dein ultra pedem figere ſtatuentes A. C. 748. adverſus *Slavos*, qui *Pannoniam*, & *Marcomaniam* (hodiernam *Moraviam*) obtinebant, arma movent; deletoque feliciter *Slavorum* exercitu, eorumque obtento Regno, *Germaniam* ipſam multis affecere cladibus, ad quas avertendas Imperatores *Occidentales*, ſeu *Germanico-Romani* exciti, atque adverſus hos magno numero congregati, cum diuturniore tempore vario Marte pugnaſſent, tandem victores effecti,

fuga-

Digitized by Google

fugatos *Hunnos*, ſeu *Ugros*, aut *Jubaros* in ea fere *Pannoniæ* parte, quæ *Valeria* olim dicebatur, item in *Jazygum* tractu, qui quondam *Danubio*, & *Tibiſco* fluminibus claudebatur, ſedes fixas locare indulſerunt, ab occaſu *Laita*, & *Morava* fluviis, à ſeptentrione montibus *Carpaticis*, è meridie *Mura*, *Dravo*, & *Danubio* fluviis concludentes, à quibus dein ampliſſima *Pannoniæ* Regio primo fors *Ugriæ*, ſive *Jubariæ*, ac tandem *Hungariæ* vocabulo cognominata extitit. Superioris tamen *Pannoniæ* nomenclatura in *Auſtriæ* commutata, cujus Principes ſucceſſive in Auguſtiſſimos *Romanorum* Imperatores evecti, *Hungariæ* quoque *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Slavoniæ*, *Serviæ*, & *Bulgariæ* Titulo Regio imperitare cœperunt A. C. 1527. hodieque feliciter imperitant. Nobiliſſimo *Hungariæ* Regno, cui dum propriæ nationis Reges præfuiſſent, non tantum *Dalmatia*, *Croatia*, & *Slavonia* acceſſere (ut *Hornii* Caſtigator, & Illuſtrator, *Fellerus* aſſerit) verum etiam aliæ complures Provinciæ. Quin ſeptem ſucceſſive Regna ab Hungaria feudi vinculo dependebant, ut multi *Hungariæ* Principem non *Regem*, ſed *Archi-Regem* vocandum eſſe exiſtimaverint. Jam videat, atque perpendat *Timonius*, an bene, vel male *Ratkajus* noſter, de geſtis Regum, & Bannorum, Dalm. Croat. & Slav. ſcribens, *Illyricum* latepatens, ex novem Regnis, quondam conſtitiſſe notaverit? an verba non multa, ſed errata plurima, confuſa vetera, cum recentibus, mera denique monſtra produxerit? Si etenim ex ſola *Dalmatia*, latepatenti *Illyrico* incluſa, ſex Regna conſurrexiſſe hic remonſtramus, certe reſidua tria ex reliquo *Illyrico*, pariter latiſſime patenti, uti eſt, *Hungaria*, *Bulgaria*, & *Albania* oriri poterant. Et ut ſilentio prætermittam Provinciam *Liburniæ*, olim ad *Croatiam*, uti & Provinciam *Iſtriæ*, olim ad *Dalmatiam* pertinentes; merito loqui poſſum de Archi-Ducatu *Auſtriæ*, de Ducatibus *Carnioliæ*, & *Carinthiæ*, prouti & *Vindorum* Marchionatu, qui omnes *Illyrico* quondam concluſi in diverſarum nomenclaturarum Dominatus erecti ſunt. De condigno igitur *Rattkaji* redarguitionem (cujus *cap. 4. num.* I. meminimus) deleat *Timonius*, atque cum eodem *Illyricum* olim latiſſimum plura, quam novem florentiſſima Regna diſmembratum fuiſſe, confiteatur. Legiſti Benevole Lector, qualiter vetuſti *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* limites, fineſque una cum nomenclaturis immutati extiterint, quæ mutationes ingentem certe ſcriptoribus parturiunt difficultatem certi quid, & determinati circa propoſitam quæſtionem ſtatuendi. Sed quia in præmiſſis antiquos Provinciarum terminos, eorumque appellationes probatis ex Authoribus propoſui, novos quoque cum eorum denominationibus produxi, converto me ad indigitandum locum Naſcitæ *S. Hieronymi*, cujus gratia ad elaborandum hoc opuſculum me accinxi.

CAPUT XLIV.

Oppidum Stridon, Natale ſolum S. Hieronymi, indigitatur.

I. CONſideratis igitur conſiderandis, beneque perpenſis perpendendis in *præcedentibus Capitibus* reproductis, ac explicatis *Pannoniæ* veteris, uti & *Dalmatiæ* pariter veteris metalibus, nec non declaratis earun-

Digitized by Google

rundem Provinciarum nominum, & finium mutationibus, pace eruditiſſimorum *Blondi*, *Marci Maruli*, *Joan. Lucii*, & *Ludov. Vergerii*, aliorumque doctiſſimorum virorum, Patriam *D. Hieronymi* in moderna, ſive *Dalmatia*, ſive *Liburnia*, aut *Iſtria* ſituantium, auſim & ego, licet ſcriptorum omnium viliſſimus cum *P. Martino Szentivanio* hic *cap. 38. num. 6.* citato, concludere, & dicere, ut idem *Szentivanius* in ſua Synopſi Chronologica ad A. C. 341. dixit, & ſcripſit: *S. Hieronymus naſcitur Patre Euſebio oppido Stridone in confinibus Pannoniæ, & Dalmatiæ, vel potius Slavoniæ, quam nunc vulgariter Croatiam vocant.*

II. Ex hoc itaque textu meam quoque pro Patria *S. Hieronymi* declaro opinionem, & aſſero eam ipſam eſſe, quam nunc Dynaſtiam Inſulæ *Murakös* vocitamus, inter confluentias *Dravi*, & *Muræ* ſituatam, & in qua hodiedum in quadam valle occidentem verſus montanis viniferis circumſepta locatum viſitur trium horarum itinere à *Cſaktornya*, *Ormosdino* itidem trium, *Regedino*, ſive *Rakelſpurga* ad ſummum quinque, à *Mura* fluvio vero vix dimidiæ, diſtans oppidum *Stridon*, ſeu *Stridonium*, vulgo *Stridovo*, vel *Strigovo*, item *Stridova*, aut *Strigava* pro diverſa vicinorum populorum dialecto, in *Latino* vero absque immutatione nomenclaturæ ab antiquo, atque ab immemorabili mortalium tempore habitæ, appellatum. Idque teſtatur unanimis popularium ex traditione ſeniorum accepta ſententia: deinde plura in *præcedentibus Capitibus* probatum Authorum ſcripta, quæ *cap. 42.* recapitulavi, ad quæ benevolum Lectorem, ne hic cuncta repetere cogar, relegandum duxi.

III. Quibus univerſis bene ruminatis, atque ad invicem collatis, Lector benevolus advertere poterit, paucis ante natum *S. Hieronymum* annis late ſumptam *Dalmatiam*, usque ad Pannoniam, quæ ſe ſive juxta *Muram*, ſive juxta *Dravum* extendebat, limites ſuos protenſos habuiſſe. Cum autem *Stridonis* oppidum inter confluentias *Dravi*, & *Muræ*, conſequenter in confinio *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ*, dein *Slavoniæ*, nunc vero ob mutationem Regnorum, eorumque finium, ſupra *cap. 43.* relatam, in *Hungariæ* Comitatu *Szaladienſi* deprehendatur; concluſio hinc optima, & probabiliſſima enaſcitur de hocce indigitato oppido *Stridonis* pro natali ſolo *D. Hieronymi* remonſtrato, teſte ipſomet *D. Hieron.* qui de ſe ipſo Libro de Scriptorib. Eccl. ſic ſcribit: *Hieronymus Presbyter Patre Euſebio natus ex oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit.*

IV. Sed objiciet quiſpiam: dum *S. Hieronymus* naſceretur, ſupracitatus diſtrictus Inſulæ *Murakös* fuit in *Pannonia*, & eo tum *Dalmatia* ultra *Savum* protenſa fuit, conſequenter neque *Stridon* natale ſolum *S. Hieronymi* in Dynaſtia *Murakös* ſituatum fuiſſe, poteſt dici. At reſpondeo, concedendo antecedens, cum idipſum *cap. 43. num. 1. & cap. præſ. num. 3. ſub princip.* affirmaverim: nego tamen conſequentiam ex ipſiusmet *S. Hieronymi* textu, quem de ſe ipſo ſcripſit, dicens: *Natus ex oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit.* In quo *S. Hieronymus* nihil agit de præſenti, ſeu de tempore, quo ipſe natus fuit; ſed de præterito, nam ly *quondam*, & *fuit* indicant præteritum, non præſens tempus: adeoque adhuc manet opinio, & aſſertum meum inexpugnatum, quod confirmat *Pr. Franc. Glavinich* Ord. Seraph. natione *Iſtriota*, qui in Vitis Sanctor. idiomate *Croatico* conſcriptis, ad *diem 30. Septembr.* hæc habet: *Szlavni Hieronym, Czirkve navoucbitel, Vere branitel, Kruna redovnikov, y Dika ſzlovinſz-*

vinſzkoga jezika, porodiſſe vii Stridove med Dalmaczium, y Vugerſzkum zemlyum, blizu Rike Drave, dvi milye Vugerſzke zone ſztrane proti Iſztoku, ko ſzada Strigovo zoveſze kako vu naſſib latinſzkab rekoſemo biſtoriab. Id eſt: *Illuſtris Hieronymus, Eccleſiæ Doctor, Fidei Propugnator, Corona Religioſorum, & Gloria Slavonici Idiomatis, natus eſt Stridonii inter Dalmatiam, & Hungariam prope fluvium Dravum, duobus milliaribus Hungaricis verſus orientem, quod actu Strigovo vocatur, uti in noſtris Latinis diximus biſtoriis.* Cui adſtipulantur *Pyrrbus Ligorius*, *Melcbior Incboffer*, *Pelbartus de Temesvar*, & *Antonius Uramecz* olim Parochus Varasdinenſis.

V. Quod ſi tamen quiſpiam mihi, plures hujus concluſionis confirmatores *ſequentib. cap.* producturo, hac in materia litem indicere cuperet, eam amicabiliter dirimere ſatagam authentica *Nicolai V. Papa* Bulla, ſeu Brevi ſuper Indulgentiis pro memorata *D. Hieronymi* Eccleſia, *ſtridone à Friderico* Comite Cileæ, & Banno Slavoniæ recenter conſtructa, conceſſis; in quo de *Stridone*, & *Stridova* noſtra ſermonem inſtitui, nemo, qui *Zagrabienſis* Diœceſis limites novit, ac *Muro-Dravana* Inſulæ notitiam habet, in dubium revocabit. Bulla porro citata extracta eſt, teſte Bombardio A. C. 1698. Romæ ex Archivio Summi Pontificis cum ejuſdem Facultate, & Magiſtri Sacri palatii reviſione, ac approbatione, opera, & induſtria *P. Martini Czeles* é Soc. Jeſu, ibidem ad *D. Petrum* Pœnitentiarii, uti teſtatum facit Eminentiſſimi Cardinalis *Leopoldi à Kollonich*, Archi-Epiſcopi Strigonienſis ſubſcriptio, cum appreſſione proprii ſigilli. Eſt autem Bulla tenoris ſequentis.

VI. *NICOLAUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem &c. Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, & in ipſorum glorificatione congaudens, in veneratione Beati Hieronymi Confeſſoris ſui, eo jucundius delectatur, quo ipſe, utpote quaſi luminoſa ardens lucerna ſuper candelabrum in domo Domini poſita errorum tenebris profugatis ejus meritis almam Matrem Eccleſiam præ cæteris excellentius illuſtravit. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Nobilis Vir Fridericus Ciliæ, Ortenburgæ, & Zagoriæ Comes, ac Regni Slavoniæ Bannus de propria ſalute recogitans, & in cæleſtibus theſaurizare cupiens, ob ſingularem, quam ipſe, & alii Chriſti fideles partium illarum ad B. Hieronymum Confeſſorem, tanquam præcipuum Eccleſiæ ſidus irradians gerunt devotionis affectum; Eccleſiam, ſive Curam Sancti Hieronymi de Stridonio, Zagrabienſis Diœceſis, quæ olim domus paterna ipſius Sancti, & in qua nutritus, & educatus extitit, de Bonis ſibi deſuper creditis notabiliter conſtrui, & ædificari cœperit, ac ſolemniter dotaverit. Nos cupientes, ut dicta Eccleſia congruis honoribus frequentetur, & in ſuis ſtructuris, & ædificiis debite conſervetur, ac fidelium hujusmodi devotio per amplius augeatur, ipſique fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem hujusmodi*

di manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refertos, præfati Comitis in hac parte ſupplicationibus inclinati de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum authoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui præfatam Eccleſiam in feſto B. Hieronymi devote viſitaverint annuatim, & ad illius conſervationem bujusmodi manus porrexerint adjutrices quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi Eccleſiam ipſam viſitantibus, vel ad conſervationem bujusmodi manus adjutrices porrigentibus; aut inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno primo.

VII. Ex his porro præſentis Bullæ verbis: *Eccleſiam, ſive Curam S. Hieronymi de Stridonio, Zagrabienſis Diœceſis, quæ olim Domus paterna ipſius Sancti, & in qua nutritus, & educatus extitit.* Lectori erudito explicata ſatis, & probata ſententia *Patris Martini Szentivanii*, aliorumque hic *n.* 4. citatorum, uti & mea conſtabit concluſio. In eadem Bulla legitur: *Eccleſiam*, ſive *Curam*. Ubi plerique fors exiſtimabunt legendùm eſſe pro *Curam*, *Curiam*: ſed non cenſeo debere dici *Curiam*, verùm *Curam*: ſic enim aptius, & uſitatius nuncupantur Eccleſiæ, quibus *Cura ſpiritualis* annexa eſt. Sed quia in Jure Canonico *Cura Spiritualis* dupliciter ſummi ſolet, videlicet pro *Cura Spirituali ex Officio*, & pro *Cura Spirituali ex Devotione*. Prima, id eſt *Cura Spiritualis ex Officio* competit Parochis, qui ex officio ſuo Parochiali in ſuis Parochialibus Eccleſiis Parochianis ſuis obligantur Miſſas celebrare, Verbum Dei prædicare, Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Matrimonii, extremæ unctionis adminiſtrare, Paſchalem confeſſionem eorum excipere, eosque eo tum communicare; Item infirmos viſitare, mortuos comitari, & ſepelire &c. Altera *Cura Spiritualis ex Devotione* competit etiam Regularibus, qui in ſuis Eccleſiis in, & extra Conventum erectis vi Privilegiorum ſuorum non tantum tempore concurſus ratione lucrandarum Indulgentiarum, verum etiam cujuscunque alterius devotionis cauſa, poſſunt Officia Divina recitare, Miſſas celebrare, verbum Dei prædicare, Confeſſiones excipere, Euchariſtiam porrigere, & alia quæcunque munia juriſdictionem Parochialem non lædentia libere exercere. Idcirco cum noſtræ Eccleſiæ Stridonenſi S. Hieronymi talis *Cura Spiritualis ex Devotione* vi Diplomatis Cæſareo-Regii *Leopoldi I.* alligata ſit; juſto titulo hodiedum memorata Eccleſia *Stridonenſis* pro *Cura* nominari valet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLV.

Indigitatum S. Hieronymi Natale Solum confirmatur authoritate Melchioris Inchoffer, & Ludov. Schönleben.

I. PRo confirmatione indigitati Natalis Soli *S. Hieronymi* citavi *cap. præc. num.* 4. Authorem celebrem *Pyrrhum Ligorium*, cui per omnia adhæret hac in quæſtione *P. Melchior Incboffer* Soc. Jeſu, Annalium Eccleſiaſticorum Regni Hungariæ *Romæ* A. C. 1644. impreſſorum, ſcriptor laudatiſſimus. Hic ad A. C. 341. *Stridon* oppidum, S. Hieronymi natale domicilium ita locat, ut unius diei itinere vix differat à *Sabaria* patria *S. Martini*, minus vero *Petovia* urbe, multoque minus *Cſaktornya*, citans *Lazium*, cum *Joan. Sambuco*, qui *Stridonem* in hodierna *Hungaria* locant. His addit *Incboffer loc. cit.* dicens: *Vidi egomet locum, & everſæ urbis antiquas reliquias curioſe luſtravi, ex quibus hodie pagus extat, incolis quidem à Religione Catholica tum alienis, ſed apud quos memoria Hieronymi eo loco nati firmiſſime conſtat, id continuo teſtante limpidi fontis unda, qui media ſcaturit area, quondam ædibus parentum Hieronymi ſepta, hodieque, ut fertur, morbis ſalutem præbet vel potu, vel lavacro. Diſtat ſane Stridon vix quarto à linea Pannoniæ lapide retinetque promiſcuam cum Illyrica, ſeu Slavonica, quæ Hieronymo nativa fuit, cum Pannonica, ſeu Hungarica, linguam.*

II. Contra *Incbofferum* aſſurgens *Joan. Lucius* adducit locum, quem ex *Hieronymo* allegavit *Incboffer*, in hæc verba: *Certè Hieronymus ipſe declarans textum Habacuc multarum urbium, provinciarumque deſolationem prædicentis: Nonne* (inquit) *hoc impletum eſſe audivimus in noſtræ originis regione finium Pannoniæ, atque Illyrii? ubi poſt Barbarorum incurſiones & tantam deſolationem eſt perventum, ut nec humana illic manſerit creatura, nec animal ſupereſſe dicatur ex his, quæ hominibus amicari, & convivere conſueverunt.* Hæc *Incboffer* ex *Hieronymo*. Subdit vero *Lucius* ajens: *Quæ apud Hieronymum eo loci non reperiuntur, ſed in expoſitione Oſeæ cap.* 8. *habentur ſequentia: Hæc qui non credit accidiſſe populo Iſraël, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam, atque Pannonias, omnemque terram, quæ à Propontide, & Boſphoro usque ad Alpes Julias tenditur, & probabit cum hominibus animantia cuncta deficere, quæ in uſus hominum à creatore prius alebantur.*

III. His expoſitis proſequitur *Lucius* in ſuis contra *Incbofferum* argumentis, opponens. *Hinc dignoſcitur Hieronymum eo loci Provincias nominibus ſuo tempore uſitatis diſtinguere, Illyricumque pro Orientali Illyrico, in quo Dalmatia non includebatur, deſignare, ideoque conatus Incbofferi patriam D. Hieronymi prope Dravum ſtatuentis evaneſcunt. Nam non in confinio Pannoniarum, & Dalmatiæ, ſed in ipſarum Pannoniarum meditullio Stridon ſita fuiſſet, Ptolomaico, & antiquo more Pannoniis ſumptis, ut ipſe Incboffer fatetur, locutum Hieronymum. Unde autem verba Hieronymi in Habacuc ſumpſerit Incboffer (cum non reperiantur inter ejus opera) compertum non habeo.* Hæc *Lucius* contra *Incbofferum.*

IV. Aſt dum *Ludovicus Schönleben* hæc *Lucii* contra *Incbofferum* legiſſet argumenta, in ſua *Carnioliæ* Chronologia *pag.* 222. de patria *D. Hieronymi* differens, *Incbofferum* nervoſe defendendum ſuſcepit, atque contra *Lucium* ſequentia ſcripſit: „Nihil opus „eſt contentionibus. Ipſius S. Hie-

„ronymi verbis credendum eſt, & „ſolvenda vicinitas *Pannoniæ*, ac *Dalmatiæ*. Verba *S. Hieronymi* ſunt „hæc. *Patre Euſebio natus ex oppido „Stridonis, quod à Gothis everſum Pannoniæ, Dalmatiæque confinium fuit.* „Duo ergo præſtanda ſunt, ut conſtet de veritate. Unum eſt, ut „oſtendantur *Pannonia*, & *Dalmatia* „confines. Alterum eſt, ut *Stridon* „deſignetur in loco aliquo vicino „talis confinii. Et hoc facile eſt. „Fatetur *Lucius*, in temporibus *Antonini Pii*, qui obiit A. C. 163. *Dalmatiam* dilatatam, eique incluſam „*Liburniam* vocabulo *Dalmatiarum* „nominari cœpiſſe. Fatetur ex *Procopio*, qui tantum 100. annis poſt „*S. Hieronymum* floruit (nam *S. Hieronymus* obiit A. C. 420. *Procopius* „autem jam agebat Hiſtoricum A. „C. 527.) quod *Sirmium* fuerit *Dalmatiæ* accenſitum. *Sirmium* vero „erat civitas *Saviæ* (quam immerito „contra diſtinguit à *Pannonia*) & rurſum fatetur *Saviam* fuiſſe inter *Savum*, „& *Dravum*, quod veriſſimum eſt.„

V. Quid ergo (quærit *Schönleben*) difficultatis erit concedere? poſito, quod *Savia* fuerit pars *Dalmatiæ* exiſtimata tempore *S. Hieronymi*. Quid, inquam, difficultatis concedere patriam *S. Hieronymi* fuiſſe inter *Sabariam*, *Petoviam*, & *Cſaktornyam* ad *Dravum*? nam de tali loco verificatur, quod fuerit in confinibus *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ*, ita ut nihil mediaret, quia tunc extendebatur *Dalmatia* usque ad *Dravum*, complectendo etiam *Saviam*, quod ipſe *Lucius* notavit, licet dubitanter, cum ſcripſit: *Dalmatia ſupra deſcripta ſive Savo terminetur, ſive ad Dravum extendatur, Dalmatiæ nomen retinuit.* Non ergo in medio *Pannoniæ*, ſed in finibus *Pannoniæ*, prout tempore *S. Hieronymi* cenſebatur *inferior Pannonia*, & ſimul finibus *Dalmatiæ* tunc dilatatæ, ſaltem ex aliquorum opinione, vel nova Principum diviſione, quod ſæpe etiam in aliis partibus videmus accidere.

VI. His contra *Lucium* productis ulterius proſequitur *Schönlebenius* admirando ſcribens, & dicens: *Miror, quod Lucius oppugnans Marulum, & ſimul Inchofferum, nullibi tamen deſignet patriam S. Hieronymi: metuebat forte ſubſcribere Lucius Marulo, ne illi objiceretur, quod Sidrona fuerit tempore S. Hieronymi fere in media Dalmatia. Melius ergo divinavit Inchoffer, cui oculato teſti plus crederem, quàm auritis.* Ita *Schönlebenius* pro *Inchoffero* contra *Lucium*. Quantumvis & is, poſt tot pro *Inchoffero* producta argumenta ſubdubitare videatur, dum dicit: *Niſi & Iſtrianis aliquid tribuendum cenſerem. Nam ſi Liburnia tempore S. Hieronymi attributa eſt Dalmatiæ, pars illa Iſtriæ ubi Strigna ſita eſt, recte dici poteſt, inter Dalmatiam, & Pannoniam, adeoque confinium utriusque.* Quibus dictis *Schönlebenius* iterum ſubjungit: *Utra ex his opinio vera ſit? Tu Judex eſto, qui legis.* Quid porro *Lucius* de hac *Strigna* ſentiat, his verbis *loc. cit.* exprimit: *Animadvertendum tamen eſt Thomam Archidiaconum Spalatenſem cap. 1. & cap. 13. Strignam Iſtriæ, pro Stridone D. Hieronymi patria ſtatuere, cujus Authoritatem facile Blondus ſecutus eſt, ambobus ex ſimilitudine nominis deceptis.*

CAPUT XLVI.

Schönlebenii aſſertum pro patria S. Hieronymi confirmat Valvaſorius.

I. Ut naſcita, ita litterario ſtudio clariſſimus Vir, *Joannes Weichardus L. B. à Valvaſor*, in ſua Hiſtoria, & Topographia Carnioliæ, idio-

Digitized by Google

idiomate Germanico conſcripta *lib. 8. pag. 513.* agens de Sanctis, *D. Hieronymum* quoque deſcribendum ſuſcepit: de cujus patria titulo *Hieronymus* prolixiori ſermone utens, & differens *Schönlebenio* conterraneo ſuo adhæret, dum ſic *Germanice* quidem ſcribit, ſed ego *Latine* interpretor: „Hunc „altiſſimæ eruditionis Doctorem *Carniolia* quidem non progenuit, ſed „civitas *Stridon* in *Croatia*, vel *Slavonia* ad *inferiorem Styriam* ſpectans, „qui locus noſtris temporibus *Slavonice* nominatur *Stridova*: hoc attamen ſancto habet, quod ſibi Provincia *Carnioliæ* glorietur, cum is „ſe quandoque in eadem, utpote „Regione confini, detinuerit. A.C. „420. hic glorioſus Eccleſiæ Doctor „30. Septembris beatè obdormivit, „ætatis ſuæ 78. Sancta, & glorioſa „fama hujus Excellentiſſimi Doctoris *Hieronymi* in eo inter ſcriptores „cauſavit diſcrepantiam, ſed multo „magis ſæpius inſtituta in diviſionibus Provinciarum *Illyrici* confiniorum mutatio, eorumque diverſa „denominatio, aliqui namque hujus „glorioſi Sancti naſcitæ locum gloriæ & honori ſuo appropriare voluerunt, alii vero partim ex ampliatis, partim ex conſtrictis *Dalmatiæ*, *Pannoniaque* limitibus in errores abierunt.„

II. „Securiſſimum erit„ (ulterius loquitur *Valvaſorius*) „ſi de eò interrogatus fuerit ipſemet *S. Hieronymus*, quis videlicet locus honorem „habuerit, tam inſigne Doctrinæ, & „Sanctitatis lumen in mundum edere? Proprio calamo *Libro* de Scriptorib. Eccleſ. reſpondebit: *Patre* „*Euſebio natus ſum ex Oppido Stridonis*, „*quod à Gothis everſum quondam Pannoniæ*, *Dalmatiæque confinium fuit.* „Huc ſerviunt quædam dupliciter „(tum videlicet ad capiendam uberiorem intelligentiam, tum percipiendam pleniorem informationem) neceſſaria: Et primo, quod „hic Divinus Ordinis Vir juxta diverſam conſiderationem tam *Dalmata*, quam *Pannon*, & *Croata* vocitari poſſit. A tempore namque „*Antonini Pii* Imperatoris *Dalmatia* „dilatata fuit, ita, ut etiam *Liburniam* complectebatur, & hæc pariter nomen *Dalmatiæ* adepta eſt: Ita „etiam reperitur apud *Procopium*, cujus tempore *Sirmium* ad *Dalmatiam* „ſupputabatur, quæ urbs intra *Savum*, & *Dravum* jacebat: Pariter „*Savia* (ſeu Regio ad alveum *Savi*) „inter *Savum*, & *Dravum* poſita. Ex „quo, juxta *Doctoris Schönleben* Annal. Carniol. *pag.* 221. concluſionem, colligetur, Patriam *S. Hieronymi* eſſe intra *Sabariam*, *Petovium*, „& *Cſaktornyam*, ad *Dravum* jacentem, cum de hoc loco cum veritate dici poſſit, quod is ad confinia „*Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* fuerit, ſiquidem pro tunc *Dalmatia* usque ad „*Dravum* ſe extendebat, *Saviamque* „includebat.„

III. „Hæc opinio„ (iterum progreditur Valvaſor) „*D. Schönleben* „non videtur eſſe difformis. Nam „*Dalmatia* ſua confinia jam extendit, „jam contraxit, uti ex Hiſtoria *Vellei Paterculi* facile colligitur. Quod „etiam temporibus *Tiberii II.* Imperatoris *Dalmatia* multo longius ſe „extendebat, quam modo. Civitas „*Savaria* à *Ptolomæo* inter *ſuperioris* „*Pannoniæ* civitates locatur, quæ à „*Lazio* pro *Gracio* in Styria exiſtimatur, alio vero loco pro *Sabaria*, „pro quali eam etiam *Cluſius*, *Bertius*, & *Pyrckhaimerus* ediderunt, & „pro tali ex concluſione *Itinerarii* „*Antonini* credita fuit. *Cluverius* autem opinatur *Sabariam*, ſeu *Savariam* eandem eſſe cum *Sarvár*, quam „*Germanus* appellat: *Rottenthurn*, „cui etiam memoratus *D. Schönleben* „adſtipulatur. Fluvium *Savariam*, „ſeu *Sabarium* quidam tenent pro „fluvio *Günz*, qui *Rabam* influit, & „quod *Sabaria* prius apud iſtorum

 flu-

„ fluviorum confluentiam ſteterit. „ *Zeilero* in Deſcriptione Regni Hung. „ *pag.* 378. & *Schönlebenio* fluvius *Savaria*, eſt *Mura.* Si vero fluvius „ *Savarias* nomen civitati *Savariæ* impoſuit, & antiqua *Savaria* in illo „ loco, ubi nunc civitatula *Sarvar* „ permodum modicarum reliquiarum „ adhuc ſtat, ubi prius ſteterat: ergo „ non poteſt fluvius *Savarias* dici „ *Mura*, neque *Savaria Sabaria.* Nam „ ſi civitatula *Sarvar* vetus *Sabaria* „ eſt, uti eam pro tali non ſolum „ *Cluverius*, ſed & D. *Schönleben* merito tenet, quia & nominis cognatio, & *Antoninii Itinerarium* idipſum demonſtrat, debet ſequi; „ quod fluvius *Savarias*, ſeu *Savaria* „ ſit fluvius, qui modo *Günz* dicitur, eumque *Iſtvanſius* nominat „ *Gemmeum*, qui etiam fluviolum „ *Rechnitcz* ſuſcipit, & ita adauctus „ non procul inde *Rabam* ſe infundit „ in loco, ubi dictum oppidum, aut „ civitatula *Sarvar* poſita eſt, atque „ ita *Savarias* nequit ſibi nomen *Mura* appropriare, utpote quæ nec „ fluvio *Günz*, nec *Rabæ* pro uno „ cochleari aquæ confert, aut ab his „ quid recipit, ſed prope ad 4. milliaria Germanica à fluvio *Raba*, & „ plusquam tantum à fluvio *Güntz* „ diſſita eſt, ſuumque curſum *Dravum* verſus proſequitur. „

IV. Denuo *Valvaſarius* loquitur: „ Sed utut etiamnum hoc ſit: attamen tantundem *Bertius*, *Cluſius*, & „ *Pyrckhaimerus*, quantum *Zeilerus* errant. Siquidem illi *Sabariam* (Germanice Stein am Anger) pro veteri *Sabaria* producant, & pariter „ *Lazius* modo dictam urbem pro „ civitate *Gracenſi* in *Styria* errans „ proclamat: Et *D. Schönleben* etiam „ ſe confundat, ſiquidem fluvium „ *Savariam* pro *Mura* teneat, & tamen civitatem *Savariam* pro *Sarvar* „ exiſtimet, cum tamen, uti dictum „ eſt, civitas *Sarvar* absque dubio „ propter fluvium *Savarias* vocitata „ fuerit. In eo nihil ominus rectum „ habet *Schönleben*, quod *S. Hieronymi* „ patriam intra *Sabariam*, aut *Savariam*, & *Cſaktornyam* ſituaverit, cum „ & moderno tempore inveniatur „ locus nomine *Stridon* inter hæc ipſa „ loca: non vero, ut illi duo, ad „ fluvios *Günz*, & *Rabam*, ſed ad „ *Muram* aliquot milliaribus diſtans „ in ſuo defluxu ad *Dravum*, quamvis hic locus juxta appoſitum ſignificationem præcipui Authoris in „ *Slavonico* idiomate *Stridova* nominetur. „

V. „ Cum ergo „ (concludit *Valvaſor*) „ ſituatio hujus oppidi *Stridon* „ pro varietate temporum diviſionisque Provinciarum modo ad *Liburniam*, & *Croatiam*, modo ad *Pannoniam*, jam, & præcipue quidem „ tempore vitæ *S. Hieronymi*, quo „ *Dalmatia* in longum, & latum extendebatur, ad *Dalmatiam* referebatur; ideo quidam Authores eundem *Sanctum Doctorem* exiſtimabant „ *Pannonem*, alii *Illyrum*, & *Slavonem*, „ & iterum alii *Dalmatam* vocitarunt. „ Hæc *Valvaſorius.* Qui tamen *num.* 1. non ſcitur, quo motivo, ſcribit: Dynaſtiam *Muro-Dravanam*, ſeu Inſulam *Muraköz* ad *Styriam* ſpectare: quod tamen concedi nequit, cum evidens ſit eam jam dudum Comitatui Hungario *Szaladienſi* incorporatam, hodiedum ejusdem jurisdictioni ſubjectam, quoad negotia civilia, & provincialia à *Supremo Comite* (quod officium hodie ſapientiſſime, & feliciſſime gerit Excell. Comes *Joannes Michaël ab Althann*) quoad tributa vero, & vectigalia ab *Excelſo Conſilio*, & *Ærario Regio Poſonienſi* adminiſtrari. Neque obſtat, quod extincta familia *Zriniana* ſubjecta aliquo tempore extiterit *Cameræ inferioris Styriæ Gracenſi* (cujus forte *Valvaſorius* meminit) ſubfuit namque Dominium memoratum dictæ *Cameræ*, ut uſufructuarium, nunquam tamen à jurisdictione *Comitatus Szaladienſis* exemptum.

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

Michaël Bombardius, & Innocentius à D. Thoma Aqu. Clericus Regularis piarum Scholarum, præcitatorum Authorum ſententiam, de patria S. Hieronymi conſolidant.

I. DUm *capitis hujus* Titulo, primo loco citatus, Topographiæ ditionis nobiliſſimæ, quæ modo *Hungaria* dicitur, eidemque annexarum *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *ſlavoniæ*, *Serviæ*, &. *Bulgariæ* Regnorum, nec non *Tranſylvaniæ*, *Valachiæ*, & *Moldaviæ* Provinciarum, Author *MichaëlBombardius* è S. J. *par.* 2. *cap. unic. ſegm.* 1. §. 12. Comitatum *Szaladienſem* cum Inſula *Muro-Dravana* deſcribit, diſſerit etiam *num. 11.* de Patria *S. Hieronymi* ſequenti tenore: „Oppidum „poſtremum in valle inter montes „vineis conſitos ſitum, tribus à „*Cſaktornyo* milliaribus, *Ormosdino* iti„dem tribus, medioque à *Mura* flu„vio *Strigova*, ſeu *Stridova* appella„tur, *D. Hieronymi*, ſi Superis placet, „Natale Solum, utpote in cujus ho„norem Templum collicula impoſi„tum multis ſupplicantium ordini„bus, ex remotioribus etiam Hun„gariæ partibus, eo adductis, plu„rimiſque prodigiis continuo cele„bratur; uti teſtes omni exceptio„ne digni ſunt *Patres Paulini Cſaktor„nyenſes*: quo facere etiam videtur „laudati nuper *Tollii* teſtimonium, „qui in ſua Epiſtola „(quam ad amicum ſuum *Nicolaum Witſen* ſcripſit, ut idem *P. Bombard. loc. cit. num.* 7. inſinuat, dicitque eam ſub finem *Notarum* ad *Auſonium* reperiri) „ita „habet: *Monſtrata eſt mihi è longin„quo ab Illuſtriſſimo Comite Nicolao „Zrinio Stridonium* (*Stridova*) *patria S. „Hieronymi ad manum dextram Carin„thiam verſus.*„

II. „Haud ignoramus„ (proſequitur *Bombardius*) „quidem pluri„ma à viris eruditis, etiam noſtri „ævi, pro *Lucii*, qui Sanctum hunc „Doctorem *Dalmatiæ* ſuæ aſſerere „contendit, ſententia, è veterum „Geographorum Tabulis congeſta „fuiſſe. Quis autem in noſtrum „animum inducat, populum Hun„gariæ late diffuſum, cui majorum „traditiones pro legibus ſunt, inani „errore ludi, dum è remotioribus „plagis ad Solum Divi hujus nativi„tate, ut pie credunt, ſacratum ma„gna pietate, prout diximus, hodie„dum contendit? Porro ſi quis *Dal„maticorum Scriptorum* conjecturas „à *Lucio* recitatas expendat, eas „adeo utrique parti faventes depre„hendet (ne quid dicam de *ſcriptoris* „illius *Itali*, *Iſtriæ* eundem Sanctum „attribuentis, acriterque à *Marulo* „reprehenſi, lapſu) ut jure dubius „hæreat, cui palmam concedat.„

III. „Quod autem ipſum *Lucium* „attinet„ (loquitur ultroneè *Bombardius*) „ubi in *Inchofferum* conje„cturæ noſtræ Patronum præcipuum „inſurgens, textum illum *S. Hiero„nymi* de ſe ipſo in Catalogo *Scripto„rum Eccleſiaſticorum* in hæc verba lo„quentis, repetit: *Hieronymus Pres„byter, patre Euſebio natus, ex oppido „Stridonis, quod à Gothis everſum Dal„matiæ quondam, Pannoniæque confi„nium fuit.* Quis non advertat du„riuſculam Authoris Interpretatio„nem, dum mavult *D. Hieronymum* „de antiquioribus, quam ſuis tem„poribus, locutum fuiſſe? An non „ipſe *Lucius lib.* 1. *cap.* 4. de Regno „*Dalmatiæ*, & *Croatiæ* animadvertit, „Regionem inter *Savum*, & *Dravum*

Digitized by Google

„ætate *Mauritii* Imperatoris dictam „fuiſſe *Dalmatiam?* Quid ſi etiam „antea, nempe ævo *D. Hieronymi?*„

IV. „Quod autem „(continuat *Bombardius*) „ipſius veteris *Stridonis* „ſitum attinet, à ſententia noſtra „haud aberrat *Andronici Palæologi Senioris* expoſitio: *Quæ urbes nomen* „*ultimo mutaverint?* In Hiſtoria *Byzantina* ad calcem *Codini pag.* 400. „nuper edita à *P. Jacobo Goar*, ubi „ita legitur: *Syrmium nunc Hungaria,* „*& Stridon: quondam vero Hungari* „*Gepides vocabantur.* Cui conſentit „etiam *Stephanus Brodericus* Vacienſis „Ep. in deſcriptione *Cladis Mobachianæ* ante annos ducentos digeſta, „ubi aperte teſtatur, *Slavoniam* non „ſolum *D. Martini*, ſed etiam *D. Hieronymi* patriam eſſe: ne quid dicam „de *Petro Caniſio*, qui in *Præfatione* „ad *Divi Doctoris* Epiſtolas ſelectas „A. C. 1649. *Pariſiis* recuſas, ſuper „ejusdem Inſtitutione ita habet: „*Nec apud ſuos Pannonios, ſed Romæ inſtitutus*, ut proinde *Stridon* non tam „*Dalmatiæ*, quam *Pannoniæ* oppidum „dici queat, videanturque mihi ii, „qui præfatum Sanctum *Stridone* ad „*Mare* natum prædicant, *Mare* loco „*Muræ* errore *MSS.* aut *Typographorum* legiſſe.„

V. „At litem omnem dirimat„ (loquitur iterum *Bombard.*) „neceſſe eſt Authentica *Nicolai V. PP.* Bulla ſuper Indulgentiis pro memorata *D. Hieronymi* Eccleſia à *Friderico* „*Cilejæ* Comite, Slavoniæque Banno „recens extructa conceſſis.„ His ita elucubratis, idem *Pr. Bombardius* refert per extenſum mentionatam Bullam, quæ ne hic repetatur, eam Benevolo Lectori operis hujus *cap.* 44. *num.* 6. legendam propoſuimus, quo & eundem relegamus, ad reſiduas mentionati *Bombardii* propoſitiones, patriam *S. Hieronymi* concernentes regrediendo. „Epiſtolæ„ (inquit *Bombard.*) „*Nicolai Papæ* ſuccedat teſtimonium *R. P. Pauli Szupſzky*, de celeberrimo Ordine *D.* „*Pauli* primi Eremitæ, qui in Epiſtola 17. Maji anni labentis 1718. „ad operis hujus *Collectorem* data, primo teſtatur unanimem populariūm „ſententiam eſſe, *S. Hieronymum* in „oppido *Stridon*, vulgo *Stridova*, „*Strigova*, ſive *Strigava*, pro diverſa „vicinarum gentium dialecto, incunabula nactum fuiſſe, nempe in „colliculo, cui pridem impoſita fuit „Eccleſia, ejusdem Divi Doctoris „nomini ſacrata: hanc vero una „cum proventibus, ut vocant Abbatialibus, *Glogolitis* primum, dein„de Proſapiæ *Zriniana*, tandem ſui „Ordinis Patribus *Petri Zrinii* bene„volentia curandam, poſſidendam„que obtigiſſe.„

VI. „Secundo„ (plura *Bombardius* recitat) „propria fide interpoſita, narrat plurima„ (*Pr.* citatus *Szupſzky*) „eaque prope inaudita „in dies miracula ibidem contingere, „maxime vero ab aquis rivuli ſub „eadem Eccleſia, uti non pridem „Auctor ipſe oculis uſurpaſſe meminit, proſilientis, quem ludicro opere *Hieronymus* adhuc puer effodiſſe „fertur. Tertio demum ait in promptu eſſe vetuſtiſſimum volumen, „cui antiquo charactere *Pelbartus de* „*Temesvar* nomen adſcriptum legitur, è quo allata ſtabiliri quam „optime queant, uti & ex *Jacobo Covacio*, aliisque quamplurimis, quibus eadem de Hieronymi patria „mens fuit, præcipue vero ex pervetuſta Chronica, ut ipſe ait: de „rebus *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ*. In „eandem fere ſententiam loquuntur „litteræ cujusdam *Patris è Soc. Jeſu*, „qui Natale Solum, nempe *Cſaktornyenſem* Inſulam cum *D. Hieronymo* „commune habuiſſe, ſancte gloriatur; teſtaturque his affinia quinque ab hinc annis *Belgis Hagiographis* perſcripſiſſe, ut proinde ab iis „plura ſuper hoc argumento nos

ali-

Digitized by Google

„aliquando edocendos confidam. „ Hæc *Michaël Bombardius*, qui univerſam hanc lucubrationem ſequentibus concludit, dicens: *Sentiant interim eruditi, quoad magis ſanum putant; nihil moror.*

VII. Huic ſubjicio in *capitis hujus Titulo* citatum *Innocentium à D. Thoma Aqu. Clericum Regularem piarum Scholarum*, qui in *Commentariolo* mihi *Romæ* ab *A. R. P. Franciſco Kovachich* Ordinis noſtri ibidem Procuratore Generali, A. C. 1746. ſubmiſſo, de Patria *S. Hieronymi* agens 1. & 2. ſuæ Diſſertationis §pho ſcriptorum *Mariani, Victorii, Blondi, Lilii*, & *Inchofferi* opiniones prolixe refert. 3. dein §pho confiniorum *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* terminos examinat, atque ex textu *Plinii* de Noricis loquentis: *Quorum Regio eſt Pannoniis contermina*, credit *Dalmatiam* longius olim excurriſſe, *Croatiamque* hodiernam, & *Slavoniam* usque ad *Noricos* complexam fuiſſe, conſequenter juxta *Plinium* modernam *Slavoniam*, *Croatiamque*, & quidquid ad usque *Mare Adriaticum* tendebat, à dorſo illius ad *Dalmatiam magnam* pertinuiſſe. Hac itaque ratione §pho 4. concludit patriam *D. Hieronymi*, ſive oppidum *Stridonis* vix unius diei itinere diſtare à patria *S. Martini*, ſive *Sabaria*, & minus *Cſaktornya*, & *Petovio*, atque adeo vix quarto à linea *Pannoniæ* lapide, hodieque ad hodiernam *Croatiam* pertinere, aut profecto confinium illius, *Pannoniæque*, ſive modernæ *Hungariæ* exiſtere.

VIII. His concluſis citatus *Innocentius Piariſta* ſuam proſequitur diſſertationem, inquiens: „ *Inchofferus* „ait: ſe locum luſtraſſe curioſe, & „vidiſſe antique *Stridonis* everſæ à „*Gothis* rudera, & reliquias. Ex „quibus concludas: *Strignam* op„pidum *Iſtriæ*, olim *Stridonium*, aliud „fuiſſe à *Stridone* patria *B. Hieronymi*. „Quocirca *Stridonem* hanc vicinam „fuiſſe *Sabariæ*, Patriæ *S. Martini*, & „*Petovio*, *Cſaktornyæque* noſtræ. Ita „ſentit *Joannes Sambucus* in Appen„dice ad *Bonfinium*, in deſcriptione „Hungariæ à *Brodericho* facta, & ab „ſe recognita. Ita *Wolff. Lazius* in „Deſcriptione recentioris Hunga„riæ. Ita *Pyrrhus Ligorius* in Tabula „*Pannoniæ* ante 200. facile annos edi„ta. Ita & *Nicolaus Olahus*, qui in„tra *Muram* & *Dravum* locat *Strido*„*nem*. „

IX. Duobus præmiſſis adjungendus merito foret *P. Timon*, eruditus alias Hiſtoricus, niſi *Pannoniæ*, ſeu *Hungariæ* ſuæ nimium addictus, plura eidem, imo ſuperflua adnectere, Hungaricaque dicere, quæ nunquam Hungarica fuere; & quod plus eſt, Oraculo *Breviarii Romani* (dum *S. Hieronymum* potius *Pannonem* quam *Dalmatam* extitiſſe ſcribit) contraire cenſeretur. Quia tamen locum ad minus naſcitæ S. Doctoris clariſſimis ſuis indigitat ſcriptis, congruum exiſtimo, ut verba ejusdem, quæ in *Imag. Hung. lib. 1.* de Pannonia *c. 10.* leguntur, hic etiam producantur. Sunt autem ſequentia: „ Incompa„rabilem quoque, & maximum Ec„cleſiæ Doctorem *Hieronymum* ſibi „vendicat *Pannonia*. Nam in *Dal*„*matia* proprie dicta, *Joannes Lucius*, „quanquam curioſius omnia excuſ„ſit, nusquam tamen reperit locum, „cui convenirent omnia, quæ de „paterna *Hieronymi* domo recenſent „*Scriptores*. Totius rei, & contro„verſiæ cardo vertitur in explican„do loco ipſius *Divi*, quem habet in „Catalogo *Scriptorum Eccleſiaſticorum*, „eſtque hujusmodi: *Hieronymus Pres*„*byter patre Euſebio natus ex oppido* „*Stridonis, quod à Gothis everſum Dal*„*matiæ quondam, Pannoniæque confi*„*nium fuit.* Unde patet, omnino „falli eos, qui *Stridonem* prope *Mare* „*Adriaticum* ſtatuunt; ſiquidem *Pan*„*nonia* nunquam extendebatur us„que ad *Mare Adriaticum*, neque un-

Digitized by Google

„ quam confinis fuit veræ, & antiquæ *Dalmatiæ.* Igitur in mediterraneis quærenda eſt *Stridon.* Et ubicunque fuerit, *Pannoniæ* potius, quàm *Dalmatiæ* attribuenda eſt: *Pannoniæ* enim fines ſemper iidem, ſtabileſque fuere, *Dalmatiæ*, & *Illyrici* modo contractiores, modo laxiores. Ipſe *D. Doctor* profert eos tacite ad Pannoniam: nuſquam enim meminit *Liburniæ* inter *Dalmatiam*, & *Pannoniam* interjectæ. Quod autem *Stridon* non aliquo ſuperiore, ſed ipſius *Hieronymi* ævo à *Gothis* everſa, eodemque *Pannonia Dalmatia* finitima fuerit, declaratur. Populi illi pulſi ab *Hunnis* transmiſerunt *Iſtrum*, ad annum circiter 376. poſt triennium victi à *Theodoſio* aliquamdiu quieverunt; inde per varias Regiones populabundi inceſſerunt, anno demum 410. *Romam* ceperunt; quo toto tempore vitam, & ſpiritum duxit *D. Hieronymus* admirans: *Captam eſſe urbem, quæ orbem ceperat.* An vero Regionem illam, quæ proprie *Dalmatia* dicitur, eo vivente, quemadmodum *Pannoniam* populati ſint? ſane non liquet. *Joan. Lucius lib. 1. cap. 4.* non diffitetur terram inter *Dravum*, & *Savum* interjacentem ætate *Mauritii Imperatoris* appellatam eſſe *Dalmatiam*: Ego vero *Syrmium* cum tota utique *Pannonia Savia* multo ante *Illyrico*, quod pro *Dalmatia* ſumebatur, adjunctum fuiſſe, plurium teſtimonio jam oſtendi. Quod ſi ita fuit, appoſite *D. Hieronymus* poſitionem *Stridonis* deſcripſit. Locus namque *Stridova*, vel *Strigova* non longo intervallo abeſt à *Dravo* flumine *Pannoniam Savienſem* à cætera dividente. Firmet dicta *Nicolaus V.* Pont. Max. qui Anno 1447. propter memoriam Natalis Soli *D. Hieronymi*, poſtulante *Friderico Cilio* Comite, Banoque *Slavoniæ*, in Templo *Stridonenſi* rite expiatis, pœnas pro commiſſis imminuit. Exemplum litterarum Pontificiarum eſt in Libro, qui *Topographia magni Regni Hungariæ* inſcribitur: editus eſt Anno 1717. *Viennæ Auſtriæ.* Illud vero non modo mirabile, ſed prodigio ſimile videri debet, quod inter tot temporum viciſſitudines, gentium migrationes, *Pannoniæque* vaſtationes memoria patriæ *maximi Eccleſiæ Doctoris* extincta non ſit. Imo vero jam inde à principio *Hungariæ Chriſtianæ* ad locum hunc ſupplicatum eunt frequentes populi, imprimis vero die ſolemni *D. Doctoris.* Nec miraculis vacat locus. Poſitum eſt Templum in clivo in Regione *Saladienſi*, abeſtque à *Mura* amne milliario dimidiato. Procurat rationes ejus ſacer *Ordo Paulinus.* Quondam *Abbatia* clarum erat.„ Hæc clariſſimus *P. Timon.*

CAPUT XLVIII.

Mathias Fuhrman pro Natali Solo S. Hieronymi Stridonem Inſulæ Dravo-Muranæ ſolidiſſimis convincit Argumentis.

OPus præſens dum meditarer, proeoque, ſignanter pro decernendo genuino *S. Hieronymi* Naſcitæ loco, plura in pluribus Authoribus conquirerem, conquiſitaque ad chartulas connotarem, adverteremque multa inter ſe pugnantia vix concordare poſſe: judicabam, librorum copia deſtitutus, conſilio uti virorum eruditorum, quorum plures alto ſuo judicio non defuere, verum & ad præconceptum opus perficiendum

dum conatum ſuum adhibuere, ſuadentes continuo, ut intentionatum laborem proſequerer. Inter reliquos fuit *R. P. Mathias Fuhrman*, natione *Auſtriacus*, Ordinis noſtri eo tum *Romæ* Socius Procuratoris Generalis, vir quemadmodum in Hiſtoricis verſatiſſimus, ita pluribus editis operibus clariſſimus. Hunc, ut dixi, in *Urbe* exiſtentem, dum per litteras ad eum datas pro aliqua informatione res contradictorias ad invicem conciliandas poſtulaſſem, non ſolum me plenarie capacitavit, ſed & res ad invicem pugnantes conciliavit, imo ſua non opinione, ſed concluſione Patriam *S. Hieronymi* certo loco ſtabilivit in litteris ad me de A. C. 1741. XVII. Kal. Maji, datis, & per me ad *Numeros* diſtinctis, tenoris ſequentis.

I. Dilectiſſimo Patri, ac Deſideratiſſimo, & Honorando in Chriſto Confratri Joſepho Bedekovich, Mathias Fuhrman *ſalutem plurimam dicit*. Affeciſti honore, quem pro munere ſuo Tuis ſtudiis haud indignum, & quantulumcunque comminiſtrum judicaſti. Exmiſſas litteris conſignatas tui propoſiti difficultates, ad invicem ſedulo contuli, atque in *Geographo-Hiſtorico-Topographicis* quæſitis, tibi præſtari poſtulaſti, trutinavi, diluique contraria, quæ ſane, fateor, magnopere repugnare videbantur. Hæc cuncta pro poſſe à me collata, trutinata, ac demum diluta, quoad ex ſuppeditante propoſitarum quæſtionum materia fieri poterat, cum annexa concluſione, quid veritati magis conſentaneum, cenſendum eſſe arbitrer, exactiori tuæ trutinæ propoſita, tuoque judicio ſubjecta ſunto. Ad ea, ad quæ incumbis, haud ſufficere, ut ipſe recte meminiſti, probabilia recentiorum Argumenta, itidem ego putarem, ſed potius, quod deſideres etiam habere vetuſtiorum comprobationum adminicula, ſignanter ad aſſerendum: *Quod Dalmatia extenderit ſe temporibus D. Hieronymi usque ad Muram, vel ſaltem Dravum amnem.* Deinceps: *Num Stridon olim pro certo fuerit Epiſcopatus?* Ad utrumque Reſpondeo affirmative, ita quidem, ut *Epiſcopatus Stridonenſis* valde multum referat ad propoſitam quæſtionem. Super quibus, utpote primario, *Stridonium* oppidum, & incomparabilis Eccleſiæ Chriſti Doctoris *Hieronymi*, patriam concernentibus, Paternitas tua, mihi plurimum Veneranda, variorum inter ſe pugnantium recentiorum notavit placita, quibus pro utraque parte nonnulla adjeci, ut ex ſequentibus patebit.

II. *Blondus*, qui non longe *Juſtinopoli* in *Iſtria* intra *Petram Piloſam*, *Portulam*, & *Primontem* ponit oppidulum *Strignam*, olim *Stridonium* dictam, aitque hoc eſſe patriam *S. Hieronymi*, conſentiunt *Lilius*, *Moletius*, & paſſim *Commentatores Ptolomæi*, qui *Stridonem* in *Liburnia* proximam *Blanonæ* locat; *Moletius* vero *Lauſanam* interpretatur: *Marcus Marulus* autem *Blandam*: *Ortelius* porro *Sidronam Illyrici* urbem nunc *Belas* dici aſſerit cum *Nigro*, & *Villanovano*. Quem locum contra *Ludovicus Vergelius Iſtriota* in moderna *Dalmatia* non procul à *Salona* reponit. His accedunt *Carolus Stephanus* in Dictionario *Hiſtorico-Geograph.* verbo: *Stridon*, ſic: *Stridon oppidum in agro Juſtinopolitano, à quo D. Hieronymus ortum habuit; quod à Gothis everſum, Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit. Strignam id vulgus nunc nuncupat, inter Petram Piloſam, Portulam, & Primontem poſitam. Sarignam Blondus vocat.* Et hæc eadem recitantur in alio Dictionario *Hiſtor. Geograph.* An. 1601. *Urſellis* impreſſo. Apud præfatum *Carolum Stephanum*, verbo: *Hieronymus*, hæc leguntur: *Hieronymus ſcriptor Eccleſiaſticus, vir Doctiſſimus, ac Eloquentiſſimus, natus eſt Stridone oppido, ſito in finibus Dalmatiæ, & Pannoniæ, poſtea everſo à Gothis.*

III. Alii aliter cenſentes ab his recedunt, ac quidem *Pyrrhus Ligorius*, cui ſubſcribit *Inchoffer*, *Stridonem* patriam *Hieronymi* ita locans, ut unius diei itinere vix diſtet à patria *S. Martini Sabaria*, minus vero *Petovio*, multoque minus *Cſaktornya*. Accedit *Lazius* cum *Joanne Sambuco Pannonio*, qui *Stridonem* in hodierna *Pannonia* inter *Muram*, & *Dravum* locant. Hos ſequitur *Schönleben*, & communiter vulgus, qui hodiedum præfatum oppidum in *Latino* idiomate *Stridonium*, & *Stridon*: in *Illyrico* vero *Stridova*, & *Strigova* appellat; *Bonfinius* vero *Dec. 3. lib.* 10. corrupte *Iſtrigum* nominat. Ab his videtur olim alienus fuiſſe *Ambroſius Calepinus*, cum recentior ejuſdem Dictionarii ſeptem Linguarum de An. 1689. Editio *Veneta*, eum propterea arguat, mendumque corrigat verbo *Stridon* ita legens; *Stridon longe abeſt (Strigna, ſeu Sdrim) ab agro Juſtinopolitano, qui eſt in Hiſtria, à Pannoniæ finibus diſſita, Japodibus interpoſitis. Eſt autem Sdrim Comitatus Hungariæ ad Muram flumen, inter Lentudum ad occaſum, & Canyſiam arcem ad ortum, ad duo milliaria Hungarica. Inſignis error Calepini, & Onomaſtici circa ſitum hujus urbis in agro Juſtinopolitano, & in confinibus Pannoniæ, & Dalmatiæ.*

IV. Priorum ſententia fundatur in *Geographia*, & quidem *Ptolomæi l. 2. cap.* 17. Ubi in *Illyridis*, ſive *Dalmatiæ*, aut *Liburniæ* deſcriptione, inter civitates *Liburnorum* mediterraneas, & locus, ſeu civitas *Sidrona* proditur, quam illi *Stridonium*, & patriam *S. Hieronymi* interpretantur. Sic enim in hanc vocem citatus *Carolus Stephanus* ſcribit: *Sidrona Ptolomæo lib. 2. cap. 17. Dalmatiæ urbs, alii Sidrona, vulgo Sdrigna, S. Hieronymi patria, Belas Nigro dicitur.* Idem aſſerunt *Joannes Cabilonenſis*, *Montanus*, *Petrus Bertius*, & alii Commentatores in hunc *Ptolomæi* locum, & *Sidronam Stridonium*, vulgo *Sdrignam S. Hieronymi* patriam vocitant; quorum opinionem autem propulſat citata *Calepini* editio *Veneta* verbo: *Sidrona* hiſce: *Sidrona Ptolomæi oppidum Liburniæ Oupero in mediterraneo propinquam, vulgo Belas, non Sdrim, ut in Onomaſtico. Hæc enim (Sdrim) eſt Stridon in Pannoniæ confinio.*

V. Poſteriorum ſententia fundatur in Hiſtoria, ſpeciatim in Legendis ipſius *S. Hieronymi*, in quibus, ac præcipue in correctiſſima ejuſdem S. Doctoris Operum *Pariſienſi* editione, ſtudio, & labore Domini *Joann. Martinieri*, Presbyteri & Monachi Benedictini, è Congregatione *S. Mauri* An. 1706. edita, *Tom. 5. ad init.* hæc leguntur: *Hieronymus noſter in Oppido Stridonis, quod à Gothis nunc everſum, Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit, Patre Euſebio natus eſt.* Eadem recitantur ibi *pag.* 7. ex quinque *Codicibus Manuſcriptis*, iiſque vetuſtiſſimis, uno *Corbejenſis*; altero *Narbonenſis* Eccleſiæ, tertio Monaſterii *Sylvæ majoris* prope *Burdegalam*, quarto *Luxovienſis*, quinto *Sanct-Gallenſis*. His conſonant *Manuſcripti Codices* Monaſterii *S. Andreæ* ſecus *Avenionem*, qui in Natali *S. Hieronymi* Presbyteri recitant: *Apud Bethleem Judæ, Depoſitio S. Hieronymi: Hic natus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam, Pannoniæque Confinium fuit*, ibid. *pag.* 10. His plane conformia habentur in ejus vita, ex ipſius *Syngrammaticis*, è Sanctorum item *Auguſtini*, *Damaſi*, *Gregorii*, *Gelaſii* aliorumque aliquot collecta Tractatibus, ita: *Præfatus igitur Doctor (Hieronymus) Patre Euſebio genitus eſt, ſicut ipſe in Libro de Viris Illuſtribus aſtruit, viceſimo-ſexto anno Imperii Magni Conſtantini, in Oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit, uſque in præſentem annum; id eſt, Theodoſii Principis decimum-quartum; hæc ſcripſi: Vitam Pauli Monachi, Epiſtolarum ad diverſos Librum unum; ad Heliodorum*

Ex-

Exhortatoriam &c. S. Hieron. de Viris Illuſtrib. ſive Scriptorib. Eccleſ. *num. 135. in fine.*

VI. His præmiſſis, jam haud opus erit diſcutere priorum ſententiam; ſiquidem ipſemet *B. Hieronymus* eam refellit docens, digitoque monſtrans oppidum *Stridonis*, & Natale ſuum Solum in *Dalmatiæ*, *Pannoniæque* finibus fuiſſe, non autem in confinio *Dalmatiæ*, & partis *Maritimæ* in agro *Juſtinopolitano*, ſive *Capo d'Iſtria*, ut *Blondus* mavult, aut alibi in hodierna Hiſtria, & antiqua *Liburnia*, ubi *Sidrona Ptolomæi* à dictis recentioribus ſcriptoribus falſo interpretatur *Stridonium* Patria S. Doctoris *Hieronymi*. Luce enim meridiana clarius eſt, aſſertum eorum repugnare Hieronymo, nullamque prorſus in ejus verbis habere rationem, cum nullo tempore *Pannonia* eousque, ac quidem in Hiſtriam, ad agrum *Juſtinopolitanum*, porrecta eſſet, nec *Sidrona* illis in partibus *Dalmatiæ*, *Pannoniæque* confinium extiterit. Quamobrem, jam clarior, multoque probabilior redditur ſententia poſteriorum, qui aſſerunt *Stridonem* ſitam fuiſſe inter *Muram*, *&* *Dravum*, non procul *Petovio*, multo minus *Csaktornya*: ad quam ſententiam pro certo aſſerendam nihil reſtat, niſi ut textum Hieronymi declaremus, dicamusque, ubi, vel quænam fuerint confinia *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ*.

VII. Imprimis declaratur id ex citato *Ptolomæo*, qui utriusque terræ, tam *Dalmatiæ*, quam *Pannoniæ* utriusque, ſuperioris videlicet, & inferioris confinia, ſive terminos haud obſcure deſcribit. Primo de confinibus *Pannoniæ ſuperioris* hæc tradens: *Pannonia ſuperior terminatur ab occaſu Monte Cetio. - - - A Meridie parte Iſtriæ, ac Illyridis. - - A ſeptentrione dicto Norico termino, & ea Danubii parte, quæ eſt à Cetio monte, usque ad divertigium Narabonis fluvii; ab ortu vero ſolis inferiori Pannonia. Ptolom. lib. 2. cap. 15.* Secundo: de limitibus *inferioris Pannoniæ* iſthæc ait: *Pannonia inferior terminatur ab occaſu ſuperiori Pannonia, à divertigio Narabonis fluvii: A Meridie parte Ilyridis: A ſeptentrionibus autem, & ab Oriente terminatur, ea parte Danubii, quæ eſt à Divertigio Narabonis fluvii, usque ad Sai divertigium. Ptolom. lib. 2. cap. 16.* Tertio: De Confinibus *Illyridis*, *Dalmatiæ*, aut *Liburniæ* inquit: *Illyris terminatur à ſeptentrionali plaga utraque Pannonia juxta terminos expoſitos: Ab Occaſu vero Iſtria: Ab Ortu vero ſuperiore Myſia: A Meridie autem terminatur parte Macedoniæ. Idem lib. 2. cap. 17.* Ex quibus deducitur: Quod ſicut *Illyridis*, ſeu *Dalmatiæ* plaga ſeptentrionalis confinia habuit utramque *Pannoniam*, ita etiam, utriusque *Pannoniæ* plaga meridionalis contermina fuerit cum *Illyride*, & *Dalmatia*: nam ſecus nec ad ortum, nec ad occaſum fines ad invicem attingebant. Ideoque patet, quænam fuerint confinia *Dalmatiæ*, *Pannoniæque*. *Ubi* vero? puto me ſcripſiſſe in *Tertia parte* rerum antiquarum *Auſtriæ*, & *Savum* amnem, vel terram *Saviam*, ſive *Interamnenſem Pannoniam* utriusque terræ, ſaltem *Pannoniæ* confinia demonſtraſſe, quam *partem* propterea conſulere non pigeat. Utut legeris, non turberis, dicendum namque erit, confinia illa antiquitus non ſtricte fuiſſe ſumpta, adeo, ut ſub *Conſularibus Romanis* Provinciæ, ſeu Regni late ſumptæ *Illyridis*, fluvius *Savus* ſtrictiſſimus fuiſſet limes inter *Provincias Romanas*, præſertim in iisdem partibus, de quibus eſt ſermo.

VIII. Dicit *Thomas de Pinedo* natione Luſitanus in obſervationibus ad *Stephanum* de Urbibus: *Dalmatia*, *& Illyris*, *ſeu Illyria*, *quæ erant finitimæ*, *confunduntur apud ſcriptores. Illyris vero comprehendebat Dalmatiam.* Sic quoque confunduntur apud ſcriptores *Dalmatia*, & *Pannonia*, cum fuerint

rint finitimæ, juxta terminos ſuperius expoſitos, præſertim in illis partibus, ubi *Illyris*, ſeu *Dalmatia ſeptentrionalis* confinis erat cum *Pannonia meridionali*, quos fines impares, eosque jam à *Dalmatia*, jam à *Pannonia* ſupergreſſos tradunt Authores, ac quidem pro diverſitate temporis, ſcriptorumque diverſorum ratione. Hinc, licet ſecundum *Ptolomæum* fluvius *Savus Dalmatiæ*, ſeu *Illyridis*, & *Pannoniæ* utriusque communiter putetur confinium fuiſſe; & *Strabo* Geograph. *lib. 7. de Illyr.* illis in terris plane locum ſignificet, quousque *Pannonia* meridiem, & *Dalmatiam* verſus porrecta eſſet, cum de *Illyride* latepatente ſcribat: *Reliquam plagam Pannonii obtinent, usque ad Segeſticam* (meridiem verſus) *atque Iſtrum ad ſeptentrionem:* ac ſic terminos ad *Savum*, & *Colapim* usque, aut *Siſciam*, & *Zagrabiam* conſtituat, tamen etiam *Dalmatia* ſe quondam protendiſſe ad *Dravum*, & *Muram* flumina viſa eſt ſcriptoribus, quia *Suetonius* bellum, quod *Octavius Auguſtus* geſſerat in *Pannonia*, aut ſaltem in confinibus *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ*, non *Pannonicum*, ſed *Dalmaticum* appellat: *Externa bella Adoleſcens adhuc, & Antonio devicto, Cantabricum, Dalmatico etiam vulnera accepit una acie, dextrum genu lapide ictus. Sueton.* in Oct. Aug. *cap.* 20. quod, ut pluribus in meis partibus rerum Auſtriacarum demonſtravi, recitans Textus originales, contigit in *Pannonia*, ſignanter apud civitatem *Petovium.*

IX. Nil igitur magis certum videtur, quam Provinciam *Saviam* (quæ à *Savo* fluvio usque ad *Dravum*, & confluentia *Muræ*, & *Dravi* porrecta eſſet) confinium fuiſſe inter *Dalmatiam*, & *Pannoniam* ac cuncta loca in Provincia *Saviæ* merito dici potuiſſe, poſita fuiſſe in utriusque Provinciæ, *Pannoniæ*, & *Dalmatiæ* limitibus, adeo ut ex una parte, & *Pannoniæ* confiniorum extremitate ad *Savum*, *Strabo* affirmet, & *Segeſticam* urbem, ſeu *Siſciam* ad *Zagrabiam*, *Pannoniarum* terminum fuiſſe ſcribat; id ex altera parte, & *Dalmatiæ* confiniorum extremitate circa confluentia *Dravi*, & *Muræ* affirmat *Hieronymus*, & *Stridonem* ſuam patriam *Dalmatarum* ultimum terminum intelligere videtur. Cum enim clare dicat: *Oppidum Stridonis Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuiſſe*, litem dirimit, dubiumque omne longe propulſat, docens inæqualia, ac in diverſis ibidem locis confinia, præcipue cum dicat: *Stridonem quondam*, & non *ſemper*, nec tunc, quando hæc ſcripſit, nec forſan, quando natus eſt, *Dalmatiæ, Pannoniæque* confinium fuiſſe.

X. Quibus ita trutinatis, patet, quàm bene *Ptolomæus*, & *Strabo* circa late ſumpta confinia *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* conveniant cum *S. Hieronymo*, qui, quod illi ex parte *Pannoniæ* ſcribunt, ex parte *Dalmatiæ* prodit; quique locum ſuæ patriæ *Stridonem*, quam probati Authores intra *Dravum*, *Muramque* locant, omninò ibidem fuiſſe affirmat, ac digito monſtrat, & non alium locum (cum de alio paris nominis nuspiam in illis partibus indicium exſtat) fas eſt exiſtimare fuiſſe patriam ejusdem *S. Doctoris*, niſi qui hodiedum adhuc genuinam, primævamque *Stridonis* retinet appellationem, utpote locus iſte ſitus eſt in ſtrictis antiquis *Dalmatiæ*: latis autem *Pannoniæ* finibus.

XI. Nec obſtat, quod *Breviarium Romanum* in ejus feſto recitet: *Hieronymus Euſebii filius, Stridone in Dalmatia, Conſtantino Imperatore natus.* Neque refert, quod *Baronius Tom.* 4. Annalium Eccleſiaſticor. *A. C.* 372. *num.* 40. ſuæ Hiſtoriæ inſeruerit: *Natus eſt* (*Hieronymus*) *Stridone in Oppido Dalmatiæ.* Nam eodem jure, & titulo, quo dici poteſt: *natus in Dalmatia*, dici etiam poteſt: *natus in Pannonia.* Hoc jus probatur primo ex

Digitized by Google

ex ipſius *Hieronymi* verbis in *Sophoniæ cap.* 1. dum dicit: *Teſtis Illyricum eſt, teſtis Thracia, teſtis, in quo ortus ſum ſolum.* Quibus *Illyricum*, quo *Dalmatia*, & *Liburnia* continebantur, à patria ſua, quæ ſita eſſet in extremis *Dalmatiæ*, latis autem *Pannoniæ* finibus, ſeparat, ac magis *Pannonium* ſe, quam *Dalmatam* profitetur. Probatur ſecundo ex Actis *Concilii Nicæni I.* ſub *Conſtantino Magno* celebrati, in quo *Domnus* Epiſcopus *Stridonenſis* non *Dalmata*, ſed *Pannonienſis* ſubſcriptus invenitur. De quo *Carolus à. S. Paulo* in *Geographia Sacra*, ſive *Notitia antiqua* omnium Diœceſium Patriarchalium, Metropolitica-rum, & Epiſcopalium Veteris Eccleſiæ *lib.* 3. de *Illyrico* ſic diſſerit: *Pannonia inferior, ſeu ſecunda, & Savia. Stridon D. Hieronymo, cujus patria fuit, vulgo Sdrigna. Domnus Stridonenſis Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Nicæno primo.* In quo eodem Libro, præter *Stridonenſem* alios etiam *inferioris Pannoniæ* Epiſcopatus, nempe *Siſciam, Szisżek: Syrmium Sirmiſch: Murſam, Eszek, &c.* eorumque Epiſcopos ſpecificat. Et *Marcus Hanſiz S. J.* Germaniæ Sacræ *Tom.* 1. *Corollar.* 4. ait: *Stridonem urbem multi Dalmatiæ tribuunt: ſed rectius tribuitur Pannoniæ: nam idem Domnus, qui duobus in locis eidem Concilio (Nicæno) ſubſcriptus eſt, cum in uno vocetur Stridonenſis, in altero appellatur Pannonienſis &c.*

XII. Confirmatur ex *Litteris Pontificiis* apud *Hanſizium*, quibus docemur: ſedes Pontificias, ſeu Epiſcopales utriusque *Pannoniæ* Metropoli *Laureacenſi* in *Norico Ripenſi* ſitæ, ſubjectas fuiſſe; quas inter ſpeciatim *Sirmienſis, Petovienſis, & Celejenſis* recenſentur; non autem *Stridonenſis*. Quia vero ex recitatis conſtat *Domnum* fuiſſe Epiſcopum *Stridonenſem*, certe his annumerandus eſt etiam Epiſcopatus *Stridonenſis*, illumque, uti alii, ſubjectum fuiſſe Metropolitano *Laureacenſi*, ac per conſequens non *Dalmatam*, ſed, ut ſua ſubſcriptio teſtatur, *Pannonienſem* fuiſſe. Æquum igitur utrumque cenſendum, ſive in *Dalmatia*, ſive in *Pannonia* natum *Hieronymum* dicere, quia in confinibus, ut ipſe loquitur, ſe natum profitetur. Præterea memorat *Hanſizius cap.* 8. hæc: *Erat Oppidum Stridonis in Dalmatiæ, Pannoniæque confinio. Et cumprimis nomine memorabile, quod prope hoc ipſum tempus* (primi Concilii Nicæni) *Hieronymum, illud peritiæ ſacræ prodigium in hanc lucem ediderit, & adhuc Pannoniæ cum Dalmatia lis eſt de loco ejus oppidi, quibusdam in Pannonia propria cis Dravum, aliis contra trans Savum, ubi Stridona eſt, collocantibus.* Quod ultimum, circa *Stridonem trans Savum*, emendavit, & in citato *Corollar.* 4. aperte contrarium affirmat, & ad magis comprobandam ſuam ſententiam, expreſſit etiam poſt Epiſcopatum *Petovienſem* inter *Muram*, & *Dravum* Epiſcopatum *Stridonenſem* in *Tab.* 1. Geographica cum ſupra ſcripto Titulo: *Metropolis Laureacenſis ſub Romanis cum Epiſcopatibus Norici, & Pannoniæ.* Quam eandem *Tabulam*, ex ea accurate deſumptam in minori forma, cernis in mea *Part.* 1. rerum Auſtriacarum: & tuo operi non fuerit inutilis, ſi eam pro tuo genio noviter ſculptam adjunges.

XIII. Ex quibus omnibus hæc ſummatim colligo, & concludo. Hallucinanter ſane omnes, qui neſcio cujus ductu *Sidronam Ptolomæi* civitatem *Illyridis*, ſive *Liburniæ* mediterraneam interpretantur *Stridonium*, & *Chriſti Eccleſiæ* incomparabilis *Doctoris Hieronymi* Patriam. Reclamat ipſe *Hieronymus*, quippe qui Natale ſuum Solum in *Dalmatiæ, Pannoniæque* finibus ſitum ſcribit, idemque, quod de plagis utriusque Provinciæ, *Dalmatiæ* ſcilicet *Septentrionalis*, & *Pannoniæ Meridionalis* conterminis, *Ptolomæus*, & *Strabo* tradunt, affirmat, dum ait: Oppidum *Stridonis Dalmatiæ* quondam *Pannoniæque*

 con-

Digitized by Google

confinium fuiſſe; quibus per *Stridonem* Provinciarum confinia, & per confinia *Stridonem* digito demonſtrat ſuam Patriam. Idipſum liquet ex Actis *Concilii Nicæni I.* quibus *Domnus* ſubſcriptus legitur, Epiſcopus *Stridonenſis*, *Pannonienſis*, quod profecto de alio loco intelligi nequit, niſi de *Stridone* oppido in dictis conterminis, ab ipſo *Hieronymo* paucis ſat bene deſcriptis. At quis, quæſo, Authorum *Stridonenſem* Epiſcopatum in *Dalmatia* ſtrictis terminis definita locat, eamque *Laureacenſi* Metropolitano ſubjectam fuiſſe notat? nullus certe. Quis item veterum prodit, ut *Blondus*, & alii aſtruunt, *Sidronam* civitatem *Iſtriæ* olim *Stridonium* dictam? Ecquis tradidit *Pannoniam* antiquam protendiſſe ſuos terminos ad agrum *Juſtinopolitanum Iſtriæ*, quo illi *Stridonium* collocant, & confinium *Dalmatiæ*, *Pannoniaque* fingunt? Certe cum omnis vacillet probatio, explodenda eſt *Blondi*, aliorumque ſententia, qui quod limites nimium quantum excedant, parum fida, & à veritate aliena obtrudere videntur, cumque aliunde ratio nulla aliter credendi affulgeat, palmam merentur *Pyrrhus Ligorius*, & *Melchior Inchoffer*, qui *Stridonem* patriam *Hieronymi* non procul *Petovio*, minus vero *Csakternya* in Inſula inter *Muram*, *Dravumque* locant, præ oculis plerumque habentes textum, quem *Florus* Hiſtor. *cap.* 12. & *Jornandes* de Regnor. & Tempor. Succeſſ. intuitu *Pannoniæ* finium producunt in hæc verba; *Pannonii duobus ſaltibus, & tribus fluviis Dravo, Savo, Iſtroque vallantur.*

XIV. Accipe igitur has meas reflexiones vultu placito, & æquo animo, meos qualeſcunque conatus æqui, bonique conſule; & ſi quid deprehenderis minus ſolidum, tuo ſtudio, & peritia in re litteraria facile poteris ſolidare, magis, magisque congaudens gratulabor tibi, imo cunctis *Pannoniis*, ſi Patriam D. *Doctoris Hieronymi* contra adverſantes, tuam eſſe demonſtraveris; tibique vendicaveris eum, quem alii tam inepte, quam inique cupiunt trahere ad ſuas partes. Judicem te appello, dirime litem inter Litigantes, quæ non ab heri, aut nudius tertius, ſed per ſæcula durat. Perge in tuis cœptis, & ut *Pauli Monachi* tui Patris filius, non deſiſte concelebrare laudibus Natale Solum illius, qui ſcripſit, & concinnavit laudes tui Patris *Pauli Monachi*. Hoc ut facias, te etiam, atque etiam pro jugi mea in te benevolentia oro, & obteſtor. Vale.

CAPUT XLIX.

Firmat idipſum Joannes Chriſtophorus de Jordan.

I. UNum adhuc, eumque è recentiſſimis, & præmemoratorum Authorum, & meam de Patria *S. Hironymi* firmantem opinionem produco Authorem, Illuſtriſſimum Dominum *Joannem Chriſtophorum de Jordan* Sacræ Regiæ Majeſtatis Hungariæ, & Bohemiæ Conſiliarium Bohemico-Aulicum, virum varia, eaque haud vulgari, & præprimis *Hiſtorica*, *Geographica*, ac *Topographica* eruditione clariſſimum, & quidem oculatum non tantum ipſius oppidi *Stridonis* inſpectorem, verum etiam aliarum partium, & locorum olim ad *Pannoniam ſuperiorem*, & *inferiorem* pertinentium *Krapinenſem* usque urbem Luſtratorem, ac accuratum viarum ſuarum, adhibito Inſtrumento Geometrico, quod rotarum revolutiones numerare ſolet, dimenſuratorem. Qui occaſione paris itineris

ſui

Digitized by Google

ſui A.C. 1743. confecti, me quoque, in *Cſaktornyenſi* eo tum Conventu ad *S. Helenam* reſidentem, per tranſennam inviſere, atque mecum, quantumvis indigno, notitiam, atque amicitiam, pluribus expoſt Epiſtolis firmatam, contrahere dignatus eſt. Ubi eſto pro breviſſimo tempore gratioſa ejus præſentia frui potuerim, attamen, prius ab aliquo de meo meditato opere edoctus, me adhortari ſerio non deſtitit, quatenus illud ſuſcipere, atque ad deſideratum plurium eruditorum virorum conſpectum promovere haud intermittam, appromitens ſe etiam pro poſſe ſuo ad ejusdem operis perfectiorem elucubrationem cooperaturum.

II. Hic itaque eruditiſſimus vir, operis ſui *Vindobonæ* A. C. 1745. impreſſi, cui *Titulus* de Originibus Slavicis *par. 3.* Apparatus Geographici, *ſect. 26. num.* 413. de oppido *Stridone* ſequentia ſcribit: „*A Lendva* viam „Regiam *Cſaktornyam* verſus tantum „tenui usque ad trajectum *Muri* „fluvii, dein ex altera ripa viam fle„xi ad *Strigovo*, ſeu *Stridonium*, pa„triam *S. Hieronymi*. Jacet id oppi„dum in extremo vallis oblongæ „montibus viniferis undique ferme „circumdatæ. Capella ibi eſt, ho„nori ejusdem Sancti dicata in mon„ticulo; ex cujus radice fons aquæ „ſalutaris promanat. *Stridonio* us„que *Sanct-Marton* eadem via redii, „dein circum factis jam montibus, „& itinere ad dextrum flexo, in „viam regiam reincidi. Pars viæ „non menſurata habere poteſt or„gyas circiter 1000. pars altera men„ſurata usque *Cſaktornyam* 5800. us„que ad *Dravi* minorem alveum, at„tamen cum ambagibus 6440. eſt „itaque diſtantia à *Muro* fluvio ad „*Dravum* 13240. Porro *Inſula* di„varicato *Dravi* alveo circumfuſa in „latitudine habet orgyas 300. In „ripa dextra *Dravi* usque *Varadi*„*num* deſcendendo inveni orgias „1420. Ex latere dextro *Dravi* pla„nities magna, & fertilis eſt circa „*Varadinum*, quæ dein ſemicirculo „montium à ſitu *Ludbrino* orienti, „arcis *Ivanitz* Occidenti, & usque „ad *Vinitza* ſeptentrioni obverſorum „circumdatur. „ Hæc laudatus *de Jordan loc. cit.*

III. Quid autem *Idem* de *Stridone* patria *S. Hieronymi* ſentiat, memorati Operis ſui *par.* 2. introductionis in Origines Slavicas *cap.* 14. §. 34. poſtquam *præc.* §. traditionem ſedium *Chebi*, & *Lechi* fratrum, olim in *Croatia* intra *Dravum*, & *Savum*, arcibusque eorum *Krapina*, & *Pſari* explanaſſet, traditionem quoque Patriæ *D. Hieronymi* prolixiori diſcurſu exponit. Sed antequam hanc nos Benevolo Lectori proponamus, quid *de Traditionibus* ſentiat, quidve quilibet ſentire debeat inſinuandum judicavimus. „ Sane *Traditio*, (inquit *Joan. de Jordan loc. cit.* §. 33.) „ ut ut „in factis per amplas circumſtantias „diffuſis variare ſoleat, in iis ſimpli„cioribus ſaltem, quæ nec rudiſſimi „cujusque comprehenſionem, aut „memoriam effugere poſſunt, nem„pe, quæ genti patria anterior im„mediata? quis ei in præſentes ſe„des educendæ dux? quod nomen „habitaculi ejus prioris fuerit? ubi „in præſentibus ſedibus primitus „domicilium fixerit? &c. omnem „fidem meretur, atque in ea omnis „origo Sacræ, & profanæ hiſtoriæ, „ſæculum ſcriptorum ferax pro„greſſa, fundatur; quam *Traditio*„*nem* ab aſſenſu eliminare velle, idem „eſt, ac nihil de antiquitate, ne pro„babiliter quidem cognoſcere velle. „ Eo magis autem *Traditioni gentili*, „& *perpetuæ*, de qua hic, acceden„dum, quod coævis *Romanorum* tunc „temporis ſcriptorum maximopere „adjuvetur. „ Hoc præmiſſo au„dienda eſt lucubratio circa patriam *D. Hieronymi* memorati *Don Joan. de*

Digitized by Google

Jordan quam hic nos per numeros diſtinctam ſubjicimus.

IV. *Traditioni* modo dictæ de ſede quondam *Chebi*, & *Lechi* fratrum, in arcibus *Krapina*, & *Pſari*, accedit alia *Traditio*: Patriam *S. Hieronymi*, ſeu *Stridonem* oppidum, in eo oppido, quod hodie vulgo *Strigovo*, latine autem, usque nunc *Stridonium* appellatur, & inter inſularem quaſi anfractum *Muri*, & *Dravi* fluviorum jacet, ſupereſſe. (Voluit forte hic clariſſimus vir uberiori calamo de patria *S. Hieronymi* diſſerere, omiſit tamen, & ſe ad meam compromiſſam evocat elucubrationem, quam ego neque tam celeriter conficere ob defectum Librorum, ſignanter *Geographicorum*, neque ob ſumptuum inopiam publicæ luci usque modo exponere potui) poſt quam provocationem, inquit: *Satis mihi erit duplex teſtimonium S. Hieronymi ipſius de patria ſua depromere.*

V. Is (ait ulterius *Joan. de Jordan*) in operum ſuorum *Tom. 1. pag. 132. editionis Antverpien. de An.* 1579. ſic ſcribit: *Hieronymus, patre Euſebio natus, Oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit, usque in præſentem annum, id eſt: Theodoſii Principis decimumquartum, hæc ſcripſi.* Item *Tom. 5. p.* 207. ait: *Iram quippe Domini etiam bruta ſentiunt animalia: & vaſtitas urbibus, hominibusque interfectis, ſolitudinem, & raritatem quoque beſtiarum fieri, & volatilium, piſciumque, teſtis Illyricum eſt, teſtis Thracia, teſtis in quo ortus ſum, ſolum: ubi præter cœlum, & terram, & creſcentes vepres, & condenſa ſilvarum cuncta perierunt.* Combinanda hæc ſunt, ut genuinus ſenſus eliciatur, tum cum ſcriptis alibi ab *Hieronymo* ipſo: tum cum *Geographicis* deſcriptionibus *terrarum Romanarum* circa has partes.

VI. In *Chronico* ille (ut *ſup.* §. 32.) ſcripſit: *Limigantes* exules in *Solum Romanum* receptos nomine ſpeciali *Arcaragantium* venire. In *Epiſtola* ad *Heliodorum* ſcripſit: *Viginti, & eo amplius anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim, & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam* (minorem in Thraciis) *Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam* (Ripenſem cis Danubium) *Theſſalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata* (*Jazyges* intelligit) *Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt.* Porro quæ *S. Hieronymus* de everſione *Stridonis* per *Gothos* habet, combinanda ſunt cum relatis *Ammiani Marcellini ad A. C.* 378. qui de *Gothis*, cum ſociatis ſibi ſolertia *Fertigerni* (ut inquit) *Hunni*, & *Alanis Conſtantinopolim* oppugnantibus, tandem autem re infecta deſiſtentibus agens, ſubjungit: *Barbari exinde digreſſi ſunt effuſorie per Arctoas Provincias: quas peragravere licenter, ad usque radices Alpium Juliarum, quas Venetas appellabat antiquitas.*

VII. Ex *Geographica* deſcriptione *terrarum Romanarum* circa ſitum, de quo eſt quæſtio, hæc notanda veniunt. *Illyris* in genere, ſeu *Dalmatia*, ſub ſe comprehendebat *Liburnos* in litoralibus Orientalibus *Iſtriæ*, ab *Arſia* fluminis oſtio incipiendo, & ad *Colapis* fluvii fontes, & montes Albios progrediendo, per totum *Flanaticum ſinum*: dein ad *Colapim* fluvium *Japydes*: & de reliquo à *Scardona* usque ad *Macedoniam*, & verſus *Danubium* usque ad *Savum* fluvium, & *Mœſiam ſuperiorem*, *Dalmatas* in ſpecie ſic dictos in *Dalmatia* tam *mediterranea* (in qua hodierna *Boſnia*, & pars *Servia*) quam *maritima*. Terminus *Dalmatiæ ſeptentrionalis* hic maxime conſiderandus, erat *Pannonia*. Hanc *Ptolomæus* linea ducta à fine occidentaliſſimo *Cetii* montis (id eſt: à monte *Gallenberg* circa *Savum*, confiniaque *Carnioliæ*, & *Cilejæ*) in limitem *inferioris Pannoniæ* (quem modicum

cum tamen *meridionaliorem* ponit *Siſcia* civitate) terminat; ita ut, excepta ripæ meridionalis exigua parte, *Savus* ipſe tum inter partem *Norici*, & *Italiam*, ſub qua *Ptolomæus* *Iſtriam*, & *Carnos* complectitur, tum inter *Dalmatiam*, & *Pannoniam* limitem conſtituerit.

VIII. In *Pannoniæ* hujus *veteris* parte, *Dalmatis*, *Carnis*, & *Noricis* viciniare *Itinerarium Hieroſolymitanum* ſub *Conſtantino Magno* A. C. 333. confectum, *loca Romana* ad *Dravum* fluvium recenſet; *Ramiſtam*, *Aquam vivam*, *Populos*, & *Joviam* civitatem, quæ hodiernis locis *Zaurich*, *Marget* (ex errore forte *Typographi*, vel ipſius *Authoris Joan. de Jordan*, vocabulum exprimere ignorantis, *Majerje* in campo *Varadinenſi*, in via Regia *Ludbreginum* verſus exiſtenti) *Schemovetcz* & *Ludbring* conveniunt. Interiora dein, & montano ſitu aſperiora, vallibus tamen, modo arctis, modo patentioribus diſſecta, verſus *Savum* fluvium, & *Siſciam* civitatem, Comitatus *Zagorienſis* (in quo *Krapina*, ſedes quondam *Chebi*, *Lechi*, & *Ruſſi* ſita, occupat. Occidentalior pars Inſulæ ſic dictæ *Cſaktornyenſis*, ubi *Stridonium* patria *S. Hieronymi* in hodierno oppido *Strigovo* viſitur, & tota reliqua vicinia, quorſum olim *Limigantes Slavi* poſiti fuerant, ejusdem aſperioris ſitus eſt. Planities autem fertiles, quæ *Romanarum Coloniarum* animos attrahere poterant, inveniuntur circa *Varadinum*, *Petovium*, *Celejam*.

IX. Ex hucusque dictis nunc colligendum *Primo*: *Romanæ Coloniæ*, ſervatis ſibi ſitibus felicioribus, parum ſolliciti de aſperioribus, ut gentibus aliis traderentur, eſſe poterant; cedebat enim id in illorum proprium commodum, & gentium harum labor, & induſtria commercia illis adaugebat. *Secundo*: Non commixtus eſt populus receptus cum *Coloniis Romanis*, ſed ſeparatim habitus, & *Arcaragantium* nomine à *Græciſantibus Coloniis* inſignitus eſt: unde, & ſeparata quaſi regio hæc à *Pannonia*, & *Dalmatia* fuit. *Tertio* valde notandum: *Pannoniam* tempore eo, quo ſcribebat *S. Hieronymus*, nempe poſt An. 378. fuiſſe in poſſeſſione *Hunnorum*, ſed usque ad *Muram* fluvium tantum; pars autem quæ *Pannoniæ veteri* inter *Muram*, & *Savum* adſcribebatur, apud *Romanos* manebat. Recte igitur *S. Hieronymus* terram hanc, & patriam ſuam confinium *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* (intelligendo illam de propria: hanc de *Hunnica* ſui temporis) nominavit, ut denotaret, ſe ortu nec *Pannonem*, nec *Dalmatam*, ſed *Arcaragantem* eſſe, quem populum, unde ſit, jam in *Chronico* explicaverat. *Quarto*: Hoc ſenſu itidem clara eſt *S. Hieronymi* lamentatio de vaſtitate per *Barbaros* inducta; *Tomo* 5. enim *Thracias*, omnes *Thracicas*, per *Illyricum* autem *Dalmaticas* Provincias usque ad *Savum*, & per *Solum*, in quo ſe ortum dicit, *Arcaragantium* terram à *Savo* ad *Muram* usque extenſam intelligit. *Quinto*: Hic loci *Gothi* oppidum *Stridonem* everterunt, dum An. 378. à *Conſtantinopolis* obſidione divertentes provincias *Arctoas*, ut ait *Ammianus Marcellinus*, usque ad *Alpes Julias* peragravere licenter, id eſt; dum, ut ipſe quoque *S. Hieronymus* alibi dicit: præter *Thracicas*, & *Macedonicas* provincias, in *Dardaniam*, *Daciam Ripenſem*, *Dalmatiam*, cunctasque *Pannonias* provoluti, omnia per gyrum hunc, usque ad *Alpes Julias*, conſequenter & patriam *S. Hieronymi Pannoniæ*, & *Alpibus* interjectam, evaſtarent. *Sexto*: *Strigna Blondi* locus *Iſtriæ* inter *Pinguente*, & *Capo d'Iſtria*, & alia loca *Litoris Adriatici*, quæ ab aliis Auctoribus pro patria *S. Hieronymi* adſtrui volunt, nullo modo conveniunt. *Euſebii* (qui pater fuit *S. Hieronymi*) ſepulchrum, quod ibi inveniri dicitur, non probat, locum

Digitized by Google

ſepulturæ eundem eſſe cum loco prioris manſionis; poterat enim *Euſebius*, *Chriſtianus* factus, manſionem eam è medio popularium ſuorum *Ethnicorum* in ſedes alias, ubi *Chriſtianitatis* conſortium majus, transferre, & ibi animam reddere.

X. Sane *S. Hieronymus*, ut Sacram Scripturam; ita Hiſtoriam profeſſus eſt. *Euſebii Hiſtorici Chronicon Græcum* in *Latinum* vertit, & ab An. 326. usque ad mortem *Valentis* Imperatoris An. 378. proprio ſtylo continuavit: adeoque tam Geographiæ, quam Hiſtoriæ gnarus admodum fuit, & nunquam ſe in confinio *Pannoniæ*, *Dalmatiæque* ortum dixiſſet, ſi patria illa litoralibus *Maris Adriatici*, *Dalmatiæ* quidem vicinis, ſed à *Pannonia* intermediante *Liburnia*, & *Japydia*, longiuſque ſeparatis deberetur. Si ille *Hiſtoriam* ultra mortem *Valentis*, à qua primum *Gothicæ* evaſtationes cis *Danubium ſuperiorem* cœperunt, diducere ſtatuiſſet, definitius omnino de loco, & tempore everſæ ſuæ patriæ diſſerendi anſam habuiſſet. Nunc tamen nobis id ſufficere poteſt, quod ipſe ſat adhuc teſtatus eſt, & quod de cætero traditio perpetua, & oppidum ipſum *Stridonium*, capellâ in honorem hujus Sancti exornatum, commonſtrat. Hæc de patria *S. Hieronymi* laudatus *Don Joan. de Jordan.*

XI. Sæpius *citatus Don Joan. de Jordan* hac ſua lucubratione meminit quorundam *Arcaragantium*, qui ut benevolo Lectori innoteſcant, *idem loc. cit.* §. 12. eos ex textu *S. Hieronymi* in Epiſt. ad *Heliodorum* ſcripta comprehenſo (*Sarmatæ limigantes Dominos ſuos, qui nunc Arcaragantes vocantur, facta manu, in Romanum ſolum expulerunt*) ſequentibus explicat. „Populus in *Romanum Solum* receptus „ſingulari nomine *Arcaragantes* vocati ſunt, quod *Græcæ* derivationis „eſſe videtur, ab ἀρχέω, arceo, pro„pulſo, ἐργω, vis, impetus, & cæ„terum ex nomine genti à *Germanis* „indito *Antium* ſive *Antarum*. *Ar„caragantes* itaque dicebantur *Antes* „*vi expulſi*. Hinc etiam tractus ter„ræ, quem *Limigantes exules* in *Ro„mano Solo* occupabant, iis, qui di„ſtinctive de gentibus loqui vole„bant, *Arcaragantium terræ*, ſeu *Co„loniæ* nomine venit. „ Horum *limigantium Slavo-Sarmatarum* dein *Arcaragantium* dictorum, memini & ego *cap. 38. num. 12.* Quod de ſepulchro *Euſebii*, Patris *S. Hieronymi*, clariſſimus ſupracitatus *Don de Jordan* in ſua lucubratione de Natali Solo nominati S. Doctoris hic *num.* 9. circa finem, ſive opinione propria, ſive Scriptorum authoritate fultus diſſerit, vix fide dignum videtur. Nam ipſemet *S. Hieronymus* Epiſt. 119. ad *Pamachium* ſcripta teſtatur parentes ſuos in patrio ſolo ſepultos eſſe, his verbis: *Compulſi ſumus Fratrem Paulinianum in patriam mittere, & ſemirutas villulas, quæ barbarorum effugerant manus, & parentum communium habent cineres, venderet.* Ubi per verba: *Et parentum habent cineres*, indigitat, quaſi parentum ſuorum ſepulturam. Unde ſi alio quopiam loco ſepulchrum *Euſebii* extare ſcribatur, id vix erit *Euſebii* parentis *D. Hieronymi*, niſi tale eſſe ſepulchrali inſcriptione probetur; verum alterius cujuspiam eximii viri, qui pari nomine vocitari poterat, plures namque homines uno, eodemque nominali vocabulo, ſicut modernis; ita etiam vetuſtiſſimus temporibus, compellari potuiſſe, certiſſimum eſt, quod de facili ex priſci ævi hiſtoriis probari quiret, niſi prolixitatem vitaremus. Quibuscum meam de patria *S. Hieronymi* lucubrationem præcitatorum celebrium Authorum judicio roboratam finio, & iterum dico: *S. Hieronymum* natum eſſe *Stridone* oppido in hodierna *Dynaſtia Inſulæ Murakōz* ſituato. Sentiant interim alii, quod ma-

Digitized by Google

magis ſanum putant. Ego ab his transeo ad deſcribendam paulo ante memoratam *Dynaſtiæ*, ipſiusque *Stridonis* oppidi ſitum, hiſce opus hoc meum levidenſe concluſurus.

CAPUT L.

Deſcriptio Inſulæ Muro-Dravanæ.

I. UT tandem peragratis *Pannoniæ*, *Dalmatiaque* vetuſtæ, & novæ, nec non *Croatiæ*, & *Slavoniæ* modernæ limitibus, repertoque diſtrictu Natalis Soli *D. Hieronymi*, ipſum ſubeamus, illudque antequam oppidum *Stridonis* ingrediamur, quid rei quondam fuerit, & quid actu ſit? inveſtigare non inconſultum judicamus, quatenus exterus etiam quisque, his lectis, viam ad oppidulum hoc, dum illud ſive devotionis, ſive videndi gratia adire voluerit, facili negotio invenire valeat. Dixi paulo ante Diſtrictum hunc vocari *Inſulam Muro-Dravanam* (quamvis etiam per Antonomaſyam à principali ejusdem Caſtro *Inſula Cſaktornyenſis* vocitetur) quæ in *Slavonico*, ſeu *Croatico* idiomate *Medgyumorje*, in Hungarico vero *Muraköz* appellatur, ex eo quod plagam hanc terream à Meridie, & ſeptentrione bini fluvii *Dravus*, & *Mura*, hic quidem *Hungariam* verſus ad ſeptentrionem, ille vero *Slavoniam* verſus ad meridiem, infra *Legradinum* oppidum ad Orientem conſpirantes ambiant; ad Occidentem porro pariter bini exigui, imo quandoque deficientes anonymi torrentes, unus quidem in *Dravum*, alter autem in *Muram* ſe exonerans (horum unum *Joan. de Jordan* Orig. Slavic. *cap. 14. §. 36.* ſed non notat quem, *Broſicam* nominat: Et probabiliter erit ille qui pagum *Nemsko Szrediſche* vulgo, Latine vero *Polſteravium* præterfluit, *Styriamque* ab Inſula dividit, ab incolis *Grajéna* dictus) & aliæ metales in ſolido ad Parochiales Ducatus *Styriaci*, *Polſtraverienſem*, *S. Nicolai*, & *omnium Sanctorum* Eccleſias, ac ad oppidum *Luttenbergam* (quæ olim Romanis, teſte *Lazio* apud *Schönlebenium* Appar. Carniol. *cap. 6. §. 3. num. 7.* *Lentudum*, & *Leonata* dicebatur) conſtitutæ ab ipſa *Styria* dirimant. *Bombardius* quidem Topogr. Reg. Hung. *par. 1. ſegm. 1. §. 12. num. 8.* Oppida *Polſteravium*, & *Ormosdinum* (quod, ut *Joann. de Jordan* Appar. Geograph. *ſect. 26. num. 307.* Item *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par. 3. lib. 4. cap. 3.* opinantur, à *Romanis Curta* nominabatur) Inſulæ *Muro-Dravanæ* includit, prouti & *Hübnerus par. 2. cap. 1. pag. 198.* Sed de his, utut ſit, nos Inſulæ hujus longitudinem 8. circiter miliaribus Germanicis, latitudinem vero quatuor definimus.

II. *Dravus* porro fluvius, ut *Cluverius* Vind. & Noric. *cap. 6. num. 10.* notat, in Alpibus *Norici Ripenſis*, nunc *Carinthiacis*, & *Murus*, ſive *Mura* pariter in *Norico Mediterraneo*, nunc *Styria ſuperiori* orti, longumque tractum *Noricorum*, id eſt *Carinthiæ*, & *Styriæ*, ſed nec modicam partem *ſuperioris* olim *Pannoniæ* præterfluentes, tandem in ipſo limite *inferioris Hungariæ* commiſcentur, Inſulamque, de qua hic ſermo eſt, efficiunt, ingens eidem commodum præſtantes non ſolum molarum, verum etiam dum robora, & aſſeres pro cujusque deſiderio, ad ædificium qualecunque neceſſaria in ſufficientia, atque ad amuſſim ratibus devehunt. Dum *Jornandes cap. 52.* de Diviſione *Pannoniæ* inter *Oſtrogothos* Fratres

Digitized by Google

tres *Valamirum*, *Theodemirum*, & *Vidimirum* facta agit, *Dravum* fluvium *Scarnijungam* nominat, ex quo forte eo tum tali nomenclatura, vel forte etiam utraque notabatur. De *Mura* fluvio à quibusdam Hiſtoricis, & Geographis, ſignanter *Ptolomæo lib.* 2. *cap.* 16. etiam *Savarias* nuncupato audiatur primo *Joannes de Jordan* Appar. Geogr. *ſect.* 24. *num.* 398. inquiens: „ *Ptolomæus* intelligit *Dravum* fluvium, quem ipſe *Darum* vocat, à Barbaris autem *Dara* vocari „ dicit: rectius autem *Draum*, & *Draa* „ dixiſſet. Fluvius alter, qui hic „ *Savarias* nuncupatur, *Mubr* fluvius neceſſario eſt: nomine enim „ fluviorum etiam in aliis ſcriptoribus quandoque variant, & nomen „ *Sava* pluribus fluviis commune „ olim fuit, ſicut in *Laſnitz*, qui *Arabonem*, in *Styria* influit, hodieque „ adhuc vocetur.„ Hoc intellecto audiatur etiam *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par.* 3. *lib.* 4. *cap.* 6. ſic differens: „ *Murus*, ſeu *Mura* in „ *Styria*. De hoc fluvio ex nullo alio „ informamur, quam ex *Ptolomæo*, qui „ dum de *Mureola* civitate mentionem facit, exiſtimat, quod vel civitas fluvio, vel fluvius civitati nomen indiderit. *Cluverius* Vind. & „ Noric. *pag.* 36. Item *Lazius* Comment. Reipub. Rom. *lib.* 12. *p.* 984. „ dicunt *Mueram à Mureola nominari*, „ *quam Ptolomæus Savariam vocaſſe videtur*. Attamen, ſicut incertum, & „ confuſum primum eſt, ita parum „ fidei poſteriori adhibere poſſumus: „ quandoquidem idem Author *Lazius loc. cit. pag.* 967. plures fluvios „ eodem nomine *Savar* vocitet (cum „ tamen nonniſi ejus nominis unicus „ ſit) ita ſcribens: *Savariâ triplici*, „ *quorum alterum bodie Mueram Styri* „ *à veteris municipii nomine ad ripam* „ *quondam ejus poſiti*, *boc eſt Mureolæ* „ *memoria vocant*: *alterum vero in bunc* „ *usque diem Saanum Cilejenſes appellant*: „ *tertium autem Sabariam præterfluere* „ *D. Quirini biſtoria docet*, *quem bodie* „ *Ginzium appellant*. *Ut veriſimile ſit* „ *omnes minores fluvios ejus Provinciæ* „ *Savarias à nomine Provinciæ nominatos*. „ Sed nemo mortalium ſimilis nominis meminit, quod videlicet in „ his regnis aliquando Provinciarum „ aliqua Savar nominata fuiſſet, niſi „ forte nomen proprium fuiſſet illius „ fluvii, qui *Sabariam* civitatem præterfluit, at actu communiter *Ginzius* appellatur. Hinc neque *Mura*, neque *Saana* poterat unquam „ *Savaria* vocitari. Et eſto *Ptolomæus* „ de aliquo fluvio *Savarias* cognominato mentionem faciat, nullus „ alius juxta *Schönlebenium* Appar. „ Carniol. *cap.* 5. §. 7. *pag.* 171. intelligendus venit, quam *Murus*, ſeu „ *Mura*. Citatus namque *Schönleben* „ dicit: *Savarias fluvius*, *Norici*, & „ *Pannoniæ*, *qui bodie Mura dicitur*. „ Hinc meo videri fluvius *Savarias* „ pro nullo alio intelligendus eſt, „ quam pro fluvio *Ginzio*: *Mura* „ vero pro eo, quem citatus *Ptolom*. „ ſiniſtre, vel recte *Darus*, ſeu *Dara*, „ alii autem rectiſſime *Murus*, ſeu „ *Mura* ſcripto notarunt.„

III. Pro faliciori horum intelligentia audiatur iterum *Joan. de Jordan*, qui Appar. Geograph. *ſect.* 19. *num.* 342. reprehendit *Strabonem lib.* 7. referentem *Savum* in *Dravum*, hunc vero in *Noarum* apud *Segeſticam*, ac tandem *Noarum* hauſto *Colapi* amne in *Danubium* exire, & ſimul cum reprehenſione dirimit litem *Fuhrmannianam* cum *Lazio* ſupra deſcriptam dicens: „ *Savus* dicitur in *Dravum* in„ fluere, cum revera hi fluvii tota „ *Pannoniâ mediâ*, ſeu *Savia* dirempti „ nullibi commiſceantur, ſed ſeparatim in *Danubium* ruant; *Dravus* „ dicitur in Noarum decurrere, & quidem apud *Segeſticam*, quæ in vicinia „ *Siſciæ*, ſeu *Sziſzek* hodierni olim „ fuerat, & ubi alii fluvii non, niſi „ *Colapis*, & *Savus* concurrunt, deinde *Colapis* influxus ita ponitur, quaſi „ infra *Segeſticam* primum eſſet. Quis-

„ cun-

„cunque primus conſcriptor horum „confluentium fuerit, vel ſpecies „confuſas ex duobus fluviis ad *Celejam* concurrentibus, & dein in *Savum* verum, à conſcriptore jam „novo nomine *Noari* inſignitum, „collabentibus (quorum unus *Saan*, „conſcriptori *Savus*, alter *Köding*, „& *Dravi* vicinia procedens conſcri„ptori *Dravus* nuncupatas) hauſit, „vel, ut potius credendum, *Savum* „alium, nempe *Murum* fluvium in„tellexit, qui æque olim *Savus*, di„cebatur; *Ptolomeus* enim confluen„tiam *Dravi*, & *Muri* fluviorum ex „nominis *Daros* loco *Dravi*, & *Savios* „loco *Muri*, ſeu *Muræ* componit. „ab hoc *Savo*, vetuſtæ compellatio„nis, *Savaria* colonia, quæ & *Saba„ria*, hodie Germanicè Stein am „Anger/ Hungaricè *Stambothel* dicta, „nomen ſuum trahere videtur, eo „quod hæc Colonia territorium „ſuum extenderit usque ad *Murum* „fluvium. Quidquid autem ſit, tex„tus *Strabonis*, qui in Notis editio„nis *Amſtelodamenſis* controvertitur, „ex duplici *Savo* eſt complicatus, & „*Strabo* particularium ſituum igna„rus, diverſas notitias duplicis *Savi* „in unum congeſſit.„ Ex quibus hucusque productis eruitur fluvios, qui Inſulam noſtram ambiunt, duplici olim nomine vocitatos fuiſſe, & quidem meridionalem *Scarnijungam*, & *Dravum*, ſeptentrionalem autem *Savarias*, & *Muram*.

IV. Modernum oppidum *Cſaktornyenſe* antiquitus, *Romanorum* forte tempore, *Aquama* teſte *Lazio* Reipub. Rom. *lib.* 12. *ſect.* 4. *cap.* 2. & *Schönleb.* Appar. Carniol. *cap.* 5. §. 1. *num.* 6. confirmante, dicebatur; ſed quemadmodum nunc per antonomaſyam vocitatur terrenum totum *Dravo*, & *Mura* fluviis irrigatum *Inſula Cſaktornienſis*, poterat etiam eo tum pari ex ratione, à principali videlicet diſtrictus oppido idem terrenum vocitari *Aquama*, quia aquoſum, & inter aquas ſitum. Hoc regulariter dividi poteſt primo in *Montanum* & *Campeſtre*. Illud in 50. *Promontoria* diſtinctum, & *Styriam* usque protenſum ab utraque parte, ſicut fertili, ita amœna circumdatum planicie, ampliſſimisque vineis conſitum, generoſiſſimique vini feraciſſimum plures centenos Vinicolas, & Montaniſtas variarum pomiferarum arborum fructibus, ac frumento etiam omnis ſpeciei circa vineas progerminante intertenet; quibus neque animalia cornuta, atque quadrupedia ob fœni in vallibus ſubcreſcentis, arborumque glandiferarum ſufficientiam, neque altilia, neque ligna pro foco, neque fontanæ aquæ, aliaque ad vitæ competentem ſuſtentationem neceſſaria deſunt. *Campeſtre* porro Inſulæ terrenum, quod à Montano modice infra Eccleſiam Parochialem *S. Georgii in Aquis* incipit, *Legradinumque* usque protenditur, dividi etiam poteſt in *ſuperius*, ac *inferius*. Pro ſuperiori exiſtimari poteſt diſtrictus utpote elevatior, qui à Monaſterio *S. Helenæ* juxta *Montanum* ſeptentrionem verſus usque ad Parochialem Eccleſiam *S. Martini*, inde vero juxta *Muram* fluvium deſcendendo usque ad Sylvam *Hercbovecz*, ab hac vero per circuitum à Villa *Dekanovecz* ad *Tomaſſinecz*, ab hac dein ad *Gardinovecz*, *Beliczam*, *Priſzlavecz*, & Eccleſiam Parochialem *S. Michaëlis* progrediendo, ac tandem ad memoratum Conventum *S. Helenæ* (qui potius *inferiori parti* adſcribendus venit, eſto potioritatem poſſeſſionum ſuarum habeat in ſuperiori) regrediendo conſpicitur. Inferius Inſulæ terrenum cenſendum eſt illud, quod rurſus à Monaſterio *S. Helenæ* juxta montes ad *Preſzekam* villam, ejusdemque nominis, ut quidam arbitrantur, ſed potius *Grajenam* torrentem occidentem verſus porrigitur, inde vero juxta eundem torrentem usque ad *Dravum* fluvium, ac conſequenter juxta hunc deſcendendo usque op-

Digitized by Google


pidum *Legradinum* incluſive, & inde uſque ad confluentiam *Muræ* in *Dravum* (infra namque fluvius *Mura* nomen amittit, totusque fluvius unius *Dravi* nomine uſque ad *Danubium*, in quem ſe exonerat, compellatur) protenditur, ab hinc vero juxta *Muram* aſcendendo uſque ad ſupramemoratam Silvam *Hercbovecz* ſituatur.

V. Et quamvis ſic diviſa Inſula paluſtribus aquis, ſeu Lacubus, ſignanter in inferiori campo, quàm copioſiſſimis, uti eſt *Paiſtuba*, *Piaiſche*, & *Jurcbevchi*, minus quidem piſcoſis, ſed *Lampretarum*, ſeu *Chikovum* feracibus, ſcateat, exundationibusque aquarum frequentioribus obnoxia ſit, Villis tamen ſeu Pagis colonicalibus 103. & oppidis 7. ſat amplis proviſa, præter *Dominium Baſſum*, Nobilitatem quoque, non exiguam, ac Clerum tam Eccleſiaſticum, quam Religioſum, uti & Ruricolas frequentiſſimos, ex ampliſſimo fertiliſſimorum camporum, ac Vinearum proventu, nec non Thabaccæ procreatione alit, ac veſtit. Et eſto Inſula utraque *Montana*, & *Campeſtris*, ſignanter ad *Dravum*, & *Muram* amnes, Silvis, uti ſunt: *Murſchak*, *Hercbovecz*, *Topolovecz*, *Cherlenyak*, *Karlovcbak*, *Ferencbak*, & *Katanſcbak*, referta ſit, Incolæ tamen lignorum ad ſervandum focum, calefaciendasque per hyemem fornaces, & vel maxime roborum ad conſtruenda domorum ædificia defectum non exiguum (cum lapidum copia non habeatur) ſentire coguntur, vel quia arbores glandiferæ, vel plerumque ad *Baſſum Dominium* ſpectantes, ad uſum plebis de facili, & nonniſi erga pretium, conceduntur. In Silvis his non unus *Aprorum* grex (qui frequentius miſeris Ruricolis, niſi ad agros ſuos noctes privigiles ducant, ingentia damna in ſegetibus cauſare ſolent) prouti etiam *Damarum* copia, nec non in infinitis quaſi dumetis *Leporum* quoque, ac *Vulpium*, uti & *Phaſianorum*, *Ficedularum*, aliarumque minorum, ac majorum avium multitudo non exiguum *Baſſo Dominio* (Nobilitati namque, æque ac Ruſticitati Venatio publica, & privata interdicitur) tam ad uſum proprium, quam ad ærarii augmentum affert emolumentum.


VI. Præter fluvios *Dravum*, & *Muram*, per ſe piſcoſos, quibus alluitur Inſula, pluribus etiam, ſed exiguis, ſi *Ternavam*, *Szratkam*, & *Rakovniczam* exceperis, utcunque etiam piſcoſis, vertendis tamen molendinis aptiſſimis fluviis irrigatur. Denique totus quantus diſtrictus iſte antiquitus *Hortus Slavoniæ ſuperioris*, ſicut *Syrmium Hortus Slavoniæ inferioris* compellabatur. Hinc non immerito apud *P. Joan. Kazy* Comment. Rer. Hung. Croat. & Tranſylv. ad A. C. 1569. inter plurimas Arces, plurimaque Dominia, quæ per deceſſum inſignium familiarum ad Fiſcum *Regium*, vel potius ad *Sacram Hungariæ Coronam*, à qua profecta ſunt, redierunt. Hæc quoque Dynaſtia ex veteri quodam ſcripto æſtimatur Fl. Rhen. 500000. quamvis & 50000. Uſurii, ſeu Intereſſe, ſi œconomia bene, ac regulariter adminiſtretur, importare poſſe perhibeatur. Sed quia ubique bonis, favorabilibusque, quaſi de lege, oportet eſſe mixta mala, atque odioſa, idcirco neque in hac prælaudata terræ plaga defuere, deeruntque, ita, etſi cum præinſinuatis bonis validi terræmotus, uti fuere A. C. 1589. 1679. & 1738. frequentiores *Dravi*, & *Muræ*, aliorumque torrentium ex Montibus defluentium exundationes, frequentiſſimæque omni quaſi vere, & æſtate fulguribus, tonitruis, ac fulminibus, nec non grandinibus plenæ ex vicina *Styria* ortæ vehementes tempeſtates, quæ Incolis præter ingentem horrorem,

rem,

Digitized by Google



Digitized by Google


TABULA TOPOGRAPHICA
INSULAE MURO - DRAVANAE
Intra
Hungariam inferiorem et Slavoniam superiorem ſituatæ.
HUNGARIAE PARS.
STIRIAE PARS.
CROATIA.
SLAVONIA.
CAMPUS SUPERIOR.
CAMPUS INFERIOR.
Lendava
Canisa
Lutenberg.
Rudera Neo-Zrinii
Murus fluvius
Dravus fl.
Dravus flu.
Herchavecz
Rexovicza fl.
Topolovacz
Cherlenjax
Carlovchax
Ferenchax
Pelova
Szratkafl.
Preloka fl.
Polſterau
Ottox
VARASDIN.
Loca ſic notantur.
Caſtella
Oppida
Eccleſiæ Paroch.
Eccleſiæ Filial.
Vici
Hungar.
German & Hiſpan.
Gallica.
Italica ſive Angl.
Scala Milliaria.

rem, plurima etiam in frugibus, & ædificiis inferunt damna, æqua dimenſurentur lancea, vix felicitas bonorum præponderabit infelicitatem malorum.

Tabula Topographica Inſulæ Muro-Dravanæ;

Cujus numeri deſignant loca ejusdem Inſulæ ſuis Nominibus appellata.

1. *Legradinum, Oppidum.*
2. *Dubrava inferior.*
3. *Koturiba, Oppidum.*
4. *Vidovecz inferior.*
5. *Druſilovecz.*
6. *Sancta Maria.*
7. *Mihalyevecz inferior.*
8. *Chukovecz.*
9. *Draskovecz.*
10. *Oporovecz.*
11. *Gorichan.*
12. *Hemuſſovecz.*
13. *Czirkovlyan.*
14. *Kralyevecz inferior.*
15. *Perlakinum, Oppidum.*
16. *Hudoſſan.*
17. *Hraſchan inferior.*
18. *Chehovecz.*
19. *S. Georgius in Spinis.*
20. *Dvoriſche.*
21. *Ottok.*
22. *Puſztakovecz inferior.*
23. *Palinovecz.*
24. *Torſchiſche.*
25. *Podbreſzt.*
26. *Tomaſſinecz.*
27. *Dekanovecz.*
28. *Draſimerecz.*
29. *Sztrelecz.*
30. *Allodium Dominicale magni campi.*
31. *Gardinovecz.*
32. *Orehovicza.*
33. *Sancta Crux.*
34. *Benkovecz.*
35. *Jurchovecz.*
36. *Palovecz.*
37. *Novakovecz.*
38. *Szoboticza.*
39. *Belicza.*
40. *Turniſche.*
41. *Volaria.*
42. *Steffanecz minor.*
43. *Steffanecz ſuperior.*
44. *Pribiſzlavczi.*
45. *Szivicza.*
46. *Ivanovecz.*
47. *Vidovecz ſuperior.*
48. *Totovecz.*
49. *Puſztakovecz ſuperior.*
50. *S. Rochus.*
51. *Mihovlyani, ſeu S. Michaël.*
52. *Putian.*
53. *Buſſovecz.*
54. *Chaktornya Oppidum.*
55. *Arx Chaktornyenſis.*
56. *Marthani.*
57. *Szauſzkaveſz.*
58. *Gurſanecz.*
59. *Sztrabonincz.*
60. *Nedelicium, Oppidum.*
61. *Ferketinecz.*
62. *Miklovecz.*
63. *Krſovecz.*
64. *Kralyevecz ſuperior.*
65. *Kriſtanovecz.*
66. *Machkovecz.*
67. *Peklenicza.*
68. *Vratiſſinecz.*
69. *Siskovecz.*
70. *S. Helena Monaſt. PP. Paulinor.*
71. *Preterinecz ſuperior.*
72. *Preterinecz minor.*
73. *Hraſchani.*
74. *Szrechan.*
75. *Obreſan.*
76. *Maczinecz.*
77. *Ternovecz.*
78. *Senkovecz.*
79. *Zaſzad.*
80. *Markovchina.*
81. *Marhatovecz.*
82. *Strukovecz.*
83. *Zebanecz.*
84. *Szlakovecz.*

Digitized by Google

85. *Brézje.*
86. *Lopatinczi.*
87. *S. Georgius in Aquis.*
88. *Szerdahely.*
89. *Brattyanecz.*
90. *Szelnicza.*
91. *Pleskovecz.*
92. *Dragoſzlavczi.*
93. *Novoſzelo.*
94. *Vukanovecz.*
95. *Konozovdol.*
96. *Hlapichina.*
97. *Nova Curia.*
98. *Sabnik.*
99. *Verbovlyan.*
100. *S. Martinus in Pomorje.*
101. *S. Margaretha.*
102. *Vukovecz.*
103. *Borke.*
104. *Vugniſſinecz.*
105. *Mihalyevecz ſuperior.*
106. *Bogdanovecz.*
107. *Dubrava minor.*
108. *Dubrava ſuperior.*
109. *Badlichán.*
110. *Préſzeka.*
111. *Hernyé.*
112. *Sztanetinecz.*
113. *Lobovecz.*
114. *Ternovſchak.*
115. *Szlatinyak.*
116. *Grabrovnik.*
117. *Brezovecz.*
118. *Jurovecz.*
119. *Mihalyevecz minor.*
120. *Lapſina.*
121. *Cheſchina.*
122. *Vukovje.*
123. *Gibina.*
124. *Saffarſzko.*
125. *Ratczkaniſa.*
126. *Beſebicza.*
127. *Globoko.*
128. *Leſzkovecz.*
129. *Peſta.*
130. *Eccleſia S. Hieronymi.*
131. *Stridon Oppidum.*
132. *Banffy.*

CAPUT LI.

De Incolis Inſulæ Muro-Dravanæ.

I. EXpeditis iis, quæ ad ſitum *Inſulæ Muro-Dravanæ* non mediocriter faciunt, nihil alienum à re noſtra exiſtimo, ſi, qui primis, qui mediis, qui poſterioribus temporibus hanc terram incoluerint, breviſſima, qua fieri poterit methodo, in hunc locum ſubnectam. Et quamvis in ſcriptorum inopia ad hoc me, ut videlicet ſingulorum populorum *Inſulam Muro-Dravanam* olim incolentium nomina, eorumque primas Origenes producam, difficulter reſolverim, faxo tamen pro poſſe aliorum uſus exemplo, Authorumque, quos ad manus habere quivi fultus relatione. *Cap. 1. num. 4.* dixi ex pluribus Authoribus *Cetios* à *Cethim*, filio *Javan*, nepote *Japheti* progenitos circa *Cetium* montem, qui à *Danubio* ſupra *Viennam* initium ſumens per ipſam *Auſtriam*, *Styriam ſuperiorem*, & *inferiorem*, ſignanter autem per *Vindorum Marchiam*, item in parte per *Slavoniam ſuperiorem* concatenatus, in plures tamen ramos ſub diverſis Nomenclaturis diffuſus *Labacum* usque protenditur, atque ad ripam *Savi* terminatur, primitus, id eſt, poſt linguarum confuſionem, & populorum, familiarumque *Noe* diſperſionem, habitaſſe. *Schönleb.* Appar. Carn. *cap. 6.* §. 2. contendit *Japydes* à primo progenitore *Japheto* ſic dictos cum *Cetiis* eodem tempore terram circa *Cetium* montem incolere cœpiſſe. Retuli præterea *cap. 1. num. 2.* ex *Aventino*, *Iſtrum* filium *Ebri* à *Thuiſcone* miſſum in regionem ab *Adula* monte usque ad *Meſembriam* ſe

Digitized by Google

ſe exporrigentem, eumque *Iſtro* fluvio celebre ad poſteros nomen dediſſe: qualiter autem id accidere potuerit? notavi *cap. 1. num. 6.* Ex quibus ibidem recitatis, colligitur: *Iſtrum* cum ampliſſima ſua familia habitaſſe ad meridionalem *Danubii* plagam, per ſolum *Iſtrum* fluvium à *Thuiſcone* (qui cum ſuis poſteris omnes Regiones intra *Danubium*, & *Mare magnum* ſeptentrionem verſus occupaverat) diviſus. *Cap. 2. num. 1.* inſinuavi ex *Strabone* Veteres *Græcorum* ſcriptores univerſas gentes ſeptentrionales ſupra *Pontum Euxinum*, *Iſtrum*, & *Mare Adriaticum* habitantes *Hyperboreorum*, *Scytharum*, & *Celto-Scytharum*, ac tandem *Celtarum* tantum appellatione affeciſſe. Qui porro populi *Celtica* nomenclatura notabantur? recenſui *cap. 2. num. 3.* & 4. ex *Cluverio* dicente: *Sub uno Celtarum nomine quinque olim comprehenſas fuiſſe validiſſimas nationes; Illyros, Germanos, Gallos, Hiſpanos, atque Britannos.*

II. Quinque *præc. num.* nominati populi *Cetii*, *Iſtri*, *Japydes*, *Hyperborei*, & *Celtæ* nonniſi unicum populum *Aboriginum* (ut *Joan. de Jordan.* Appar. Geograph. *sect. 18. num. 327.* explicat) denotare poſſunt. Nomina namque hæc omnia communia fuere multis, & reſpective univerſis *Europæ* populis. Multi *Cetii* fuerunt, ſi *Cetius* à *Cethim* nepote *Japheti* derivatur. *Iſtrii* dici poterant, qui ad utramque *Iſtri* fluminis ripam per longum habitabant. Omnes extitere *Japydes*, ſi hi poſteri *Japheti* dicantur. *Celtarum* nomen à **Kalt** / ſeu **Kälte** / id eſt, à regionibus frigidioribus apud *Schönlebenium* deductum, & *Hyperboreorum*, quaſi ad Boream habitantium commune quoque erat pluribus nationibus ad ſeptentrionem vergentibus, conſequenter omnes hi populi nonniſi nomine *Aboriginum* per totam *Europam*, *Græciâ*, & *Italiâ* excepta, intelligendi veniunt. Ex quo mihi inferre licet: Quod ſi Inſula noſtra *Muro-Dravana* mox ſub principium populorum, & familiarum ex *Aſia* in *Europam* migrationis inhabitata fuit (hoc enim aſſerere nequeo) nonniſi à *Cetiis*, *Iſtriis*, & *Japydibus*, qui & *Hyperborei*, ac *Celtæ* nominabantur, inhabitata extitit; adeoque hos memorata *Inſula* noſtra tanquam unicum populum ſuorum *Aboriginum* recognoſcere, & venerari obligatur.

III. Expoſui *cap. 2. num. 5.* ex *P. Fuhrman*, qualiter *Illyri* ad A. M. circiter 2480. relictis ſupra inſinuatis *Cetiorum*, *Iſtriorum*, *Japydum*, *Hyperboreorum*, & *Celtarum* nominibus, ſe ſimpliciter *Illyros*, à Duce, vel Rege ſuo *Illyro* denominaverint. Hos ſub principium ejusdem denominationis exiguum Regni ſui diſtrictum habuiſſe demonſtravi *cap. 4. num. 2.* quod autem ſucceſſu temporis per acceſſionem diverſorum ex *Aſia*, & *Europa* populorum, *Colchorum* videlicet *Henetorum*, & *Gallorum* limites regni ſui prolongaverint, atque in quinque celeberrimas nationes *Illyriorum*, *Liburnorum*, *Japydum*, *Iſtriorum*, & *Scordiſcorum* ſub una *Illyricorum* nomenclatura ſe diviſerint, *cap. 3. n. 16.* deſcripſi, ubi priorum quatuor populorum incolatus limites ex Authoribus *ibid.* citatis, ultimorum autem *cap. eod. num.* 14. definivi. Quis ſtatus fuerit *Illyrii* ſub *Alexandro Magno* circa A. M. 3710. *cap. 8. num. 1.* & 2. detexi, & quod ſe eo tum *Illyricum* incluſo ſibi *Norico Mediterraneo* ad *Iſtrum* usque fluvium extenderit *cap. eod. num. 3.* ex *Livio* remonſtravi. Ex quibus deducitur *Illyros* etiam per modernam *Croatiam*, & *Slavoniam* habitationes ſuas habuiſſe, conſequenter & in *Inſula Muro-Dravana*. Poſt *Aborigines* igitur, quemadmodum vicinas Inſulæ memoratæ partes, ita & ipſum *Illyri* primi incoluere.

IV. Impugnabit me probabiliter quispiam ex ipſismet meis ſcriptis

Digitized by Google

cap. 5. num. 7. Ubi dixi primores *Illyrorum* nationis potius *Græcæ* fuiſſe, conſequenter idiomate *Græco* uſos fuiſſe, adeoque nequiviſſe *Illyros* partium harum, de quibus hic agitur, incolas extitiſſe, ſiquidem & nationem, & linguam diverſam à *Græca*, nempe *Latinam*, ſignanter tempore Dominatus *Romanorum*: item *Illyricam*, ſeu *Slavonicam*, ac tandem *Germanicam* etiam inter poſteriores *Illyros* viguiſſe, *cap. eod. num. 8.* demonſtraverim. Cui objectioni obviavi *cap. 9. num. 6. & 7.* Ubi retuli, qualiter mortuo *Alexandro Magno Cappadoces* natio *Henetica* ex *Aſia* in *Illyricum* migraverint. Item *cap. 11. n. 2. & 3.* in quibus retuli, qualiter *Antenor* circa A. M. 2892. cum *Henetis* gente *Paphlagonica* ſe à *Trojano* excidio ad viciniam *Maris Adriatici* contulerit, ibidemque ædificatis quibusdam urbibus conſederit. Præterea *cap. 5. num. 6.* in quo inſinuavi, qualiter præmemorati *Heneta* ſenſim, & ſenſim à *Mari Adriatico* in *Illyricum* ſe translocaverint, ſeque per familias *Illyris* commiſcuerint, ita, ut ex *Henetis*, & *Illyris* una gens, moribus, & lingua æqualis, ſub nomenclatura *Illyrica* effecta fuerit: imo ſucceſſu temporis *Henetæ* prævalentes abolita lingua *Græca*, nonniſi ſuam *Heneticam* pro uſu communi per totum *Illyricum* habuerint. Quinam porro dicti *Henetæ* fuerint, & quo idiomate ſermocinabantur *cap. 10. per totum* explicui. Adnotavi itidem *cap. 6. num. 4. Celtas*, ſeu *Gallos* Duce *Belloveſo* in *Inſubriam* per *Illyricum* ad A. M. 3449. tranſiiſſe, atque ex his non exiguas copias in *Illyrico* apud *Henetas* ſedes fixiſſe: quos pariter cum familiis *Henetarum* per connubia coadunatos ſucceſſive unam gentem moribus, & idiomate nihil diſcrepantem effeciſſe dixi *cap. eod. num. 5.* ubi & retuli *Gallos* hos natione *Germanos* extitiſſe. Retuli præterea *cap. 12. n. 6.* quosdam *Jaſos* nationis *Illyricæ* ad *Dravum* fluvium in campo *Varasdinenſi*, horum vero contribules circa *Budam*, *Strigonium*, *Commaromium*, & *Quinque Eccleſias* habitaſſe. Item *cap. 12. num. 2.* inſinuavi *Henetos*, ſeu *Venedos* ex *Sarmatia* ad *Danubiales* etiam partes commigraſſe, ibidemque ſedes locaſſe, ac ſe ſenſim cum aliis *Henetis Adriaticis* conjunxiſſe, atque taliter unicam gentem *Illyricam* ſub diverſis nomenclaturis per totam modernam *Hungariam*, *Moraviam*, *Auſtriam*, *Croatiam*, *Dalmatiam*, *Slavoniam*, *Serviam*, *Bulgariam*, *Iſtriam*, *Styriam*, *Carinthiam*, *Carnioliam* conſtituiſſe. Adeoque nihil me aberraſſe exiſtimo, quod *Illyros*, ex diverſis gentibus in unam nationem per connubia, & vitæ ſocietatem coaleſcentes, primos poſt *Aborigines* incolas *Inſulæ Muro-Dravanæ* extitiſſe dixerim. Si etenim *Bardyles* primus alias *Illyriorum* Rex à ſcriptoribus notatus, ſed à *Szentivanio Catal. 84.* etiam *Pannoniæ* ad A. M. 3696. quo jam nomenclatura *Pannonia* (ut *cap. 22. n. 4.* notavi) nota fuerat, nuncupatus pro *Illyris*, & *Pannonibus* bellum contra *Macedones* gerebat: Si *Agron* Rex *Illyriorum* A. M. 3820. *Agriam* urbem, ut *cap. 3. num. 15.* inſinuavi: & *Gentius*, pariter *Illyriorum* Rex ad A. M. 3882. civitatem *Mogentianam*, ut *cap. 4. num. 6.* remonſtravi, ædificarunt, de neceſſe concludendum cenſeo, meram *Illyricam* gentem in præenumeratis modernis Regnis eò tum habitationes ſuas habuiſſe; cum & ipſi *Pannones* olim *Illyrica* natio, ut *cap. 22. num. 3.* retuli, extiterit, ſucceſſu vero temporis per acceſſionem ad eos ex *Sarmatia* nationis *Heneticæ*, ſeu *Venedicæ* in nationem *Illyricam*, ob idiomatis probabiliter identitatem, ut *cap. eod. num. 5.* concluſi, coaluerit, atque ex eo fors eosdem Reges cum *Illyris* agnoverint, ut *cap. 14. num. 1. 2. & 3.* dixi, usque ad *Theutinum* primum *Pannoniorum* Regem, de quo etiam *cap. eod. num. 3.* diſſerui.

V.

V. His ita dilutis ad inviſendos reſiduos *Inſulæ Muro-Dravanæ* incolas progreſſum facturus, metuo, ne deviem, cum nullum quaſi ex vetuſtioribus ſcriptoribus manuductorem habere queam. Certum quidem ex præallegatis exiſtimo hos *Illyros* fuiſſe, ſed quo nomine vocitatos? nullibi invenio. Inſinuavi *cap.* 3. *num.* 14. & *cap.* 17. *num.* 6. Item *cap.* 23. *num.* 3. *Scordiſcos*, poſtquam ad A. M. 3944. à *Minucio* Conſule *Romano* ex *Macedonia*, & *Thracia* pulſi fuiſſent, intra *Savum*, *Dravum*, & *Muram* fluvios habitaſſe, idque ex *Bonfinio*, & *Schönlebenio* me ſufficienter probaſſe exiſtimo, ubi & civitates ab ipſis inhabitatas ex *Strabone*, *Jornande*, & *Schönlebenio* indigitavi. Sed opponet quis *Scordiſcos* non fuiſſe *Illyros*, verum *Gallos*, qui ut tales ab omnibus fere ſcriptoribus recognoſcuntur. Pace opponentis reſpondeo primo: Quid inde ſi *Scordiſci* non fuerunt *Illyrica* natio? mihi ad præſens ſufficit demonſtraſſe eos fuiſſe olim *Inſulæ Muro-Dravanæ* incolas. Reſpondeo ſecundo: me non negare cum migratione *Gallorum* etiam *Scordiſcos* Duce *Belloveſo* in *Illyricum* advenifle: ſed neque opponens negare poterit, ſi *Joan. de Jordan* Orig. Slavic. *cap.* 1. §. 5. fidem adhibere velit, dicenti: *Duplices Scordiſcos fuiſſe.* Cujus aſſertum mihi interpretari ex *Appiano* liceat; priores *Scordiſcos* fuiſſe eos, qui à *Scordiſco* filio *Autarii*, nepote *Illyri* denominatione *Scordiſcorum* ſumpta ſe in *Thraciam*, & *Macedoniam* collocaverant, inde vero, ut paulo ante dictum eſt, migrare coacti intra *Dravum*, & *Muram* conſederunt. Alios vero *Scordiſcos Gallos* exiſtimo fuiſſe, qui in *Servia* hodierna non procul à *Danubio* ad *Savum* habitabant, ipſique, uti & reſidui *Galli*, conjuncti per familias *Illyro-Heneticæ* nationis, *Illyro-Henetæ* efficiebantur, ſignanter dum ejusdem nominis populos ex *Thracia*, & *Macedonia* ſibi commiſceri advertebant.

VI. Non diu tamen pacificas *Scordiſci* hi habuere in *Inſula Muro-Dravana* ſedes: nam ad A. M. 4000. *Bærebiſta* Rex *Dacorum*, ſeu *Getarum*, ut *cap.* 24. *num.* 1. notavi, per ſuam *Pannoniæ*, & partis proximæ *Illyrii*, quæ fuit *Inſula Muro-Dravana* depopulationem, pulſis ab inde incolis, vaſtam deſertamque reddidit. Raro itaque ab hac evaſtatione cultore gaudentem *Pannoniam*, & memoratam *Illyrii* partem usque ad *Dravum* fluvium *Marcomanni*, & *Quadi* occuparunt, ſibique pro primo Rege *Marobodum* præfecerunt; ſub quo occupatam ita Regionem pacifice usque ad *Auguſti* tempora poſſederunt, patientibus id *Dacis*, qui *Pannoniam* manutenere non cenſebant; patientibus id *Romanis*, qui nihil adhuc in *Pannonia*, & *Norico* ſubjugaverant. Cum vero præfatus *Auguſtus* A. M. 4038. aliquos, A. M. autem 4043. omnes populos *Illyridis*, & *Norici* deviciſſet, noluit quoque *Marcomannos*, & *Quados* in occupata ab ipſis *Pannonia*, & *Illyridis* parte pati, ſed ut *Danubius* ubique limes foret *Imperii Romani* dictos *Marcomannos*, & *Quados* vel armis, vel potius metu trans *Danubium* cedere coëgit. De metu ſolo magis præſummendum, quam de armis illatis: *Marobodus* enim natione magis, quam ratione barbarus, haud ita pridem *Roma* redux, & ab *Auguſto* beneficiis affectus arma *Auguſto* opponere voluiſſe non eſt cenſendus, ſed avocata procul à *Romanis* gente ſua eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Hæc *Joan. de Jordan* Appar. Hiſtor. *ſect.* 43. *num.* 567. explicans *Vellejum Paterculum* Hiſt. Rom. *lib.* 2. *cap.* 108. & *Sextum Rufum* in Brev. *cap.* 8. Ex quibus patet *Marcomannos*, & *Quados* ſicut *Pannoniæ* ita etiam *Inſulæ Muro-Dravanæ* incolas extitiſſe.

VII. Evacuata itaque iterum indigenis *Pannonia*, & ſæpe nominata *Il-*

Digitized by Google

lyridis parte *Inſula Muro-Dravana*, in has vaſtitates *Romani* libenter gentes *Trans Danubianas* recipiebant, easque agris, aliisque rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis providebant. Sed quas, cujusque nationis, & nominis ejectis *Marcomannis* ſubſtituerint? reſcire nonniſi ſubobſcure poſſum. *Ptolomæus lib.* 2. *cap.* 14. inter alios *Illyritos* populos recenſet etiam *Ambidravos*. Hos *Schönleben* Appar. Carn. *cap.* 3. §. 7. *num.* 4. intelligit, qui ad utramque ripam *Dravi* per *Carinthiam* habitabant: ſed his certum ſitum aſſignari non poſſe inquit *Cluverius in Norico*, ſiquidem nomenclatura hæc univerſis gentibus ad utramque ripam à fonte *Dravi* usque ad influxum ejusdem in *Danubium* habitantibus convenientiſſima ſit. Citatus Ptolom. *lib.* 2. *cap.* 15. meminit certorum *Coletianorum*, quod nomen excerpſiſſe *Ptolomæum* ex *Marino* inquit *Joan. de Jordan ſect.* 24. *num.* 389. ubi & *Marini* textum: *In medio horum Boji verſus occidentem, ſub his Coletiani.* ſic explicat: *ſect. ead. num.* 391. dicens: *Bojorum pars neceſſario debebat eſſe in ſitu Scarabantiæ, & Sabariæ (quæ certo hodie ſunt* Oedenburg/ *ſeu Sopronium, &* Stein am Anger/ *ſeu Sabaria) ergò inter fluvios Laitham, & Arabonem à Cetiis montibus incipiendo: conſequenter Coletianis obvenit ſitus ad utramque ripam Muri fluvii, usque ad Dravi ripas Cetiis proximiores.* Cum autem Ramus *Cetii* montis non procul ab *Inſula Muro-Dravana* diſtare, nempe mox ad *Rakelſpurgam* conſiſtens, dignoſcatur, concludendum exiſtimo *Coletianos* ſuum in *Inſula Muro-Dravana* incolatum habuiſſe. Situationem præmiſſam *Coletianorum* citatus *Marinus* integro ſæculo ante *Ptolomæum* conſcripſiſſe idem *Joan. de Jordan* Appar. Geogr. *ſect.* 15. *num.* 272. fatetur, conſequenter circa A. C. 50. cum *Ptolomæus* floruerit A. C. 150. ut *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par.* 3. in Catalogo Autorum notavit.

VIII. Occupata à *Romanis* ad A. M. 3887. majori Regni *Illyrici* parte, ejusque Rege *Gentio* in cuſtodiam *Spoletum* tradito, *Dalmatæ* jugum *Romanorum* ſupportare recuſantes, exiguum, quem pro tunc poſſidebant diſtrictum, armis ſuis generoſis ampliare ſtuduerunt, occupatisque ſenſim proximioribus partibus, ut *cap.* 16. *num.* 3. & 4. recenſui, toto quoque *Illyrico* usque ad *Pannoniam* potiti ſunt, illudque à nomine ſuo *Dalmatiam* compellarunt. Hinc ſi mea argumenta de amplitudine, & limitibus *Magnæ Dalmatiæ cap.* 19. & 20. producta ſubſiſtunt, ſubſiſtere etiam debebit: Quod quemadmodum tempore *Auguſti* Cæſaris qui ab A. M. 4027. usque ad A. C. 14. conſequenter juxta *Brietii* computum annis 40. *Romanis* imperitavit, per totum *Illyrium*, ita & in noſtra *Inſula Muro-Dravana* habitaverint *Dalmatæ*. Nolim tamen per hoc *Coletianos*, de quibus *num. præc.* egi ex memorata Inſula excluſos habere, præſertim cum eosdem *Marinus*, ut *num. præc. ad finem* notavi, ad A. C. 50. ibidem habitaſſe ſcribat; & cum ipſimet *Coletiani* probabiliter ſeſe *Dalmatarum* heroicæ virtuti confidentes iisdem ſubdiderint, prouti & alii aliorum diſtrictuum incolæ, ut *Amantini* intra *Savum*, & *Dravum* habitantes, qui omnes ſe generali vocabulo *Dalmatas*, particulari vero ſicut diſtrictus ſecum nomenclaturam ferebat, nominabant. Poſtquam autem & *Dalmatæ*, atque cum his plures aliæ nationes fortunatiſſimis, ac victorioſiſſimis *Romanorum* armis ſubacti fuiſſent, *Romani* quidquid à *Mari Pontico* usque ad *Alpes Julias* terrarum erat, *Illyricum* nominavere, ut *cap.* 27. remonſtravi, quod deinde in ſeptemdecim variæ denominationis Provincias (quas *cap.* 29. *num.* 1. enumeravi) ſub *Adriano* Imperatore circa A. C. 120. diviſum floruit magnopere, populique *Illyrici*, quamvis *Romanis* veſtiga-

vectigales ſuis in ſedibus pacifici perſeverabant usque ad A. C. 280.

IX. Dixi *num. præc. Illyricum* fuiſſe in 17. Provincias diſtinctum, inter quas fuit *Pannonia*, & *Dalmatia*. *Pannonia* fuit ampliata; *Dalmatia* reſtricta. *Pannonia* fuit duplex primo, *ſuperior*, & *inferior*, utriusque limites *cap.* 29. *num.* 6. & 7. definivi, prouti & *Dalmatiæ* reſtrictæ *cap. eod. num.* 8. Quod ſi deſcripti *loc. cit.* ſpectentur *Pannoniæ ſuperioris* metales, iisdem etiam *Inſula Muro-Dravana* includebatur, ubi etiam eo tum cum aliis populis *Pannoniæ*, imo *Illyrii* totius *Dalmatæ Coletiani* eadem placidæ quietis forte ſuis in laribus fruebantur. *Szentivanius* Diſſert. Paralip. *Cat.* 85. notat: *Vandalos* permiſſu *Conſtantini* Imperatoris ad A. C. 336. *Pannonias* occupaſſe, ac per Annos quaſi 40. poſſediſſe. Idem narrat *Schönleb.* Annal. Carn. ad A. C. 282. contra hanc, conſequenter & contra illum, qui poſt hunc ſcripſit, utpote *Vandalorum*, & *Venedorum* nomina confundentes, invehitur *Joan. de Jordan* Appar. Geogr. *ſect.* 18. *num.* 330. dicitque *Vandalos* omnino à *Probo* Imperatore A. C. 280. in *Romanum* ſolum transfatos fuiſſe, uti & ego *cap.* 34. *num.* 2. notavi, ſed quia fidem fregiſſent, recedentesque ex ſedibus aſſignatis (*Pannonia* videlicet) per totum fere orbem divagati fuiſſent, à ſubſequentibus Imperatoribus, ut *Flav. Vopiſcus* tradit, variis oppreſſi ſunt victoriis: conſequenter, eſto concedatur *Vandalos* poſitos eſſe in *Pannonia*, adeoque & in *Inſula Muro-Dravana*, accrementum hoc populi Inſulani temporaneum fuiſſe debuit, vel ſaltem maxima ex parte imminutum. Circa hæc tempora igitur manſit adhuc *Coletianis num.* 7. citatis imperturbata larium ſuarum in *Inſula Muro-Dravana* ſedes. Cujus autem originis, & nationis fuerint *Vandali*? expoſui *cap.* 31. *num.* 8. & *ſequentib.*

X. Utramque *præc. num.* declaratam *Pannoniam* Imperatoribus *Diocletiano*, & *Galerio* ad A. C. 284. ſubdiviſam fuiſſe, *Superiorem* quidem in *Valeriam*, & *Saviam*, *inferiorem* autem in *Amantinam*, *Syrmienſem*, & *Bubaliam*, declaravi *cap.* 35. *num.* 1. *Numeris ſequ.* vero cujuslibet ſubdiviſi diſtrictus fines, ut apud Authores inveni. Hujus ſubdiviſionis occaſione noſtra *Inſula Muro-Dravana* an *Valeriæ*, an *Saviæ* adjuncta fuerit? dubium eſt. Dixi quidem *loc. cit.* eam potius *Saviæ* adſcriptam fuiſſe, ſed cum inveniantur ſcriptores, qui eam *Valeriæ* attribuunt, diſputare nolo, cum hæ Provinciæ aliunde ſub generali vocabulo *Pannoniarum* ſemper intellectæ fuerint. Qualiter præterea *Illyricum*, quod tot Provincias ſinu ſuo complectebatur, *Conſtantinus Magnus* diviſerit in *Orientale*, & *Occidentale* deſcripſi *cap.* 37. Ubi & partes *Illyrii*, quæ *Orientali*, quæ *Occidentali* attributæ fuere ſpecificavi. Ex quarum partium diſlocatione colligitur noſtram *Inſulam Muro-Dravanam* parti *Illyrici Occidentalis* inveſtitam fuiſſe. Sed quia totum *Illyricum* A. C. 310. & ſequentib. peſte exhauſtum, bellis depopulatum, Principum impietate undique dilaceratum, Præfectorum ſuperfluorum vectigalium exactionibus depauperatum, incolisque ipſis quaſi evacuatum fuerat, neceſſum habebant Imperatores novos ſollicitare indigenas, qui non tantum agros colerent, verum etiam qui arma caperent, muniaque militaria obirent. Hinc *Conſtantius Magnus* A. C. 334. *Slavo-Sarmatas*, qui idiomate latino *Limigantes*, ſeu *Limitantes*, Græco vero ſermone *Arcaragantes*, de quibus *cap.* 28. *num.* 1. egi, ſuſcepit, iisque per *Illyricum Occidentale* & Provinciam *Saviam* terras incolendas contulit, inter quas erat etiam noſtra *Inſula-Muro-Dravana*, quæ ab his novis incolis *Arcaragantia* dicebatur, atque hanc pro patria ſua, ut *Joan. de Jordan* Orig. Slav. *cap.* 22. §. 5. docet, *S. Hieronymus*

Digitized by Google

ronymus intellexit, dum eam *Dalmatiæ*, *Pannoniæque confinium* vocavit. Patria enim *Arcaragantium* erat inter *Pannoniam* fluvio *Mura* terminatam, & *Dalmatiam* proprie ſic dictam ad dextram *Savi* decurrentis ordientem. Hos tamen *Arcaragantes*, quia pro *Romanis* ſtrenue militabant, *Gothi* circa A.C. 460. dum *Pannonias* crudeliter, ut *cap.* 36. *num.* 2. & 3. inſinuavi, vaſtaſſent, magnis cladibus affecere, ſibique ſubjugavere. Sed neque hi diu in Dominio *Pannoniæ* perſtitere, ab *Hunnis* enim *Pannonia* pulſi, & in ſocietatem armorum *Hunnicorum* compulſi ſe iis ſubiicere coacti ſunt.

XI. Hunnis itaque ad A.C. 373. primum *Pannonias* occupantibus, ac regnante *Attilâ* tacito ſub initium, dein expreſſo etiam *Romanorum* conſenſu poſſidentibus, noſtra *Inſula Muro-Dravana* ab eorum incolatu immunis fuit. Sic enim *Joann. de Jordan* Orig. Slav. *cap.* 22. §. 5. ait: *Aſt tota hæc poſſeſſio Hunnorum de Pannonia usque ad Murum fluvium, quoad hic ſpeciali alveo procurrit, poſt ejus conjunctionem vero cum Dravo etiam ad Savum fluvium accipienda eſt.* Poſtquam vero *Attila* ex hac vita ad A.C. 445. migraſſet, filiique ejusdem ad invicem, ut *cap.* 43. *num.* 4. enarravi pro Regia dignitate crudeliter decertaſſent, ſeque ipſos ad incitas redegiſſent, atque ab aſſociatis gentibus derelicti fuiſſent, & maxima pars *Hunnorum* ſe ex *Pannonia* in ſuas priores ſedes extraxiſſet, *Gothi*, qui *Attilæ* adhæſerant ad poſſidendam *Pannoniam* conſenſum *Marciani* Imperatoris impetrarunt. Quam autem *Pannoniæ* partem ſibi expetierint? *Joan. de Jordan* Orig. Slav. *cap.* 22. §. 3. ſic explicat: *Ab occidente Gothos à Muro fluvio incipiendo, dein intra Murum, & Savum à meridie inter Arcaragantes, jam ab Anno* 334. *ibi ſedentes Romani Sarmatas ejusdem cum Arcaragantibus generis poſuerunt.* Textus hujus ſi ultima verba bene conſiderentur, advertetur *Joan. de Jordan* per *Sarmatas* intelligere *Gothos* ejusdem nationis eſſe cum *Arcaragantibus*, videlicet *Slavos.* Ad A.C. 454. ſcribit *Jornand. cap.* 50. quod poſt mortem *Attilæ*, ejusque filiorum interitum *Sauromatæ*, ſeu *Sarmatæ*, pars etiam *Attiliani* exercitus cum paucis quibusdam *Hunnis* in parte *Illyrici* ad caſtrum *Martenam* ſedes ſibi à *Romanis* conceſſas coluerint. *Joann. de Jordan* Appar. Hiſt. *ſect.* 53. *num.* 759. infert: *Sarmatas* cum *Hunnis* conſediſſe ad hodiernum caſtrum *Marpurgum* in ripa *Dravi*, cum hujus hodiernum nomen vetuſtæ compellationi *Martenæ* conveniat. Si ita? concludi poteſt, *Sarmatas* hos cum *Hunnis* non ſolum in ipſo caſtro *Martena*, ejusque vicinia, verum & per totum diſtrictum intra *Dravum*, & *Muram* usque ad confluentiam eorundem fluviorum inter ſæpefatos *Arcaragantes* ſedes fixiſſe: ſiquidem *Bakſajus in Chronol. Hung.* expreſſe dicat: *Pars* (*Hunnorum*) *quæ in Pannonia manſit, ſub quam plurimis, & diverſis principibus peregrinæ gentis, propter regionis fertilitatem; & opportunitatem Inſulæ, multiplicem experta eſt fortunam.* Ubi per ly *opportunitatem Inſulæ* locum ſedium *Hunnorum* ſatis indigitat. Sed contrarium *Joan. de Jordan* Appar. Hiſt. *ſect.* 61. *num.* 868. de habitatione *Hunnorum*, & *Sarmatarum*, ſeu *Venedorum* ſentire videtur, dum ſic diſſerit: *Hi Venedi proculdubio in utraque ripa Dravi ad caſtrum Martenam, ſeu* Marburg/ *nec non in utraque ripa Savi, id eſt, in parte Styriæ, dein in Comitatu Cilejæ, in Carniolia, & parte hodiernæ Croatiæ: Hunni vero ad Murum, & Arabonem fluvios in alia parte Styriæ habitavere.* Ex quibus colligitur *Joannem de Jordan* admittere nollo *Hunnos* in noſtra *Inſula Muro-Dravana* habitationem habuiſſe, ſed ſolos *Sarmatas*, ſiquidem *cap.* 24. Orig. Slav. §. 17. dicat: *Hunni poſt cladem filiorum Attilæ in vicinia Dravi, & Ca-*

ſtri

ſtri Martena ad Murum præcipue, & Arabonem ſuperiorem ſe ingerentes habitarunt, quos ego à ſedibus Noricos voco. Hanc Pannoniam Hunnicam intellexiſſe S. Hieronymus videtur (ut Joan. de Jordan loc. cit. cap. 22. §. 5. inſinuat) dum Patriam ſuam Dalmatiæ, Pannoniæque confinium vocavit. Patria enim illa Arcaragantium erat Pannoniam Hunnicam inter Muram fluvio terminatam, & Dalmatiam proprie ſic dictam, ad dextram Savi amnis ordientem.

XII. Qualiter ad A. C. 454. Oſtrogothi exactis Hunnis ſui juris Pannoniam fecerint, qualiterque eam tres Fratres Valamirus, Theodemirus, & Videmirus inter ſe partiti fuerint, oſtendi cap. 43. num. 5. ex qua partitione clariſſime patet Videmirum cum ſuo populo inter Danubium, Dravum, & Muram conſediſſe, atteſtante Jornande cap. 52. ubi dicit: Valamir inter Scarnijungam, & Aquam nigram fluvios, Theodemir juxta Lacum Pelſodis, Videmir inter utrosque manebat: ergo inter Danubium, Muram, & Dravum, conſequenter etiam in noſtra Inſula Muro-Dravana. Si namque Valamir inter Scarnijungam fluvium (quem cap. 50. num. 2. Dravum ex Joan. de Jordan interpretatus ſum, Aquam nigram autem ſavum eſſe idem Joan. de Jordan Appar. Hiſt. ſect. 53. num. 761. dicit) & Aquam nigram: Theodemirus vero ad Lacum Peiſonis, & ripas Arabonis fluvii reſederunt, Videmirus de neceſſe ſedes ſuas habere debuit inter Dravum, Muram, & Danubium, adeoque & in noſtra Inſula Muro-Dravana. Occumbente vero Valamiro, ac fratre ejusdem Videmiro, ampliora regna inquiſituro, recedente, Theodemirus univerſam ſibi Pannoniam appropriavit, ſuumque populum per eandem diſlocavit, igitur & in noſtram Inſulam Muro-Dravam, quam, ſicut & Pannoniam 70. prope annis, ut refert Szentivanius Diſſert. Paralip. cat. 85. cum ſuo populo Oſtrogothico poſſedit.

XIII. Extincto poſt Auguſtulum Imperatorem Romano-Occidentali Imperio, toto, palam, ut Procopius lib. 3. cap. 33. ſcribit, poſitæ ſunt barbaræ gentes (Romani nominare Barbaras gentes ſolebant eos, quæ extra Romanum Imperium nullatenus ipſi ſubjectæ incolatum habebant) è quibus fuere Longobardi, qui Rege Audoino dum Pannonias ab exceſſu Gothorum (quem cap. 43. num. 5. 6. 7. & 8. deſcripſi) raros cultores hactenus nactas eſſe, & Romani Imperii fines ab aliis gentibus diripi vidiſſent, noluerunt & ipſi poſtremi eſſe, ſed Pannoniam A. C. 527. propria authoritate intrarunt, & mox ſequenti anno pro conſenſu poſſeſſionis uſurpatæ legatos Conſtantinopolim ad Juſtinianum Auguſtum miſerunt, qui ipſis, ut Procop. loc. cit. tradit urbem Noricum (quam Joann. de Jordan Orig. Slav. cap. 20. §. 9. ex Lazio, & Hanſizio interpretatur Vindobonam) & Pannoniæ munitiones, aliaque loca donavit. Quæri hic poteſt: an Longobardi noſtram etiam Inſulam Muro-Dravanam titulo donationis ab Imperatore acceperint? eamque inhabitaverint? Reſpondetur: Quod ſi Pannonia late intelligatur, proput illam cap. 29. n. 6. & 7. item cap. 35. per tot. definivimus, omnino in affirmativam reſolutionem deſcendendum foret. Sed cum Procop. dicat: Urbem Noricum, & munitiones, aliaque loca, apparet Pannoniam hic ſtricte, id eſt, pro parte aliqua eſſe ſumendam: idque colligi poteſt ex occaſione belli Gepidici, & Longobardici, quod Procop. cap. 35. deſcribit, cujus nullam aliam cauſam fuiſſe aſſerit Joan. de Jordan Appar. Hiſt. ſect. 59. num. 846. quam vicinitatem harum nationum. Dicit enim: Gepides à tempore diſperſorum filiorum Attilæ tenuiſſe trans Danubium veterem Daciam interiorem, ſeu Tranſſylvaniam, & nunc quoque regionem Temeſienſem, item ab A. C. 535. Syrmium cum tractu vicino, nec non plura loca Daciæ Ripenſis cis Danu-

nubianæ. E contra *Longobardos* tradit donô *Juſtiniani* poſſediſſe *Pannoniæ ſuperioris*, & *inferioris* munitiones, & alia quædam loca ad ripam *Danubii*, qui ſolus inter *Gepidas*, & *Longobardos* intercedebat. His ſubjungit *cit. Joan. de Jordan*: Terram autem *Ripenſem transdanubianam* à *Sarmatis Limigantibus*, ſeu *Slavinis* in terras *Quadicas*, *Moraviam* videlicet, & *Sileſiam* demigrantibus poſſeſſam, plene derelictam fuiſſe: conſequenter inferri poteſt, *Longobardos* noſtram *Inſulam Muro-Dravanam* nunquam incoluiſſe, verum aliquo tempore, vel plene vacuam incolis, vel pauciſſimis admodum, iisque reliquiis forte *Sarmatarum Limigantium Gothis* commixtorum proviſam extitiſſe.

XIV. Medio tempore *Narſes Eunuchus* à *Juſtino* hujus nominis II. Imperatore ad A. C. 566. *Patritiatu Italiæ* peſſimo conſilio privatus, in vindictam evocat *Longobardos* ad occupandam *Italiam*: quia vero *Hunniavares* (qui tempore *Attilæ* ſimpliciter *Hunni*, poſtea vero, id eſt: aliquot annis poſt obitum *Attilæ*, dum *Avares*, pariter *Hunnica* natio, ex *Aſia* in *Europam* commigraſſent, ſuosque contribules *Hunnos* ibidem reperiſſent, eosque ſibi aſſociaſſent, à Regis proprii nomine *Avar*, compoſito vocabulo *Hunnavares* appellati ſunt) *Longobardis* fidelia belli contra *Gepides* ſubſidia (ut *Procop. lib. 4. cap. 18.* & *Paulus Diac. lib. 1. cap. 27.* narrant) præſtitiſſent, *Alboinus* Rex Longobardorum ſedes ſuas proprias, id eſt: *Pannoniam* amicis ſuis fidelibus *Hunnavaribus* contribuit, ea ſcilicet conditione, ut ſi quo tempore *Longobardis* neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus arva repeterent. *Longobardi* igitur poſtquam 42. annis inhabitaſſent *Pannoniam*, eam reliquerunt, atque cum uxoribus, natis, omnique ſupellectili properarunt *Italiam* occupaturi, eamque poſſeſſuri, uti & hodierna die non modicam partem *Italiæ* ſub titulo Regni Lombardiæ poſſident.

XV. Recedentibus è *Pannonia Longobardis*, ſucceſſores eorum juxta pacta extitere *Hunniavares*. Hi juncti *Hunnis* (qui poſt *Attilæ* regimen caſtrum *Martenam*, locaque *cap. hoc, num. 11.* ſpecificata incolebant) *Pannoniam* integram juris ſui facere intendebant. Quare inito cum *Francis*, qui jam jugum *Romanorum* excuſſerant, fœdere, *Syrmium* civitatem, quam eis *Juſtinus* Imperator, contra promiſſum cum ipſismet *Hunavaribus* initum, armis eripuerat, recipiunt, itaque incenſi, trajecto cum *Slavis*, qui recenter ex partibus transdanubianis advenerant, ſibi in perniciem *Romanorum* aſſociatis, amne *Savo*, univerſam *Dalmatiam* dire vaſtant, & depopulantur, ſæpiusque cum exercitu Imperatorum Romanorum confligentes, victoresque evadentes, *Dalmatiâ* tamen à Duce Imperatorio *Commentiolo* pulſi, *Pannoniam* integram ſuæ ſubdunt poteſtati: quam & pacifice poſſident usque ad A. C. 783. ſed cum gens hæc effera à fide, quam *Francis* promiſerant, defeciſſet, finibusque *Bojoariorum* (*Bavarorum*) infeſtiſſima eſſe cœpiſſet, *Carolus Magnus* Reſtaurator *Imperii Romano-Occidentalis* longo eosdem bello domuit, fortitudine, & potentia diminuit, *Pannoniaque* ultra *Tibiſcum* fluvium exire coëgit A. C. 804. Quia vero medio tempore pars una *Slavorum*, derelictis *Avaribus*, adhæſiſſet *Oſtroilo* integram occupanti *Dalmatiam* ac Regiam in ea inchoanti dignitatem: altera porro pars *Slavorum* occaſione hac *Pannoniam* à *Carolo* Imperatore poſſidendam impetraſſet, ac Regnum *Slavo-Moravicum* in eadem conſtituiſſet; *Theodorus Capuanus* autem, unus è Principibus *Hunnavarorum*, ad evitandas *Slavorum* contra ſe infeſtationes, locum inter *Sabariam*, & *Carnuntum*, ut *Ado Viennenſis* ſcribit, à *Carolo* obtinuiſ-

tinuiſ-

Digitized by Google

tinuiſſet: Quæſtio eſt, an non præmemorati *Hunnavares* in noſtra quoque *Inſula Muro-Dravana* incolatum habuerint? Antequam ad hoc quæſitum reſpondeatur, nulli majorem fidem adhibendam judico, quam *Ottrokocſio*, natione *Hungaro*, & celeberrimo de *Originib. Hungaricis* inveſtigatori. Hic *cap. 5. num. 54.* explicans loca nominata, intra quæ *Theodoro Capuano*, ſuoque populo terra incolenda conceſſa fuerat, dicit: „*Sabaria* (*Szambathely*) verſus *Styriam*; „Eſt etiam fluvius *Sabarias* apud *Ptolomæum* ibidem (id eſt, in *Styria*) „*Carnuntum Rheginoni*, & *Sigeberto Carantanum.* Eſt apud *Ptolomæum* in „*Pannonia ſuperiori Carodunum*, circa „locum, ubi hodie prope *Dravum* „eſt *Zerinvár* ad occidentem *Caniſæ.* „Verum ex ſcriptoribus Latinis *Carnuntum* ego *Carinthiam* eſſe cenſeo. „Eſt etiam in *Vindelicia Carodunum*, „quod *Cluverius* interpretatur *Lemberg.*„ Ex qua *Ottrokocſii* explicatione colligitur *Theodorum Capuanum Inſulam Muro-Dravanam*, ſed vel *Carinthiam*, vel *Carodunum*, ejusque diſtrictum in *Vindelicia* incoluiſſe, præſertim cum evitare deſideraverit infeſtationes *Slavorum*, quas nullatenus evitare quiviſſet, ſi *Inſulæ Muro-Dravanæ* incolatum tenuiſſet, utpote *Slavis* & in vicina *Pannonia* ex parte una ad fluvium *Muram*, & ex parte altera in moderna *Slavonia* ad fluvium *Dravum* circumſeptus. Hinc concludendum erit hoc etiam tempore genuinos *Slavos* noſtram *Inſulam Muro-Dravanam* incoluiſſe, idque plurimum probatur ex heroicis geſtis *Samonis* Regis *Slavorum* (cujus *cap. 43. num. 10.* memini) qui cum ſupra mentionatis *Hunnavaribus*, jam victor, jam victus, ſed tandem triumphans, multum ad agendum habuit.

XVI. Quemadmodum igitur prioribus temporibus, ita & poſterioribus, ſignanter autem ab his *Slavis*, ſub diverſa quamvis nomenclatura, continuo *Inſulam Muro-Dravanam* inhabitabant. Neque ullibi lego *Hunnos* fluvium *Muram* tranſiiſſe, atque memoratam Inſulam pro ſuis ſedibus occupaſſe: bene vero contrarium apud *Joan. de Jordan*, quem *cap. hoc num. 11.* citavi, ejusdemque textum in hac materia clariſſimum recitavi. Cui adjungo textum alium *ejusd.* Introduct. in Orig. Slav. *cap. 14.* §. *34.* inquientis: *Pannoniam tempore eo, quo ſcribebat S. Hieronymus, nempe poſt Annum 378. fuiſſe in poſſeſſione Hunnorum, ſed usque ad Muram fluvium tantum.* Adjungo etiam tertium textum *ejusd.* de Orig. Slav. *cap.* 22. §. 4. ſequentis tenoris: *Secundum hiſtoriam Boicam Slavi à Muri dextera ripa, in fontes usque Muri, Dravi, & Savi in occidentem, Hunni à ripa ſiniſtra Muri per totum Noricum infra Anaſum in ſeptentrionem ſe extenderunt. Hiſtorica hæc traditio fide digna eſt, quoniam hodie adhuc à Muri dextra per omnem illum tractum, à Slavis antiquis occupatum lingua Slavica perſeverat. Si ergo Hunni ſæculo ſexto inchoante Pannoniam nonniſi ad Murum fluvium coluerunt, nec quoque ſæculo quinto ad finem vergente aliam poſſeſſionem ceperunt.* Id ipſum confirmat *cap. eod.* §. 11. ubi differens de æmulatione inter *Theodoricum Amalum*, & *Clodovæum Francum*, inquit: *Hæc æmulatio maximam præbuit novis tribus Rebuspublicis Slavorum, Bojoariorum, & Hunnorum Noricorum ſedes ſuas ex parte Hunnorum in totum Noricum infra Anaſum, & Murum fluvium: ex parte Bojoariorum ab Anaſo fluvio usque ad Lycum: ut & ex parte Slavorum à Muro fluvio usque ad ejusdem, nec non Dravi, & Savi fontes proferendi.* Ex quibus elicitur: *Hunnos* neque primo ſuo in *Pannonias* ingreſſu, neque *Hunnavares* contribules *Hunnorum* ſecundo ſuo in *Pannonias* introitu *Inſulam Muro-Dravanam* poſſediſſe; ſiquidem nonniſi usque *Muram* fluvium eorundem ſe eo tum incolatus extenderit. Sed neque ullibi lego, quantumvis ipſemet *Hungaricos* Authores ſedulo pervolverim,

 verim,

Digitized by Google

verim, *Hunnos*, ſeu *Hungaros* tertio etiam ſuo adventu *Pannoniam* occupantes, eamque ſibi jure hæreditario uſurpantes, ac juxta numerum ſeptem Ducum ſuorum incolatum diſtribuentes, ac capientes, aliquem ex Ducibus, cum ſuis ſequacibus, ſedes in noſtra *Inſula Muro-Dravana* locaſſe. *Bonfinius* quidem *loc. cit.* dicit *Urſum* Ducem ad *Sajum* agrum à *Sajo* fluvio ſic denominatum conſediſſe, quem forte plerique opinabuntur eſſe *Savum*; aſt contrarium tradit *Szentiv.* Diſſert. *Paralip. cat. 6.* ubi *Sajum* dicit eſſe fluvium *ſuperioris Hungariæ* prætercurrentem Comitatum *Thornenſem* & *Bodroghienſem*, atque infra *Ouadinum* in *Tibiſcum* dilabentem. *Savum* vero, qui ex *Carniolia* per *Croatiam*, & *Slavoniam* defluens cadit in *Danubium* ad *Belgradum.* Sed opponet quis ex *Bonfinio Dec. 1. lib. 9. Zabolchium* unum ex ſeptem Ducibus fuiſſe conditorem Illuſtriſſimæ familiæ *Chakianæ*, quæ oppidum *Chakváron* ædificavit, quod opponens fors putabit eſſe *Chaktornyam* in noſtra *Inſula Muro-Dravana.* Pro reſponſo legat, quæſo, opponens citati *Bonfinii* mox infra poſitum textum ſic ſonantem: *Id prius Zabolchum dictum, à Zabolcho conditore nomen accepit: deinde Chakvarum appellatum, quod Andreæ, Belæ, & Leventæ temporibus communi omnium Hungarorum conſenſu deletum eſt.* Quod *Chaktornyæ* noſtræ accidiſſe nullus ſcriptorum tradit. Præterea *Szentivan. in Chron.* ad A. C. 747. ſcribit: *Zabolchio* ditionem *Tranſylvaniæ* obveniſſe, cujus partem nunc etiam *Comitatum Zabolcenſem* nuncupari aſſerit. Item *idem* Diſſert. Paralip. *Cat. 86.* notat: Septem Duces *Hunnorum* in tertio eorundem ex *Scythia* egreſſu, & in *Pannoniam* adventu ſubdiviſionem *Pannoniæ* per ipſos factam, & cui quæ plaga obvenerit, nominatim perſonam, & diſtrictum ſpecificat, aſſeritque *Zabolchio* obveniſſe diſtrictum totum ad fluvium *Tibiſcum* ubi & oppidum *Zabolchium* primo, dein *Chakvár* dictum, ædificatum, dein dirutum fuit, ut *Bombard.* Topogr. Hung. *par. 2. cap. unic. ſegm. 2.* §. 4. *num. 2.* teſtatur. Nunquam igitur *Hunnos* fluvium *Muram* tranſiiſſe pro capiendo incolatu in *Inſula Muro-Dravana* concludendum cenſeo: conſequenter & *Dalmatiam*, quæ poſtmodum hac in parte *Slavonia* dicta eſt, antiquitus ſe usque ad eundem fluvium *Muram* extendiſſe aſſerendum exiſtimo.

XVII. Habemus itaque Incolas noſtræ *Inſulæ Muro-Dravanæ*, quos ſi quisqiam plures, vel alios, quam à me recenſitos, produxit, vel horum aliquos excluſerit, lubens ſubſcribam, dummodo id fiat cum ratione ſcriptorum authoritate ſuffulta. Ut autem à me producti Synoptico ordine Lectori benevolo in obtutum compareant, eos hic loci ex *Numeris præc.* collectos conſpiciendos exhibeo. Fuere igitur *1mi:* Aborigines. *2di:* Illyri. *3tii:* Heneti Paphlagones Slavi, cum Henetis Sarmaticis pariter Slavis. *4ti:* Scordiſci ex Autario Nepote Illyri progeniti, cum Scordiſcis Gallis commixti. *5ti:* Marcomanni, & Quadi. *6ti:* Coletiani, forte Dalmatæ, adeoque etiam Slavi. *7mi:* Vandali, itidem Slavi, ſed modico tempore. *8vi:* Slavo-Sarmatæ, latine Limigantes, græce Arcaragantes dicti, hisque mixti Slavo-Gothi, & alii Sarmatæ Slavicæ nationis. *9ni:* Oſtrogothi, etiam Slavi. Tandem *10mi:* Slavi proprie dicti, qui & hodie perſeverant. Et quamvis (poſtquam ferus *Aper Ottomannicus* expugnata *Conſtantinopoli*, in ea ſedem Imperii ſui conſtituiſſet; ab inde vero *Thraciam*, *Moldaviam*, *Bulgariam*, *Serviam*, *Boſniam*, & dimidiam quaſi *Dalmatiam* crudeliter depaſtus fuiſſet, neque his contentus, *Hungariæ* majorem partem, cum tota *inferiori Slavonia,*

vonia, parteque *ſuperioris*, ac *Croatiam*, vicinaque *Inſulæ Muro-Dravanæ* caſtra, oppida, ac fortalitia, uti ſunt *Breſnicza*, *Babocha*, *Caniſa*, occupaſſet, ſuique juris effeciſſet) nunc *Tartari* à *Turcis* ſubmiſſi, nunc ipſimet *Turcæ* pedem in noſtra *Inſula Muro-Dravana* pedem figere attentaſſent: ſignanter A. C. 1586. dum eam (ut aqud *Ritterum*, aliter *Vitezovich*, Patrium Scriptorem *in Chron.* Sed & in *Albo* Conventus noſtri *S. Helenæ* ſupra *Cſaktornyam* notatum legi (*primo* die 30. Auguſti, *ſecundo* die 7. Septembr. *Turcæ Szigethani* flamma, ferroque depopulabantur: Item A. C. 1603. dum eo *Tartari* barbaro ritu bis, abductis plurimis captivis, & ſpoliis, vaſtabant: prætere A. C. 1660. dum eam non ſolum incurſabant, verum & *Janicherorum* exercitum inducentes occupare nitebantur: Item A. C. 1664. tempore obſidionis *Neo-Zrinii* fortalitii ad confluxum *Dravi*, & *Muræ*, è regione *Kaniſæ* ad A. C. 1660. tumultuario opere erecti, multa incomparabilia damna *Inſulanis* non tam armis, quam igne, pecorumque abactione, ac captivorum abductione inferebant, ſemper tamen virtute militari *Slavorum Inſulanorum*, ad aratra etiam, alioſque œcomomicos labores contra inexpectatam *Turcarum* irruptionem arma geſtantium, quibus eo tum invictiſſimi Heroes Comites à *Zrinio* dominabantur, repulſi fuere, ipſimet namque Comites *Zrinii* adhibitis Nobilibus ſuis *Inſulanis*, inter quos ſingulariter numerabantur, prioribus quidem temporibus *Malckoczius*, *Ivanovichius*, *Voikovichius*, *Fodroczius*, *Szerenius*, *Lokotelius*, *Szaſzichius*, *Verebellius*, *Lipichius*; poſterioribus autem: *Pattachichius*, *Kukulyevichius*, *Ballogius*, *Bedekovichius*, *ſomſichius*, *Zmailovichius*, *Falluſſius*, *Tuſzichius*, *Horvathius*, aliique quamplurimi, *Turcas* generoſe proſequi, trucidare, capere, ſeque vitæ periculo, pro conſervandis aris, & focis patriæ, exponere non in diſtrictu *Inſulano* tantum, ſed & in ipſo hoſtico pro deliciis habebant, ſemperque victores effecti, merito *Defenſores Patriæ*, & *Antemurale Styriæ* nominati fuere. Plura hic de Illuſtriſſimæ *Zrinianæ* familiæ toga, ſagoque clariſſimæ geſtis heroicis ſcribere ex conſulto transmitto, cum aliunde *Orbi*, & *Urbi*, notiſſima pluribus in opuſculis conſcripta legantur. Id tamen de Nobilitate *Inſulana*, Deo, Regique ſuo fideliſſima ſubticere nequeo: qualiter ad A. C. 1605. à *Bochkajanis*, contra *Rudolphum II.* Item A. C. 1683. à *Tökelianis* contra *Leopoldum I.* tempore obſidionis *Viennenſis* Imperatores *Romanorum*, & Reges *Hungariæ* ad ſumenda arma, ut *Georg. Petheo in Chron.* ſuo notavit; ſed & à *Rakozianis* ad A. C. 1704. ſolicitata, juratæ fidelitatis memor, ipſis adhærere renuerit, & quamvis à *Rakozianis* propterea eodem anno, & mox A. 1708. vaſtata, ac ſpoliata extiterit, nihilominus in fidelitate perſeverans, maluit rebus ſuis ablatis carere, quam fœda infidelitatis nomenclatura maculari. Hoc ipſum præſtitit, dum ad A. C. 1669. & 1670. *Petrus Zrinius* Dynaſtiæ *Inſulæ Muro-Dravanæ* hæreditarius Dominus, cum *Georgio Rakoczio* Principe *Tranſylvaniæ* adverſus naturalem Dominum ſuum, & Regem conſpirationem factam detegebat, voluitque potius *Bonis Inſulanis* excludi, quam fatæ conjurationi aſſenſum præbere.

CAPUT LII.

Domini proprietarii, ſeu Familiæ hæreditariæ Inſulæ Muro-Dravanæ.

I. Variorum *Inſulæ Muro-Dravanæ* incolarum conſcripto elencho, lubet nunc Familias hæreditarias ejusdem perſequi, ſed quia harum pleræque *Proprietarii* ſimul *Domini* ejusdem diſtrictus extitere, placet prius aliquid ex *Jure* tam *Civili*, quam *Canonico* de *Dominio*, & *Proprietario* delibare. Sciendum primo: *Dominium*, & *Proprietatem* ordinarie ſumi pro eodem, ut in *L. 13. C. de R. V.* intellige *Dominium proprietatis*, à quo aliquis dicitur *Dominus* rei *proprietarius*. *Dominium* generaliter ſumptum: *Eſt facultas diſponendi de re aliqua tamquam ſibi ſubjecta.* Dividitur in *Dominium Jurisdictionis*, & *Dominium Proprietatis*. Primum, *eſt Jus, & poteſtas gubernandi ſuos ſubditos*, id eſt: illis aliquid præcipiendi, vel prohibendi, ac illos judicandi, puniendi, vel præmiandi. Porro *Dominium Jurisdictionis* ſubdividitur in *Eccleſiaſticum*, & *Sæculare*. Hoc competit Imperatoribus, Regibus, Ducibus reſpectu populorum ſibi ſubditorum in negotiis ſæcularibus. Illud attribuitur Summo Pontifici, Epiſcopis, aliisque Prælatis, qui habent ſibi ſubjectos in ſpiritualibus. Secundum, id eſt: *Dominium Proprietatis*, de quo hic potior ſermo eſt, *eſt Jus diſponendi de re ſua pro libitu.* Sed & *Dominium proprietatis*, primo aliud eſt *Perfectum*, ſeu *Plenum*. Aliud *Imperfectum*, ſeu *non plenum*. Primum *eſt Jus perfecte diſponendi de re ſua, pro libitu, niſi lege prohibeatur.* Ex qua definitione facile eruitur etiam natura *Dominii Imperfecti*, videlicet: *Jus non plene diſponendi de re ſua*, ſed diſponendi vel tantum de ſubſtantia, uti *Dominus directus*, vel tantum de fructibus, uti *Dominus utilis*, qualis eſt *Vaſallus*, *Emphytheuta*, *Jure alieno*, vel *ære gravatus*. Præterea *Dominium Proprietatis* dividitur ſecundo In *Altum*, & *Baſſum*. Illud habent Principes, vel Reſpublicæ in Bona ſubditorum pro caſu publicæ neceſſitatis. Iſtud familiæ privatæ ad diſponendum cum ſuis Bonis ſaltem extra caſum publicæ neceſſitatis. Illud aliqui vocant: *Quod eſt conjunctum cum Imperio mero.* Vel: *Quod habet ſibi aliud ſubordinatum.* Iſtud vero dicunt eſſe: *Quod non eſt conjunctum cum Imperio mero.* Seu: *Quod eſt alteri, tanquam ſuperiori, ſubordinatum.* De his itaque *Alto*, & *Baſſo Dominiis Proprietatis* hic loci diſſeremus plurimum.

II. Qui Reges, vel Principes, antequam *Romani* occupaſſent *Illyricum*, illudque in diverſas repartiviſſent Provincias *Altum proprietatis Dominium*, ſi tamen iis temporibus uſitatum fuit, ſicut in *Illyricum*, ita & in *Inſulam Muro-Dravanam* exercuerint? ne hic recapitulare cogamur, remittimus benevolum Lectorem ad priora noſtra usque ad *cap. 26.* relata. Poſt occupatum à *Romanis Illyricum*, quemadmodum toti *Illyrico*, ſic & *Inſulæ Muro-Dravanæ* imperitabant *Alto proprietatis Dominio* Imperatores *Romanorum* per ſubordinatos ſingulis in Provinciis Præfectos, pariter *Romanos*. Ex quibus unum fuiſſe in *Inſula Muro-Dravana* teſtatur Lapis Sepulchralis *Cſaktornya*, dum *Nicolaus Zrinius* ſenior pro porta Arcis fundamenta jacere parabat, ut *Traditio* ſecumfert, erutus, atque in eadem Arce muro immobiliter pro perenni me-

memoria adaptatus, cum inſcriptione apud *Bombardium* Topogr. Hung. *par.* 2. *cap. unic. ſegm.* 1. §. 12. *num.* 7. erroneè impreſſa; quam ego ex ipſo lapide deſumptam repræſento tenoris ſequentis:

P. ANTONIUS CLA. FAVORIS L. F. AN. XXV. CLAUDIA T. F. DACUMENA AN. XXXXV. FAVENTIA ERES FACI. CURA.

Quam inſcriptionem nolui ipſemet interpretari, verum recurri ad quendam Ordinis noſtri Antiquarium, qui in Epiſtola ad me data ſic eam interpretatus eſt:

Publius Antonius, Claudii Favoris Lucii Filius, Anno 25. Claudia Titi filia Dacumena Anno 45. Faventia heres faciundum curavit.

Declinante *Romano Imperio*, illudque variis gentibus vaſtantibus, & dilacerantibus nullum *Altum proprietatis Dominium*, ſignanter poſt extinctum *Auguſtulum* in *Occidentali Imperio* extitiſſe ſuſpicor, vel ex eo, quod continuæ quaſi gentium, modo ex hac parte in aliam, modo ex alia in hanc migrationes illud exercere præpediviſſent, conſequenter nonniſi titulum *Alti Dominii* apud *Imperatores Orientales* remanſiſſe, usque dum *Carolus Magnus* virtute ſua bellica, vel potius ſingulari ope Divina, quia cultum hujus, & nihil aliud armis ſuis promovere contendebat, *Imperium Occidentale* reſtauraſſet, *Altumque proprietatis Dominium* in partes ſibi ſubjectas, & recenter acquiſitas uſurpare cœpiſſet.

III. Inter reſiduas gentes, quæ Imperium infeſtabant *Romanum*, fuere etiam *Hunni*. Hi poſtquam ex *Scythia* tertio egreſſu *Pannonias* inſediſſent, atque ſub Ducibus, & Capitaneis, ac uno præterea ad ſopiendas lites, puniendosque malefactores Judice, ſeu Rectore gentis communibus votis electo, nonnullam Reipublicæ formam jam conſtituiſſent, unanimi Decreto ſanxerunt, ut dum res aliquæ communitatem æqua ſorte tangentes emergerent, aut generalis expeditio ſuſcipienda incumberet, tunc cruento mucrone per cuncta *Hunnorum* domicilia circumlato, præco edicebat: *Vox Dei, & præceptum communitatis univerſæ eſt, ut unusquisque in loco NN. armatus, vel qualiter poteſt, compareat, communitatis conſilium ſimul, & præceptum auditurus.* Qui vero ad præfixum diem, locumque comparere ſine rationabili cauſa neglexiſſet, velut refractarius, exſectis mucrone viſceribus, ut trucidetur, aut in perpetuam ſervitutem redigatur, ſtatutum erat. Atque hoc edicto, ritu que, qui usque ad tempora *Geyſæ* Ducis perſeveravit, multi *Hunnorum* in perpetuam redacti ſunt ruſticitatem, ac ſervitutem: cæteri vero *Liberi*, & *Nobiles*, ut quos ſua virtus nobilitaverat, nuncupabantur. Sicque factum, ut licet omnes *Hungari* ex eadem progenie proceſſerint, alii tamen in ipſis *Gentilitatis* tenebris jam *Nobiles*, alii vero *Ignobiles*, *Servi*, *Ruſticique* cenſerentur. Poſtquam vero ad agnitionem veritatis, ac *Catholicæ fidei* profeſſionem pervenerunt *Hungari*, & *Sanctum* Ducem ſuum *Stephanum* ſponte in Regem elegerunt, miſſoque juſſu *Angeli* à *Sylveſtro II.* Romano Pontifice Diademate coronaverunt, in eum, & ſucceſſores ejus legitimos, nobilitandi poteſtatem, ſimul cum Imperio, & Regimine tranſtulerunt. Quare ab eo tempore *1mo*: Nemo *Nobilis* niſi per Principem creatur. *2do. Nobiles* per poſſeſſionariam collationem ab *Ignobili-*

Digitized by Google

bilibus ſegregantur. *3tio.* Facultas, plenariaque poteſtas Bona, ac Jura poſſeſſionaria conferendi eſt in ſola jurisdictione *ſacræ* hujus Regni Coronæ, & per conſequens penes Principem, & Regem hac *Corona* redimitum. Hæc *P. Joan. Szegedii* Tyroc. Juris Hung. *par. 1. tit. 3.* Atque ita Hungari Principi ſuo *Altum proprietatis Dominium* attribuerunt, quod illi in ſuo Jure *Jus Regium* appellant; quod ſe extendit ad univerſa Bona, ac Jura poſſeſſionaria, ſeu Bona ſtabilia, quæ quocunque titulo Donationi Regiæ ſubjacent, ad quæ *Baſſo proprietatis Dominio* poſſidenda requiritur *Conſenſus Regius*, qui nihil aliud eſt, quam *Jurisdictio ſacræ Coronæ de juribus poſſeſſionariis per Principem facta ſpontanea ceſſio.* Vigore cujus nullus Nobilium hæredibus deſtitutus, vel defectui ſeminis proximus de Avitis hæreditatibus, aut gratis per Regem collatis Bonis diſponere libere poteſt, verum ut hæc ad *Sacram Coronam* redeant, ſtatuit *Ludovicus I.* Rex Hungariæ A. C. 1351. prius enim tunc ſolum *ſacra Corona* in ſimilibus Bonis ſuccedebat, quando quis hæredibus, & omnibus propinquis deſtitutus, ac inteſtatus deceſſit.

IV. Medio tempore, quo Hungari ſuum Neo-inchoatum Regnum legibus, ac conſuetudinibus firmabant, quibus, qualibusque *Slavi* noſtri in *Croatas*, *Dalmatas*, & *Slavones* diſtincti, ſuas *Reſpublicas* legibus, & conſuetudinibus moderabantur? incognitum eſt. Id tamen certum eſt ex *Ammiano lib. 17. cap. 12.* quod olim *Slavo-Sarmatæ*, qui ſucceſſu temporis proprie *Slavi*, ſeu *Slavones* dicti ſunt, usque dum adhuc in *Dacia Trajanica* habitaſſent potentes fuerint, ac *Nobiles*. Idque colligitur ex *Chron. S. Hieronymi*, qui ad Annum Imperii *Conſtantini* 28. ſic ſcribit: *Sarmatæ Limigantes Dominos ſuos, qui nunc Arcaragantes vocantur, facta manu in Romanum ſolum expulerunt.* Item ex *Idatii Faſtis* ad *Annum eund.* ubi hæc leguntur: *Sarmatæ Servi univerſa gens Dominos ſuos in Romaniam expulerunt.* Præterea ex *Vita Conſtantini Magni lib. 4. cap. 6.* in qua hæc habentur: *Servi Sarmatarum adverſus omnes Dominos ſuos rebellarunt; quos pulſos Conſtantinus libenter accepit, & amplius triginta millia hominum miſtæ ætatis, & ſexus in Romanum ſolum recepit.* Quos textus *Joan. de Jordan* Orig. Slavic. *cap. 14. §. 54.* explicans, ſic diſſerit. „Ex quibus relatis colligendum *1mo*, „*Limigantium* Regio magnam partem „*Daciæ* antiquæ *Trajanicæ*, non tantum *Ripenſis*, ſed & *Interioris* comprehendere debuit: quoniam *Ammianus. Limigantes* potentes, & ſedes eorum *Regnum* vocat. *2do.* Numeroſitas gentis inde patet, quod „præter eos, qui ad *Victofalos* receſſerunt, in *Romanum* ſolum ultra „300000. emigraverint. *3tio.* Numerus hic innuit, non meros Dominos cum uxoribus, & liberis, „ſed & famulitium Dominis addictium, quod rebellioni non conſenſerat, ſed ſortem ſuam in Dominorum adhæſione meliorem cenſebat, „ſimul migraſſe. *4to.* Ex teſtimoniis his vel plane, vel ferme coævis „indubium evadit, diſtinctionem „nationis *Slavicæ* in *Herilem*, & *Servilem* neutiquam inventum eſſe hodiernorum, ſed uſum primævum „antiquiſſimorum, à *Romana* ſervitute quoque nihil exempli trahentium ſæculorum, quod & veſtigiis „certis ſubſequentium, & in ſpecie „*S. Venceslai* temporum comprobatur, qui eo tum „(ut *Joan. de Jordan* Appar. Hiſt. *num.* 1051. ulterius ex *MS. Vita S. Venceslai*, & ex *MS. Martyrol.* Eccleſiæ *Pragenſis* diſcurrit) „gentilium pueros, ſervituti genitos, larga manu redimebat, eosque „Matri Eccleſiæ regenerandos præſentabat, ac *fide Chriſti* præditos libertate donabat. Ex qua puerorum venditione „(inquit *cit. Joan. de Jordan*) „aperte patet *Jus Herile* „natio-

„nationum *Slavicarum* in res, & per-
„ſonas mancipiorum, neutiquam
„(ut perperam à quibusdam credi-
„tur) poſterioribus his ſæculis ori-
„ginem deberi, ſed id à tempore,
„cujus memoria non extat, & ab an-
„tiquitate remotiſſima inoleviſſe,
„cum *Slavi* majores adhuc in Banna-
„tu *Temesvarienſi* ſæculo III, & VI.
„conſiſtentes, in *Liberos*, & *Servos*
„diſtincti fuerint.„ Ex his itaque elucescit *Slavos* noſtros *Croatas*, & *Dalmatas* habuiſſe *Poſſeſſiones*, *Servos*, & *Subditos*. Quod ulterius confirmari poteſt ex *Epiſt. S. Hieron.* 119. ex *Bethlehem* ad *Pamachium* ſcripta, in qua circa finem hæc habet: *Nos in iſta Provincia ædificato Monaſterio, & Diverſorio propterea extructo, ne forte & modo Joſeph cum Maria in Bethlehem veniens, non inveniat hoſpitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, ut nec cœptum opus deſerere, nec ſupra vires ferre valeamus: unde, quia pene nobis illud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non ante computaremus expenſas, compulſi ſumus Fratrem Paulinianum in patriam mittere, ut ſemirutas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, & parentum communium habent cineres, venderet, ne cœptum Sanctorum miniſterium deſerentes, riſum maledicis, & æmulis præbeamus.* Si igitur *S. Hieronymus* fratrem ſuum *Paulinianum* ex *Bethlehem* in patriam ſuam pro divendendis *villulis*, & *prædiis* expedivit, conſequens eſt ipſum, & parentes ipſius *Poſſeſſiones villarum*, in iis quoque *Subditos*, & *Servos* habuiſſe, *Dominosque* extitiſſe: ergo & alios ſuos conterraneos, qui non alii, quam *Slavi Arcaragantes*, aliorum *Slavorum* in *Croatas*, & *Dalmatas*, ipſosque *Slavos*, ſeu *Slavones* diſtinctorum contribules, & connationales fuere. Sed an memorati *ſlavi* villas has, & prædia *Baſſo*, aut *Alto proprietatis Dominio* ſibi appropriaverint, poſſiderintve? nihil certi reſpondere valeo.

V. Poſtquam autem ad A.C. 1069. *Zvonimirus* Rex *Dalmatiæ*, & *Croatiæ*, ut *Rattkajus* notat, abſque Liberis, *Lepa* conjugi ſuæ, *Geyſæ*, *Ladislai* & *Salomonis* ſucceſſive Regum *Hungariæ* Sorori, Regna *Croatiæ*, & *Dalmatiæ* Teſtamentaria diſpoſitione inſcribens deceſſiſſet, Conthoraliſque defuncti *Lepa* Imperii jura in *Croatas*, & *Dalmatas* exercere cœpiſſet, nonnulli procerum, qui *Zvonimiri* hoſtes fuerant, adjunctis ſibi *Carinthis* arma parabant, quibus Reginæ Regna legata adimere nitebantur. Illa *Ladislai* fratris, jam poſt abitum *Salomonis* in deſertum, & *Geyſæ* in æternitatem, Hungariæ Regis ſubſidia contra ſuorum Regnorum invaſores implorans, obtinuit, ut & ipſe ſuas cogeret copias, ferretque ſorori opem, qua fugatis adverſariis, quæ ſua erant, tranquille impoſterum poſſideret. Interjecto dein tempore, & ſeptimo jam elapſo regiminis anno, moriens & illa, eadem Regna *Ladislao* fratri, quo nemo illi ſanguine propinquior erat, Teſtamenti vigore reliquit: quæ ipſe *Sacræ Hungaricæ* adjunxit Coronæ. Ita *Rattkajus pag.* 53. & 54. Alii aliter, ſignanter *Thomas Archidiac.* & *P. Timon* exponunt. Sed quemadmodum neque *Ratkaiana*; ita neque horum expoſitio de veritate ſuſpecta eſſe poteſt, nam qualitercunque res acciderit, illud certiſſimum eſt, quod Regna *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, & *Slavoniæ*, acceſſerint *Sacræ Hungaricæ Coronæ* ſub *Ladislao* Rege Hungariæ, qui regnavit juxta *Szentivanium* Diſſert. Paralip. *Cat. I. num. 8.* ab A. C. 1076. usque ad 1096. quo & die 30. Julii ipſum obiiſſe ſcribit: quamvis ſucceſſor quidem *Colomannus* multum ad agendum habuerit, usque dum Proceres horum Regnorum ad ſibi, ſuisque ſucceſſoribus obtemperandum flexerit, & adduxerit. Ab hoc igitur tempore *Slavi* noſtri, *Croatæ*, atque *Dalmatæ* iisdem Juribus, & conſuetudinibus utuntur, quibus *Hungari*; conſequenter prout apud illos, & apud hos *imo.* Nemo *Nobilis* niſi per Principem crea-

 tur.

Digitized by Google

tur. 2do. *Nobiles* per poſſeſſionariam collationem ab *Ignobilibus* ſegregantur. 3tio. bona, ac Jura poſſeſſionaria à Solo Rege *Sacra Corona* redimito obtinentur, utpote cui unico *Altum proprietatis Dominium* in omnes ſuorum Regnorum Poſſeſſiones, quocunque vocabulo nuncupatas vigore *Sacræ Coronæ* vertici ritu uſitato, & ſolemni impoſitæ attributum eſt. Atque ita à præmemoratis *S. Ladislai*, & ejus ſucceſſoris *Colomanni* temporibus noſtræ quoque *Inſulæ Muro-Dravanæ* manſit *Altum proprietatis Dominium* penes *Sacram Hungariæ Coronam*, manetque hodiedum. Conjuncta ſic tria *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, & *Slavoniæ* Regna primo quidem Ducibus ex domo Regia progenitis, Regiaque auctis poteſtate, deinde Proregibus jam duobus, imo quandoque tribus, arbitratu Regio lectis, & pro veteri conſuetudine *Banis* nuncupatis, Prætoriaque authoritate ornatis adminiſtrabantur, & nunc quoque adminiſtrantur, à nullo, præterquam ab ipſo Rege, ejuſdemque *Cancellaria Hungarico-Aulica* dependentia.

VI. Hucusque de *Alto proprietatis Dominio* in *Inſulam Muro-Dravanam* exercito diſſeruimus, tempus eſt, ut & de *Baſſo proprietatis Dominio*, quod Reges noſtri Perſonis de Rege, & Regno bene meritis, eorumque familiæ, ſeu poſteritati, ſive titulo donationis, ſive titulo emptionis, conferre ſolent, in eadem *Inſula* habito, ſermonem faciamus. Primum *Inſulæ Muro-Dravanæ* poſſeſſorem, ſed neque *Baſſo*, minus *Alto proprietatis Dominio* dotatum, invenio *Demetrium* totius *Slavoniæ* Bannum, à *Bela IV.* Rege Hungariæ circa A. C. 1266. conſtitutum, ut ſcribit *Sigism. Ferrar.* in Hiſt. Prov. Hung. Ord. Prædicat. *lib. 1. cap. 19.* ex *Friderici Stiel* Ephemeridib. Dominicanis. Item *Franc. Ladany* in MS. Opere de geſtis Bannorum lib. 3. Functus ergo eſt officio Bannatus non poſt amotum *Mladinum*, prout conjecturat *Sigism. Ferrar.* (quod factum eſt circa A. C. 1322. ſed, ut dictum eſt, regnante *Bela IV.* circa A. C. 1266. poſt *Belam*, filium *Stephani II.* Regis, qui titulo Ducatus A. C. 1264. *Slavoniæ* præerat: & ante *Ivachinum*, ſeu *Joachimum* Comitem *Bribirienſem* de genere *Subich*, qui ut Bannus A. C. 1271. *Slavoniæ* præfuit: nam apud *P. Timon* in nova Synopſi Chronol. Hung. *pag. 92.* ad A. C. 1251. mentio fit Diplomatis *Belæ IV.* quo ille *Demetrium* memoratum *Patrem* familiæ *Chakianæ* compellat. *Demetrium* hunc in numero Bannorum Slavoniæ recenſere *P. Alexius Piariſta* omiſit, probabiliter ob inopiam, ut ipſemet *cap. 6. §. 1.* aſſerit, *Annalium*, & *Diplomatum*. Hic igitur qua Bannus *Slavoniæ* fuit Poſſeſſor *Inſulæ Muro-Dravanæ*, an integræ, vel partis tantum alicujus? hucusque in notitiam devenire nequivi: interim ſive integræ, ſive partis alicujus nonniſi *Dominus uſufructuarius* fuit, durante videlicet officio Bannali. Ducibus namque, & Bannis præfatorum Regnorum à Regibus bona aliqua pro competentiori, & exactiori adminiſtratione muneris ſibi injuncti ad tempus attribuebantur, ſimiliaque bona nominabantur in *Jure Civili*, hodieque nominantur *Condeſcenſiones*. Hic tempore ſui Bannatus dicitur à *P. Timon loc. cit.* & à *P. Bombardio* Topogr. Hung. *p. 90.* Item à *P. Ruman* in Imag. Hung. deſcribente Caſtrum *Zabolch* (cujus & ego *cap. 51. num. 16.* memini) Caſtri *Chaktornyæ* conditor, de quo ſuo loco uberius loquemur, in hoc vel maxime memorandus; quod pluribus genitis filiis, *Carolum* tamen, & *Mauritium* non mundo, ſed cœlo peperiſſe videatur. Uterque enim Dominicanæ Religionis inſtitutum complectens, vita ſanctimonia floruit, beatoque fine quievit. De quibus *Szentivan.* Diſſert. Paralip. *Cat. 75.* hæc habet: & quidem de *B. Carolo* ad

diem

diem 17. Januar. *Depoſitio B. Caroli Chaky, qui ſpretis mundi illecebris, ac opibus Ordinem S. Dominici ingreſſus, vita Sanctiſſime transacta, piiſſime obiit Jaurini Anno 1337.* De *B. Mauritio* autem ad diem 20. *Martii*; hæc ſcribit: *B. Mauritius Chaky, Ordinis Prædicatorum, amore in Deiparam, & miraculis clarus, obiit Jaurini, Anno 1330.* Vitam eorum fuſius deſcribit *Sigiſm. Ferrar.* in Hiſt. Prov. Hung. Ord. Prædic. *cap.* 19. & 20. ex *Plodii lib.* 1. de viris Illuſtr. *col.* 244. & ex hoc *Hagiographi Belgæ*, ſeu *Bollandiſtæ* ad *dies* & *Menſes præcit.* In hoc tamen errantes, quod *Demetrium*, parentem eorum, *Bannum Hungariæ*, id eſt *Exercitûs Ducem* intitulaverint, ignorantes probabiliter patriæ tam *Hungariæ*, quam *Slavoniæ* conſuetudinem. Nolim tamen, ut quis intelligat, me aſſerere velle, quaſi hi *Beati Viri* in noſtra *Inſula Muro-Dravana* nati extiterint, ſed pure quod à *Demetrio* Banno *Slavoniæ* progeniti ſint, cum is vetuſtiſſimæ, ſimul & nobiliſſimæ familiæ *Pater* plura quoque bona poſſeſſionaria, & quidem *Baſſæ proprietatis Dominia* per Regnum Hungariæ habuiſſe cenſendus ſit, in quibus hos *Beatos viros*, vel forte unum, aut alterum, aut utrumque etiam, quis novit? in noſtra *Inſula Muro-Dravana* generare potuit.

VI. Poſt *Demetrium* an reſidui Banni *Slavoniæ* noſtram *Inſulam Muro-Dravanam* ut *Uſufructuarii* poſſederint? non conſtat. In affirmativam tamen opinionem potius conſentirem, quam in negativam: veritatem quidem fateor, me pro affirmativa nullam aliam habere rationem, quam quod neque ex Traditionibus, neque ex Hiſtoricis informari quiverim, alicui familiæ *Inſulam Muro-Dravanam* titulo vel *Donationis*, vel *Venditionis* à Rege aliquo conceſſam fuiſſe pro *Baſſo proprietatis Dominio*, usque ad A. C. 1350. Quo, aut ſequenti, videlicet 1351. *Ludovicus I.* Rex Hungariæ ſæpefatam Inſulam noſtram *Stephano* Vajvodæ *Tranſylvaniæ* titulo *Donationis* poſſidendam conceſſit, ob res bene *Neapoli* pro Rege *Ludovico* navatas. De quibus *Bonfin. Dec.* 2. *lib.* 10. ſic ſcribit: *Stephani geſta, Privilegia à Ludovico Rege data teſtantur, & in eis Caſtellorum donatione præſertim, quæ inter Dravum, & Muram (ut ajunt) ſita ſunt, quorum alteram Iſtbrigum* (Stridon) *Chaktornya alterum appellarunt: multi namque oppidis, & pagis hunc, ob rem bene geſtam, à Rege donatum tradidere.* Et paulo infra *loc. cit.* ait: *Stephanus Vajvoda, ob rem Neapoli contra Joannam, Andreæ Ludovici fratris Viduam, & Ludovicum Tarentinum adult[illegible], bene geſtam, à Ludovico Hungariæ Rege donatione Dynaſtiæ Inſulanæ, cum caſtellis Iſtebrigum* (Stridone) *& Chaktornya honoratur.* Hic *Stephanus* alias de *Lindva*, & frater ejus *Andreas* militia & conſilio clariſſimi geniti fuere à patre *Ladislao*, Comite de *Szolnok*, & Vajvoda Tranſylvaniæ, ut habet *Bonfin. Dec.* 2. *l.* 10. & *Dec.* 3. *lib.* 1. Item *Szentivan.* Diſſert. Paralip. *Cat.* 98. Ideo, ut iis temporibus uſitatum fuerat, *Lakffy* idiomate Hungarico, ſermone autem *Slavonico*, ſeu *Croatico* dicti fuere *Laczkovichii.* Dubium tamen de integra Dynaſtia *Inſulana* à *Stephano*, ejusque fratre *Andrea* poſſeſſa oritur ex littera fundationali PP. Paulinorum *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam*, cum in eadem legatur ſimultaneus Fundator alter *Stephanus* Agazonum Regalium Magiſter, diverſæ familiæ, utpote (prout *P. Szentivan.* Diſſert. Paralip. *Cat.* 109. notat) *Dyonyſii* Vajvodæ filius, qui fuit filius *Nicolai Poth*, qui poſtea *Conthus* cognominabatur, fuitque Regni Hungariæ Palatinus, hic vero *Laurentii Poth* de *Hedervára*, ex qua familia ſub *Andrea II.* Rege fuere duo fratres Palatini, unus poſt

Digitized by Google

alium ab A. C. 1206. usque ad 1219. conſequens eſt, hunc etiam habuiſſe aliquam partem *Inſulæ Muro-Dravanæ* ſibi à Rege *Ludovico* eodem, vel diverſo tempore collatam. *Stephanus Laczkovichius* jam proprietarius Inſulæ Dominus, ob fidelia ſervitia multis in caſibus *Mariæ*, filiæ *Ludovici*, Reginæ poſt obitum parentis Hungariæ ex integro præſtita, ex Vajvodatu *Tranſylvaniæ* transfertur ab eadem Regina ad Bannatum *Slavoniæ*, A.C. 1383. ſed mox ſequenti anno, quia in partes *Joannis de Paliſna*, qui Reginæ regimen, utpote fœmineum, detrectabat, resque de novo creando Rege moliebatur, tranſiverat, Præfectura *Slavoniæ* privatus fuerat. Quem inſuper indicto ad A.C. 1390. (quo jam *Sigismundus Mariæ* Reginæ maritus, in Regem *Hungariæ* coronatus univerſa Regnorum negotia tractabat (*Criſii* in *Slavonia* Conventu, ex improviſo inter medias negotiorum Regni conſultationes capi, includi, & cauſa mox indicta, incuſatum crimine, ſed ut plerique Hiſtorici aſſerunt, non probato, læſæ Majeſtatis, tum quod contra *Mariam* Reginam pro alio Rege laboraſſet; tum quod primus *Bajazethem* Imperatorem *Turcarum* in *Slavoniam* induxiſſet, cum filio *Ladislao*, quem aliqui Nepotem ejusdem dicunt, quod forte ex *Andrea* fratre *Stephani* natus fuiſſet, cum triginta *Nobilibus* obtruncari fecit. Ita *Lucius lib. 5. cap. 10.* Bonfin. *Dec. 8. lib. 2. Rattkajus p. 86. Alexius Piariſta* Vet. & Nov. Illyr. *Tract. poſter. cap. 5.* §. 56. An hæredes quospiam reliquerit, incertum eſt: & quamvis apud *Ratkaium p. 88.* & apud *Alex. Piariſt. loc. cit.* §. 65. legatur ad A. C. *David Laczkffy* Bannus *Slavoniæ*, attamen aut non fuit filius *Stephani*, aut eſto fuiſſet, nequivit *Inſulam Muro-Dravanam* titulo hæreditatis accedere, cum Bona à Rege, quocunque titulo, collata ob crimen læſæ Majeſtatis, & ob notam infidelitatis ipſo facto redeant ad *Sacram Coronam*, ac Fiſco Regio applicantur, ita ut nemo ex illius familia, & progenie ea rehabere valeat. Ita *P. Szegedii par. 1. Tit. 16.* §. 2.

VII. Poſt obtruncatum *Stephanum Laczkovichium* circa A. C. 1406. *Hermanus* Comes *Ciljæ*, & *Zagoriæ*, ampliſſimorum in *Croatia* latifundiorum poſſeſſor, cujus filiam *Barbaram* ſibi Rex *Sigismundus* poſt obitum *Mariæ*, alteram autem *Annam* filiam *Jagello* Rex Poloniæ thoro copulaverant, ſumma apud Generos authoritate polens, *Dalmatiæ*, & *Croatiæ* Bannus dictus eſt, & Dynaſtia *Inſulæ Muro-Dravanæ* titulo *perennalis donationis* (ut *Bonfin. Dec. 3. lib. 4.* & *Ratkaius lib. 3. pag. 88.* Item *P. Tymon.* & *Author* ſeriei Bannorum ad A.C. 1460. notant) ditatus; dein ad A.C. 1435. *Slavoniæ* quoque Bannus in Comitiis Regni adſalutatus eſt. Vir erga Deum, Eccleſias Dei, Eccleſiaſticas, & Religioſas perſonas devotiſſimus, liberalis, & munificus, ut ejus inſignia Gentilitia in Eccleſiis ab ipſo ædificatis, & dotatis, ac Monaſteriis fundatis, tam in *Inſula Muro-Dravana*, quàm in *Croatia*, & *Slavonia*, ac in Comitatu *Celejæ*, quæ nunc *Marchia Slavonica*, quandoque etiam *Vindorum* dicitur, luculentiſſime probant. Cui & cœnobia noſtra *Chaktornyenſe*, & *Remetenſe* pro beneficiis præſtitis, ſignanter vero *Lepoglavenſe*, in quo hæc ſcribo, ab ipſo circa A. C. 1420. fundatum, hodiedum in quotidianis Miſſarum Sacrificiis, aliisque Religioſis precibus, ac exercitiis grates perſolvit congruas, cum nequeat condignas. Huic circa A.C. 1436. de mortuo, ut legitimus hæres in univerſis bonis ſucceſſit filius *Ulricus*. Qui poſt obitum *Sigismundi* Regis, poſtquam *Albertus* Archi-Dux Auſtriæ, accepta in uxorem *Eliſabetha*, filia *Sigismundi*, ex *Barbara* Comitis *Hermani Cilejæ* ſuſcepta, ab *Hungaris* in Regem coronatus A.C. 1438. Kal. Januar. ac eodem Anno Kal.

Digitized by Google

Apr. Imperator Romanorum, nec non 3. Kal. Julii Rex Bohemiæ adſalutatus fuiſſet, ab eodem Regno Bohemiæ præficitur. Ubi imperandi cupidus, cum optimatibus de vendicando ſibi Regno agebat, ſed abrepto è vivis *Alberto* Rege A. C. 1439. cum Regina *Eliſabetha* quarto poſt obitum Conthorali menſe perperiſſet filium *Ladislaum*, ideo dictum *Poſthumum*, & pactum cum *Uladislao* Polono conjugium perſuaſionibus Avunculi ſui *Ulrici* recidiſſet, *Uladislaumque* tamen ab *Hungaris* in Regem aſſumptum intellexiſſet, ex Arce *Viſſegradenſi* rapit Sacram Regni Coronam, ſeque cum eadem *commarq-mium* recipit, adhærentibus ſibi pluribus Hungariæ proceribus, quibuscum *Albam Regalem* contendit, ibidemque *Ladislaum* filium jam trimeſtrem *Corona Sacra* ſolemniter redimiri fecit, & una cum filio, ac *Sacra Corona* in Auſtriam ſub tutelam *Friderici* Cæſaris, ac Patrui *Ulrici* Comitis Ciljæ ſe confert. Altera nihil ominus pars procerum Hungariæ, quæ *Uladislao* adhæſerat, eundem *Budæ* in defectu ablatæ Coronæ per impoſitas *S. Stephani H. R.* ex capite Reliquias, Regem acclamat; coronationemque *Poſthumi* abrogat. Nondiu tamen regnare potuit *Uladislaus*, nam A. C. 1444. ad *Varnam* cum *Amurathe* fortiſſime in prælio dimicans occubuit. Quo cæſo *Hungariæ* Proceres univerſi *Ladislaum Poſthumum* filium *Alberti*, quinquennem in Regem poſtulant, & eligunt; ac *Joannem* ex vetuſtiſſima *Romanorum Corvinorum* familia progenitum, alias *Hunnyadem* dictum, interim pro Gubernatore Regni cum plena authoritate Regia conſtituunt. Qui ad A. C. 1445. Comitem *Ulricum* pro Banno *Slavoniæ*, in locum Patris ſui *Hermani* declaravit. Hic, quamvis *Inſulam Muro-Dravanam*, *Varasdinum*, *Capronczam*, *Zagorjamque* quaſi integram, multaque alia *Illyrii* oppida, & caſtra ſuo ſub Dominio poſſediſſet, *Croatiam* tamen, & *Slavoniam* perturbare, eamque in ſuam poteſtatem redigere contendebat, *Joannes Corvinus Hunnyades*, cum *Franciſco de Thalocz* Prorege *Croatiæ* & *Dalmatiæ* audaciam hujus qua bonis, qua malis repreſſit: qua ex cauſali enata eſt inter utrumque Heroem ſub *Ladislao* Rege, qui ad A. C. 1451. ex *Auſtria* in *Hungariam* regnaturus venerat, æmulatio acerbiſſima. Hinc *Ulricus* invidiam *Joanni Corvino* apud Regem conflare modis omnibus adnitebatur, ſed quia A. C. 1452. *Joannes Hunnyades*, relictis duobus filiis *Ladislao*, & *Mathia*, obiiſſet, totam vindictam in filios hujus effundere decrevit, quam dum primo in *Ladislao Corvino* præſente Rege *Belgradi* armis exercere contendiſſet, dextra *Ladislai Corvini* interfectus periit. Ita *Bonfin. Ratkaj. Szentivany, Thuroczy, Tymon, & alii quam plurimi.* Apud *P. Bombardium* Topogr. Hung *par. 2. ſegm.* 1. §. 12. nominatur *Fridericus* Comes *Cilejæ* Bannus *Slavoniæ* ad A. C. 1447. cujus & ego *cap. 44. num. 4.* memini. An fuerit idem cum *Ulrico*, vel alter? dubium eſt: ego ex *Diplomate* Pontificio *loc. cit.* producto exiſtimo eſſe diverſum, & quidem *Ulrici* fratrem, quem etiam poſt *Ulricum*, dum is ab *Eliſabetha* Regina, ut *Avunculus* in *Hungariam*, vel *Auſtriam* pro conſiliis evocatus fuiſſet, & ipſemet probabiliter à Proceribus *Slavoniæ*, ſibi minus ob nimium exercitum Dominatum addictis, lubenti animo receſſiſſet, Bannatum *Slavoniæ* tenuiſſe non dubito: cum id de facili accidere potuiſſe ſentiam; inter *Ulricum* namque ad A. C. 1446. Bannatum reſignantem, & inter *Nicolaum Vilaky* ad A. C. 1449. Bannatum aſſummentem interceſſerunt anni quatuor, *Ulricus* ut ad eundem honoris gradum fratrem ſuum *Fridericum* promoveat, facile id apud cognatam ſibi *Eliſabetham* Reginam, cui aliunde *Slavones*, & *Croatæ*, ut *Tymonius* notat, favebant, obtinere quivit, ut fra-

Digitized by Google

frater ſuus *Fridericus* Officio Bannatus honoraretur, ad A. C. 1446. eodemque munere ſubſequentibus Añis usque ad *Vilakium* fungeretur. Hunc tamen *Fridericum* brevi poſt ſine hæredibus, & quidem ante *Ulricum* obiiſſe credendum puto, cum omnes Hiſtorici, qui de *Ulrico* tractant, eum ultimum Comitum *Cilejæ* hæredem extitiſſe affirment. Poſt hujus igitur interitum iterum noſtra *Inſula Muro-Dravana* rediit ad *Sacram* Regni *Coronam*, à qua & ad manus Comitum *Cilejæ* collata fuerat.

VIII. Extincta Illuſtriſſima Comitum *Cilejæ* familia, noſtra *Inſula Muro-Dravana* nondiu manſit præ manibus *Fiſci Regii*, hanc etenim *Joannes Ernuſt de Hampo* Comes *Zolienſis* & ad A. C. 1475. Bannus *Slavoniæ* à Rege obtinuit; ſed quo Anno? non conſtat, eum tamen in plena poſſeſſione Inſulæ ad A. C. 1496. dictat *Gregor. Petheo. in Chron.* eapropter ad A. C. eundem legitur in *Tripartito* Regni *Hungariæ* ad finem Articulorum *Uladislai* Regis: *Joannes Ernuſt de Chaktornya, Agaſonum Regalium Magiſter.* An titulo *Donationis*, vel *Emptionis* pariter eſt in incomperto. Hic nonniſi usque ad A. C. 1490. Bonis *Inſulanis*, aliisque gaviſus, morte cogente, deſerere debuit, relinquens hæredem *Caſparum.* Qui cum, ducta in thori ſociam *Petri Keglevich* filia, in flore juventutis absque liberis è vita migraſſet, fatus *Keglevichius*, inter clariſſimos alias hæroes cenſitus, at aviditate Bonorum, & avaritia correptus, reus Majeſtatis læſæ, ac legum refuga factus, totam laudabiliter transactam vitam, & canam jam ætatem (cum 70. exceſſiſſet annum) ultimo dedecore turpiſſime maculavit. Aſſerens namque ſe per defunctum *Ernuſtium* filiæ ſuæ, & ex hac hæredis naſcituri (prætexebat enim filiam ſuam à Marito prægnantem remanſiſſe) Tutorem teſtamentaliter conſtitutum eſſe, præter *Chaktornyam* & *Stridonem* cum Dynaſtia *Inſulana*, caſtra quoque alia ejusdem *Caſparis* in *Criſienſi* Comitatu *ſanct-Georgenſe*, & *Kapronczenſe* occupavit, donec tempus pariendi adveniſſet. Interim *Ferdinandus I.* Imperator, ut Rex ſimul Hungariæ, in cujus partes jam *Illyrica* quoque noſtra Regna conceſſerant, & ad quem Jure Fiſcali ſimilia Bona, utpote Coronæ, pertinerent, ne infans quispiam ſuppoſititius, nomine hæredis, ederetur, aliquot Nobilibus, fide dignis Matronis ad cuſtodiam partus legitime adhibitis, cum id falſo prætextu excogitatum cognoviſſet, occupata caſtra favorabiliter repetere dignatus eſt: attamen *Keglevichius* nequaquam reddere voluit, vidualem ſuæ filiæ allegans intentionem. Sed & poſtquam hæc *Ladislao Banffy* de *Lendva* nupſiſſet, memorata Caſtra retinens, ſemel & iterum vocatus *Viennam*, ſub ſalvo conductu omnino comparuit, ubi ad clementem, paternamque Regiæ Majeſtatis admonitionem, præſentibus pluribus Prælatis, & Baronibus, manum pectori ſuo imponens, prædicta caſtra hominibus ſuæ Majeſtatis, ad id electis, pro debito probi ſervitoris, & ſubditi, ad fidem Chriſtianam admanuare, ſponte, libereque promiſit. Recedens *Vienna* promiſſis non ſtetit: advenienti namque cum Plenipotentiario Regio *Alberto* Præpoſito, & Cameræ Regiæ Præfecto, Caſtraque nomine ſuæ Regiæ Majeſtatis repetenti tradere, & aſſignare renuit, verum ea pro ſe retinere, & conſervare, privata authoritate, contra promiſſa non erubuit. Et quia idem *Petrus Keglevichius* annis ſuperioribus, poſt obitum *Stephani Deesházy* (qui pariter nullum reliquerat hæredem) Caſtrum *Szomſzedvára*, item *Selin*, & *Sztubiczam* intercepiſſet, eaque ex ejus manibus præfata Regia ſua Majeſtas vix tandem eripuiſſet, in Regni Conventu *Poſonienſi* A.C.1542. celebrato *Art.* 43.

ſtatu-

ſtatutum fuit: Quod ſi idem *Petrus Keglevich* Caſtra præinſinuata intra ſpatium duorum Menſium Majeſtati ſuæ non reſtituerit, tanquam notorius infidelis Majeſtatis Regiæ, & Regni, nota perpetuæ infidelitatis, & amiſſione capitis, omniumque bonorum ſuorum publice, & manifeſte de jure, & de facto condemnatus ſit, & proſcriptus. Sed cum neç huic Decreto *Petrus* parere voluiſſet, coacta eſt Regia Majeſtas ad tenorem *Art.* 5. diætæ *Neoſolienſis* A. C. 1542. celebratæ, violentum bonorum poſſeſſorem vi pellere ex bonis. Quapropter *Nicolaus* Comes *Zrinius* cum *Paulo Zekelio*, quibus hoc negotium ab Imperatore commiſſum fuerat, coactis *Illyricis* copiis *Keglevichium* A. C. 1546. in Arce *chaktornienſi* obſedit, eumque poſt aliquot obſidionis dies ex fuga verſus Conventum PP. Paulinorum *S. Helenæ* retractum *Viennam* exmiſit. Ubi implorata Regis clementia, Caſtriſque plenarie reſignatis, gratiam quidem vitæ, & bonorum ſuorum aviticorum obtinuit, dignitate tamen Banali, quam quatuor adminiſtraverat annis, motus, domi deinde inglorius humanis exceſſit. Quibus de rationibus *Keglevichius* iſte, quemadmodum neque fuit, ita neque dici poteſt *Inſulam* poſſediſſe *Baſſo proprietatis Dominio*, ſed pure *Violento*, conſequenter vi pulſus ex *Inſula* eam *Sacræ Coronæ* reſtituere coactus eſt. Dabit, quæſo, veniam Inclyta familia *Keglevichiana* ſcriptori, ſe ſervum, & Capellanum ejusdem profitenti; ſcribere hæc locus, & materia urgebant, neque unquam præſumpſiſſet, niſi hæc jam impreſſa apud *Ratkajum l.* 4. & in *Corpore Juris Hungarici* legiſſet. Et quemadmodum illa Illuſtriſſimæ familiæ *Keglevichianæ*, ſicut antiquitate generis; ita gloria ſuorum meritorum, ac propria fortitudine inter *Hungariæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* proceres florentiſſimæ hucusque nullam inuſſerunt ignominiam, vel malam famam, cum & poſteri *Petri* hujus virtute, & fide clariſſimi in pluribus etiam Regni officiis, Regni, Regnoque conſtantes ſe, atque æſtimatiſſima commendatione dignos exhibuerint, hodieque exhibeant; ſic neque ſcriptoris horum relata depreſſionem aliquam honoris Inclytæ cauſabunt familiæ.

IX. Rehabita ad *Coronam Regni* Dynaſtia *Inſulæ Muro-Dravanæ*, eam aliquo tempore *Fiſcus* adminiſtrabat *Regius*. Quia vero interim *Nicolaus* Comes à *Zrinio* A. C. 1542. *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* Bannus, ac *Auranæ* Gubernator, eo, quod in bello *Peſthano* valde generoſe, laudabiliterque ſe geſſiſſet, dictus; in tractu *Varasdinenſi Turcarum* Ducem *Ulamanem* ad A. C. 1552. ingenti prælio fudiſſet, & *Aly-Eunuchum* unum è *Turcarum* purpuratis ab obſidione *Szigethi* biduum cum hoſte confligens avertiſſet, aliaque plurima generoſiſſima heroicaque optimi Ducis, & Militis pro Rege, & Regno exercitia contra communem fidei hoſtem præſtitiſſet, eidem *Ferdinandus I.* Imperator, & Rex *Hungariæ* præmii loco *Inſulam Muro-Dravanam* titulo *perennalis Donationis* obtulit ad A. C. 1554. Ita *Gregor. Petheo*, & *Ritterus in Chron.* ad *An. eund.* Poſtea vero, ubi *Maximilianus* Archidux, Imperatoris filius bellum in *Illyrico* adminiſtrabat, Adjutor eidem datus magnam in *Corothnæ* expugnatione operam adhibuit. Abdicato dein ad A. C. 1557. Magiſtratu *Illyrici* ſe tamen verum ſemper, fidelemque Patriæ Civem verbo, & opere profitebatur, multis & ex poſt Heroicis geſtis clariſſimus; & vel maxime *Szigethi* obſidione, cum locum illum tolerata priori obſidione celebrem, præclara poſtea ibi morte obita longe celeberiorem reddidit; cum per octo, & triginta dies acerrimum *Turcarum* impetum coſtantiſſime perferendo, deſperatis poſtremo auxiliis haud inultus cecidiſſet,

Digitized by Google

nec incruentam hoſtibus victoriam reliquiſſet: cum viginti amplius millia hoſtium ibidem periiſſe certo conſtet ad A. C. 1566. Ita *Ratkajus l.* 4. & *Petheo in Chron.* ac *P. Alex. Piar. par. poſt. cap.* 6. §. 6. Caput Herois conto adfixum, & in medio Caſtrorum ſpectaculo hoſtibus expoſitum, poſtea à *Muſztapha* Præfecto *Budenſi* ad *Ferdinandum* Imperatorem, ab ipſo vero *Chaktornyam* miſſum in conditorium, quod ſibi, conjugique ſuæ *Frangepanæ* apud PP. Paulinos ad *S. Helenam* ſupra *Chaktornyam* erexerat, illatum fuit. Reliquit filios quatuor: *Georgium*, *Chriſtophorum*, *Nicolaum*, & *Joannem*. Tribus poſterioribus in flore juventutis è vita migrantibus *Baſſum Inſulæ Muro-Dravanæ proprietatis Dominium* devolutum eſt in *Georgium*, qui, quamvis *Tavernicorum Magiſterio* à Rege decoratus, à Prædeceſſorum tamen ſuorum, per *Alex. Piariſt.* Vet. & Nov. Illyrii *par. poſt. cap.* 6. §. 20. longa ſerie recenſitorum, toga, ſagoque clariſſimorum virtute deflectens, ac cum perverſis ſociis in vitia ruens, abjurata etiam *Catholica fide* ſe *Lutheri Dogmatum* ſectatorem (ut ſuo loco uberius dicetur) ore, & re profeſſus eſt A. C. 1570. Hinc de eo nulla, aut exigua militaria geſta leguntur, in eo tamen laudandus, quod filium ſe longe meliorem progenuerit *Georgium*, qui *junior*, ille vero *ſenior* dictus eſt. Hic ad *Romanam Apoſtolicam* converſus *fidem*, ejusdemque Profeſſionem A. C. 1623. die 13. Aprilis in Conventu *S. Helenæ* ſupra *Cſaktornyam* emittens Miniſtros *Lutheri* ex *Inſula* profligavit. Quo factô *Mundi pullus*, *Bellonæ filius* (ut eum *Ratkajus lib.* 5. intitulat (quia univerſa in ſe, quæ aut militari heroe, aut ſummo Principe digna ſunt (ſi unica cultiorum litterarum excipiatur peritia) complectebatur, ad A. C. 1624. *Ferdinandi II.* arbitratu ad *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* Banatus dignitatem admotus; in id vel maxime contendit, ut non ſolum *Turcas Caniſienſes*, & *Koſztanicenſes* ſæpius excurrentes frænare, verum ipſamque *Caniſam*, & *Koſztaniczam* eisdem eripere valeat. Et quia hos partim apud *Caniſam*, partim apud *Koſztaniczam* aſſiduis laceſſabat velitationibus, ingens apud ipſos hoſtes de ipſo concepta fuerat opinio, ut ſæpius pro mœnibus *Caniſæ* pecora, hominesque abigentem nullus inſequi attentaverit. Multa hic memoratu digna forent, niſi prolixitas operis me deterreret, & niſi hæc in aliis Hiſtoricis ſignanter *Ratkajo* legi poſſe ſcirem: Unicum id præterire nequeo, qualiter dum ex *Germanico* bello cum *Wallenſteinio* ſummo exercitus Cæſariani Duce, cui adverſus *Bohemos*, & *Suecos* ingenti auxilio extitit, in *Hungariam* ad ſopiendas *Bethlehemianas* cum *Turcis* correſpondentes iteratas revolutiones rediiſſet, atque ad *Palankam* fervente pugna celebrem è cæteris inſecutus, aſſecutusque *Mahometanum*, ſpectantibus pluribus propria decolaſſet dextra, allato dein ad conſpectum *Wallenſteinii* capite ita prolocutus fuiſſet: *Ita hoſtis Cæſaris perſequendus, ita victoria paranda foret.* Reſpondiſſet vero *Wallenſteinius* Dux: *Plura truncata jam ego vidi capita*, repoſuiſſetque *Zrinius*: *Plura fortaſſe truncata vidiſti capita, ſed non truncaſti plura.* Quo reſponſo multum invidiæ ſibi conſcivit apud Ducem *Wallenſteinium*, qui, utpote homo notiſſimæ ambitionis, & crudelitatis apud omnes Hiſtoricos notatus, cum (ut *Ratkajus* de Reg. Bann. Regnor, Dalm. Croat. & Slav. *l.* 5. *pag.* 199. refert) nullis ulciſcendi tentatis modis profeciſſet, convivii tempore raphani radicem, quam *Zrinius* avidius eſitare ſolebat, veneno tinctam porrigit, edentemque inficit, & cum infectum pharmaca reficere *Poſonii* nequiviſſent, obiit ibidem A. C. 1626. Devectus inde *Chaktornyam* honorificentiſſimo funere in æde D. *Helenæ* PP. Paulinorum tumulatus eſt: Hoc unico omnium Procerum, & ipſiusmet

met

Digitized by Google

met *Ferdinandi* Cæſaris ingenti dolori relicto ſolatio, quod binos filios expectationis maximæ, paternæ virtutis ex aſſe hæredes *Nicolaum*, & *Petrum* reliquerit. Duo hi fratres multis in *Croatia*, & *Slavonia* divites caſtris, ac Poſſeſſionibus, in quibus familia hæc Illuſtriſſima poſt *Nicolaum*, *Nicolai Szigethani* patrem, qui eas poſt obitum ſine prole maſcula *Carlovicii Torquati*, cum filia ejusdem *Joanna*, uxore ſua *Titulo donationis* à Rege obtinuerat, *hæreditario jure* ſuccedebat, eas inter ſe æqua lance diviſere integras, ac Dynaſtiam *Muro-Dravanam* in bifariam, ita, ut cuilibet media pars obveniret. *Nicolaus* felicitate *Epaminondæa*, vivente adhuc patre gladium *Turcico*, *Suecicoque* manantem ſanguine apprime vibrare noverat, cæſis namque ad *Egram* exigua *Croatarum* manu ducentis *Suecis*, id vigilantia ſua præſtitit, ne *Ferdinandus* ab hoſte nocte concubia opprimeretur. In *Hungaria* A.C 1645. *Georgio-Rakozianos*, cæſis eorum tribus millibus, ad *Tibiſcum* fudit. *Turcas* A. C. 1647. *Inſulam Muro-Dravanam* depopulantes non ſine ſtrage hoſtium fugavit. Quibus de cauſis A. C. 1649. Prorex *Illyrii* in Conventu Procerum jubente Rege pronuntiatus eſt. Qua dignitate animatus ad majora hæroica facinora, primo *Turcas Koſztanicenſes*, dein *Haſſanem* Agam *Caniſienſem* fugavit: ad Annum vero 1661. protritis *Arnautii* Mahometis copiis Præfectum *Caniſienſem* ab obſidione prima *Neozrinii*, à ſe prope *Legradinum* erecti, rejecit; in *Hungaria* ad *Ujvarinum* tria peditum millia cecidit: Procurſatores item *Turcas*, atque *Tartaros* ex inſidiis aggreſſus fudit, atque ſic *Croatiam*, & *Styriam* metu hoſtium liberavit. Ad A. C. vero 1663. elatum victoria *Turcarum* exercitum in *Croatiam*, & *Styriam* contendentem, ut hoſtium anteverteret conatus, in *Slavoniam inferiorem* irrupit, exuſtoque igni ponte *Eſzekienſi*, in *Hungariam* divertit, ubi expugnatis *Quinque Eccleſiis*, retractisque inde copiis, primo *Szigethum*, dein *Caniſam* obſidione preſſit; ſed ob multitudinem *Turcarum*, qui cum Vezirio obſeſſis in auxilium adveniebat, *Neo-Zrinium* redire coactus eſt. Pace inter *Leopoldum I.* & *Turcas* A. C. 1665. ſtabilita, dum *Nicolaus Zrinius* poſt bellum venationibus *Chaktornyæ* in Sylva *Majori Ottok* prope villam *Kurſanecz* indulget ardentius, ab apro, quem venabulo confoderat, gula, ventreque fœde diſcerptus perimitur. Ita Chriſtianorum *Hercules*, *Scipio*, *Hector*, & *Achilles Victor*, & *Terror* à nulla vi hoſtium victus, vel vinci potens, ab una efferata beſtia proſtratus fuit A.C. 1664. die 18. Novembr. In Proto-Eremitici Paulini Ordinis Eccleſia *S. Helenæ* ſupra *Chabtornyam*, non ſine lachrymis Procerum tumulatus. Ita *Continuator Iſtſfanffy lib. 43. & ſeq. Rakajus lib. 5. Szentivan. Timon*, & *Ritter in Chron.* ac *P. Alexius Piariſta.* Obitus Hærois tanto acerbior fuerat omnibus, quanto virtus ejus in ſummo apud Principes *Europæos* extiterat in pretio. Eum enim (ut habet *P. Alex. Piar.* Vet. & Nov. Illyrii *Tract. poſt. cap. 6.* §. 19.) non tantum *Alexander VIII.* Romanorum Pontifex Imagine ſui; *Philippus V.* Rex *Hiſpaniarum* Aureo Vellere, & *Barbarinus* purpuratus annuo ſtipendio ornaverunt, verum etiam *Ludovicus XIV.* Rex *Galliarum* fortitudinem *Zrinianam* Ducibus ſuis proponebat in exemplum; imo fama communis valebat, quod ipſum *Reſpublica Polona* unanimi voto pro ſuo Rege eligere cupiviſſet. Eidem Collegium quoque *Univerſitatis Herbipolenſis* Epitaphio, quod apud *Andream Schotum in Appendice in lib. 3.* legitur luctuoſiſſime parentare non eſt dedignata ſub forma tali.

Digitized by Google

Nicolaus Zrinius,
hic eſt,
Qui animos in pectore, victoriam in nomine,
Fulmen in manu, ſerenitatem in vultu
Prudentiam in conſiliis, Felicitatem in armis
quacunque greſſus tulit, circumtulit.
Virtutis Comes, Dux Fortunæ, illam ſemper ſociam habuit, hanc Ducem nunquam
paſſus eſt, ne cæcam ſequeretur, unde belli tam ſerius in agendo fuit,
quam domi in pace ſerenus.
Ubique Zerinius,
nunquam ſerus in negotiis;
Quam à fronte occupavit ſemper occaſionem,
calvam expertus eſt nunquam.
Prudentiam Fabii habuit ſine cunctatione,
fortunam Alexandri ſine temeritate.
Eum experti ſunt
Turcæ in igne Sampſonem
ad Quinque-Eccleſias, & pontem Eſzekianum,
quæ flammis domavit;
Tartari in aquis Moyſen,
quos ad Neo-Zrinium in flumen egit.
Hujus illi vorticibus maluerunt perire,
quam illius fulmen acinacis experiri.
Caniſam virtute ſua terruit
quam in fatis non fuit vinci.
(Plura hic abſorbet dolor)
Virtus ſupra æmulationem fuit, non ſupra invidiam,
cui etiam fortuna aliquando invidit.
Animi robore ſecurus,
ne ſui timerent, metum in hoſtes miſit.
Ut ſequerentur in pericula, præivit.
Ut vincerent, hoſtes ſuis ante conſiliis impedivit.
Tantus terror hoſtium, quantus amor ſuorum.
Eccleſia ſuum Machabæum credidit;
Redivivum Scanderbegum Ottomannus timuit.
Hunc maximum ſæculi noſtri Heroem
aper ignobilis proſtravit.
Sic rebus mortalibus illudit Deus,
ut maximis majorem ſe oſtendat.
Ne dicas
Adonidis facto periiſſe, qui Hectoris bella geſſit,
confecta pace obiit,
ut melius in cœlis otia ageret,
quam in terris,
ubi Dei, & Eccleſiæ negotium ſemper egit.

Huic, non conſtat quis? ſed probabiliter aut Frater Germanus *Petrus*, aut filius *Adamus*, quem unicum hæredem reliquerat in perenne tanti Herois memnoſynon Pyramidem ex ſecto lapide in loco eodem, quo ab apro dilaceratus fuerat, erigi curavit cum ſequenti inſcriptione.

Hic

Digitized by Google

Hic jacet invictus quondam interfectus
ab Apro
Zrini, præda ſuis hoſtibus apta magis;
Qui condam feros, ferro ſuperaverat hoſtes
Victor, ab immani vincitur ipſe fera,
Ille quidem finivit opus, vitæque labores,
At Patriæ infelix incipit eſſe labor.
Ille quidem noſtros mirabitur æthere caſus,
Flebit, at illius noſtra ruina necem.
Sors bona nil aliud mediis ſervavit in armis,
Erripuit fato, ſors mala, nil aliud.
Quam ſit in humanis ſors impia proxima
rebus,
Mortis in hoc ſpeculo quisque videre
poteſt.
A. D. MDCLXV. Die XVIII. Nov.

Sed neque frater ſuus *Petrus* robur *Ajacis* aſſecutus ad A. C. 1669. Prorex *Illyrii* creatus, ob bellica ſua virtuoſa facinora, minora encomia, ac memoriam promeritus fuiſſet, niſi famam ſuam, conjurationis cum ſeniore *Franciſco Rakoczio*, cujus filiam connubio ſibi junxerat, infamia maculaſſet. Hic adhuc juvenis ætate, ſed maſculo corde, herculeo robore, *Poſonii* Comitiorum tempore, dum *Ferdinandus* ſeſe levandi animi cauſa venatione oblectat, obvium ſeptem annorum aprum juſſu Cæſaris aggreditur, ac evaginato acinace, unico, ſed immani beluam feriit ictu, ut diviſa fronte, diffuſoque cerebro, è veſtigio humi proſtrata animam vomuerit. Qui ubi animum ad militarem rem accomodaverat, multis bello *Turcico*, non ſine generoſitatis ſuæ commendatione, *Turcicis* interfuit præliis. Suſcepto autem *Illyrii* Banatu, poſtquam *Turcas Bibacbienſes*, cæſo *Badankovicbio* Duce, profligaſſet, Præfecturam *Caroloſtadienſem* à Cæſare impetrare non valens, conſilia, cum patriæ, tum ſibi inimica cum *Frangepanio*, *Nadaſtio*, & *Tattenbacbio*, fultus plurimum Soceri ſui Principis *Franciſci* ſenioris *Rakoczii* potentia, inire cœpit, ſuos ipſos *Croatas* in hæc ſpe libertatis non parum ſollicitando; ſed dum hi nihil de fide in Cæſarem ſibi detrahi paſſi fuiſſent, imo, ſua modalitate conſpirationis ejus technas Imperatori, jam ſuperinde ex Epiſtola Secretarii *Tattenbachiani* nonnihil informato, detexiſſent, una cum complice *Frangepano* comprehenſus, *Neapolim Auſtriæ* in cuſtodiam devectus, inque vincula juſſu Cæſaris conjectus eſt. Ubi non multo poſt Judicum ſententia damnatus, una cum ſocio *Frangepano* ad ſupplicium datus, gladio percuſſus, atque ante fores Baſilicæ urbis ejusdem ſepultus eſt; ſepulchro ſuperimpoſito lapide, ſequenti cum inſcriptione.

Hoc in Tumulo
jacent
Comes Petrus Zrinius
Banus Croatiæ,
Et
Marchio Franciſc. Frangepan
Ultimus Familiæ,
Qui quia
Cæcus cæcum duxit
Ambo in hanc foveam
ceciderunt.
Diſcite mortales, & caſu diſcite noſtro
Obſervare fidem Regibus, atque Deo.
Anno Domini MDCLXXI. *Die 30. Apr.*
Ambitionis meta eſt tumba.

Reliquerat & *Petrus* hæredem unicum, nomine *Joannem*, ſed cum & hic quorundam contra Cæſarem moliminum cum *Tökelio* habitorum incuſatus extitiſſet, neque ſe ex his probatis, & comprobatis purgare quiviſſet, comprehenſus ad A. C. 1682. perpetuo arreſto primo *Neoſtadii*, deinde *Græcii* mancipatus fuit, in quo perpetuum ſibi ipſimet ſilentium, cum nemine mortalium præter Confeſſarium loquendi, imponens, ſancto, ut refertur fine vitam terminavit circa A. C. 1707. Poſt arreſtatum *Joannem*, ſicut alia Bona *Petro-Zriniana* in *ſlavonia*, & *Croatia*, in Fiſcum *Hungariæ*; ita & media *Inſula Muro-Dravana*, in *Fiſcum Styriæ*, utro-

Digitized by Google

te viciniſſimum juſſu Regio reducta ſunt. Reſidua porro Bona in *Slavonia*, & *Croatia Nicolao-Zriniana*, uti & media *Inſula Muro-Dravana* manſerunt penes *Adamum Zrinium*, magni illius *Achillis* Comitis *Nicolai* ab apro interempti filium, ultimum antiquiſſimæ de *Hungaria*, & *Croatia*, totaque *Chriſtianitate* (ut P. *Szentivanii* encomio utar) meritiſſimæ familiæ heredem. Qui notam ſibi, ſtirpique *Zrinianæ* per *Petrum* inuſtam, abſtergere cupiens, ad omnia politica, & militaria exercitia adaptatus, cum reſiduis ad A. C. 1691. contra hoſtem fidei ſub ductu *Ludovici* Marchionis *Badenſis*, ad Caſtellum *Szalankamen* proficiſcentibus, ſe ad ſervitia Regis, ac Regni ſtitit. Ubi, quamvis ad diem 19. Auguſti inſignem, & glorioſam exercitus *Chriſtianus* (pluſquam 20. millibus *Turcarum*, cum ipſo Vezirio *Chuperlio* cæſis) reportaverit victoriam, complures attamen ex noſtris, officiis militaribus, & avitæ nobilitatis ſanguine illuſtres deſiderati ſunt. Inter quos rarus quoque, & pretioſus Regni *Croatiæ* Adamas *Adamus Zrinius*, thoro quamvis conjugali aſſociatus, ſine hærede tamen occubuit, ſtigmaque infamiæ ſuæ familiæ proprio cruore, pro Deo, & Patria fuſo, eliſit. Poſt cujus obitum univerſa Bona ejusdem familiæ, per conſequens & reſidua medietas *Inſulæ Muro-Dravanæ* ad manus Fiſci Regii, & quidem *Dynaſtia Muro-Dravana* Fiſci *Styriaco-Graecenſis*, quatenus (ut ſcribit *Hübner par. 2. cap. 1. de Hungaria*) ſarcirentur ſumptus pro tutandis *Croatiæ* limitibus faciendi, devoluta eſt. Neque propterea (ut *Valvaſorius*, & quidam cum eo *Styrici ſcriptores* volunt) *Inſula Muro-Dravana* Ducatui *Styriaco* incorporata cenſenda eſt, ſiquidem *Carolus VI.* Imperator, & Hungariæ Rex in Comitiis *Poſonienſibus* An. 1715. *Art. 14.* declarari fecerit: Dominium *Chaktornyenſe*, cum reliquis *Zriniano*, & *Frangepaniano* Fiſcalibus Bonis per *Cameram Graecenſem*, non qua communitatem, ſed pro Duce *Styriæ* privatorum jure poſſideri: atque ideo ſtatuerit, quod hujusmodi Bona, ſeu eorum Poſſeſſores ac Officiales (ſicut in aliis Fiſcalibus bonis) legibus, & oneribus, & jurisdictioni Regni *Hungariæ*, vel *Croatiæ* cujus videlicet partes cenſeatur, ſubeſſe obligentur.

X. Non longo tempore Dynaſtiam *Inſulæ Muro-Dravanæ* adminiſtravit *Camera-Graecenſis*, hanc etenim cum præſcitu Regio parato aere pro ſe, ſuisque comparaverat, & poſſidendam apprehenderat Marchio de *Prye* A. C. 1695. ſupra qua Donationem quoque faſſionalem, hæreditario-perennalem à *Leopoldo I.* Rege Hung. & Rom. Imp. ad A. C. 1697. impetraverat, vigore cujus etiam legitima Capitulari ſtatutione in univerſa memorata Dynaſtia firmatus fuerat A. C. 1698. die 5. Octobr. Quibus autem de cauſis, non ſcitur, eandem idem Marchio circa A. C. 1702. fatæ *Cameræ Graecenſi*, nullum penitus ſibi jus in eam reſervando, pro eadem, quam ipſe ſummam numeraverat, reſtituit; atque taliter iterum ſæpefata Inſula adminiſtrationi *Cameræ Gracenſis* commiſſa extitit, adminiſtrabaturque per eandem usque ad A. C. 1715. quo eam ex beneplacito Imp. & Regis *Caroli VI.* Illuſtriſſimus Dominus Comes *Joannes Chikuliny* ad certos annos à dicta *Camera* titulo *Arendatitio* poſſidendam aſſumpſerat: His tamen nondum evolutis, ad A. C. 1719. ob homagialem, qua erga Regiam ſuam Majeſtatem ferebatur, reverentiam ceſſit Excellentiſſimo, ac Illuſtriſſimo Domino S. R. I. Comiti *Michaëli Joanni ab Altheimb*, natione *Bohemo*, ſuæque Excellentiſſimæ, ac Illuſtriſſimæ Dominæ Comitiſſæ Conthorali *Annæ*, natæ Principiſſæ *Pignatelly*, quibus *Dynaſtiam* hanc *Inſulanam* totam quantam piæ mem. *Carolus VI.* ob ſingularia merita, ſignanter Excel-

cellentiſſimi Domini Comitis, qui ipſummet *Carolum*, eo tum *Hiſpaniarum* Regem (ut à viris fide dignis ſuper eo informatus ſum) dum *Hiſpanico* bello *Madriti* obſideretur, urbsque eadem à *Gallis* caperetur, ſuâ acutâ dexteritate, & à periculo vitæ, & ab infallibili captivitate liberavit, incolumemque per devia ducens fortunatiſſime ſuis ingenti omnium plauſu, & congratulatione reſtituit, atque in tuto locavit, titulo *Perennalis Donationis*, & *Baſſo proprietatis Jure* poſſidendam attribuit: Qua *Donatione* ad A. C. 1719. die 25. Maji expedita, & *Statutione* Capituli *Sabarienſis* ad A. C. 1720. die 12. Februar. firmata, hodiedum, demortuo ad A. C. 1722. die 1. Martii Excellentiſſimo Domino Comite, ejusdem Excellentiſſima Domina Comitiſſa Vidua ſæpefatam *Dynaſtiam Inſulanam* imperturbate poſſidet, ſucceſſurus in eandem poſt obitum Excellentiſſimæ Genitricis Excellentiſſimus Dominus Comes itidem *Michaël Joannes*, cum ſuis Illuſtriſſimis pignoribus, & Comitellis *Michaële Joanne*, & *Michaële Antonio*. Qui cum ſuis natis, atque ex his gignendis nepotibus, pronepotibus, atque abnepotibus &c. ut per plures annorum centurias *Dominio* hoc pro incremento gloriæ Dei, ac Regis, Regnique comodo feliciter perfruatur, ſinceri, religioſique affectus plenitudine precor.

CAPUT LIII.

De Comitatenſi Jurisdictione in Inſula Muro-Dravanæ.

I. **N**Omine *Comitatus* hic loci nihil aliud intelligitur, quam: *Diſtrictus quidam, ſeu Provinciola ſuis limitibus circumſcripta, & ab aliquo Caſtro, vel Civitate infra ambitum ejus exiſtente, denominata; comprehendens in ſe Prælatos, Magnates, Nobiles in tali diſtrictu reſidentes, vel ad minus Bona ſola fixa habentes: imo & Civitatum, atque villarum illic exiſtentium incolas, & colonos.* Ita *P. Szegedii* Tyrocinii Juris *par. 3. tit. 2.* Ubi ultra tradit: Quod proprie, & ſtricte loquendo nomen *Comitatus* eos ſolum indigitet, qui de *Stylo* Regni *Hungariæ* uſurpare illud poſſunt: *Nos Univerſitas Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, & Nobilium &c.* Ubi *Cives* etiam *Liberarum Civitatum* collective inter *Nobiles* comprehenduntur, lege, & uſu Regni ſic ferente. Celeberrimum Hungariæ Regnum diſpeſcuiſſe *P. Szegedii loc. cit.* docet ex *Petheono Chron. ad A. C. 1038.* primum Hungariæ Regem *S. Stephanum*, quo ſic partitis velut curis per Præfectos, ſeu *Supremos*, ac *Vice-Comites*, quos Juridicundo præpoſuit, ut *Juſtitia* adminiſtraretur celerius, & recens plantata *Chriſti Religio*, armatæ *Themidos* fulta præſidio floreret, & adoleſceret ſecurius. Hinc *Comitatus* quilibet ſuum debet habere *ſupremum Comitem* à Regia Majeſtate deſignatum, qui cum *Tabula* ſua *Comitatenſi* conſtituit ſuas vices gerentem, ſeu *Vice-Comitem*, ut hic præſit toti *Comitatui*, vel maxime in abſentia *ſupremi Comitis*. Præterea *Notarium*, & *Vice-Notarium* juratos; item *Fiſcum*, ſeu *Fiſcalem*, nec non duos, aut tres, quatuorve, ſi diſtrictus ratio exigat, *Judices Nobilium*, & *Vice-Judices*, qui contracto vocabulo *Judlium*, & *Vice-Judlium* nominantur, habentque poteſtatem in actibus Judiciariis procedendi. In quibusdam tamen partibus nonniſi cum *Scripto commiſſionali* per *Vice-Comitem* ſigillo, & ſubſcriptione roborata. Sunt præterea in quolibet *Comitatu Jurati*

Digitized by Google

Aſſeſſores, qui etiam *Juraſſores* contracto vocabulo dicuntur, neque poteſt *Judex Nobilium* in Juridicis procedere, niſi habeat ſibi ad latus adjunctum *Juraſſorem*.

II. His breviter prænotatis, agendum eſt de *Juriſdictione Comitatenſi* in noſtra *Inſula Muro-Dravana*. De hac *Bombardius* Topogr. Hung. *pag.* 88. ſic diſſerit: *In Comitatu Szaladienſi, Egerſzegini conventus juxta Leges Comitatus ſtatis temporibus habentur; ad quos etiam Chaktornyenſes Nobiles ſubinde adeunt, alias Varasdinenſium quoque Conventuum participes*. Item idem *ibidem pag.* 244. agens de *Comitatu Varasdinenſi* inquit: *Nec deſunt, qui eidem* (*Comitatui Varasdinenſi*) *Muræ quoque Inſulam adſcribant, quod nimirum Chaktornyenſes Nobiles Varasdinenſium comitiis nonnunquam interſint*. Ex quibus textibus colligitur *Bombardium* ſubdubitaſſe, cuinam *Comitatui*, an *Varasdinenſi*, an *Szaladienſi* noſtram *Inſulam Muro-Dravanam* adſcribere debuiſſet? Clarius quidem exponit quidam *Pater Societatis Jeſu*, qui in *Hungariæ* Cærographia *pag.* 150. de *Comitatu Szaladienſi* ſic diſcurrit: *Szaladienſis, quondam Zaladienſis à Szalavarino aliis, aliis à Szaladino oppido, hodie Conventuum Sede, veriſſime ab amne Szala nominata Regio, inde Occidentem verſus Styriæ finibus, hinc ab Oriente Veſprimienſi, & Simeghienſi cum lacu Balaton, caſtri ferrei à ſeptentrione, à Meridie Varasdinenſi terris circumdatur*. Sed cum non circumſcribat *Varasdinenſis* etiam Comitatus limites, necdum certitudo finium horum *binorum Comitatuum* eluceſcere valet. *Szentivanius* Diſſert. Paralip. *Cat.* 4. deſcribens *Comitatus Hungariæ* de *Szaladienſi* hæc habet: *Jacet hic inter Balaton lacum ad ortum, Styriam Provinciam, & Muram fluvium ad occaſum, Dravum ad Meridiem, & Comitatum Caſtri ferrei, & Veſprimienſem ad Septentrionem: ſic dictus à Szala olim civitate, nunc caſtro Szalavar nuncupato, ad Szalam fluvium ſito verſus lacum Balatonem. Ad hunc ſpectat etiam Inſula, quam Mura fluvius efficit, & Murakös dicitur*. Cui & ego pro moderno rerum ſtatu lubens ſubſcribo, cum ipſemet frequentando qua indignus Monaſterii *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam* Prior Comitia *Comitatus Szaladienſis* omnia negotia politica, & juridica *Inſulæ Muro-Dravanæ* tractari ab Officialibus ejusdem Comitatus; imo ipſam certam quottam memoratæ *Dynaſtiæ* ad *Perceptorem* dicti Comitatus deferri animadverterim. Dubium tamen reſtat; An non aliquando, imo poſtquam *Slavonia*, & *Croatia* Regno *Hungariæ* adjuncta fuit *Inſula Muro-Dravana* appertinuerit ad *Comitatum Varasdinenſem*? & per conſequens: An non hodiedum populus Inſulanus pro natione *Slavonica*, ſeu *Croatica*, non vero *Hungarica* cenſendus ſit? Quæ ut eluceſcant, ſit

III. Fateor me longo ſtudio inquiſiviſſe de diviſione *Dalmatiæ, Croatiæ*, & *Slavoniæ in Zuppanias* (quæ deinde Comitatus dictæ ſunt) circa A. C. 642. imperante in oriente *Heraclio* juniore, regnante vero in *Dalmatia*, & *Croatia*, ſeu *Slavonia* Principe *Porga*, ut refert *Lucius lib.* 1. *cap.* 11. inſtituta. Sed ſimul profiteor me nihil certi, & fundati reperiſſe, quo probare quirem, *Inſulam Muro-Dravanam* eo adhuc tum *Zuppaniam Dalmato-Croaticam* extitiſſe. Nihilominus inter alias *Zuppanias*, quas *Porphyrogenitus* apud *Lucium lib.* 1. *cap.* 13. recenſet, lega etiam *Sidragam*, quam idem *Lucius loc. cit.* dicit fuiſſe in Diœceſi *Scardonenſi*, forte ex ſimilitudine vocali cum *Strigova*, quam quidam, ut *Bombardius* Topog. Hung. *pag.* 203. refert; & in ſpecie *Freſchotus* Geogr. Dalm. *pag.* 294. interpretantur *Scardonam*, aſſeruntque eam eſſe *D. Hieronymi* patriam. Ex quo ſic argumentari placet: ſi *Sidraga* ſeu *Scardona* patria *D. Hieronymi* fuit *Zuppania Dalmato-Croatica*, neceſſario de-

Digitized by Google

debuit fuiſſe in *Inſula Muro-Dravana* (quam ego *cap.* 24. pro Natali ſolo ejuſdem *S. Hieronymi* indigitavi, aliorumque celebrium ſcriptorum teſtimoniis 5. *ſequentib. cap.* productis pro tali confirmavi) ſive illa *Sidraga*, ſive *Scardona* à retorto *Slavonico* vocabulo *Stridovo*, ſeu *Strigova*, eo tum oppido in *Inſula Muro-Dravana* præ reliquis celebriori, dicta extiterit. Verum cum & hæc ambigua ſint, converto me ad certiora, & primo quidem quoad primum punctum. An videlicet *Inſula Muro-Dravana* olim appertinuerit ad *Comitatum Varadinenſem?*

IV. Pro affirmativa extat Littera Donationalis *Mathiæ* Regis de A.D. 1470. *Budæ* expedita hujus tenoris: *Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariæ &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit &c. Quod nos conſideratis fidelitate &c. totalem Poſſeſſionem Gardinovecz vocatam, in Comitatu Varasdinenſi, & diſtrictu Drava Muraköz &c.* Huic additur alia quoque Littera Donationalis *Rudolphi II.* Romanorum Imperatoris, & Hungariæ Regis de A. D. 1603. die 8. Menſis Maji *Pragæ* emanata, qua fidelibus ſuis *Franciſco*, *Stephano*, & *Ladislao Repich de Repinecz* fratribus carnalibus, & condiviſionalibus, ob ſervitia fidelia Regno, & Regiæ Majeſtati præſtita totalem Poſſeſſionem *Gardinovecz* vocatam, ac curiam nobilitarem in Poſſeſſione *Tomaſſovecz* nuncupata, conſtructam, novo donationis titulo confertur. In qua per expreſſum habetur: *Omnino in Diſtrictu Drava-Muraköz, in Comitatu Varasdinenſi, & Regno noſtro Slavoniæ exiſtens, habit.* Id ipſum confirmatur ex littera Tranſumptionali *Ferdinandi II.* pariter Imperatoris, & Hungariæ Regis, ad inſtantiam *Mathiæ*, & *Dorotheæ Filok*, filii, & filiæ Nobilis *Catharinæ Repich* A. D. 1635. die 11. Decembr. extradata, tenoris ſequentis: *Nos Ferdinandus II. Dei gratia Romanorum Imperator, & Rex Hungariæ &c. Memoriæ commendamus, &c. Quod fidelis noſter Mathias Filok &c. expoſuerunt &c. qualiter illi certarum litterarum Rudolphi Imperatoris &c. omnino in diſtrictu Drava-Muraköz, & Comitatu Varasdinenſi exiſten, habit &c.* Ex quibus clare patet *Inſulam Muro-Dravanam* ſub Regibus etiam Hungariæ pertinuiſſe ad Comitatum *Varasdinenſem.*

V. Hæc quidem exigua quibusdam apparebit probatio, quamvis pro comprobandis rebus vix momentoſiora produci poſſint, quàm ex Diplomatibus Principum per juratos Notarios expeditis, fundamenta. Interim ad firmandam quæſtionis propoſitæ affirmativam favent Hiſtorici quoque, & Geographici. Ex Hiſtoricis citavi *cap. 42. num. 11. & num. 16. Joannem de Jordan*, & quidem diſintereſſatum, qui aſſerit: *Hunnos*, ſeu *Hungaros* nunquam ultra *Muram* fluvium, & poſt ejus in *Dravum* confluentiam ultra *Dravum* pedem fixiſſe: ex quo ſequitur, ut *ibid.* concluſum eſt, quod neque in *Inſula Muro-Dravana* domicilia ſua habuerint. Adjungo hic loci huic *P. Inchoffer*, natione Hungarum, qui poſt perſpectum locum oppidi *Stridonis* inquit *Annal. Eccl. Hung. ad A. C.* 341. per verba de præſent: *Diſtat Stridon vix quarto à linea Pannoniæ lapide.* Conſequenter *Stridonem* non locat in *Pannonia*, ſed in *Slavonia*, ergo & *Inſulam Muro-Dravanam.* Ex

Geographis propono primo *Fœdericum de Vit.* qui *Atlantis fol.* 15. in Tab. *Hungariæ* A. C. 1688. impreſſa evidentiſſime ponit *Chakternyam* in *Slavonia*. Et in alio magno *Tomo fol.*79. ubi dividit Comitatus ſub diverſis coloribus *Chakternyam* demonſtrat eſſe ſub Comitatu *Varadinenſi*, & ſimul in *Slavonia*.

VI. Allegari forte poſſet *Cluverius* antiquæ *Germaniæ* deprædicatus Hiſtoricus, qui nihil quidem de *Inſula Muro-Dravana*, minus de *Chakternya* agit; ſed quia tradit *Hungariam* terminari à *Slavonia* in magna ſui parte flumine *Dravo*, illative inferri poteſt: Inſulam trans *Dravum* exiſtere in *Hungaria*. Attamen debile hoc videtur eſſe fundamentum, quia aſſertio *Cluverii*, quam etiam *cap.* 23. *num.* 4. produxi, verificatur in parte inferiori ab oppido *Legrad* usque *Eſſekinum*, non vero in parte ſuperiori, in qua ſita eſt Inſula, de qua hic agitur, nam ibi non *Dravus*, ſed fluvius *Mura* eſt limes, & linea dividens *Hungariam*, à *Slavonia*, ut ipſe *Cluverius* teſtatur in ſuis Præliminaribus, in univerſam Geographiam ſuam, *lib.* 4. *cap.* 2. Tit. *De Incolis Pannoniæ, & Regni Hungariæ* ſic diſſerens: *Figura ejus quadra eſt, &c. & maxima ejus longitudo à Patyſſi fontibus, ad Muræ confluentiam milliaria Germanica* 60. *porrigitur.* Atque iſte oppoſitus nobis Geographus *Cluverius* eſt ſecundus pro affirmativa propoſitæ quæſtionis ſecundans. Quem ſequitur tertius *Santon Atlas Contractus*, qui ſcripſit A. C. 1666. Tit. *de Hungaria* dicens: *At maxima ejus longitudo à Pathyſſi fontibus ſe ad Muræ confluentem milliariorum Germanicorum* 60. *porrigitur.* Quod clarius expreſſit *Tercas Alexandrinus* in Lexico Geographiæ illuſtratæ per *Braudant*, impreſſionis *Pariſienſis* A. C. 1670. qui de *Mura* fluvio ſic loquitur: *Mura fluvius tandem Dravo miſcetur in ipſo limine Hungariæ.* Ex quibus liquet *Inſulam Muro-Dravanam* recognitam eſſe pro parte Regni *Slavoniæ*, ſeu *Croatiæ*, & per conſequens olim ſpectaſſe ad Comitatum *Varadinenſem*.

VII. Quando autem, & qua occaſione memorata Inſula à Comitatu *Varadinenſi* avulſa, ac Comitatui *Szaladienſi* adjuncta ſit? tam in Archivio Regnorum *Croatiæ*, & *Slavoniæ* mediante defuncto Domino *Adamo Oresky* Tabulæ Judiciariæ memoratorum Regnorum Præſide, viro ſicut in Juridicis, ita & in Actis Regni eruditiſſimo ſimul, & expertiſſimo; quam in Archivio pariter Comitatus *Varadinenſis* medio Domini *Ladislai Czinderi* jurati Regni *Croatiæ* & *Slavoniæ* Advocati apud *Ignatium Czinderi* actualem ejuſdem Comitatus Vice-Comitem virum pariformiter rerum juridicarum, & geſtarum peritiſſimum, ac tandem in Archivio quoque Comitatus *Szaladienſis*, cooperante Domino *Joſepho Egervari*, ejusdem Comitatus Notario, quemadmodum nomine, ſic animo mihi conjunctiſſimo, ſtudioſe inquiſivi. Quorum priores duo reſponderunt: *Se nunquam aliquid hac de materia in Albis Regni, aut Comitatus legiſſe*: poſterior autem, dato reſponſo per litteras, ſignificavit: *Acta Comitatus injuria præteritorum funeſtorum temporum amiſſa, neque haberi, niſi ab Anno* 1556. *improtocolata, ſed neque in iis majoris momenti negotia reperibilia.* Sed neque negotii hujus intuitu, ſæpius cum viris Regni noſtri ſenioribus, omnique eruditione clarioribus conveniens, diſcurſum formare intermiſi, è quibus aliqui, ſe nihil hac de re referre poſſe repoſuerunt, aliqui vero ſe à ſenioribus accepiſſe retulerunt, & in ſpecie Illuſtriſſimus Dominus Comes *Joannes Chikulyni*, olim *Inſulæ Muro-Dravanæ* Arendatitius Poſſeſſor, vir etiam in omni ſcibili fundatiſſimus: Quod Comes *Georgius Zrinius* ad A. C. 1593. conſtitutus Adminiſtrator *Comitatus Saladienſis*

ſis plurimum in eo laboraverit, quatenus de gratia Regiæ Majeſtatis effici poſſet dicti Comitatus Actualis ſupremus Comes, ſiquidem dignitatis hujus obtinendæ ſpem reſpective ad Comitatum *Varadinenſem*, utpote inclytæ, ac de Rege, & Regno meritiſſimæ familiæ *Erdödianæ* in perpetuum collatæ, amiſiſſet. Quia vero nulla *Bona*, *Juraque Poſſeſſionaria* (quæ ſunt conditio juxta *P. Szegedii* Tyroc. Juris *par.* 3. *tit.* 2. *num.* 10. ſine qua nullus *Supremi Comitis* dignitate, niſi gravi adurgente neceſſitate, frui poteſt (in eodem Comitatu habuiſſet, omnem operam in eo adhibuerit, ut *Inſula Muro-Dravana* à Comitatu *Varadinenſi* avellatur, ac Comitatui *Saladienſi* incorporetur. An res ſe ita habuerit? ipſemet vix fidem adhibere poſſum, ſiquidem cum ratione ſuſpicari queam, quod Excellentiſſima, & Illuſtriſſima Familia *Erdödiana*, ſibi jure hæreditario integrum Comitatum *Varasdinenſem* à Rege collatum difficulter tantum diſtrictum à reſiduo corpore Comitatus avelli paſſa fuiſſet. Si tamen circumſtantias temporum illorum perpendo, nullo quaſi modo negare auſim. Verum namque eſt, quod circa eadem tempora Comitatus *Simegbienſis* totus quantus *Turcicæ* barbariei ſubjectus fuerit, *Saladienſis* etiam ſævitia *Ottomanica* plusquam in dimidio davaſtatus, ac depopulatus, vacuusque *Nobilitate* extiterit, atque ideo Comitatenſes Conventus neque *Szalavarini*, neque *Egerſzegini*, ſed in *Alſo Lendva*, quibus *Georgius Zrinius* præſidebat, celebrabantur: quam forte, & fortem rationem perpendens Regia Majeſtas potuit in Inſtantiam *Georgii Zrinii* junioris, aliunde ob Sacroſanctam fidelitatem meritiſſimi, Deo quidem Orthodoxæ fidei per univerſam *Muraköz Inſulam*, exturbata hæretica lue; promotione conteſtatam, Cæſari vero, & Regi victorioſo *Croatarum* Regimine, contra *Gabrielem Bethlehemum* comprobatam, inclinare, & ſic *Inſulam Muro-Dravanam*, adnitente probabiliter etiam inclyta familia *Erdödiana* ſæpe dicto Comitatui *Szaladienſi* adnectere, atque ſic Comitem *Nicolaum Zrinium* ad A. C. 1608. (ut *Acta* ejusdem Comitatus docent) dignitate *Supremi Comitatus* honorare. Nolim tamen, ut quispiam his plenam adhibeat fidem, usque dum certiora non intellexerit, ego namque ea, quæ ex aliorum relatis didici, Benevolo Lectori pro aliqua informatione proponere volui, ut, vel diſcurſus accedente occaſione materiam habeat, vel, ſi aliquando contrarium quid, certi tamen, hac in materia deprehenderit, ſucceſſoribus id intimare, me vero excuſare, non detrectet. Quantum tamen concernit Comitatum *Varadinenſem*, hunc familia *Ungnadiana* (an titulo perennalitatis? reſcire haud potui) adminiſtravit. Hac vero in *Chriſtophoro*, vel *Franciſco Ungnad* extincta, *Thomas Erdödy* cum *Anna Maria* filia *Chriſtophori Ungnad* in Conthoralem ducta, præter Dominium Arcis Varasdinenſis, Bonorumque eidem in ejusdem diſtrictu ſubjectorum, Proregiam etiam Regnorum *Dalm. Croat.* & *Slav.* dignitatem, prouti & ſupremam Comitatus *Varadinenſis* Præfecturam collatione Regia perpetuitatis titulo obtinuit circa A. C. 1584. Qui dum Arcem internam ejusdem urbis reſtaurari curaſſet, lapidi quoque quadrangulariter oblongo, memoriæ cauſa, trabalibus litteris incidi curavit ſequentia:

Thomas Erdödy, Perpetuus Montis Claudii, & Comitatus Varasdinenſis Comes, Sæ. Cæ. & Ræ. Majeſtatis Conſiliarius, ac Regnorum Dalmatiæ, & Croatiæ Banus, nec non Arcis, & Civitatis Varasdinenſis Capitaneus. 1591. *Anna Maria* Un-

Ungnad, *Comitiſſa*, & *Baroniſſa.*

VIII. Ut & alteri quæſito, an videlicet hodiernus populus *Inſulanus* ſeu *Muro-Dravanus* appellandus ſit *Slavus*, ſeu *Croata*, vel vero *Hungarus?* ſatisfeciſſe videar, ſequentibus, reſponſum fero. Quemadmodum autem ad quæſitum prius Diplomata produxi Regum, ita & reſpectu præſentis quæſtionis idem faxo. Extat *Ladislai Poſthumi* Regis Hungariæ Diploma de A. C. 1455. in quo Conventu Proto-Eremitici Ordinis noſtri *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam* refertur in Regno *Slavoniæ*. Huic accedunt quaterna alia Diplomata ad præfatum cœnobium ſpectantia, primum quidem, & ſecundum *Mathiæ Corvini* pariter Regis Hungariæ, unum de A. C. 1458. aliud de A. C. 1465. ac tandem tertium & quartum *Ferdinandi* Imperatoris, & Hungariæ Regis, utrumque de A. C. 1554. In quibus pariformiter per expreſſum habetur, ſupramemoratum Monaſterium *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam* conſiſtere in Regno *Slavoniæ*. A Diplomatibus transſeamus ad *Tripartitum* Regni Hungariæ, & legamus *Articulum 34. Decreti 3.* ſub *Uladislao* Rege, in Diæta Budenſi ad A. C. 1498. celebrata, conditum, & de vetuſtis Triceſimarum locis agentem, deprehendemusque inter alia Triceſimarum loca deſignata, pro Regno quoque *Slavoniæ* denominata: *Zagrabiam*, *Varasdinum*, & *Nedelicium* pro capitalibus: pro filialibus autem harum: *Ratczkaniſam*, *Viniczam*, *Krapinam*, *Szutubiczam*, *Sztenichnyak*, *Topuſzkam*, & *Koſztanyczam*. Cum autem negare nequeamus Conventum *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam*, item locum capitalem *Triceſimæ*, *Nedelicium*, ac ejuſdem filialem *Ratczkaniſam* ſituari in *Inſula Muro-Dravana*, concludere cogimur vigore non ſolum Diplomatum Regiorum, verum etiam *citati Articuli*, *Inſulam Muro-Dravanam* pertinere ad *Slavoniam*, & per conſequens Incolas ejusdem non Hungaros, ſed Slavones appellandos. Neque obſtat, quod in *eodem Articulo* ad Capitalem *Nedelicenſem*, adjungatur filialis in Hungaria de *Szambothel*; à potiori namque fit denominatio, cum vero potiora *Slavonica* filialia loca Triceſimarum ſubjiciantur Capitalibus *Slavonicis*, merito omnia præter *Szambothel* in Slavonia exiſtere cenſenda ſunt. *Szambothel* porro adjunctum eſſe propter viciniam *Nedelicenſem*, cui ſubeſſe debebat, exiſtimandum eſſe arbitror.

IX. Quod autem populo Inſulano juſtitia adminiſtretur ex Hungarico Comitatu *Szaladienſi*, unaque cum eodem populus idem in Regii Vectigalis, aliarumque Comitatenſium obventionum perſolutionem concurrat, argui nequit populus Inſulanus eſſe Hungarus. Idque probatur à pari. Quemadmodum *Slavonia inferior*, depulſis exinde Mahometanis, quoad jura, & Vectigalia Regia adminiſtrabatur ab *Excelſa Camera Aulico-Viennenſi*, quæ plerumque ex *Germanis* conſtabat, & conſtat, merosque *Germanos* ſubalternos pro adminiſtratura ejusdem Regionis ſubmittebat, non tamen propterea *Slavonia inferior* dicta eſt *Germania*, neque Incolæ *Germani*, ſed *Slavi*, ſeu *Croatæ*. Deinde ex praxi conſtat Comitatui *Baranyenſi*, qui eſt in Hungaria, unitum fuiſſe Comitatum *Valkovarienſem*, ſeu *Valpovenſem*, ejusque adminiſtrationem extitiſſe penes Officiales Comitatenſes diſtrictus *Baranyenſis*, qui fuere meri Hungari, & tamen per hoc diſtrictus *Valpovenſis* nunquam fuit cenſitus pro Hungaria, ſed ſemper pro *Slavonia*, neque Incolæ hujus dicebantur *Hungari*, ſed *Slavones*. Scriptor celebris *Valvaſorius* de Ducatu Carnioliæ *lib. 2. cap. 36.* ad fluvium *Colapim* (qui in aliqua ſui parte ad Caſtrum *Metlikam* dividit *Croatiam* à *Carniolia*) locat caſtra *Metli-*

Digitized by Google

likam, *Podbreſche*, *Viniczam*, & *Chernamlye*, quæ antiquitus ad *Croatiam* pertinebant, populumque non exiguum in pluribus villis, & oppidis, circa hæc Caſtra ſituatis, habitantem, quem tamen ipſe ſcriptor *Carniolus* nonniſi populum *Croaticum* appellat, quia olim ad *Croatiam* pertinebat, actuque linguam diſtinctam à *Carniolis* habent, habituque vere *Croatico* incedunt, eſto nunc Ducatui *Carnioliæ* ſubjecti Jura ejusdem ſequi, oneraque *Quanti penſionalis* ſubire, ad exſolvendum militem confiniarium *Turcis* objectum cogantur. Pariformiter ergo noſtri Inſulani de *Muraköz*, eſto juribus Comitatus *Saladienſis* ſubſint, non ſunt cenſendi pro *Hungaris*, ſed pro *Slavis*, ſeu *Croatis*. Sed neque ratio *Quanti contributionalis* Incolas *Inſulæ Muro-Dravanæ*, cum Incolis Comitatus, vel potius Diſtrictus *Saladienſis* quoad nationalitatem unire poteſt, quemadmodum neque *Inferiorem Slavoniam* uniebat cum *Baranyenſi*, & nec actu unit cum incolis *Hungariæ*. Hæc namque recentiſſime A. C. videlicet 1745. ad tenorem Articulorum Diætæ *Poſonienſis* An. 1741. celebratæ *num. 18.* & *50.* in tres Comitatus diſtinctæ jurisdictionis, *Syrmienſem* nimirum, *Poſeganum*, & *Vörocenſem*, ſeu *Viroviticenſem*, adjuncto eidem territorio *Valkovarenſi*, ſeu *Valponenſi* diviſa, quoad *negotia* quidem *Civilia*, & *Provincialia* à Prorege *Illyrii*, ſeu Comite Bano, quoad Tributum, & Vectigalia Regia à Conſilio, & Ærario Regio, ſeu *Camera Poſonienſi* adminiſtratur, neque eapropter pro *Hungaria*, ſed pro *Slavonia*, incolæque ejusdem non pro *Hungaris*, ſed pro *Slavonibus* habentur. Ergo à pari de *Inſula Muro-Dravana*, populoque in eadem domicilia habente, reſpective ad diſtrictum Comitatus *Saladienſis*, ejusdemque incolas decernendum cenſeo.

X. Idioma Regionis vulgare, aut, ut dici aſſolet, quod cum lacte materno hauritur, eſt, juxta uſitatum adagium, nationis diſtinctivum; atqui in *Inſula Muro-Dravana* idioma non eſt aliud, quam *Slavonicum*, quod, quia diſtinctum eſt ab *Hungarico*, ergo diſtinctivum etiam erit ipſius nationis. Probatur minor: In *Inſula Muro-Dravana* nullus *Nobilium*, nullus *Plebeorum* aliud novit idioma, præter *Slavonicum*, utpote *Inſulanis* univerſis commune, & ex ubere Matris imbibitum (niſi aliud particulari induſtria aut domi, aut foris, adhibito inſtructore, addiſcat) per conſequens non eſt aliud idioma, in dicta *Inſula* niſi *Slavonicum*. Hinc omnes Adm. Reverend. Domini *Parochi Inſulani* ſunt natione *Slavones*, ſeu *Croatæ*, muniaque ſua Eccleſiaſtica, ut ſunt *Conciones*, ſeu *Doctrina Chriſtiana*, *Confeſſiones*, *Baptiſmus*, *Copulatio ſponſorum*, atque alia hujusmodi, quæ ad ipſos pertinent, non alio, quam *Croatico*, ſeu *Slavonico* idiomate peragunt. Atque ex hac potiſſimum ratione *Sacra Sedes Romana*, dum poſt exdiviſionem *Provinciæ Hungaricæ* Ordinis *S. Pauli pr. Eremit.* à *Provincia Croatica*, & *Auſtriaca* Conventum *S. Helenæ* ſupra *Cſaktornyam*, quem *PP. Hungari* pro ſua Provincia prætendebant, Provinciæ *Croato-Slavonicæ*, ad recommendationem etiam piæ mem. *Leopoldi I.* Imp. & Regis Hungariæ, hoc in paſſu optime informati, adjudicavit, ex pluribus allegatis recognoſcens *Inſulam Muro-Dravanam* non pro *Hungaria*, verum pro *Slavonia*, incolasque ejusdem *Slavones* eſſe, non *Hungaros*. His accedit, quod in *Inſula Muro-Dravana* nullum quorumcunque locorum, oppidorum, villarum, montium, fluviorum, ſylvarum, &c. vocabulum *Hungarici* idiomatis veſtigium habeat, vel ſi quæ ſunt, certe pauca, & ea recentioribus temporibus aliqualiter in *Hungariſmum* retorta. Deinde, quod nullus *Nobilium*, minus *Plebeorum* ſcholas, ubicunque locorum frequentans ſe ſcribat *Hungarum*, ſed *Croatam*,

Digitized by Google

vel *ſlavonem*, exceptis forte iis, quos pudor ſuæ nationis rubeſcere facit, at hos vel propterea tantum merito pudere debet. Præterea ipſimet Domini *Hungari*, ſæpe memorati Comitatus *Saladienſis* Officiales, Dominos *Nobiles Inſulanos* & Congregationes Comitatenſes *Egerſzeginum* comparentes, nonniſi *Croatas*, ut ſæpius ipſemet, meis audivi auribus, compellant. Ac tandem Excellentiſſimi, ac Illuſtriſſimi Comites à *Zrinio*, hæreditarii *Inſulæ Muro-Dravanæ* Domini, & Poſſeſſores, licet in eadem nati, atque educati fuerint, nunquam tamen agniti ſunt pro *Hungaris*, verum ſemper pro *Croatis*. Liquet igitur ex his Incolas *Inſulanos* non debere vocitari *Hungaros*, ſed *Croatas*, vel *Slavones*. Cæterum hodie Comitatus *ſaladienſis* leges, tanquam à *Supremo Comite* accipit ab Excellentiſſimo, & Illuſtriſſimo Domino *Michaële Joanne* S. R. I. Comite ab *Altheimb*, & quidem jure hæreditario, cui, uti & ejusdem Illuſtriſſimæ Poſteritati centenorum Annorum feliciſſimam in fati Comitatus Congregationibus religioſis votis precor præſidentiam.

CAPUT LIV.

De Moribus vetuſtis, ac priſca Religione populi Inſulæ Muro-Dravanæ.

I. EX *Sarmaticis*, atque *Henetis* poſteritatibus *Moſoch*, enatam eſſe *Slavonicam* ſub multiplici nomenclatura nationem *cap.* 6. *n.* 3. & 4. item *cap.* 10. 11. 12. & 13. *per tot.* ac tandem *cap.* 31. & 33. *per tot.* demonſtravi, eandemque à Mari *Adriatico*, ad usque Mare *Balthicum* protenſam extitiſſe *cap.* 12. *num.* 1. & *cap.* 13. *num.* 3. & 7. retuli. Hinc non immerito *Joachim. Fellerus* Operis *Georgii Hornii* Illuſtrator *Tit.* Regnum Bohemiæ *cap.* 1. §. 1. *num.* 51. ex *Schurzfleiſchii* Apoſpasmatibus Wirtenbergenſibus de Reb. Slavicis Regionem populorum *Slavicorum* in *Orientalem*, & *Occidentalem* diviſit: in *Orientali* illos *Slavos* collocando, qui in *Illyrico* Duce *Oſtrivojo* Regnum *Dalmatiæ*, & *Croatiæ* conſtituerunt: ſucceſſu vero temporis *Oſtrivoji* nepotes *Chebus*, *Lechus*, & *Ruſſus* è patriis latibus *Krapina*, & *Pſari* egreſſi *Slavorum* Colonias in *Bohemiam*, *Poloniam*, & *Ruſſiam* duxerunt, novaque ſicut ingentia, ita celerrima regna condiderunt. In *Occidentali* porro *Slavorum* regione inter *Viſtulam*, *Salam*, *Albim*, & *Oderam* fluvios, ac Mare *Balthicum* ſituata ponendo illos *ſlavos*, quos *Helmoldus* in Chron. *cap.* 2. pluribus quam 40. nominibus deſcribit apud *Joan. de Jordan* Appar. Geogr. Sect. 34. De quibus uberius tractat idem *Joan. de Jordan* Orig. Slav. *cap.* 29. *num.* 19. usque ad *num.* 24. & Appar. Hiſt. *ſect.* 68. Tit. *de Slavis Sorabis*, quorum Principaliores aſſerit fuiſſe *Pomeranos*, *Tolenſes*, *Redarios*, *Cirpianos*, *Kizinos*, *Polabos*, *Vilzos*, *Vagrios*, *Herulos*, ſeu *Obotritos*, *Rugianos*, *Dalamincios*, & *Lemovios*: principaliſſimos autem *Vinidos*, ſeu *Vandalos*, *Sorabos*, & *Luſatios*. Atque horum *Occidentalium ſlavorum* Regem extitiſſe *S. Godeſchalcum* ab ipſismet ſuis ſubditis *Slavis* in *Idololatriam* relabentibus Martyrio affectum tradit *Baronius* ad A. C. 1065. & *Helmoldus* in Chron. *lib.* 1. *cap.* 25. 26. & 30. item *Münſterus lib.* 3. Tit. *Oldenburgum*, & Tit. *Magnopolis*, qui etiam ejusdem Sancti Regis Genealogiam *Henrico* Regi Germ. & *S. Canuto* Regi Daniæ conſanguineam loco ultimo citato proponit, conſequenter perperam ſcripſiſſe videtur noſter

ſter *Ratkajus*, qui *S. Godeſchalcum* in Memoria Regum Croat. Dalmat. & Slav. *pag.* 53. penultimum horum Regnorum Regem fuiſſe notavit.

II. Quod autem enumerati populi fuerint nationis *Slavonicæ*, teſtatur ſupra memoratus *Munſterus lib.* 3. Tit. *Regio Pomeraniæ* inquiens; *Diximus jam in deſcriptione Regionis Magnopolenſis, quod tota ora Maritima ab Holſatia, usque Livoniam una fuerit Vandalica, ſeu Slavonica natio.* De qua *Ritterus* noſter in ſua Stemmatographia *pag.* 73. ſic diſſerit: *Slavones maris Balthici, qui & Vandali, aureum coronatum Draconem in campo rubeo ſtemmatis loco præferunt.* Quod Epigrammatice taliter expreſſit:

Aureus in rubro volitat Draco Balthicus agro,
Exerit os, ungues, caudamque, & alâ minas.
Terribilis quondam gens actis, nomine honora
Perdurat, quia per dura paratur honor.

Ubi per ly honora intelligit glorioſam, itidem, ac in idiomate Slavonico *Szlavnam*, per conſequens, gentem *ſlavonicam* fuiſſe innuit. *Slavos* prærecenſitos Regionem ſupradictam ad Mare *Balthicum* conſediſſe exiſtimat *Eckhardus* de reb. Franc. *lib.* 12. *cap.* 11. circa A. C. 549. atque in libertate ſua ſub populari gubernio vixiſſe quietos. Æqualium autem motum, ejusdemque Religionis cum *Orientalibus* extitiſſe, imo correſpondenter ſe ad invicem in omnibus habuiſſe, tradit *Valvaſor.* Topogr. Carniol. *lib.* 5. *cap.* 13. Poſtquam enim ſupranominati *Slavorum Occidentalium* principaliſſimi populi *Venedi, Sorabi, & Luſatii* non contenti (ut *Manlius* Comment. Rer. Luſ. *lib.* 2. *cap.* 3. refert) amplitudine occupatæ terræ diu, multumque circa A. C. 629. ex una parte *Thuringiam* initio, deinceps *Francorum*, qui *Thuringos* ſibi ſubjecerant, ex parte altera etiam *Saxonum* arma exercuiſſent, illorum terras ad *Salam*, horum ultra *Albim* ad *Luneburgi* agros perpetuis deprædationibus infeſtando, atque carpendo, adeo, ut utrique ſæpe vim bellicoſiſſimæ gentis ægre, ac difficulter ſuſtinuerint, & repreſſerint, &, nonniſi libertate plena iisdem conceſſâ, domuerint. Senſim dein prædicti *Slavi Occidentales*, occupata *Thuringiæ* parte in eas vires excreverunt, ut fidelitati ergâ *Francos* (ut *Falkenſtein.* Hiſt. Thuring. *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 9. §. 6. notat) aliquo tempore conſervatæ, renuntiare; ex eo, quod *Franci* contra fidem conceſſæ eorum libertati plura præjudicioſa exercerent, ſe in clientelam *Samonis* Regis *Slavorum Orientalium* conjicere, & eum expeditis ab eodem auxiliaribus copiis reliquam *Thuringiam*, quæ *Francis* parebat, ultrà *Salam* fluvium armis laceſſere præſumerent. Et vel maxime eo tum, dum *Franci* ſubjugationem *Slavorum Croatarum* meditabantur, & absque ſucceſſu conabantur, *Francis* namque devictis *Croatæ* animoſiores effecti, & ſicut libertatis, ita vindictæ cupidi, in *Thuringiam* Provinciam *Francicam* circa A. C. 632. irruebant, quorum parti *Slavi* quoque *Occidentales* adhærentes, & ipſi ſua ex parte *Thuringiam* deprædabantur. Quorum audaciam, & arma *Dagobertus* Rex Franciæ ſedare nequiens; filius ejus *Sigebertus* Rector Auſtraſiæ poſt plura cruenta certamina aliqualiter refrænavit, nullo tamen modo imperio *Francico* ſubjugando, verum eos, ut ſuo jure utantur, tolerando, propriosque Reges habere permittendo, usque dum circa A. C. 1400. deficiente Regio ſanguine armis *Francicis*, & *Saxonicis*, aliarumque vicinarum Germanicarum nationum potentia ſubjugati, atque in colonos, & mutata nomenclatura *Szlava*, id eſt *glorioſa ſclavos*, id eſt

 ſer-

Servos, ſeu mancipia redacti fuiſſent. Ex his an aliqui modernis temporibus illis in partibus maris *Balthici* extent? & an *Slavonico* utantur idiomate? ſiquidem nobis incompertum eſſet, petimus ſuppliciter ab earum partium Scriptoribus informari. Nos eorum hic loci meminimus, ad probandam Morum, & Religionis à *Valvaſorio* allegatam cum *Slavis Orientalibus* identitatem; & vere ſi conſiderentur ea, quæ fatus *Valvaſor. loc. cit.* exponit, non ſolum ex ſubſidiorum bellicorum eisdem à *Samone* Rege *Slavorum Orientalium* ſubmiſſorum occaſione, & eorundem *Slavo-Croatis*, in *Thuringia* deprædatione, adhæſione, verum etiam, ex ipſis liberæ ſemper utriusque partis gentis libertatis defenſione, ac frequentiori copiarum auxiliarium iisdem ab *Orientalibus Slavis* conceſſarum ſubmiſſione, tum etiam ob præſtitam ab iiſdem *Slavis Orientalibus* quotannis certam ad Phanum Idoli *Szuetoviti*, ut *Valvaſorius lib. 7. cap. 1.* aſſerit, penſionem, concludendum exiſtimarem, eos & moribus, & religione æquales extitiſſe.

III. Mores porro veterum *Sarmatarum*, & *Venedorum*, qui dein generali vocabulo *slavi* dicti fuere, quod attinet, tum mala, tum bona multa de iisdem leguntur apud veteres ſcriptores. *Titus Livius* ſcribit eos fuiſſe barbaros, & crudeles, quibus unicum vitæ negotium latrocinari, terra, & mari piraticam exercere. Cui ſubſcribit *Florus*. Venuſtius tamen mores *Sarmatarum* recenſet *Pomponius Mela lib. 3. cap. 4.* ſequenti tenore: *Gens habitu, armisque Parthicæ proxima, verum ut cœli aſperioris, ita ingenii. Non ſe urbibus tenet, & ne ſtatis quidem ſedibus, ut invitavere pabula, ut cedens, & ſequens hoſtis exigit, ita res, opesque ſecum trahens. Semper caſtra habitat, bellatrix, libera, indomita, & usque adeo immanis, atque atrox, ut fœminæ etiam cum viris bella ineant: atque ut habiles ſint, natis ſtatim dextera aduritur mamma, ut inde expedita in ictus manu, quæ exeritur, virile fiat pectus. Arcus tendere, equitare, venari, puellaria penſa ſunt: ferire hoſtem adultarum ſtipendium eſt, adeo, ut non percuſſiſſe, pro flagitio habeatur, ſitque ejus pœna virginitas.* Deſcribere intendens *Procopius Cæſarien.* mores veterum *Slavorum*, primo *lib. 3. cap. 14.* enarrat, eos fuiſſe gentem *Sarmaticam*, & *Illyricum* ingreſſos Imperatore *Juſtiniano*, ibique conſediſſe, atque ita factum eſſe, ut priſci habitatores tranſirent in conſuetudines, & mores novorum hoſpitum. Quos dein ſic delineat: *Et vero, hi populi, slaveni inquam, & Antæ, non uni parent viro, ſed ab antiquo in populari imperio vitam agunt: ac propterea utilitates, & damna apud ipſos in communi vocari ſolent. Aliarum etiam rerum, fere omnium, ratio ab utrisque barbaris ſervatur eadem, fuitque olim conſtituta. Unum enim Deum, fulguris effectorem, Dominum hujus univerſitatis ſolum agnoſcunt, eique boves, & cujusque generis hoſtias immolant. Fatum minime norunt, ne dum illi immortales aliquàm vim attribuunt: at cum ſibi vel morbo correptis, vel prælium ineuntibus jam mortem admotam vident, Deo vovent; ſi evaſerint, continuo victimam pro ſalvo capite mactaturos: elapſi periculo, quod promiſere, ſacrificant, eâque hoſtiâ vitam ſibi redemptam credunt. Præterea fluvios colunt, & Nymphas, & alia quædam Numina, quibus omnibus operantur, & inter ſacrificia conjecturas faciunt divinationum. In tuguriis habitant vilibus, & rare ſparſis, atque habitationis locum ſubinde mutant. Cum pugnam invadunt, multi pedibus tendunt in hoſtem, ſcutula ſpiculaque geſtantes in manibus: Loricam non induunt, quidam ne ſubuculam habent, nec pallium, ſed cum femoralibus tantum, ad virilia usque adaptatis, hoſti ſe offerunt ad certamen. Una eſt utrisque lingua admodum barbara, nec forma inter ſe differunt: ſunt enim proceri omnes, ac robuſtiſſimi, colorem nec ſumme*

can-

Digitized by Google

candidum habet cutis, nec flavum coma, neque is plane in nigrum deficit, at ſubruffus, & quidem omnibus. Vitam æque ut Maſſagetæ victu arido, incultoque tollerant: toti, ſicut illi ſordibus, & illuvie ſemper obſiti. Ingenium ipſis nec malignum, nec fraudulentum. Hi igitur fuere mores veterum Slavorum, quos tamen Juſtinianus Imperator è Mœſia, & Pannonia inferiori ſelectos, & in 300000. exercitum (ut notat Landulphus Hiſt. miſcell. lib. 19. c. 30.) contra Arabes coadunatos Populum acceptabilem intitulavit.

IV. Quæ autem Slavorum priſcorum extiterit Religio? num. præc. aliquid Procopius inſinuavit: quod unum videlicet Deum fulguris effectorem, & Dominum hujus univerſitatis ſolum agnoverint, eique boves, & varias hoſtias immolaverint, Fluvios præterea, & Nymphas, aliaque quædam Numina adoraverint. Quæ fuerunt hæc Numina? exploremus. Palladius lib. 1. & Strabo lib. 5. notarunt, veteres Slavos in Diomedis Phano ad fontes Timavi candidos equos Idolis ſuis ſacrificaſſe in Mare præcipitando, ſed neuter horum nominat Numina, ſeu Idola. Inſinuavi cap. 28. num. 5. noſtros Illyros, in quo Slavi plerumque comprehendebantur, in altiſſima ſuperſtitionis nocte exiſtentes, præter recenſitos à Procopio infernales Deaſtros, communes etiam Romanis, quorum vectigales effecti ſuerant, coluiſſe Solem, Lunam, Herculem, Vulcanum, & Martem: ubi etiam brevibus expoſui ex Ottrokocſio quoddam Idolum ſub nomine Thot, à Slavis adoratum, quod idem Author ex Græco Ermis interpretatur fuiſſe Mercurium. Sed præter hæc Numina, adoravere Slavi etiam Binos Deos ſub nomenclatura Boni, & Mali: poſterioris meminit Cluverius lib. 1. c. 32. num. 10. ſupponens Slavos cum Malo, etiam Bonum coluiſſe Deum. Expreſſius hos binos Deos deſcribit Valvaſorius lib. 7. cap. 1. dicens: Omnia fortunata, & favorabilia, dicebant Slavi à bono Deo, contraria autem, ſe infortunata à Malo Deo procedere. Hoc Slavi (ultra Valvaſorius inquit) Malum Deum in ſuo idiomate Cherni Bóg, id eſt, Niger Deus; vocitabant, conſequenter bonum Deum, belli Bóg; ſeu album Deum nominabant.

V. Tria porro principalia Idola habuiſſe Slavos memorat Helmoldus lib. 1. cap. 52. Unum quidem nomine Provo, aliud Radagoſit, tertium Sziva. De primo, nomine Provo, ſcribit Bongertus: hoc Idolum in maximo honore habitum à Slavis, quod in una Quercina ſylva ſupra columnam ſituatum cum corona in erecto, & imberbi humano capite, cum aſininis auribus ſculpto pede levo occreato campanulam calcans, manu dextra vexillum arctum, ſed oblongum, ſiniſtra vero ſcutum rallo oratorio perſimile tenens, ſolitis Idololatriæ cæremoniis adorabatur. Idolum ſecundum nomine Radagoſit, quod latine hilaris, vel gratus hoſpes interpretari poteſt, cujus & cap. 38. num. 1. ad fin. memini. Deus iſte, vel potius Diabolus in ſtatua Idoli à Schedelizio lib. 2. cap. 4. & à Stredovſzkio Hiſt. Morav. pag. 37. ſic deſcribitur: Radagoſit, ingens Idoli ſtatua, nuda, pariter imberbis, quæ dextra manu ad pectus ſcutum cum effigie bovini capitis, leva vero bipennem geſtans, in magna apud Slavos veneratione extitit, in cujus honorem, præ reliquis virtutibus, hoſpitalitatem erga exteros, & viatores colebant. Hinc Helmoldus lib. 1. nullam nationem erga hoſpites ita liberalem eſſe, quemadmodum Slavonicam expreſſe adnotare voluit, ut vel exinde gens hæc, eſto barbara, laudari queat, quantumvis Valvaſorius loc. cit. eam propterea vituperet, & prodigalitatis arguat, contra 7. opera miſericordiæ corporalia, à Chriſto Domino Matth. cap. 25. commenda-

Digitized by Google

ta, illis verbis : *Hoſpes eram, & collegiſtis me*, quibus ſextum opus miſericordiæ corporale innuitur *Peregrinos hoſpitio recipere*. Quod hodiedum *Slavonicæ* nationi, vel maxime in *Croatia*, ſeu *Slavonia* in uſu eſſe atteſtabitur omnis, qui partes eas peregrinando contemplatus eſt. Tertium tandem *Idolum* ab *Helmoldo* productum nominatur *Sziva*, quod latine dicitur *Venus* : huic fœminini generis *Deaſtræ*, toto corpore nudæ pendebant denſi de capite pili ad genua usque, manui dextræ in altum protenſæ botrus uvarum, ſiniſtræ vero ad umbilicum depoſitæ pomum aureum adhærebat, quam *Slavi* amorum *Deorum* compellabant, atque hac ex cauſa eam ſpeciali etiam venerationis cultu proſequebantur, quatenus ſibi Deorum, & Hominum amorem conciliare valerent.

VI. Plura adhuc *ſlavorum* priſcorum reperi *Idola* diverſos apud Authores, uti ſunt *Podaga*, *Trigla*, *Flins*, *&c.* quorum ſi effigies omnes hic producerem, ob prolixiorem explicationem Lectori tædioſus forem. Duorum tamen ne relator non ſim, præterire nequeo, utpote quorum diuturnior apud *Slavos* perſeveravit veneratio. Unum ex his erat *Szvetovid*, id eſt : *Mundum videns*, quia effigies hujus, ut id depingit *Dubravius pag. 6.* erat quadrifrons, quaſi ex omni parte conſpiceret mundum : dextra cornu, læva arcum geſtabat, proxime ad latus ejus ſuſpenſa erant enſis, frænum, ſella, juxtaque candidus equus ſtabulabatur *Simulacbro* conſecratus : eum Sacerdos phani alebat, ſeque, & populum opinione implebat, quaſi *Szvetovidus* equo illo adverſus religionis ſuæ hoſtes militaret : Sacra huic *Idolo* in vino, & placentis faciebant : vinum pridie ſolemniter cornui infuſum, ſi poſtridie integrum manebat, bonum incrementum liquidarum rerum illius anni ſignificari dicebat Sacerdos, malum vero, ſi quid de vino fuerat ſua ſponte diminutum ; habebant & placentæ ſua præſagia futurarum frugum copiam, aut inopiam prognoſticantia. Quia vero *Simulacbrum* iſtud equo, & armis inſtructum erat, ideo *Slavi* equitabant, tractabantque arma libenter, avideque belli certamina adibant, *Simulacbrum* ſuum imitari putantes : quamvis & hodie veri, & unius *Dei* cultores *ſlavi* idipſum, dum tempus ſecum fert, his muniis ſicut promptiſſime, ita generoſiſſime exercitari in deliciis habent. Aliud *Idolum* domeſticus noſter ſcriptor *Vitezovicbius*, ſeu *Ritterus* in opuſculo, quod *Natale Solum S. Ladiſlai R. H.* intitulavit *pag. 44.* producit nomine *Lado*, ſed non effigiat, neque in alio aliquo Scriptore formam hujus reperire potui. Per hoc tamen *Plutum* apud *Slavos* intellectum fuiſſe ſcribit *Joacb. Feller* Illuſtrator *Hornii*. Tit. *Regnum Poloniæ Periodo 2. num.* 150. Nominatum porro *Plutum*, & *Ditem* vocitatum fuiſſe tradit *Ambroſ. Calep.* verbo *Plutus*, quem *Poëtæ* finxerunt extitiſſe *Deum divitiarum*, ut habet *Theod. Spiſſerus* in *Lexico univerſ.* In hujus *Idoli* venerationem *ſlavi* noſtri ſuperſtitioſe certam cantilenam idiomate vernaculo, in cujus quolibet verſiculo *Lado* ad ter repetendo, concinebant ſequentis tenoris.

Lepi Ive terga Roſe,
Tebi Lado ſzveti Boſe:
  Lado ſzluſſai naſz Lado.
Pevke Lado pevamoti,
Szercza naſſa v-klanyamoti:
  Lado ſzluſſai naſz Lado.

Latinè.

Pulcher Joannes carpit roſas,
Deo Lado cantat proſas:
  Lado audi nos Lado.
Tibi Lado ſubſternimus
Corda noſtra, & petimus:
  Lado audi nos Lado.

Imo

Digitized by Google

Imo poſtquam etiam Orthodoxa fide imbuti fuiſſent, ſub ſolſtitii æſtivi diebus, quibus olim ſuperſtitioſi hujus nominis *Lado* feſtivitas celebrabatur, plebeus puellarum chorus in tripudiis circa rogos cieri ſolitos, cantum eundem plenis vocibus modulabantur, ægre ab animarum Curatoribus abrogatum. Hac prophana impietate *Slavi*, quocunque nomine vocitati, quemadmodum & aliæ gentes, à teneris imbuti coluere *Deaſtros* ſuos conſueto gentilitatis ritu, thus ipſis adolendo, victimas animalium, quandoque etiam hominum, ſignanter *Chriſtianorum* imolando, lumina accendendo, panes item, & vinum, oleumque, & alia ſimilia offerendo, atque per hæc omnes fortunas ſuas in manus eorum reponendo, imo vitam propriam ſuperſtitioſe conſecrando. Quidquid porro *hoc*, & *præcedentib. num.* de *Slavonica* natione in genere ab *Adriatico* mari, usque ad *Balthicum* inſeſſionata memorata, applicandum etiam genſeo *Sclavis* noſtris per *Dalmatiam*, *Croatiam*, & *Slavoniam*, per conſequens & per *Inſulam Muro-Dravanam* diſlocatis: quemadmodum & *Valvaſorius lib.* 7. *cap.* 1. ſuis *Carnicis* populis, id eſt *Carniolis*, & *Carinthis* applicuit.

CAPUT LV.

De recentioribus Moribus, & Religione populi Slavonici, conſequenter & Inſulæ Muro-Dravanæ.

I. CUm autem is ipſe Coeli, Terræque Dominus altiſſimus, qui incolatum, & poſſeſſiones diſtribuit gentibus, dum ſequeſtraret ab invicem filios *Adam*, ex iisdem diviſis, ac diſperſis, ſibique ad tempus relictis nationibus natura filiis iræ, captivis *diaboli*, ſine ſpe, ſine *Deo vero* immenſa peccatorum mole onuſtis, brutis, barbaris, crudelibus, & truculentis, ſtatuerit ex immenſa ſua miſericordia colligere *Eccleſiam* per *Evangelium*, collegitque ab initio, hodieque colligit: ab hoc benigniſſimo favore neque *Illyros* excluſos habere ſivit. *S. Paulus* namque Apoſtolus ex inſtinctu *Sanctiſſimi ſpiritûs*, poſtquam multas ab *Hieroſolymis* peragraſſet regiones, ubique *Verbum Dei* ſeminando A. C. 58. pervenit etiam in *Illyricum*, magnamque ejusdem Anni partem ibidem inſumpſiſſe ſe, ipſemet *Epiſt. ad Rom.* teſtatur, inquiens: *Se ab Hieruſalem per circuitum usque ad Illyricum repleviſſe Evangelium Chriſti.* Neque illa verba: *usque ad Illyricum* eo accipienda ſunt ſenſu, ut terminos duntaxat *Illyrii* attigiſſe intelligatur, ſed quod vere ipſum *Illyricum* pertranſiens, *Evangelio Chriſti* prædicato eosdem *Illyrii* populos *Chriſtianos* effecerit, omnino dicendum eſt: conſentiente in id *Damiano*, labores *Pauli*, per *Illyrium* deſcribente: *Reſpice* (inquit) *Paulum totum pervagantem Illyrium, ſuſcitantem mortuos, ſubvertentem templa Deorum.* Hoc ipſus *Gregorius Niſſen.* hoc *Dorotheus Tyri Ep.* hoc *Joan. Papa VIII.* in *Epiſt.* ad *Bulgariæ* Regem, conteſtantur: imo *Joan. Tomcus Ep. Boſnen.* in *Fœcundit. Sanctitatis Illyricanæ* ſcribit: *Illyricam gentem primam ab Apoſtolo Paulo Chriſto aquiſitam.* Atque hoc ipſo tempore *S. Paulum* Epiſcopatus aliquos, quamvis non ſciatur, quos, inſtituiſſe, credibile eſt. Recedens ex *Illyrico*, negotiis diſſeminationis *Verbi Dei* ita exigentibus, *Paulus* miſit in *Illyricum* diſcipulum ſuum *Titum* ad propagandum Chriſti Evangelium, ut ipſemet in *Epiſt.* ſua

ad *Timoth.* teſtatur. Non diu tamen morabatur *Titus* in *Illyrico*, intelligens namque *Paulum* Apoſtolum à Præſide *Feſto* juſſum *Hieroſolymis* pergere *Romam*, præveniens adventum ejus, eum in Urbe præſtollabatur, quem *Paulus* deprehendens *Romæ* miſit in *Græciam* Epiſcopum *Cypri* conſtituens. *S. Petrus* autem Princeps Apoſtolorum in locum *Titi* ſubmiſit in *Illyricum* diſcipulum ſuum, nomine Domnium, qui *Dalmatiæ* late patenti verbum vitæ, quod *Paulus* inchoaverat, *Titus* ſecundaverat, prædicare qua Epiſcopus *Salonitanus* continuaret. Ex quo patet Epiſcopatum *Salonitanum* vel à *S. Paulo*, vel ab ipſomet ſupremo Eccleſiæ capite *S. Petro* inſtitutum eſſe, atteſtante etiam *Thoma Archidiac.* Hiſt. Salon. *cap.* 3. ubi etiam aſſerit *Salonam* fuiſſe caput *Dalmatiæ*, & *Croatiæ*, atque in ea, totaque capiti ſubjecta provincia *S. Domnium* diutius prædicaſſe, multosque à gentilitatis errore convertens non parvam Chriſto Eccleſiam adunaſſe.

II. Non in uno tamen *Illyrii* loco ab uno, alterove Apoſtolorum, vel eorum Diſcipulorum *Evangelium Chriſti* diſſeminabatur, verum & in pluribus. *S. Lucas* namque, poſtquam *Acta Apoſtolorum* terminaſſet (ut *Epiph. lib.* 51. *contra Hæreſ.* inquit) prædicandi *Evangelii* munus ſuſcepit, idque primum in *Dalmatia* præſtitit. in qua vero parte *Dalmatiæ* prædicaverit? non exprimit. Sed & *S. Marcus Evangeliſta* in parte *Illyrii* ſupra mare, prope modernam *Carnioliam*, quæ eo tum *Dalmatia* apellabatur non modicum *Verbi Dei* ſemen in corda hominum jeciſſe, Epiſcopatum *Aquilejæ* inſtituiſſe, *S. Hermagoram* Epiſcopum conſecraſſe, *S. Fortunatum* vero Archidiaconum conſtituiſſe, atque ſic ordinata *Aquilejenſi* Eccleſia *Alexandriam* receſſiſſe perhibetur ab *Epiph. loc. cit.* Quo abeunte *S. Hermagoras* zelo propagandæ *Orthodoxæ fidei* miſit in *Pannoniam* quendam Sanctiſſimum virum nomine *Laurentium*, qui nervoſa prædicatione ſua plurimos idololatras in horreum Chriſti conducens *Laureaci ſuperioris* eo tum *Pannoniæ* urbe Epiſcopatum (qui ſucceſſu temporis in *Metropolim* totius Pannoniæ ſuccrevit) inſtituit. Primis quidem duobus ſæculis poſt Chriſti nativitatem ſemen *Verbi Dei* quemadmodum alibi, ita & in *Illyrico* exiguum capiebat incrementum propter crudeles perſecutiones, quas *Imperatores Romani* in *Chriſtianos* indicebant, ſignanter diriſſimam *Neronis* ad A. C. 66. & ſeq. non tantum *Romæ*, ſed & in univerſis *Imperii Romani* provinciis exercitam. Deinde ad A. C. 93. *Domitiani*, item *Trajani* ad A. C. 100. & *Adriani* ad A. C. 120. quam demortuo *Adriano*; filius ejus adoptivus, & in *Imperio* ſucceſſor *Antoninus* cognomento *Pius*, poſtquam ob necem *Chriſtianorum* diverſis *Imperium* affici cladibus animadvertiſſet, Reſcripto ad A. C. 141. edito cohibuit. Ob has itaque perſecutiones nutare debuit primo implantata per viros Apoſtolicos *Religio Chriſtiana*; nullibi tamen locorum radicitus evelli potuit, verum ubique utriusque ſexus *Chriſtiani*, quamtumvis nonnihil metu, non tam mortis, & tormentorum horrore, quam reſipiſcentiæ à vera fide arefacti, in dies ſuccreſcebant, & multiplicabantur, vel maxime tempore pacis ab *Antonino* Imperatore *Chriſtianis* conceſſæ. Quantum *Illyricum* attinet, in illo eodem tempore perſecutionum circa A. C. 109. & ſeq. *S. Eleutherius* Epiſcopus Regionarius *Religionem ſalvificam* eximie conſervare ſtudens, zeloſis ſuis prædicationibus plures converſos baptizabat, nutantes confirmabat, ad pænas intuitu fidei tractas animabat, usque dum ipſemet ad *Martyrium* ductus id quod prædicaverat, proprio cruore pro Chriſto fuſo roboraſſet, atteſtante *Martyrol. Rom. ad diem* 18. *Apr.* item *Petro de Natal. lib.* 4. *cap.* 61. & *Surio Tom.* 2.

III.

Digitized by Google

III. Longus nimium forem, ſi univerſarum perſecutionum ab *Imperatoribus Romano-Ethnicis* adverſus *Chriſtianos* ſuſceptorum ſeriem texerem, ſufficientem exiſtimans præcedentium inſinuationem, ſiquidem *Imperatores* neque prioribus, neque poſterioribus atrociſſimis quamvis perſecutionibus, nulliſque immaniſſimis pœnis, ac acerbiſſimis tormentis, quibus myriades ſubjiciebant *Chriſtianos* prædicatam ſemel, & ſuſceptam *fidem Orthodoxam* abolere poterant. Hinc ſufficiat hic memoriæ commendâſſe, quod ſemen *Evangelii Chriſti* ſemel in *Illyrico* diſſeminatum, nunquam ſuffocatum extiterit, verum ſemper ſuccreverit, irrigante id ingenti *SS. Martyrum Illyricanorum* multitudine, & excolente SS. quam plurimorum virorum Apoſtolicorum indefeſſo labore, nec non confirmante paſtorali SS. Epiſcoporum ſollicitudine ſignanter *S. Maximi Æmonenſis*, ſeu, ut modo loquimur, *Labacenſis* ad A. C. 254. in modernæ *Croatiæ* maritimæ *Aſſeſiæ* civitate, quæ nunc *Bribir* dicitur, Martyrio coronati. *SS.* item *Joannis*, *Donati*, *Lupi*, *Irenæi* & *Hermæ Syrmienſium*, circa A. C. 260, 270, & 280. *S.* quoque *Maximiliani*, *Laureacenſis* quidem in *ſuperiori Pannonia*, ſed *Celejæ* prognati, ibidemque ob prædicationem *Evangelii* capite truncati ad A. C. 284. *S. Quirini* itidem, *Siſſienſis*, & *S. Venantii* ſexti, poſt *S. Domnium*, *Salonitani*, ac *Felicis Spalatenſis*, nec non *Euſebii Cibalenſis*, quæ urbs in moderna *Slavonia inferiori* nunc *Valpo* dicitur. Horum itaque SS. Prælatorum ardenti zelo, indefeſſo labore, & ſedula cura *Orthodoxa fides* non ſolum conſervabatur in *Illyrico*, verum & in dies magis, & magis propagabatur, hujus namque conſervandæ, & propagandæ zelo nunquam à prædicatione *Verbi Dei* deſiſtebant, usque dum intuitu hujus ipſimet Coronam Martyrii adipiſci à Tyrannis coacti non fuiſſent.

IV. Nutabat ſecundo *fides Chriſtiana* in *Illyrico* dum *Arius* hæreſim ſuam, maximos in *Eccleſia Dei* tumultus excitantem, circa A. C. 321. ſpargere cœpit. Qui propterea in *Concilio Oecumenico Nicæno* A. C. 325. celebrato (cui inter reliquos 318. Epiſcopos etiam *Stridonenſis* ſubſcripſit) *Anathema* declaratus nonnihil, ſed ficte reſipuerat: Verum paulo poſt, defuncto videlicet *Conſtantino Magno* Imperatore ad vomitum rediens, aſſeclas plures adeptus eſt, inter quos fuere *Illyrici* Epiſcopi *Photinus Syrmienſis*, *Valens* ac *Urſacius*, hic *Singidunenſis*, nunc *Semendriæ* dictus, ille *Murſæ*, nunc *Eſzek* compellatæ, medio quorum in *Illyrico*, aliorum vero ejusdem factionis Præſulum in *Concilio* quoque *Sardicenſi* A. C. 347. cum ſuo capite damnatorum, in aliis Orbis partibus errores *Arii*, adnitente plurimum *Conſtantio* Imperatore, qui ſe *Hereſiaos Arianæ* palam profeſſus fuerat, propagabantur adeo, ut per totum fere mundum inſtar cancri ſerpſerint, & temporibus *S. Damaſi* Papæ, cui A. C. 366. Claves Eccleſiæ per legitimam electionem concreditæ fuerant, *Ingemiſcens* (ut *S. Hieron.* ſcribit) *Orbis terrarum ſe Arianum miratus fuerit.* Decedente tamen *Juliano Apoſtata*, qui *Conſtantio Ariano* ſucceſſerat, cum *Jovinianus* Imperator proclamaretur, nullum habere voluit militem, qui *Chriſtiano-Catholicam fidem* non profiteretur. Hinc credibile eſt, plurimos etiam in *Illyrico* noſtro tam à cultu *Idolorum*, quàm à doctrina *Arianorum* defeciſſe, ſeque gremio *Eccleſiæ Chriſtiano-Catholicæ* adſcripſiſſe. Sed neque defuere viri Apoſtolici, qui belluæ hujus contraria *Fidei Catholicæ* dogmata eruditiſſimis ſuis ſcriptis non refutaſſent, prædicationeque doctiſſima non ſuppreſſiſſent. In *Illyrico* noſtro principaliſſimus fuit *S. Euſebius* Epiſcopus *Vercellenſis*, qui adverſus hæreſim *Arianæ* impietatis invicta fide, & conſtantia dimicavit, atque in *Illyri-*

Digitized by Google

cum ſubinde digreſſus, reparandis ibi *Fidei* jacturis zeloſe incubuit, atteſtante *Brev. Rom.* in ejus Legenda ad *diem* 16. *Decembr.* qui ærumnis multis pro *Eccleſia Dei* patientiſſime tolleratis, ad immarceſcibilem gloriæ coronam migravit A. C. 371.

V. Ex hiſce duobus *præcedentib. Num.* patet plures jam tertio Chriſtiano Sæculo Epiſcopatus in *Illyrico* inſtitutos fuiſſe, nullam tamen de primis horum Epiſcopatuum Inſtitutoribus, prouti neque de temporibus inſtitutionum, in veteribus etiam monumentis, ſtudioſe inquiſitam, notitiam deprehendere potui. Hos porro Epiſcopatus *Laureacenſi Metropoli* ſubjectos extitiſſe refert *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. prouti & in *Epiſt.* ad me *Romæ* data, atque in hoc opere *cap.* 68. relata *Num.* 12. & 13. non reflectendo ſe probabiliter ad id, quod *ej.* Vet. & Nov. Auſtr. *par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. ex *Cellario* de civitatib. *Norici*, & *ſuperioris Pan.* ſcripſit, dicens: *In ripa ex Itinerario habemus Lauriacum, itidem nobilem Coloniam, & caput, ut putatur, Norici Ripenſis: quod ex Eccleſiæ notitia conſtat, Metropolitanam dignitatem accepit, Syrmienſi extincta.* Primatum namque Eccleſiarum ampliſſimæ gentis *Illyricæ* per plura ſæcula in *Syrmienſi* ſtetiſſe Eccleſia aſſerit *B. Auguſtinus Ep. Zagrab.* in *Orat.* habita ad *Proceres Hung.* quam referunt *Joan. Tomko*, & *Sigism. Ferrar.* in Vita ejusd. idque teſtatur *Juſtinianus Imp. Novella* 11. apud *P. Bombardium* Topogr. Hung. *par.* 3. *cap.* 3. §. 8. *num.* 3. Urbemque hanc *Amian. Marcellinus l.* 21. nominat *Matrem Urbium*, ac Metropolim *Pannoniæ inferioris* fuiſſe *Aubertus in Notitia Epiſcopatuum* tradit: *Amenius* autem Epiſcopus *Syrmienſis* in *Synodo Aquilejenſi* ad A. C. 381. celebrata *Caput Illyrici nonniſi Syrmienſem civitatem* dictat. Denique ſpectatiſſimum hunc Epiſcopatum fuiſſe olim vel ex tribus *Conciliis generalibus* in eodem celebratis, ut *Pagius* ſcribit in *Crit. Baron.* patet, quorum celeberrimum reputatur primum, in quo *Photinus* ab ipſis ſuis *Arianis* coram *Conſtantio Imp.* itidem *Ariano* damnatus fuit ad A. C. 351. Urbem porro *Syrmienſem* captam, & vaſtatam eſſe ab *Avaribus* ad A. C. 376. opinatur *P. Timon lib.* 2. *cap.* 8. verum hoc ſubſiſtere nequit, ſiquidem *Amenius* ejusdem urbis Epiſcopus, ut *Pagius* refert, *Aquilejenſi Synodo* ad A. C. 381. celebratæ, per conſequens poſt An. 376, quo *Avares* dicuntur à *Timonio* vaſtaſſe *Syrmium*, interfuerit. *Bombardius loc. cit.* exiſtimat *Syrmium* ab *Attila* everſum; ſed potius credendum cenſerem *Baronio* qui ex *Procopio* docet Primitialem dignitatem Eccleſiæ *Symienſis* ſepultam manſiſſe ad A. C. 549, quo *Longobardi* in *Illyrico* cuncta depopulabantur, cujus ſententiæ eſt & *P. Szentivany Synopſi* 8. Deleto itaque hoc famoſiſſimo Epiſcopatu, authoritas quoque Metropolitana eidem adempta eſt, atque, ut *Schelſtratius* Aniqu. Eccl. *Tom.* 2. *Diſſert.* 4. *cap.* 9. obſervavit, reſidui *Pannoniæ* & *Illyrii* Epiſcopatus partim Metropolitano *Laureacenſi*, partim *Salonitano*, partim *Acbridæ* olim *Prabellis*, tandem *Juſtinianæ* dictæ adhæſerunt. Hucusque de *Illyrico* in genere, quæ univerſa noſtræ quoque *Inſulæ Muro-Dravanæ* applicanda veniunt: nunc ad *Illyricum* ſpeciale, ſeu modernum tranſitum faciamus.

VI. Reſtaurata in *Illyrico*, ut *num.* 3. inſinuavi, ex majori parte *Fides Chriſtiana* floruit aliquantiſper ſub ipſis etiam *Ethnicorum* perſecutionibus: declinante autem *Imperio Occidentali*, ex variarum nationum, *Gentilitati* partim, partim *Arianæ impietati* deditarum, in *Illyricum* immigratione mirum in modum debilitata extitit, & vel maxime ſub *Oſtroyllo Ethnico*, qui circa A. C. 547, adjunctis ſibi *Slavis* proprie dictis pariter *Ethnicis*, partem *Illyrii* vi occupaverat, in eodem-

Digitized by Google

demque, ubi nunc *Dalmatia*, *Croatia*, *Slavonia*, *Servia*, & *Boſna* ſunt, regnum *Slavo-Gothicum* conſtituerat, *Chriſtianorum* acerrimus perſecutor, *Fideique Catholicæ* depreſſor, Eccleſiarum *Vero*, & *Uni Deo* dicatarum demolitor, *Epiſcopatuum* abolitor, Sacerdotum oppreſſor, uno verbo *Tyrannus*. Nihil meliores fuere ſucceſſores ejus *Svevioladus*, *Selimirus*, *Bladimus*, & *Ratimirus*, qui eadem crudelitate ex *Oſtroylli* progenie cum lacte hauſta *Chriſtianos* perſequi non deſiſtebant, usque dum ex eorundem ſanguine progenitus non fuiſſet *Satimirus*, qui primus ex Regibus *Slavorum* (opera probabiliter *S. Ruperti* Epiſcopi *Salisburgenſis*, qui zelo fidei in ipſos etiam *Slavoniæ*, & *Croatiæ* fines circa A. C. 620. penetrans, ibi Apoſtolicis laboribus *Chriſtianam Religionem*, ut habet *Martyrolog. Rom.* & *Petrus Ribadeneira* promovebat) in *fide Orthodoxa* ſuavi Chriſti jugo collum ſubmittens, populum ſibi ſubjectum, ad idem *Chriſtianæ vitæ* inſtitutum traducere ſatagebat, id tamen neutiquam in deſideratum finem, morte præventus, deducere quivit. Succeſſit huic in Regno filius *Budimirus* circa A. C. 758. qui *fidem Chriſtianam* à *S. Conſtantino* Philoſopho, patria *Theſſalonicenſi*, viro integerrimæ vitæ edoctus, & Sacro lavacro ablutus, omnem ſibi creditum populum ad *fidei Catholicæ* veritatem amplectendam verbo, & exemplo, adhibita ſimul ejusdem *S. Conſtantini* opera, perduxit, ita, ut non ſolum *legitimus Rex*, utpote de conſenſu Pontificio, & Imperatorio, coram utriusque Legatis electus, atque ab iisdem confirmatus, ritu *Chriſtiano* coronatus, ſed & *Apoſtolus* ſuæ gentis, & ſimul *Beatus*, ut apud pleroſque legi *Hiſtoricos*, intitulari meruerit.

VII. Occaſione electionis, & coronationis ſuæ in Regem *Budimirus* Conventum etiam generalem Procerum ſuorum celebravit, in quo de conſenſu omnium, quatenus *Fides Orthodoxa* amplas, & ſtabiles radices figere valeret, conſtituit primo, ut ſcribit *Marcus Marulus* in Hiſt. Regni Slav. *Archi-Epiſcopatus* duos *Salonitanum* videlicet, & *Diocletanum*, quibus ſubjecit *Epiſcopatus* viginti duos, quos *Marulus* ſubjicet, ſed *Diocleas* pariter in Hiſt. Slavor. & *Freſchottus* in Hiſt. Dalm. ſequenti enumerant ordine. *Salonitano* quidem *Spalatenſem*, *Tragurienſem*, *Scardonenſem*, *Stranſonenſem*, *Jadrenſem*, *Enonenſem*, *Arbenſem*, *Abſarenſem*, *Veglenſem*, & *Epitaurenſem*, qui poſtea *Raguſinus* dictus eſt. *Diocletano* vero *Antibarenſem*, *Budurenſem*, *Ecatarenſem*, *Dulcignenſem*, *Suacienſem*, *Scodrenſem*, *Drivaſtenſem*, *Polletienſem*, *Sorbienſem*, *Baſopenſem*, *Tribunienſem*, & *Zachulmienſem*. Hi porro *Archi-Epiſcopatus*, & *Epiſcopatus* fuere pro *ſuperiori*, & *inferiori Dalmatia*, ut iidem *Diocleas*, & *Freſchottus* referunt, conſtituti, nullam autem mentionem faciunt de *Dalmatia Mediterranea*, ubi nunc *Croatia*, & *Slavonia* ſituantur, quamvis ipſimet eandem usque ad flumina *Dravum*, & *Savum Danubium* influentia Regi *Budimiro* paruiſſe notent, niſi forte vetuſti *Epiſcopatus* ab olim ibidem exiſtentes ſuo in vigore permanſiſſent: ut *Siſcienſis*, *Syrmienſis*, *Orthochenſis*, *Tinninienſis*, & *Croatenſis*, quorum meminit *Aubertus Miræus* in Not. Epiſcopat. *par.* 2. ex vetuſtiſſimo Codice *Victorini*, ante ſex circiter ſæcula conſcripto. *Tininienſem* tamen, & *Croatenſem* exiſtimat *Lucius* de Regno Dalm. & Croat. *lib.* 2. *cap.* 14. unum eundemque fuiſſe, ejusdemque jurisdictionem usque ad fluvium *Dravum* extenſam extitiſſe, quia erat unus ex Principibus Aulæ Regiæ, eandem continuo ſequens, & ſimul Regni *Croatarum* ſummus Cancellarius, per conſequens *Epiſcopus Regionarius*.

VIII. Sed & hi *Epiſcopatus* variorum tum *Martialium*, tum *Fidei Ortho-*

Digitized by Google

thodoxæ nutantis temporum viciſſitudine, ſignanter poſtquam hoc *Gotho-Slavicum* Regnum in partes *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & ipſius *Slavoniæ* ſciſſum fuiſſet, atque in iis non tam Reges, quam Reguli pro ſuo genio, & proprio velle imperitaſſent, denuoque & gentilitatis, & plurium hæreſum erroribus infecti una cum ſibi ſubjecto populo extitiſſent, vel immutati, vel extincti fuere: è quibus aliquos *Joannes* primus *Archi-Epiſcopus Salonâ Spalatum* translatus *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Slavoniæ*, & *Serviæ* regiones circumiens (ut *Lucius loc. cit.* ſcribit) reſtituit reſtaurando Eccleſias, ordinando Epiſcopos, Parochias diſponendo, & paulatim rudes populos ad informationem Catholicam attrahendo: Quia vero *Croatæ*, *Slavi*, & *Servii* tardiſſime fidem Chriſti ex integro ſuſcepiſſent, quinam Epiſcopatus in utrorumque Regionibus, & quando reſtituti, vel inſtituti fuerint, nulla memoria reperitur. *Thomas Archidiac.* tamen in Hiſt. Salonit. *cap.* 13. refert: Hujus *Joannis Archi-Epiſcopi* tempore præter Epiſcopos *Dalmatiæ* fuiſſe aliquos in *Slavonia* ſtatutos, & quidem ab Oriente *Delmitanus*, ab Occidente vero *Siſcianus*. Ex Epiſtolis præterea *Joannis VIII.* Papæ conſtat fuiſſe in Regno *Croatorum* (ut ipſemet *Lucius* inquit) Epiſcopum *Nonenſem*, & Metropolim *Spalatenſem* recognoviſſe: temporibus autem poſteriorum *Dalmatiæ*, & *Croatiæ* Regum *Spalatenſem* Metropolitanum habuiſſe ſuffraganeos in *Dalmatia*, *Arbenſem*, *Veglenſem*, *Jadrenſem*, *Traguríenſem*, & *Raguſienſem*, in *Croatia* vero *Nonenſem*, *Belgradienſem* ad Mare & *Tininienſem*, idem *Lucius loc. cit.* inſinuat.

IX. Non perſeveravere diu in *fide Catholica* populi præmemorati, denuo namque plerique eorum in *Idololatriam* relapſi fuere Principum ſuorum ſequentes veſtigia, quos, ut Chriſto lucrifaceret *Carolus Magnus* Reſtaurator Imperii Occidentalis omnem ſollicitudinem qua armis, qua pace in id adhibuit circa A. C. 801, ut hos ad veræ *Fidei lumen* reduceret, quod dum is ex parte aliqua laudabiliter præſtitiſſet, duo cœli lumina *SS. Cyrillus*, & *Methodius*, accepta Summorum Pontificum *Nicolai I.* & *Adriani II.* authoritate totam gentem *Slavonicam* cum Regibus, Regulis, & Ducibus ad Chriſtum circa A. C. 840. adduxerunt. Et primo quidem *Bulgaros*, dein *Servios*, *Slavos*, *Croatas*, *Dalmatas*, & *Narentanos*, poſt hos vero *Slavos* incolas *Pannoniæ*, ac tandem *Moravos*, & *Bohemos* Sacris myſteriis imbuerunt, fonteque luſtrico eluerunt, impetrantes à Summo Pontifice omnibus his *Slavicis* populis Privilegium Divinas functiones in idiomate Slavonico peragendi, quod hodiedum in pluribus *Dalmatiæ*, & *Croatiæ maritimæ* partibus ab Eccleſiaſticis in uſu habetur. Atque ab hoc tempore *Fides Chriſtiano-Catholica* in Regnis *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, & *Slavoniæ* intemerata hodiedum conſervatur. Poſtquam autem *Dalmatæ*, *Croatæ* & *Slavi* opera *SS. Cyrilly*, & *Methodii*, ut præmiſſum eſt, *fidem Orthodoxam* ſtabiliter ſectandam ſuſcepiſſent, ſeque demortuis propriæ nationis Regibus Coronæ Regni *Hungariæ* adjunxiſſent, aliter iterum Regnorum horum Epiſcopatus inſtituti fuere. *Siſcienſis* namque à *S. Ladislao* Rege *Hungariæ* translatus *Zagrabiam* circa A. C. 1085. proventibusque Prædialibus auctus *Syrmienſis* ſub *Colomanno* reſtitutus colligitur ex Concilio Nationali Præſide *Laurentio* Archi-Epiſcopo *Strigonienſi* A. C. 1114. celebrata, cui interfuiſſe ejusdem urbis Epiſcopum ſcribit, *P. Carol. Peterffii* Concil. Hung. *par.* 1. *pag.* 55. Epiſcopatum hunc à *S. Stephano* Rege *Hungariæ* inſtitutum opinatur *P. Inchoffer* in Annal. Eccl. ad A. C. 1000. & *Lazius* apud *Bombardium*. Verum id recte rejicit idem *Bombardius*

dius in Topogr. Hung. *pag.* 251. & *Lucius lib.* 2. *cap.* 14. dicens: *Ea, quæ Wolffgangus Lazius comment. Reipubl. Rom. lib.* 12. *cap.* 3. *refert de Sirmienſi Epiſcopatu à S. Stephano Rege Hungariæ reſtituto, vera eſſe non poſſunt, ut ex ſupra relatis ex Cedreno conſtat, Syrmienſem Regionem ejusdem Regis tempore Græcis paruiſſe, ibique Græcorum Præfectum ſedem habuiſſe.* Opinionem *Inchofferi*, & *Lazii* de Epiſcopatu *Sirmienſi*, à *S. Stephano* reſtituto rejicit quoque *P. Ladisl. Kazii* in Hungaria compendio data *num.* 74. & 75. ex hac unica ratione: Quod tempore *S. Stephani* nondum *Slavonia* fuerit *Hungariæ* adjuncta. Supradictis *Zagrabienſi*, & *Sirmienſi* Epiſcopatibus acceſſit *Corbavienſis* à *Spalatenſi* Archi-Epiſcopo *Petro Chitilien* A.C. 1181. juxta *Szentivan.* Differt. Paralip. *cat.* 28. ſucceſſu vero temporis ad A. C. 1460 in Curia Romana pro *Modruſienſi* computatus, atteſtante *Szentivan. cat.* 32. Deinde *Segnienſis*, ſed à quo, & quando inſtitutus, non conſtat, A. C. tamen 1185. præfuiſſe eidem Diœceſi quemdam cognomento *Murtitam*, refert *Szentivan. Cat.* 29. Item *Boſnenſis*, quæ Provincia Regno *Hungariæ* incorporata fuit A.C. 1138, ſed an in eadem eo tum fuerit *Epiſcopatus* incompertum eſt: ad A.C. autem 1238. legitur apud *Szentiv. cat.* 25. fuiſſe Epiſcopus *Joannes Theutonicus* ex Ordine *Prædicatorum.* Præterea *Modruſienſis* circa A. C. 1464. erectus, ut ex ſubſcriptionibus Diætalibus Regni *Hungariæ* apud *Szentiv. cat.* 31. patet: eumque ad A.C. 1486. adhuc viguiſſe ex *Epiſtola Mathiæ I. Regis* apud *Peterffium* Conc. Hung. *par.* 1. *pag.* 71. liquet.

X. Et quemadmodum Epiſcopatus quidam translati, quidam reſtituti, quidam noviter erecti, ita & Archi-Epiſcopatus de novo vel translati, vel reſtituti fuerunt; quos *Joan. Szegedii Tyrod.* Juris Hung. *par.* 3. *tit.* 3. §. 7. enumerat ſequentibus. „Sunt autem per *Croatiam*, & *Dalmatiam* tres *Archi-Epiſcopatus.* Primus *Jadrenſis*, habens Epiſcopos „ſuffraganeos *Anſarenſem*, ſeu *Abſarenſem*„ (quem *Aubert. Myræus* nominat *Oſſerenſem*) „ *Veglenſem*, & *Arbenſem.* Secundus *Spalatenſis* „ (quem *Citatus Myræus* Primatem *Dalmatiæ*, & *Croatiæ* nuncupat, conſentiente in id *Szentivanio cat.* 27.) „ habens ſuffraganeos *Tragurienſem*, *Scardonenſem*, *Tininienſem*, *Novienſem*, *Sibinicenſem*, *Temnenſem*, *Segnienſem*, *Modruſienſem*„ (qui A.C. circiter 1638. *Segnienſi* unitus eſt) „ *Almiſſienſem*, *Macarienſem*, & *Pharenſem.* Tertius „ *Raguſanus*, habens ſuffraganeos *Stagnenſem*, *Roſonenſem*, *Tribunienſem*, „ *Catarienſem*, *Bacenſem*, & *Bidvanenſem.*„ *Zagrabienſis* porro *Syrmienſis*, & *Boſnenſis* ſuffraganei ſunt Archi-Epiſcopi *Colocenſis* in Hungaria exiſtentis, ut idem *Szegedii loc. cit.* §. 8. notat. Et quamvis è præmemoratis *Croatiæ* & *Dalmatiæ* Archi-Epiſcopatibus, & Epiſcopatibus plerique aut Reipublicæ *Venetæ* ſucjicerentur, aut ſub jugo adhuc *Mahometico-Turcico* gemerent, hodiedum tamen Prælati, ſeu Epiſcopi ad titulum memoratarum Eccleſiarum à Regibus Hungariæ eligi, & denominari, pro jure hujusmodi electionis, & denominationis conſervando, conſueverunt: quorum omnium nomina in confirmatione Articulorum Diætalium Regni Hungariæ (quibus concludendis ipſi ad Tabulam Magnatum cum voto interſunt) ſingillatim, & ſpecifice exprimuntur.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

Inſula Muro-Dravana Epiſcopatui Zagrabienſi in ſpiritualibus ſubjecta ab eodem mores, & religionem participat.

I. HIs igitur in *Archi-Epiſcopatibus*, & *Epiſcopatibus*, quos *cap. præc.* nominavimus, tam ſanctitate, quam doctrina Illuſtriſſimi Præſati, non ſolum ſuo, ſed & præſidio ſuorum ſubſtitutorum, per plurimas Parochias dislocatorum, vigilantiſſimorum animarum Curatorum Regna *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ*, quamvis ſæpius ad *Idololatriam* relabentia, ad *fidem Catholicam* revocabant, vacillantia confortabant, hæreſeos erroribus infecta depurgabant, ac tandem ſtabilita in doctrina Chriſti conſervabant, hodieque, eſto rabie *Ottomanica* dilacerata, defædata, ornamentiſque Eccleſiaſticis deſtituta, & plerumque *barbariei Turcicæ* (ſi *Zagrabienſem*, *Sirmienſem* non ante multos annos primævæ libertati reſtitutum, & *Segnienſem* in parte, *Epiſcopatus* excipiamus) ſubjecta conſervant fideliter. Et quia potior pars *Croatiæ*, & tam *ſuperioris* quam *inferioris Slavoniæ* cum tota *Inſula Muro-Dravana* Epiſcopatui *Zagrabienſi* (cui hodie E. & I. D. D. *Franciſcus Xaverius* è L. B. *à Klobuſiczky* de *Zettheny* ſicut Sanctiſſime, ita providentiſſime præeſt) in ſpiritualibus ſubjiceretur, operæ pretium duxi fuſiori ſermone de eodem diſſerere ex *Caroli Peterffy* Conc. Hung. *par. 1. pag. 168.* qui ſe ex *Chartulario Veteri* ejuſdem Eccleſiæ id ipſum deſcripſiſſe fatetur, & ex aliis quoque ſignanter *Append. 2.* Synodi *Pazmanianæ* & *P. Szentivanii* Diſſert. Paralip. *Catalogis*. Diœceſim itaque hanc *B. Auguſtinus* ex Ordine Prædicatorum A. C. 1303. Epiſcopus conſtitutus à *Tartaris* magna parte afflictam, deformemque reperit, *Clerumque* (ut *Joan. Tomko* in vita ejuſdem aſſerit) *nullis ſeptentrionalibus ampliſſimis Eccleſiis ſecundum, numero, diſciplina, proventibus ſpectandum, imprimis ad præſentia uſque tempora inſtruxit, ornavit, atque ditavit.*

II. Capitulum namque *Zagrabienſe*, cum naſceretur, & adoleſceret, Canonicos habuit triginta. Præpoſitos tres: Majorem Capituli *Zagrabienſis*, minorem Capituli *Chaſmenſis*, & alium Beatiſſimæ V. Mariæ in Area Capitulari *Zagrabiæ*. Archi-Diaconatus numerat tredecim: *Cathedralem*, ſeu *Zagrabienſem*, *Dubicenſem*, *Kamarenſem*, *Goricenſem*, *Kemlekenſem*, *Vaskenſem*, ſe etiam ad Comitatum *Simegienſem* trans *Dravum* fluv. cum aliquot Parochiis extendentem. *Chasmenſem*, *Bexinenſem* totam *Inſulam Muro-Dravanam* cum 15. Parochiis trans *Muram* amnem in Comitatu *Szaladienſi* complectentem, *Varasdinenſem*, *Urbocenſem*, *Gorenſem*, *Zagorienſem*, *Gvertchenſem*, & *Szentezenſem* unitos. In his Archi-Diaconatibus totidem conſtituuntur Vice-Archi-Diaconi in aliqua Archi-Diaconatuum eorundem Parochia reſidentes, & ſimul Parochiam ſibi concreditam adminiſtrantes, negotiaque Archi-Diaconatuum juxtà Commiſſionem Archi-Diaconorum in Capitulo *Zagrabienſi* habitantium prioremque inter Canonicos ejuſdem Capituli poſt quatuor *Columnas*, ut nuncupari aſſolent, Præpoſitum videlicet Lectorem, Cantorem, & Cuſtodem, locum occupantium, peragentes. In his Archi-Diaconatibus 404. Eccleſiæ Pa-

Digitized by Google

Parochiales cenſebantur. Capitulum *Chaſmenſe* fundatum à *Stephano II.* Epiſcopo *Zagrabienſi* circa A.C.1232. duodecim etiam Canonicis ornavit. *Poſeganum* porro quis, & quando fundaverit, non conſtat, illud tamen Canonicos intertenuiſſe teſtatur *Szentiv. cat. 36.* Occupata per *Turcas* potiori ex parte *Slavoniæ* duo hæc Capitula diſſoluta fuere, *Chaſmenſe* quidem ſe *Zagrabiam* translocando cum litteralibus Inſtrumentis, Canonicis autem partim *Zagrabiæ*, partim in foraneis *Parochiis* accomodatis, habitantibus, uno tamen ſemper *Chaſmæ* reſidente, & Parochiam ejusdem diſtrictus adminiſtrante. *Poſeganum* autem extinctum, hodiedum reſuſcitationem aſpirat, Præpoſitura tamen ejusdem à Regia Majeſtate cum quibusdam proventibus ad eandem ſpectantibus alicui bene merito viro Eccleſiaſtico conferri ſolet. Capitulis his adjungendum venit Collegium duodecim *Præbendariorum* ab ipſo Capitulo *Zagrabienſi* conſtitutum, quod pro Servitio Eccleſiæ Cathedralis *Zagrabienſis* attribuendo eidem certas ex Bonis Capitularibus præbendas fundatum extitit, quo tamen anno? reſcire nequivi.

III. His adnectere liceat Monaſteria Ordinum Regularium, quæ, vel eodem tempore, quo *B. Auguſtinus* Eccleſiam *Zagrabienſem* regebat, viguerunt, vel ex poſt fundata, & erecta fuerunt. Et primo quidem *Abbatiarum Ord. S. Benedicti*, Beatiſſ. V. Mariæ *de Almad.* Ejusdem *de Chatar.* S. Crucis *de Kereſztur* juxta *Muram* fl. S. Martini *de Vaska* ad *Dravum* fluvium, incertorum Sanctorum, *de Dombo*, *de Dömölk*, omnes in *Comitatu Szaladienſi.* Incerti pariter Sancti, *de Babocha* in *Comitatu Simigienſi.* Secundo: *Ordinis S. Bernardi* vulgo *Ciſtercienſium.* Beatiſſimæ V. Mariæ *de campo Zagrabienſi.* S. Helenæ, fundata A. C. 1170. Beatiſſimæ V. Mariæ *de Topolſzka*, alias *Topliczka* vulgo *Topuſzka* fundata A. C. 1135. Incertorum Sanctorum *de Kolban*, alias *Koblan* fundata A. C. 1174. *de Gotbo* vulgo *Kutievo*, *de Illova*, omnes in *Slavonia.* Tertio: *Canonicorum Regularium S. Auguſtini, qui ſuperpelliciati dicuntur*: S. Martini in *ſuperiori Vaska*, Beatiſſi. V. Mariæ in *inferiori Vaska*, Beatiſſimæ V. Mariæ *de Glogoncza*, incerti Sancti *de Bſenko.* Quarto: *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini* Incertorum Sanctorum: *Marchenſe*, *Criſienſe*, *Verocenſe.* S. Benedicti in *Comitatu Simegienſi* an *Canonicorum*, vel *Eremitarum?* non conſtat. Quinto: *Ordinis S. Norberti*, alias *Præmonſtratenſium* unicum *in Ivanich* reperitur, idque *Sororum*, ſeu *Monialium* ejusdem Ordinis fuiſſe perhibetur. Sexto: *Abbatiarum & Conventuum incerti Ordinis.* Beatiſſimæ V. Mariæ *de Bela*, Incerti Sancti *de Biſztria*, viguit adhuc A. C. 1222. S. *Jacobi* locus non nominatur. *De Petur* incerti Sancti, uterque in *Comitatu Simegienſi.* Item incerti Sancti *de Tapalocz* prope *Criſium*, & *Verocenſe* ambo *Monialium* fuiſſe referuntur. Septimo: *Ordinis Militum Crucigerorum S. Joannis, qui olim Hoſpitalarii, poſtea Rhodii dicebantur, nunc vero Melitenſes nominantur.* S. Martini *de Lupoglava*, S. Joannis Bapt. *de Varasdino*, Incerti Sancti *de Chorgo* in *Comitatu Simegienſi*, Incerti pariter Sancti *de nova Curia* in *Inſula Muro-Dravana* ſupra *Chaktornyam.* Item S. Stephani Regis *de Alba* in Comitatu *Criſienſi.* Octavo: *Ordinis Sancti Dominici*, qui etiam *Prædicatorum* dicitur: Religio hæc habuit bina domicilia *Zagrabiæ* unum ad *S. Nicolaum* in Area Capitulari, aliud ad *S. Catharinam* in civitate ſuperiori, an autem co-

Digitized by Google

eodem tempore extiterint? non liquet. Habuit quoque idem Sacer Ordo Monaſteria, *Chaſmenſe*, *Bibachienſe*, *Verocenſe*, & *Poſeganum*, ſed quibus Sanctis dicata? in compertum eſt. *Sigismund. Ferrerius* in Hiſt. Ord. Prædicat. Prov. Hung. *par. 4. cap. 2.* refert unum Conventum in *Slavonia* ſub nomine *Inſulenſi*, ſed quam *Inſulam* intelligit non exprimit. Mihi de nulla *Inſula* in *Slavonia* conſtat, per conſequens inferendum cenſeo Conventum hunc extitiſſe in *Inſula Muro-Dravana*, vel vero, ut me reflexi in *Inſula Segeſtica*, ad *Siſſienſe* Præſidium. Nono: *Ordinis S. Franciſci Seraphici, in quatuor claſſes diviſi.* Primo *Obſervantium Provinciæ S. Ladislai Regis.* S. Franciſci Seraphici *Zagrabiæ* ab ejusdem Urbis Capitulo fundatum circa A. C. 1233. S. Joannis Bapt. *Varadini*, olim *Crucigerorum S. Joannis* circa A. C. 1530. dictis Religioſis Regio diplomate conſignatum. Beatiſſimæ V. Mariæ *Criſii* olim *Eremitarum S. Auguſtini* A. C. 1646. pariter Ordini Seraphico incorporatum. S. Joannis Bapt. *Ivanichii* olim *Monialium Præmonſtratenſium*, ab Epiſcopo *Zagrabienſi Petro Petretich* eidem Ordini adſcriptum circa A. C. 1653. S. Catharinæ V. & M. *Krapinæ* ab Illuſtriſſimo D. *Franciſco Keglevich* A. C. 1641. erectum. S. Antonii Paduani *Kapronczæ* fundatum A. C. 1692. ſed à *Turcarum* incurſionibus deſolatum, denuo circa A. C. 1657. reſuſcitatum fuit. S. Nicolai Ep. *Chaktornyæ* à *Nicolao Zrinio* A. C. 1659. fundatum. Beatiſſimæ V. Mariæ *Verœcæ*, ſeu *Viroviticæ* A. C. 1370. ab *Eliſabetha* Regina Hung. erectum, ſed per *Mahometicam* tyrannidem dirutum A. C. 1684. è ruderibus reconſtructum. S. Antonii de Padua *Koſztanicæ* cujus, utpote vetuſtioris fundationis, fundator, & annus ignorantur, poſt recuperatam porro à *Turca* civitatem ad A. C. 1688. à Patribus ejusdem Ordinis recuperatum. Beatiſſimæ V. Mariæ *Remeticii* à *Joanne Corvino* juniore fundatum, ſed poſt patriæ totius quaſi deſolationem in ruinam actum, & derelictum, denuo ab Illuſtriſſima Eliſabetha *Petbiana* iisdem Patribus collatum, & circa A. C. 1646. reſtauratum. Beatiſſimæ V. Mariæ *Hraſzt avicæ* vigens adhuc A. C. 1506. à quodam Epiſcopo *Zagrabienſi* fundatum, ſed à *Ferrate Turcarum* Baſſa occupatum, & deſolatum, denuo ad A. C. 1697. reſuſcitatum. Plura quoque Cœnobia ejusdem Sacri Ordinis, & Provinciæ per Regnum *Croato-Slavonicum* Diœceſi *Zagrabienſi* obtemperantiæ fundata leguntur, inter reliqua *Tarnokienſe*, & *Szemenyenſe* utrumque in Comitatu *Szaladienſi* & *Ludbregienſe* in Comitatu *Varadinenſi*, quæ per inſultus hoſtiles, aliasque temporum injurias ruinati, & annullati fuerunt. Secundo: pariter *Obſervantium Provinciæ S. Crucis Argentinæ Boſnenſis* poſt recuperatam à Turcis *inferiorem Slavoniam* erecti, ſed à quibus, & quando? reſcire nequivi, Conventus *Czernikenſis*, *Velikenſis*, *Poſeganus*, *Gradiskanus*, *Brodienſis*, & *Naſſicenſis*. Tertio: Ejusdem Sacri Ordinis *Reformatorum Provinciæ Croato-Carniolicæ* Monaſteria, *Sorokoſtadienſe* à quodam Epiſcopo Zagrabienſi una cum Parochia huic Religioni traditum. *Jaſzkenſe*, *S. Leonardi* ſupra *Samoborinum*, item *Samoborienſe*, & *Berdovicenſe* ab Illuſtriſſimo Domino C. Petro Erdödy, prouti & *Klaneczenſe* ab ejusdem D. Comitis ſucceſſoribus fundata. Quarto: Hujuſce Sacræ Religionis *PP. Capucinorum* Cœnobia *Zagrabienſe* circa A. C. 1650. erectum, & *Varadinenſe* ad A. C. 1705. clauſura terminatum. Accedunt his *Monaſteria puſilli Ordinis noſtri S. Pauli primi Eremitæ.* B. V. M. *de Dubicza* ab Hoſpitibus ejusdem Villæ fun-

Digitized by Google

fundatum A. C. 1244. B. V. M. de *Remeta* induſtria P. Isquirini, auxilio V. Capituli *Zagrabienſis*, favoribusque Regum *Hungariæ* circa A. C. 1280. dotatum. B. V. M. de *Garicb* ſumptibus Magiſtri Tiburtii A. C. 1291. S. Benedicti à quodam Salomone A. C. 1301. S. Petri de *Szlatkagora* à P. Gerdas A. C. 1303. S. Benedicti de *Cbraſznyczanocza* à Carolo I. Hungariæ Rege A. C. 1327. OO. SS. de *Sztreza* à Magiſtro Joanne Beſſenyey A. C. 1374. S. Helenæ ſupra *Cbaktornyam* à Stephano Vajvoda Tranſylvaniæ, & alio Stephano Agazonum Regalium Magiſtro A. C. 1374. B. V. M. de *Kumenſzka* a Magnif. D. Catharina de Metlika A. C. 1404. S. Benedicti de *Bakva* a Barbara Hung. Regina A. C. 1413. B. V. M. de *Lepoglava* ab Hermano Ciliæ Comite A. C. 1420. S. Annæ de *Dobrekutcba* a Magnif. D. Benedicto Nelepecz A. C. 1441. B. V. M. de *Szveticza* per DD. Nicolaum, & Petrum Comites a Zrinio A. C. 1627. S. Annæ in Civitate *Criſienſi* a Magnif. D. Joanne Zakmardy A. C. 1665. Plura enumerat *Pazmanus* in Appendice 2. ſuæ Synodi Tyrnavienſis apud *Szentivanium* Diſſert. Paralip. *Cat.* 47. & apud *Peterffium* Concil. Hung. *par.* 2. *pag.* 282. quorum Fundatores, & Anni fundationis incerti ſunt. Ut S. Petri in Promontario *Zlatb.* S. Salvatoris ad portum *Dravæ*, B. M. V. de *Turunye*, S. Eliſabethæ de *Monte*, S. Helenæ de *Sapatb.* His igitur illuſtribus Servorum Dei examinibus, doctiſſimorum, ſimul & Sanctiſſimorum virorum ſeminariis, pietate, & eruditione florentiſſimorum Ordinum Cœnobiis, velut Caſtrorum aciebus ordinatis, velut excubantium pro domo Dei militum ſtativis ſuffulti *Epiſcopi Zagrabienſes*, denſo pleni robore *fidem ſalvificam* ſua in Diœceſi firmabant, tutabantur, conſervabantque. Et quamvis inter acerbiſſimas integri ſæculi clades, vel maxime poſt inconſultum ad *Mobachinum* campum cum ingenti, & immani *Turcarum* potentia conflictum, pleraque è præenumeratis Capitulorum, Præpoſiturarum, Abbatiarum, Monaſteriorum domiciliis, non legibus excluſa, ſed metu irruentis *Turcæ* a trepidis fugientibus vacua relicta; diuturniorisque inteſtini per *Hungariam*, *Croatiam*, & *Slavoniam* inter Regum *Ferdinandi I.* & *Joannis de Zapolya* pro Corona pugnantium belli temporibus a viris ſæcularibus occupata, neque (paucis demptis) recuperata fuere. Et quamvis Mavortiorum horum temporum injuria collapſas & everſas Scholas Catholicas nullus reparabat, invaleſcentibus è contra hæreticis, ſuperiores eorum in novis paſſim Scholis, & Academiis conſtituendis nullis ſumptibus parcebant, qua de ratione dici vix poteſt, quantum non ſolum ſtatus Eccleſiaſticus, & Religioſus, verum etiam ſæcularis defectum Alumnorum paſſus ſit, & quantum *hæretica pravitas* res ſuas promoverit. Adoleſcentes namque, quibus ſumptus deerant, ad Scholas *hæreticorum* convolabant, vel ex eo, quod ipſis tum ex publico ærario, tum ex locupletiorum tributo abunde providebatur, & ſimul peſtifera ſcientia juventus, horum *Cyclopum* ſcholas frequentans, imbuebatur, ut miſeris Eccleſiaſticis, & Monachis nonniſi acerbum odium, & ex illo ſexcenta mala in caput eorum conſpirantia remanſerint. Hinc *hæreſis* non poterat furtim non ſubingredi Diœceſim, clamque quorundam etiam è majoribus civitatum Rectoribus animos expugnare: zeloſa attamen *Epiſcoporum Zagrabienſium* invigilantia, ac ſumma inclytorum ſtatuum, & Ordinum cura providebatur, ut hoc peſtiferum virus Regni finibus arceatur, neve inter plebem diffundatur, tempeſtive exſiccetur: taliterque *fides orthodoxa* per memoratam hanc Diœceſim in vigore ſuo intemerata perſeveravit.

Digitized by Google

IV. Ut autem eadem *fides ſalvifica* ſemper in dicta Diœceſi conſervari valeat, zelus *Epiſcoporum Zagrabienſium*, prouti & *Dominorum Canonicorum* ejusdem Eccleſiæ plura utiliſſima præſidia procuravit. Et primo quidem proprium *Clericorum Seminarium* in area capitulari partim ab Epiſcopo, partim ab ipſo Capitulo fundatum, ſucceſſu vero temporis ex contributione Cleri Diœceſani ad tenorem Decretorum tam *Concilii Tridentini*, quam *Synodalium* ejusdem Epiſcopatus auctum, in quo plurimi, de ſanguine etiam nobiliori à juventute non tantum in litteris humanioribus, usque ad Rhetoricam incluſive, verum etiam in moribus, & vel maxime in pietate, cantu chorali, ac cæremoniis Eccleſiaſticis, omni die ter Eccleſiam Cathedralem frequentantes, Horasque canonicas, cum Miſſæ Sacrificio decantantes, ab idoneis ad id delectis Eccleſiaſticis Magiſtris, & Inſtructoribus edocentur. Secundo: *Collegium Croaticum Viennenſe* a *Balthaſare Napulii* Canonico, & Præpoſito majore *Zagrabienſi* circa A. C. 1624. fundatum, in quo, ex paulo ante memorato *Zagrabienſi* ſeminario Philoſophiæ, & Theologiæ ſpeculativæ audiendæ cauſa 20. circiter Clerici ſubmiſſi, ſub directione unius è *Canonicis Zagrabienſibus*, cum inſigni virtutis, ac litterarum laude proficiunt. Tertio: *Collegium Illyricum Bononienſe* a *Paulo Zondii* pariter Præpoſito, & Canonico *Zagrabienſi* fundatum circa A.C. 1552. Huc etiam, tanquam ad Urbem *Matrem Scientiarum* jam a pluribus ſæculis intitulatam, tam ex *Seminario Zagrabienſi*, quam *Collegio Viennenſi* ſtudiorum Theologicorum gratia Clerici quandoque plures, quandoque pauciores, octo tamen de ordinario ſubmiſſi, ſub Rectoratu itidem *Canonici Zagrabienſis*, non ſine laudabili, & ingenti pietatis, ac doctrinæ fructu in Diœceſim ſuam revertuntur. Horum binorum pientiſſimorum *Præpoſitorum Zagrabienſium* munificentiam alii quoque *Domini Canonici* ejusdem Eccleſiæ æmulati, conſtitutos a Fundatoribus redditus ſuis quoque fortunis auxere, merito proinde omnes, & ſinguli hujus Eccleſiæ *Canonici* a *Benedicto XIII.* Pontifice Maximo habitu chorali *Prælatorum*, ac titulo *Reverendiſſimorum* honorati, a Regia vero Majeſtate Infulis *Præpoſiturarum*, ac *Abbatiarum* variarum decorati ſunt, atque ita hodiedum honorantur, & decorantur. Quarto *Collegium Romanum* S. Apollinaris a *Gregorio XIII.* fundatum, ubi etiam ex participatione *Coronæ* Regni *Hungariæ* cum *Clero Hungarico*, ac Summorum Pontificum annuentia, Diœceſis hæc ~~tres ad~~ minus Clericos ſuos in Theologicis ſcientiis erudiri curat. Non facile dixero, quantum celeberrimæ hæ fundationes inclytæ Patriæ *Croato-Slavonicæ* a virtute, & eruditione decus, & ornamentum conciliant: complures namque ex his virtutum, & ſcientiarum ornamentis imbuti prodiere Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Præpoſiti, Abbates, Archi-Diaconi, Canonici in Cathedrali *Zagrabienſi*, & Collegiata *Chasmenſi*, Vice-Archidiaconi, aliique Eccleſiaſtici variarum Eccleſiarum Officiales, innumeri autem zeloſiſſimi Animarum Curatores, per Parochias hujus ampliſſimæ Diœceſis dislocati, omnes *Orthodoxæ fidei* fortiſſimi aſſertores, & generoſiſſimi propugnatores. Et ne quis in propugnanda, conſervandaque *fide Catholica* vel ob ſenium Paſtorum, vel ob diuturniorem eorundem fors infirmitatem, aut ob aliam legitimam rationem in aliqua hujus Diœceſis Parochia ſuboriatur defectus, zelus *Epiſcoporum*, & *Capituli* partim ex quorundam Benefactorum legatis, partim ex contributione cleri *Synodaliter* injuncta erexit *Zagrabiæ* ad Eccleſiam B. V. Mariæ in area Capitulari *Xenodochium Sacerdotum deficientium:*

Digitized by Google

tium: quatenus hic impotentes Parochialia exercere munia ex proventibus ejusdem Xenodochii pro decentia ſtatus Eccleſiaſtici quoad omnia neceſſaria honeſte provideantur, atque interteneantur, ſub cura unius bene meritæ perſonæ Eccleſiaſticæ Parochiam ejusdem Eccleſiæ adminiſtrantis: His autem huc advenientibus novi, ac recentes Vineæ Chriſti operarii ſubſtituantur. Extat & *Laureti Collegium Illyricum*, ut *Horat. Turſell.* Hiſt. Lauret. *par. 5. cap. 3.* refert. Quod *Gregorius XIII.* Pont. Max. circa A. C. 1575. inſtituit pro triginta Adoleſcentibus litteris, bonisque moribus inſtituendis Patribus *Societatis Jeſu* in diſciplinam traditis: ita ut hi *Illyrici Alumni* diebus feſtivis in *Templo Lauretano* linteati Sacris ſolemnibus adeſſe, ac miniſtrare ſint obligati. Ad hoc Collegium nullum hucusque ex *Diœceſi Zagrabienſi* miſſum novi, forte ex eo, quod hic *Illyricum* contracte pro *Dalmatia* tantum, non autem late pro *Croatia*, & *Slavonia* intelligere videatur *Turſellinus.* Neque principis Orbis Urbis *Roma* Princeps *Nicolaus V.* nationis *Illyricæ* immemor extitit, dum huic *Hoſpitale Illyricum* ad *S. Hieronymum* contulit circa A. C. 1405. à qua propriis ſumptibus ad A. C. 1450. inſtauratum, ac Canonicatu, aliquotque ejusdem nationis Sacerdotibus, & Clericis proviſum, hodiedum viget, hoſpitalitatemque erga Peregrinos *Dalmatas*, *Croatas*, & *Slavones* Limina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli quocunque tempore, & vel maxime Sacro Anno Jubilæo inviſentes, ſicut charitative, ita æqua lance exercet. *Hoſpitale* iſtud Domini Status Inclyti *Ducatus Carniolia* pro ſua quoque natione, mota lite adverſus fati *Hoſpitalis* Rectorem Canonicum coram *S. Congr. Rotæ*, ad A. C. 1651. prætendebant: Sed hæc libellis pro, & contra datis lectis, trutinatis, atque rite examinatis, prætendentibus alto ſuo judicio negativam validiſſimis exrationibus dictavit, ſubſcripſitque deliberationem: concludens ſimul, ſolis duntaxat his tribus *Illyricis* nationibus, *Dalmaticæ* videlicet, *Croaticæ*, & *Slavonicæ* Hoſpitalitatem in memorato S. Hieronymi *Hoſpitali*, prouti & *Canonicatum* in dicta Eccleſia inſtitutum deberi. Quantum attinet jus nationis *Croaticæ*, & *Slavonicæ* reſpectu hujus Hoſpitalis *Romani* ad *S. Hieronymum*, illud tum ex ſupracitato *S. Congr. Rotæ* deciſione, tum ex §pho *Epiſtolæ* Patris noſtri Procuratoris Generalis *Franciſci Kovachich Romæ* reſidentis ad me hoc in merito ſcriptæ, evidentiſſimum eſſe informor. §phi porro *Epiſtolæ* tenor eſt ſequens: *De Eccleſia S. Hieronymi Canonicorum Illyricorum lego: Ipſam Nationi Illyricæ donatam eſſe à Nicolao V. & propriis Eleemoſynis 1450. reſtauratam. Deinceps autem denuo à fundamentis erectam eſſe à Sixto V. qui eam collegiatam pro ſola prædicta natione fecit. Eccleſia eſt ſat magnifica, & præſtantis Architecturæ (ſuffeciſſet dicere: eſſe fabricatam à Sixto V. cujus nullum opus absque ſingulari arte, & magnificentia) adjunctam habens decentem trium contignationum domum, totam, una cum Eccleſia inſulatam, ſeu plateis circumdatam. Canonicos ſex numerat, ſeptimum Archi-Presbyterum, qui Dalmatæ omnes, plerumque Raguſini. Par jus in Eccleſiam, & Beneficia (ipſis etiam fatentibus) eſt etiam Croatis, tenues tamen pro una perſona 40. Scutorum redditus. Nihilominus fructum inde capiunt etiam Croatæ peregrini, qui, uti reliqui Illyri, triduo ibi ſuſtentantur. Quoad ea, quæ cultum Divinum attinent, decentem ſemper in omnibus proviſionem adverti. In feſto s. Hieronymi partim ex devotione erga Sanctum, partim ut ampliorem eadem fidelia de præmiſſis informationem caperem, Miſſam ibi dixi, & peculiari quidem humanitate me Dominus Archi-Presbyter excepit, nihil tamen ad præexpoſita notitiæ addidit, niſi quod omnia litteralia documenta, locum hunc concernentia, Capitulo Spalatenſi ſervanda transmiſiſſet.*

Si quis Lectorum ſuper his magis informari deſideraret, accedat *Valvaſorium* Hiſt. Topogr. Carniol. *lib.* 15. *cap.* 33. Nos ad alia, nobis magis congrua, & utilia calamum acuimus.

V. Quam cladem, quosve lapſus *fides Catholica* ob defectum Eccleſiaſticorum, & Religioſorum, prouti etiam Virorum Sæcularium eruditorum, temporibus bellorum tam *Turcicorum*, quam *Inteſtinorum* non ſolum in *Hungaria*, verum etiam in *Croatia*, & *Slavonia* ſuſtinere coacta ſit, brevibus *cap. præſ. num.* 3. *prope fin.* inſinuavi, *Stephanus Ternavinus* Ord. noſtri S. Pauli primi Eremitæ Prior Generalis ad ſuccurrendum tam Sacris Religionibus maximæ ſuæ, quam Statui Eccleſiaſtico, ac Sæculari, Scholas humaniorum litterarum in Conventu Reſidentiæ ſuæ *Lepoglavenſi* ad A. C. 1582. aperuit, eisdemque Rectorem *P. Martinum Dombrinum* præfecit. Fama hujus rei vulgata, mox Regnicolæ nobiliores, ſignanter viciniores, filios ſuos ad ſtudia turmatim exmittebant: qua occaſione plura, nobiliora etiam, ſubjecta, divina cooperante gratia nomina ſua tum ſacris Religionibus, tum Statui Eccleſiaſtico inſcribebant, ſicque ſuccreſcentia, atque indies multiplicata ruinas ſuas *Eccleſia Catholica* ſupplebat: ſed & *Status Secularis* cultiora ingenia adeptus, negotia Regni tum domi, tum foris felicius peragebat. Studia hæc felici eventu inchoata, poſt *Ternavinum* etiam reſidui PP. ejusdem Ord. Generales *Simon Bratulich*, *Joan. Zaicz*, *Rudolphus Biel*, & *Martinus Grutkovich* confirmavere, imponentes loci ſuperioribus, ut Scholarum diligentem curam haberent, ſemel cœptas ſtrenue proſequerentur, & zelum ſanctum eo ſtudio, quo anteceſſores promoverent. Fecerunt id illi, & apertas Scholas benigniorem vultum Deus ter Opt. Max. depulſa magna ex parte *hæreſeos labe*, repreſſaque hoſtium ferocia obverteret. Poſtquam autem medio tempore *Inclyta Religio ſocietatis Jeſu* in Regnum *Croato-Slavonicum* inducta Scholas ſuas *Zagrabiæ* (ut infra uberius declarabitur) aperuiſſet, easque non ſine ingenti fructu proſecuta fuiſſet, *Pr. Martinus Borkovich* eo tum Vicarius Generalis ſupramemorati Ordinis, & loci ſuperior, habito maturo Patrum conſilio Juvenes Sæculares è Scholis Lepoglavenſibus amandavit ad A. C. 1643. Ita *Acta ſati Ord. tum MS. tum impreſſa.*

VI. Quia vero Regnorum *Croatiæ*, & *Slavoniæ* incolarum indolis, & ingenium ad quascunque ſcientias addiſcendas acutiſſimum, ac perſpicaciſſimum ex modicis *Lepoglavenſium* Scholarum initiis animadverſum fuiſſet, plurimorum autem, ſignanter quibus facultas exteras ſtudiorum cauſâ adeundi Regiones deerat, inter agriculturam, & illiberales artes, ob defectum *Liberalium Diſciplinarum*, ſilveſceret, atque ſordeſceret, latinique idiomatis rarus admodum uſus eſſet, atque peritia. Quibus malis removendis, utque Patriæ tota, pietate, ac litteris Nationes alias ſi non ſuperatura, æquatura certe, publicorum ſtudiorum ſolatium habere valeat, *Simon Bratulich* Epiſcopus *Zagrabienſis*, & Comes *Joannes Draskovich* Prorex *Illyrii* (ut *P. Eggerer.* Annal. Ord. S. Pauli pr. Er. *cap.* 49. & *P. Prus* in Mem. Beneficior. Collegio Zagr. præſtitor. *pag.* 17. & 21. ſcribunt) plus boni communis, quam proprii amantes, in publicis Inclytorum, & Statuum, & Ordinum Comitiis pro viribus laborabant, quatenus *Patres Societatis Jeſu* à Libera, Regiaque Civitate *Montis Græcenſis Zagrabienſis* ex urbe *Poſonienſi*, ſuaſu *Benedicti Blaskovich*, juris patrii peritiſſimi, atque Civitatis fatæ ſæpius ad Aulam, & Comitia Ablegati *Calviniſticæ* ſectæ (quod mirandum eſt) addictiſſimi, evocati in Regnum,

&

& præcipue *Zagrabiam*, utpote viri ad docendas ſcientias liberales, virtutusque Chriſtianas juventuti inſtillandas deſtinati, inducerentur. Quod dum deſideratum in finem deduxiſſent, A. C. 1607, ipſa ſacra Pentecoſtes die, invocata in æde Parochiali *S. Marci* Sanctiſſimi Spiritus gratia, inde vero deducta ad locum Scholarum proceſſione, habitaque pro initio Doctura per unum è *Patribus Societatis* Oratione Scholæ *Zagrobiæ* inchoatæ fuere in præſentia ſupranominatorum Illuſtriſſimorum Dominorum Epiſcopi, & Proregis, aliorumque Magnatum, & Nobilium, qui certatim promittebant ſe ſuam ſobolem propediem ad Scholas miſſuros, è quibus brevi centenis plures adfuere, quo viſo, tantus undique Auditorum concurſus fuit, ut primo ſemeſtri Gymnaſium ſupra 300. Alumnos numeraret. Ut autem Magiſtri Scholarum ſubſidia vitæ pro laboribus ſuis ſufficientia haberent, memoratus Epiſcopus *Simon Bratulich* Præpoſituram *Glogoncenſem*, bonaque eidem annexa *Kalecz*, & *Pluninam*, adnitente etiam *Mathia II.* Rege Hungariæ Religioni *Societatis Jeſu* imperpetuavit. Succeſſu vero temporis *Franciſcus Ergely* pariter Epiſcopus *Zagrabienſis*, cum P. Rectore Collegii egit, ut humaniorum Litterarum profeſſoribus, unus *Theologiæ Moralis* adderetur, in cujus ſubſidium 1000. contulit fl. cujus etiam deſiderio à P. Rectore ſatisfactum eſſe tradit *P. Prus pag.* 24. Anno deinde 1666. *Nicolaus Diancſevich*, Præpoſitus, & Canonicus *Zagrabienſis*, ad Dei gloriam, Fidei Catholicæ decus, Patriæ emolumentum, & juventutis ſtudioſæ commodum, pro *Philoſophiæ* Profeſſoribus 4000. fl. adjecit, atque taliter ex *Gymnaſio*, *Academiam* cum Diplomate *Leopoldi I.* Regis Hungariæ erexit, circa A. C. 1674. Præterea *Thomas Auguſtich* Canonicus *Zagrabienſis*, vir *Theologiæ Scholaſticæ* peritiſſimus, binos ejusdem Profeſſores in *Lycæo Zagrabienſi* de ſufficiente fundo proviſos ſtabilire decrevit, quod ut conſequeretur 3600. fl. moriens, ea lege deſtinavit, ut ab elocatis ad cenſum percepti redditus eousque ad novum deponerentur cenſum, quoad ſumma Capitalis proveniret, quæ fructibus ſuis annuis binis congrue Profeſſoribus provideret, quod cum factum fuiſſet, ad A. C. 1747. ſtudium quoque *Theologico-Speculativum* inchoatum eſt. Huic acceſſit etiam ſtudium *Juris Canonici*, quod *Catharina Bedekovich*, relicta vidua *Georgii Plemich*, apud eosdem Patres *Societates Jeſu* docendum inſtituit, deſtinando teſtamentaliter pro Subſidio Profeſſoris hujus, & aliorum, qui forte necdum ſufficienter proviſi exiſterent, 9000. fl. Quod & ab A. C. circiter 1724. inceſſanter docetur. Quorum porro Benefactorum gratiis, ac largitionibus auctum, ad ſplendorem ſuum, totiusque patriæ maximum decus, & ornamentum ſurrexerit *Collegium* iſthoc *Zagrabienſe*, non eſt inſtituti mei recenſere, cum id ſupracitatus *P. Joan. Prus S. J.* In memoria beneficiorum Collegio S. J. Zagrabienſi præſtitorum ſufficienter expreſſerit: Principaliorem Fundatorem recognoſcens *P. Ignatium* è Comitibus *de Thonhauſen*, qui priusquam per quatuor vota ſe arctius *Societati Jeſu* adſtringeret, *Collegium* idhoc omnium bonorum ſuorum tam mobilium, quam immobilium univerſalem hæredem conſtituit. Subticere tamen nequeo, quod univerſa hæc patria quemadmodum Introductoribus, ita & Benefactoribus *Societatis Jeſu*, uti & ipſimet huic *Sacræ Religioni* gratias vel maximas in accepta litteratura referre obligetur: Academiam namque hanc non ſolum in *Diœceſi Zagrabienſi* natos, ſed & in remotionibus Provinciis ortos, ſignanter è *Diœceſi Segnienſi*, ſcientiis primo *Humanioribus*, dein *Philoſophicis*, atque *Theologico-Moralibus* hucusque erudiiſſe: pro nunc vero

Digitized by Google

ctrina etiam *Theologico-Speculativa*, & cognitione *Juris Eccleſiaſtici* inſtruere, nemo eſt, qui negare poſſit.

VII. Acceſſerunt etiam in *Diœceſi Zagrabienſi* ac Regno *Croatiæ*, & *Slavoniæ* Sacræ huic *Societati Jeſu* Domicilia, eo fine à Fundatoribus erecta, ut *Fides Catholica* ſtabiliretur firmius, & juventus mox à teneris in virtute, ac litteris erudiretur celerius. Primum eſt *Collegium Varasdinenſe*, munificentia *Annæ Margarethæ* è Comitibus *de Thonhauſen* A. C. 1678, fundatum, liberaliter vero *Georgii Draskovich* Epiſcopi *Jaurinenſis* in 6000. fl. auctum: cui eadem Illuſtriſſima familia *Draskovichiana* pro juventutis in pietate, & litteris inſtitutione adjecit ſuis ſumptibus è fundamentis erectum *Gymnaſium* in ſex claſſes diſtributum, cum ſatis idoneo ad producendas Declamationes, ac Comœdias Theatro, eidemque adjuncto Auditorio. Aliud eſt *Collegium Poſeganum*, quod eundem in finem *Societati Jeſu* cum Abbatia ſua *S. Helenæ de Gotto*, vulgo *Kuttievo*, adnitente in id *Leopoldo I.* Rege Hungariæ addixit circa A. C. 1699. *Joannes Babich*, electus Epiſcopus *Scardonenſis*, Abbas S. Helenæ *de Gotto*, Cathedralis Eccleſiæ *Zagrabienſis* Lector, & Canonicus, ejusdemque Epiſcopi Vicarius Generalis. Bina item *Gymnaſia* publica concredita ſunt *Ordini S. Pauli primi Eremitæ*, unum quidem in *Diœceſi Zagrabienſi* pro manſuetiori litteratura, id eſt, ad *tertiam claſſem Grammatices* incluſive à Magiſtratu Civitatis *Criſienſis* erectum, ac à *Leopoldo I.* Rege Hungariæ ad A. C. 1675. confirmatum. Aliud in Epiſcopatu *Segnienſi* in ipſa urbe *Segna*, quod pro juventute patria humanioribus ſtudiis *Rhetoricam* usque incluſive excolenda Carolus VI. Imp. & Rex Hungariæ ſuis impenſis erexit, & pro intertentione Magiſtrorum 400. fl. ex *Datio Segnienſi* annis ſingulis pendendos ordinavit ad A. C. 1725. Sed neque *Triviales*, ut ajunt, Scholæ deſunt, in quibus juventus miſerior, quatenus legere, ſcribere, atque juxta leges *Arithmeticæ* numerare ſciat, eruditur: ut his imbuta ſe faciliori methodo arti alicui Mechanico-Manuali accommodare poſſit. Harum una eſt *Varasdini* à Magiſtratu ejusdem civitatis immemorabiles ante annos introducta. Altera vero *Zagrabiæ* recentiſſime ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino *Sigismundo* L. B. *à Siniſberg*, Præpoſito majore, & Canonico *Zagrabienſi*, viro, ſicut erga omnes affabiliſſimo, & erga miſeriores benigniſſimo, ita publici boni zelantiſſimo, attributo certo perpetuo annuo cenſu Inſtructori à Magiſtratu Civitatis *Zagrabienſis* pendendo, erecta. Ne vero & fœminino ſexui quoad ſcientias, eidem neceſſarias, aliquid deſit, Sancti Moniales *S. Urſulæ*, diſturbiorum *Rakoczianorum* tempore, circa A. C. 1704. *Poſonio* ſecuritatis cauſa *Varasdinum* appulſas, Comitiſſa *Magdalena Nadaſly*, relicta vidua Comitis *Joannis Draskovich* in ſuas primo ædes receptas, dein ad alias translocatas, longiori tempore ſumma charitate fovit, aluit, atque ut in Regno *Croatiæ* perſeverarent, perſuaſit circa A. C. 1709. Quibus ſucceſſu temporis de munificentia Regnicolarum, ſignanter autem piæ mem. Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi *Georgii Branyugh* Epiſcopi *Zagrabienſis*, dein prætitulati Domini ejusdem Eccleſiæ Præpoſiti majoris *Sigismundi* L. B. *à Siniſberg*, & *Gregorii Subarich* Archi-Diaconi Goricenſis, & Canonici *Zagrabienſis* Eccleſia honorifica SS. Tribus Regibus dicata, cum amplo Monaſterio erecta eſt, quæ, ut ſe propterea gratas Regnicolis exhiberent, ſcholas publicas puellares in idiomate tam *Slavonico*, quam *Germanico* docendas ſuſceperunt. Eſt & *Zagrabiæ* Monaſterium Virginum Deo dicatarum S. Claræ, cum Eccleſia in honorem SSS. Trinitatis conſecrata. Sanctimo-

moniales hæ *Clariſſæ*, quemadmodum & *Varadinenſes Urſulinæ*, *Poſonio* duodenis plures *Zagrabiam* (quo etiam Reges, perturbatis in *Hungaria* rebus, ſecuritatis cauſa confugere ſolebant) advenere, quas Comitiſſa *Euphroſyna Palffy*, L. B. *Georgii Ratkay* relicta vidua, tota pietatis operibus dedita, benigne ſuſcepit, atque de conſenſu ſuperiorum tam ſpiritualium, quam ſæcularium ſtabilivit circa A. C. 1663. Hæ choro, & ſtrictæ clauſuræ addictæ, vitæque contemplativæ plus, quam activæ vacantes ſoli Deo jugiter famulantur.

VIII. His adnectere liceat *Seminaria* quoque bina, in quibus certis, iisque perpetuis ex proventibus, à piis, & providis fundatoribus collatis, miſeriores Regni nobiles, quibus facultates pro frequentandis ſcholis deeſſent, pro gloria Dei, ac non exigua Patriæ utilitate intertenerentur, atque in pietate, & litteratura inſtruerentur. Unum horum eſt *Zagrabienſe* ab Illuſtriſſima Comitum familia *Frangepaniana* fundatum, atque *S. Joſepho* Nutrito *Chriſti* dicatum. Cui ſucceſſu temporis acceſſerunt aliorum quoque Benefactorum donationes, & legationes, ſignanter Magnifici *D. Joannis Zakmardy*, Regni hujus olim Protonotarii, dein Regni *Hungariæ* Perſonalis; Deinde Domini *Lucæ Szmolchich*, legum peritia, æqui, rectique ſtudio Advocati celeberrimi, *Zakmardio* comparatio: ac tandem P. D. *Catharinæ Bedekovich*, relictæ Viduæ *Georgii Plemich* Regni quoque Protonotarii. Aliud eſt *Varadinenſe*, fundatum ex aſſe à ſupra memorato Regni Protonotario *Joanne Zakmardio* pro pauperibus, egregiæ tamen indolis, & optimæ expectationis juvenibus, *Civitatis Criſienſis* filiis. E duobus his Seminariis complures virtutum, ac ſcientiarum ornamentis imbuti prodiere in Statu Eccleſiaſtico, Religioſo, Politico, ac Militari variis honoribus exornati. Denique ſive præinſerta, ſive alia expenderimus, in comperto erit, proviſionem eſſe ſatis congruam in *Diœceſi Zagrabienſi* & ex parte etiam *Segnienſi*, ſucceſſive *Syrmienſi* quoque, & *Boſnenſi* ſuffragaturam. De aliis *Diœceſibus*, ſignanter *Dalmatiæ*, quæ vel *Turcarum* jugo premuntur, vel *Venetorum* legibus gubernantur, nihil referre, utpote partes illas nunquam peragratus, ſcio. Ut *Fides orthodoxa* ſtabiliter, atque inviolate conſerventur, virtus quoque, & doctrina continuo incremento progrediantur, *Inſulæ* quoque *Muro-Dravanæ* à ſpirituali capite ſine defectu communicentur.

IX. A ſpirituali gubernio *Diœceſis Zagrabienſis* placet etiam brevem digreſſum facere ad Temporale, ſeu ſæculare, quantumvis hoc nullatenus ad Incolas *Inſulæ Muro-Dravanæ*, exceptis iis, qui Bona aliqua in *Croatia* poſſiderent, extendatur, prænotando: *Croatiam* pro nunc in diverſas diſtractam eſſe partes, conſequenter diverſis ſubjectam eſſe (quod ſumme dolendum) Dominationibus. Pars enim *Turcarum*, pars *Venetorum* reſpicit Dominium. Sed & tertia *Croatiæ* portio, quæ *Auſtriaco* jure hæreditario ſubjicitur imperio diſtinctis regitur legibus. Generalatus ſiquidem *Varadinenſis*, confinium *Criſienſe*, & *Ivanicenſe* complectens, & *Caroloſtadienſis* cum diſtrictu *Modruſienſi*, *Segnienſi*, *Corbavienſi*, & *Likenſi* à Conſilio Bellico tum *Græcenſi*, tum *Viennenſi* jura, & locorum Præfectos accipit: & quia priori *Styria*, alteri vero *Carinthia*, & *Carniolia* ſtipendia annua ex veteri conventione ſubminiſtrat, Camera harum Provinciarum magnum ſibi in dictos Generalatus jus vendicat. Ex quibus patet ingentem tertiæ portionis *Croatiæ* partem non à domeſticis, ſed extraneis regi, atque gubernari. Reliqua porro tertiæ *Croatiæ* portionis pars, *Proregis*, ſeu *Banalis* juriſdictioni

Digitized by Google

ni ſubjecta, habens de libera *Comitis Bani* è numero Nobilium ſelectione perpetuum *Vice-Banum* Nobilitati tempore pacis, & belli præſidentem, dividitur in Statum *Politicum* & *Militarem*. Statum *Politicum* conſtituunt quatuor Comitatus *Zagrabienſis*, *Criſienſis*, ac *Varasdinenſis*, cum *Zagorienſi* quibus ad A. C. 1747. de ſpeciali mandato *Mariæ Thereſiæ* Reginæ *Hungariæ* adjuncti ſunt *Poſeganus*, *Verœcenſis* cum *Valponenſi*, & *Syrmienſis* cum ſuis ſupremis Comitibus, Vice-Comitibus, Judicibus, & Vice-Judicibus: Quibus accedit Communitas Nobilium *Turopolienſium* cum ſuo Terreſtri Comite. Ad Statum *Militarem* pertinent Confinia, & Præſidia ad *Unnam*, & *Colapim* fluvios ſita, *Koſtanicenſe*, *Glinenſe*, *Zrinienſe*, *Jeſſenovicenſe*, *Dubicenſe*, & *Szrachicꝫenſe*. Uterque hic ſtatus non alium poſt *Regem*, quam *Proregem*, ſeu *Banum* à *Rege Hungariæ* conſtitutum, qui eſt unus de *Baronibus* (vi officii, & Dignitatis ſic vocatis) *Regni Hungariæ*, non modo ſupremam, armorum præfecturam gerens, ſed juſtitiam quoque ad normam Legum *Hungariæ* adminiſtrans, veneratur. His accedunt *Tribunalia* adminiſtrandæ juſtitiæ. Primo: *Tabula Banalis* ex duobus Magnatibus, uno è Clero, Regni Vice-Bano, & Protonotario, ac duobus aliis Nobilibus ordinatæ, cui ipſemet *Comes Banus*, vel ejusdem *Locumtenens*, ab ipſomet delectus, præſidet: à qua non alio, quam ad *Tabulam Septemviralem*, & *Regiam*, *Peſtinum* appellatio fieri conſuevit, cum ſpeciali *Regni Croatiæ* privilegio, ut dum & quando ex hoc *Cauſantes* comparuerint, nihil ad *vetuſtiores cauſas*, & *Proceſſus* reſpiciendo, *Proceſſus* & *cauſa* revideantur, diſcutianturque, atque pro merito eorum approbentur, vel reprobentur. *Secundo*: *Tabula Dicaſterialis*, Præſidentia ejusdem à *Regia Majeſtate* uni è Nobilitate, Aſſeſſoriatu autem uni è Clero, ac tribus aliis Nobilibus, cum Notario concredito: à qua appellatio de lege fit ad ſupramemoratam *Tabulam Banalem*, prouti & *Proceſſus* coram Vice-Comitibus, eorumque Judicibus celebrati, prius tamen in *Sedria Comitatenſi* reviſi. *Comitia* Regni hujus, quibus frequentius *Conferentia* publica, & privata præmitti ſolet, quandoque *Zagrabiæ*, quandoque *Varasdini* celebrantur. His præſidet *Prorex*, vel hoc abſente *Locumtenens* ejusdem: Quibus adſunt *Status*, & *Ordines* per *Publicatas* evocati. Ex *Sacro Ordine* quidem: Epiſcopi *Zagrabienſis*, *Boſnenſis*, & *Syrmienſis*, Præpoſitus *Zagrabienſis*, & *duo* ejusdem Eccleſiæ *Canonici*, Duo item Priores Ordinis S. Pauli pr. Eremitæ, Conventuum *Lepoglavenſis*, & *Remetenſis*, Duo Canonici *Chaſmenſes*, & duo Rectores S. J. Collegiorum *Zagrabienſis*, & *Varasdinenſis*. Ex Inclyto porrò *Statu ſæculari* Domini Magnates, ſub quibus comprehenduntur Supremi Comites, alii Comites, & Barones, Regni Vice-Banus, & Protonotarius, Vice-Comites cum Secretario conferentiarum, hique omnes aſſident Tabulæ Regni, & quidem hoc genuino præſcripto ordine, quem diverſa ſerie *P. Alexius Piariſta* Hiſtoriæ ſuæ Vet. & Nov. Illyrii *Tract. poſt. cap. 4. pag. 204. inſeruit.* His ad partem ſedes ſuas habentes accedunt reſidui Regni Officiales, Præfecti munitionum, ac alia Nobilitas cum Delegatis Civitatum *Zagrabienſis*, *Varasdinenſis*, utriusque *Criſienſis*, & *Caproncenſis*, nec non Oppido *Czirkveno*. Hi itaque, quoties de rebus gravioribus conſilium eſt capeſſendum, in unum convenientes negotia proponunt, trutinant, diſcutiunt, conſultant, ac tandem propoſita, trutinata, atque diſcuſſa unanimi voto, & conſenſu redigunt in Articulos, quos utilitati Eccleſiæ Dei, & publico Regni bono, Regiæque Majeſtatis ſervitio proficuos alto ſuo judicio exiſtimant. Articulos hos *Conſtitutiones municipales*

Digitized by Google

les nuncupant, quæ ut firmum retineant robur, neque in ullam de ſui validitate veniant quæſtionem, ſub decurſum *Diætæ Poſonienſis* An. 1715. ſtatutum eſt, ut hucusque conditæ, & in futurum condendæ ad *Regiam* deducantur *confirmationem*, quod & hucusque ab inclytis ſtatibus, & ordinibus laudabiliter præſtitum eſt.

X. Eſt igitur apud *Croatas*, & *Slavones* tam in Eccleſiaſticis, quam politicis, ac militaribus Dicaſteriis æſtimatiſſima ſapientia, & æquitas; floret undique pietas, veræque fidei ſtudium, ob quod neutiquam audet propululare hæreſis, mox vel modico indicio protrita. Pollent quoque Incolæ *Croatiæ*, & *ſlavoniæ* ut plurimum forti, magnoque animo, quo ſuum mille periculis caput objiciunt, & pro fortunis, liberis, patriæ incolumitate fortiter dimicant: integram fidem, & ſinceram pietatem Regibus ſuis exhibent: procul à fraude, ſinceram, & candidam mentem præſeferunt: bonarum artium, & litterarum cultu nullis ſecundi. Binæ Virgini Dei Genitrici Mariæ apprime devoti, quam ut Patronam, Advocatam, & Protectricem ſuam ſingulariſſima devotione venerantur. Sunt namque homines *Regni Croatiæ* & *Slavoniæ* tanto in Virginem hanc Sacratiſſimam pietatis affectu, tamque tenacis propoſiti, etiam agreſtes, eſto vires labore diurno attriverint, ut eam Sabbathinis diebus quavis hebdomada, multo magis in Feſtivitatum ejus pervigiliis, ſtricto jejunio, id eſt, nihil cocti in eſum admittendo, non colere piaculum exiſtiment, atteſtante *P. Andrea Eggerer* in Pharmacopæa Cœleſti *pag. 3.* Præterea hanc apud nationem Eccleſias publicas, easque plurimas, honori ejusdem Sanctiſſimæ Dei Parenti dicatas, vel in aliorum Sanctorum Templis Aras erectas innumeras, in quibus plurima Simulachra Beatiſſimæ Dei Matris miraculorum multitudine, & magnitudine coruſcant, cernere eſt, ut teſtimonium perhibet *Laurent. Chryſog.* in Mundo Mariano *Tom. 1. Diſſert. 6. num. 39.* ſic diſſerens: *certe in Croatiæ Regno, olim potentiſſimo, nunc vero nimium quantum Turcarum potentia acciſo, atque oppreſſo, plura viſuntur honori Virginis dedicata Templa.* Hinc non immerito ſupranominatus *Andr. Eggerer* in Anathemate Mariano A.C. 1673. edito, *Serm. 8. pag. 52. Croatiæ* Regnum *Catholicum, & vere Marianum Regnum* appellavit.

CAPUT LVII.

De Hæreſibus Regnum Hungariæ, Croatiæ, Slavoniæ, & Boſnæ, ac vel maxime Inſulam Muro-Dravanam ſubintrantibus.

I. NOn eſt mihi animus hic de vetuſtioribus, iisque multiplicibus hæreſibus, quæ ſicut alias *Chriſtiani* orbis, ita & ſupra *in Titulo* præmemoratas inficiebant partes diſſerere, cum plerumque vel penitus extinctæ ſint, vel mox ſub principium partibus ex his eliminatæ, Taceo etiam de *Ariana* hæreſi, ſiquidem mentionem hujus fecerim *cap. 55. num. 4.* Ad recentiora ergo tempora calamum admoveo, in quibus recentiores quoque hæreſes, nonnihil ab antiquioribus etiam errores ſuos deſumentes virus ſuum in prætitulatis partibus effundere nitebantur, ſignanter ab ævo *Ladislai IV.* qui A. C. 1278. in Regem *Hungariæ* inauguratus fuit. Erat is vir atrocis ingenii, & magni animi, belli potius,

Digitized by Google

quam otii cupidi: vir honeſtati parum intentus, propriæque libidinis moderator exiguus, conceptam de ſe ſpem turpi mulierum *Chumanarum* (à quibus *Chunus* cognominatus eſt) conſuetudine, remota ſine ratione & thoro conjugali *Eliſabetha* (ſeu ut aliis placet, *Iſabella*) *Caroli* Regis *Siciliæ* filia, cujus monitis ad frugem nonnunquam ſe cogi videbat, in odium venit totius Regni. Hinc ſciſſiones inter Regem, & Optimates non minimæ enatæ: ob vocantiam quoque per quinque annorum ſpatium Sedem Metropolitanam *Strigonienſem*, illegitimum quoque *Vesprimienſis* Eccleſiæ Præſulem, aliaque incompetentia *Eccleſiaſticorum*, ac *Sæcularium* acta: membra *Eccleſiaſtici Ordinis* elanguere, in vicem collidi, res ſacræ ſupprimi, omnia in pejus labi; ſed & *Status Sæcularis* cuinam ſe relinqueret ignorans adverſus leges plura tentare, ac novas turbas moliri cœperunt. Inter quæ mala via patuit, ut *Chumani*, *Neugeri*, *Tartari*, *Schiſmatici* errorum colluvies domo velut ſua in *Hungaria* hoſpitarentur, *Regnumque Apoſtolicum* tranſiret in *Seminarium vitiorum*. Eadem occaſione, circa A. C. 1280. in Ducatum etiam *Boſnenſem*, & *Machovienſem*, Comitatusque *Valponenſem*, ac *Poſeganum* irrepſerat Hæreſis *Manichæorum Græcia*, & *Thracia* pullulantium, ut & *Paterinorum*, ac *Cumanorum*, quorum Secta à *Mahomete* partim, partim vero *Orientalium hæreſum* ſuperſtitionibus conflata fuit. Sed has commonitione pientiſſimæ Matronæ *Eliſabethæ* Reginæ Hungariæ Matris *Ladislai* Regis, non tam cum filio, quam cum ejusdem delictis minus contentæ (quæ eo tum Ducatibus, & Comitatibus præinſertis ut Duciſſa præerat) Synodi authoritatem, (quantum ex *Epiſt.* nominatæ Reginæ apud *P. Peterffium* Conc. Hung. *par.* 2. *pag.* 102. colligi poteſt) *Philippi* Epiſcopi *Firmiani*, à ſaniore Procerum *Hungariæ* parte, pro Legato Apoſtolicæ ſedis per *Hungariam* expetiti, tuentis, *Andreas* Epiſcopus *Boſnenſis* ex Ordine Prædicatorum, & B. *Auguſtinus Gazottus*, ejusdem Sacri Ordinis, eo tempore Conventus *Buritbenſis* in *Boſnia* Prior, verbo, & exemplo Apoſtolicam navantes operam, circa A. C. 1285. ſupplantarunt. *Andream* ſupracitato Anno fuiſſe Epiſcopum *Boſnenſem* tradit *Sigism. Ferrer.* Hiſt. Ord. Præd. Prov. Hung. *par.* 3. *lib.* 1. & *P. Szentiv.* Diſſert. Paralip. *Cat.* 25. *Auguſtinum Gazottum* autem eodem *Manichæorum* hæræſis *Boſniam* ſubintrantis tempore, ſtrenuum ibidem *Fidei Catholicæ* propugnatorem extitiſſe, & ſimul Superiorem in Conventu ſui Ordinis ibidem egiſſe, refert *Joan. Tomcus Ep. Boſnen.* in vita ejusd. apud *Sigism. Ferrer.*

II. Poſt obitum *Andreæ* Epiſcopi *Boſnenſis*, & *Auguſtini Gazotti* à Superioritate ſua in Italiam evocati abitum, repullulaſcere cœperat in *Boſnia* Secta *Patarinorum*, ſerpensque ſenſim late per Regnum, vicinasque *Inferioris Slavoniæ* partes propagari. Cujus Aſſeclæ tamen opera iterum Epiſcopi *Boſnenſis* reducti ſunt rurſus ad *fidem Catholicam*, ſub *Ludovico I.* Rege *Hungariæ*, qui huic ab A. C. 1342. usque ad 1382. imperitavit. Cujus nominis is Epiſcopus fuerit? reperire haud potui. *Szentivan.* Diſſert. Paralip. *Cat.* 76. *num.* 52. nominat *Patarinum*, hunc tamen inter Epiſcopos *Boſnenſes Cat.* 25. non recenſet, imo ab A. C. 1315. usque ad 1391. conſequenter per annos 84. ſeriem, & ſucceſſionem Epiſcoporum interruptam refert, ego vili meo judicio cenſerem notari neglectam: ſit itaque fides pares authorem. Demum ad A. C. 1323. ſupranominata *Patarinorum* hæreſis in eodem Regno *Boſnæ* radices fixerat altas, quas ut evelleret Princeps *Stephanus*, affinis *Caroli* Regis *Hungariæ*, non ſemel eum admonuit *Joannes XXII.* Papa, ſcri-

ſcriptis Epiſtolis, adhortans, ut ſerio abigendæ, & à *Boſna* profligandæ hæreſi incumberet: *Carolum* præterea *Hungariæ* Regem, cui Clientelæ jure obnoxius erat Princeps, ut cum ad id peragendum impelleret, adhortatus eſt. Similibus litteris eundem *Stephanum* urſit *Benedictus XII.* ad A.C. 1340, ſed & Patres aliquot Ordinis *S. Franciſci Seraphici* eo miſit *Clemens VIII.* circa A.C. 1347, qui hæreticos concionibus confutarent, & ad verum Dei cultum perducerent, quos non modicos egiſſe progreſſus plures teſtantur Scriptores. Demortuo Catholico ritu *Stephano*, ſucceſſit in principatu *Boſnenſi* ejus è fratre nepos *Stephanus Tvartkus*, qui & Regiam dignitatem (ut *cap.43. num.19.* inſinuatum eſt) obtinuit, quo decedente, poſtquam 44. annorum ſpatio de Regno *Stephanus Dabiſcia*, *Tvartkus Scurus*, Oſztoja *Chriſtichius*, & *Stephanus Oſztoichius*, omnes *Neſtoriana* hæreſi infecti, inter ſe varie armorum fortuna coliſiſſent, jamque unus una in parte, alter in altera regnaſſet, nullusque eorum ſolium ſuum ſtabiliviſſet, verum, priusquam corona Regia, à *Ludovico* Rege *Hungariæ* Principatui *Boſnenſi* conceſſa redimiti fuiſſent, vitam amiſiſſent, *Stephanus Thomaſius* à Proceribus Rex acclamatus eſt, *Raſciæ* ſimul Dominatu potitus. Cumque *Manichæorum* Sectæ addictus extitiſſet, neque ex eo adhuc baptizatus, ſuaſu, & conſilio Epiſcopi *Nonenſis*, abjurata hæreſi ſacris undis ſe ablui fecit, ſed & *Manichæos* extirpare cupiens, omnes niſi *Baptiſmum Chriſti* ſuſciperent, è Regno, ſubſtantia relicta, migrare juſſit. Hinc duo circiter millia baptizati ſunt circa A. C. 1459. Cui propterea Eugenius Papa, Coronæ Regiæ à *Ludovico* Rege *Hungariæ* conceſſæ confirmationem obtulit, Pontificalesque Eccleſias in *Boſna* erigere voluit. Renuit ille, ne *Turcarum* (quibus 25000. aureorum tributum quotannis pendere obligabatur, ex eo, quod *Amurathes II.* cum valido exercitu in *Boſnam* irrumpens, hac pacta conditione receſſiſſet) in ſe odium concitaret: cum præterea novus *Chriſtianus* eſſet, neque *Manichæos* adhuc ex integro Regno expuliſſet. Illi autem, quæ à *Chriſtianis* Principibus adverſus *Turcas* inita fuerat Confœderatio, à *Caliſto II.* Papa per litteras ſollicitatus *Stephanus* adjungere ſe velle finxit, & miſſis ad *Pium II.* Succeſſorem *Caliſti* Legatis pro Regii Tituli, & Coronæ confirmatione acturis, nec non pro auxiliis contra *Turcas*, ac Epiſcopis pro Regno *Boſnæ* impetrandis, ipſe interim in alterum mutatus virum, *Turcarum*, dimiſſo à ſe filio *Stephano*, partes amplexus eſt, quondam cum *Mahomete II.* fraternitatem contrahendo. Reduces *Roma* Legati, dum *Stephano* Pontificis reſpectu juſtorum poſtulatorum annuentiam expoſuiſſent, & ſimul Coronam citra Regis *Hungariæ* conſenſum, cujus Rex *Boſnæ* Feudatarius, *Turcæque* Tributarius eſſet, renuentiam retuliſſent, *Stephanus* peſſimus effectus, hæreſimque *Manichæorum*, ſuaſu quorundam Procerum, reaſſumpſiſſe, fœdusque perpetuum cum *Turcis* iniiſſe refertur. Quo cognito, ira ſuccenſus *Hungariæ* Rex *Mathias*, filium *Stephani*, itidem *Stephanum* ex illegitimo cum *Vojaccia* concubitu natum, fratremque ejus *Radivojum* ſpecie Religionis in Patrem concitavit, à quibus in lecto ſtrangulatus eſt, ſparſo in vulgus rumore, Regem morbo familiari mortuum eſſe. Tres Principes *hæreſeos* ſuaſores, & ſimul *hæreticos* in aula Regis *Stephani* potentes, Epiſcopus *Nonenſis* vinctos ad *Pium II.* Pontificem *Romam* deduxit, quos Papa per Monaſteria relegatos edoceri *Chriſtianum* dogma ordinavit. Hos *Fr. Joannes Turecremata* Cardinalis *S. Sixti* ex Ordine *Prædicatorum* ad ſe vocatos inſtruxit, perſuaſitque tandem, abjuratis erroribus *Eccleſiæ*

Digitized by Google

Romanæ, quæ nec falleret, nec falleretur, documenta ſuſcipere. Reconcilliatos Papa ad *Stephanum* (quem *Vojaccium*, quia ex Concubina *Vojaccia* natum, compellare placet) qui medio tempore in Regni gubernium Parenti ſucceſſerat, remiſit; duo in fide permanſere, tertius, more canis ad vomitum rediens, ex itinere dilapſus, atque ab honorario *Stephani Vojaccii* puero fraudis circa mortem Regis *Stephani Thomaſii* inſtitutæ edoctus, eam Reginæ *Catharinæ* viduæ detexit. Hæc mulibri faſtu quamvis *Catholica*, vindictæ magis, quàm boni publici cupida, *Mahometem* in *Boſnam* evocavit, qui condignum de paricidis ſupplicium exigeret. *Stephanus Vojaccius* interea *Nicolai* Epiſcopi *Modruſienſis*, ac Pontificii Legati ſuaſionibus cum *Mahomete* fœdus rupit, negato conſueto tributo. At *Mahometes* hac captata invadendi Regni occaſione, cum 100, & 50. millibus equitum, magnaque vi peditum *Boſnam* ingreſſus, ipſum Regem doloſe ex *Jajcenſi* fortalitio, quo ſe cum theſauris receperat, evocatum, ac Mahometana, ut quidam *Hiſtorici* notant, ſuperſtitione affectum ſuamet *barbarus* manu interfecit, atque excoriari curavit. Hæc ſunt præmia hæreſeos fautorum, & patronorum, ut & Regna cum vita amittant, Regnicolasque vel exulare, vel jugum Tyrannicum tolerare faciant. Ita *Bombardius* Topogr. Regni Hung. *pag.* 226. Et *P. Alexius Piariſta pag.* 120. *& ſeq.* quibus tanto major fides adhibenda videtur, quanto plures ſuæ relationis fide digniores Scriptores producunt.

III. In vicinum quoque ſicut ampliſſimum, ita nobiliſſimum *Hungariæ* Regnum; *Slavonicis* etiam, & *Croaticis* incolis refertiſſimum, plures nefandæ hæreſes ſenſim, & ſenſim irrepſerunt, ut videre eſt apud *Szentiv.* Diſſert. Paralip. *Cat.* 76. *num.* 31. *& ſeq.* Et primo quidem circa A. C. 1327. *Fratricellorum*, ad quam extirpandam, quamvis juſſu *Joannis XXII.* Pont. mox omnis cura ſuſcepta fuiſſet, nullatenus tamen ſtirpitus eliminari quivit; quin imo *Nicolaitarum* quoque medio tempore invaleſcens, copioſos utraque ex *Hungaris* aſſeclas adepta eſt. Has tamen *Sigismundus* Rex *Hungariæ*, ne latius ſerperent, zeloſè repreſſit. Sub eodem Imperatore & Rege, *Huſſitarum* in Regno *Bohemiæ* orta, in *Hungariam* etiam ſe inſinuavit, ſed ad A. C. 1480. quo in idem *Apoſtolicum Regnum* cum non exigua virorum, & mulierum copia radices figere nitens ingreſſa fuerat, a *Mathia I.* Rege ejusdem Regni extra *Budæ* vicos vivi una cum liberis, & uxoribus ſepeliri juſſi ſunt; vel ex eo capite, quod contrariam doctrinam *Fidei* illi, quam *Hungari* ſub *S. Stephano* ſuſceperunt, prædicarent. Et ne repullulare valeant, ejusdem Regis juſſu Decretum A. C. 1462. emanavit, quo *notam Infidelitatis* incurrerent, publicæ, & damnatæ hæreſi adhærentes, quod ſub *Uladislao* Rege ad A. C. 1495. renovatum extitit. Poſt cladem *Mohachianam* toti *Hungariæ*, adjunctisque regionibus pernicioſiſſimam, in qua univerſi ferè Epiſcopi trucidati fuêre, vacantes Epiſcopatus, aliaque quamplurima Eccleſiaſtica Bona, prouti & Monaſteriorum variorum Ordinum Religioſorum, qui metu *Turcarum* fœde *Hungariam, Slavoniam, Croatiam*, atque *Dalmatiam* vaſtantium deſeruerunt, Domini ſæculares occupârunt. His ruptis repagulis, & conniventiâ, ac indulgentia *Petri Perenii* Regni *Hungariæ* Palatini, Bonis pariter Eccleſiaſtorum, & Religioſorum inhiantis, atque a *Fide Catholica* declinantis *Lutherani* ſe ingenti agmine in Regnum circa A. C. 1527. inſinuârunt, quos ſub ejusdem protectione ſubſecuti ſunt etiam *Calviniſtæ*. Et quamvis ſub diverſis Regibus, pluribus *Diætalibus Articulis* ſancitum fuiſſet; quatenus

San-

Sancta, & *Romano-Catholica fides* juxta veterum *SS. Patrum* doctrinam ubique in Regno, avulſis undique hæreticis, reſtitueretur, nihil attamen in effectum deductum eſt: imò præter *Lutheranos*, & *Calviniſtas*, qui in innumeram creverant multitudinem, etiam *Anabaptiſtæ*, *Zvingliani*, & *Trinitarii*: item *Arianiſmus* ab ipſo *Joanne de Zapolya* pro indubitata *ſalvifica fide* ſuſceptus, ingenti animarum damno ſubintrârunt, & non ſolum plebis ſimplicis, verum *Nobilitatis* etiam, ac *Magnatum* animos captivarunt.

IV. Hac occaſione *Georgius Zrinius* ſenior (cujus *cap. 52. num.* 9. memineram) Dominio *Inſulæ Muro-Dravana* potitus, ac *hæretico Lutherano* turbine agitatus, plerumque conſilio *Nicolai Malchoczii* ejuſdem perfidiæ hominis uſus, expulſis totius Dominii Parochiis Animarum *Catholicarum* Curatoribus, & genuini *Verbi divini* Præconibus, pluribuſque Eccleſiis dirutis, aut in prophanum uſum deſtinatis, *Prædicantios* ſubſtituit. Ut autem hæreſim ſuam, quam imo pectore hauſerat, ſolidiùs manutenere, *Catholicamque Religionem* radicitus extirpare valeat, Noſtros quoque Ord. S. Pauli pr. Er. Patres *Chaktornyenſes* ad *S. Helenam* variis, duriſque modis per 15. annos vexabat, jam *Jus promontoriale* avellendo, *decimas* vini, ac frumenti potentia mediante rapiendo, jam ipſum *cœnobium* violenter aggrediendo, *victualibus* deſtituendo, *Religioſaſque Perſonas* ex Sacro ſuo domicilio impio auſu exturbando: ut nempe rerum penuria, totque moleſtiis fracti *Patres*, deſerere *Monaſterium* compellerentur. Nihilominus tamen virtute ex alto roborati *Patres* noſtri, infracta conſtantia in medio *luporum* perſtiterunt, dumque per fores *Monaſterii* ad exulandum pellebantur, mox alio aditu *Clauſtrum* repetebant. Atque huc, velut ad *Aſylum* fideles animas, quas character *Beſtiæ infernalis* non contaminaverat, pro *Divinorum Sacramentorum* participatione confluebant. Hinc etiam ad ſupplendas *Exulum Paſtorum* vices frequenter excurrebant ſpecioſi pedes *Evangelizantium* ut ſacro *vero dogmatis* pabulo oves *paſcuæ Domini* reficerent, vacillantes ſolidarent, aberrantes revocarent. Teſtis horum omni exceptione major (præter domeſtica optima fide conſcripta monumenta) eſt *Zagrabienſis* Præſul, *Benedictus Vinkovich*, qui *Patres* noſtros ob *Catholicam fidem* in Dynaſtia *Muro-Dravana* conſervatam, ſæpius compellare aſſueverat: *Apoſtolos Inſulanos*, *Sal terræ*, *Columnas*, & *Propugnacula fidei*. Conventum quoque noſtrum *S. Helenæ Chaktornyenſem* (in quo unico refugium, ob expulſos alios Sacerdotes Catholicos, habere poterat, dum adhuc *Archi-Diaconum de Bexin* ageret) publice honoratiſſimo titulo nominabat *Caſtrum Dei*, & *Aciem ordinatam*. Eminuit autem præcipue, nullis furentium machinis labefactata *fidei*, *zelique* virtute *R. P. Simon* memorati Cœnobii *Prior*, qui tempore ejuſdem concitatæ ab hæreticis, ac ſignanter ſub A. C. 1580. promotæ in *Inſula Muro-Dravana* perſecutionis, præterquam quod furioſe Conventum expilarint, Patres ſubinde ejecerint, & injuriis graviſſimis vexaverint, ipſe *P. Prior* tanta ab impiis perpeſſus eſt, ut *Martyribus* accenſeri à *Geſtorum Notariis* meritus ſit. Nam eundem candidi agminis *Ducem* cruore ſuo purpurare, dum exciſis naturalibus impudentis ſupplicii genere afficere *Lutherana impietas* non erubuit. Atque ita non ſolum in *Hungaria*, verum & ad partes *Slavoniæ* & *Croatiæ* ſectam ſuam *Lutherani*, & *Calviniſtæ*, pluribus in ſuos errores *Magnatibus*, & *Nobilibus* traductis propagarunt, publicumque *Dogmatum* ſuorum exercitium in publicis Regni Comitiis prætendentes, non exiguas inter Regnicolas turbas excitarunt.

Digitized by Google

V. His malis *Rudolphus II.* Imperator, & *Hungariæ* Rex occurrere volens A. C. 1604. *Articulo Diætali* ſub *num.* 22. prohibuit: Ne deinceps in Generalibus Regni Tractatibus, & Diætis alicui *Religionis* negotium quovis prætextu movere liceat: ſimulque omnia *Decreta* in favorem *Catholicæ fidei* condita confirmavit. At incaſſum, poſtquam enim *Rudolphus* Fratri ſuo *Mathiæ* Coronam Hungariæ ad A. C. 1608. reſignaſſet, extorſerunt *Acatholici* (quorum pravis dogmatibus quam plurimi jam *Magnates*, ingens autem copia *Nobilium* adhæſerat) liberum ſuarum Sectarum exercitium: hac enim conditione, & neque ſecus in electionem, & coronationem *Mathiæ* conſenſere. Huic tamen conceſſioni *Franciſcus Forgach* de *Gymes*, Archi-Epiſcopus *Strigonenſis* cum toto *Statu Eccleſiaſtico* ſolemniſſime contradixit, ac ſubſcribere recuſavit. Ipſe etiam *Mathias* Rex, quam invitus id fecerit, ſæpius poſtea teſtatus eſt, cum diceret: *Nullam ſibi coronam eſſe graviorem, quam Hungariæ, eo quod reliquorum Regnorum corona ſolum caput ſibi premerent, corona vero Hungariæ ipſam quoque conſcientiam, ob conceſſam libertatem exercitii diſſidentium ſectarum.*

VI. Sed nec his contenti *Acatholici*, Eccleſias, via facti *Orthodoxis* eripuerant, earum ſibi pacificam poſſeſſionem, & conceſſi ſemel liberi ſuæ *Sectæ* exercitii confirmationem, in publicis Comitiis A. C. 1607. *Poſonii* celebratis, multis vociferationibus prætendebant. Et quod plus eſt, tentabat quoque hæc hæreſeos impia lues in Regna *Croatiæ*, *Slavoniæ*, & *Dalmatiæ* virus ſuum diffundere; unde ſub iiſdem Diætalibus Seſſionibus liberam ſuorum nefariorum dogmatum in memorata quoque Regna, magna cum contentione auſa eſt expetere introductionem. Verum impiis his conatibus fortiter reſtitere Regnorum dictorum *Ablegati*, & vel maxime eorum Prorex, ſeu Banus Comes *Thomas Erdödy*, qui ne multitudini inconditis clamoribus vociferanti ſuperandi ſe occaſionem præberet, publice evaginato gladio, his verbis ſuam ſententiam firmavit: *Hoc* (inquit) *ferro, ſi aliter fieri non poterit, peſtem iſtam à nobis eliminabimus; treſque nobis adſunt fluvii, Dravus, Savus, & Colapis, è quibus unum iſtis novis hoſpitibus ſorbendum dabimus.* Ad quæ verba attoniti *Heretici*, imprimis ſubmiſſim muſſitare, demum conticeſcere cœperunt. Non minus & *Joannis* Comitis *Draskovich* Regnorum eorundem Bani, ac *Simonis Bratulich* Epiſcopi *Zagrabienſis*, & ſimul Ord. S. Pauli pr. Er. Prioris Generalis hac in parte virtus, & *Orthodoxæ fidei* zelus enituit, dum in Regni Hungariæ Diætalibus comitiis circa A. C. 1610. *Poſonii* celebratis, uſitata conſuetudine inter *Orthodoxos* & *Heterodoxos* de introducenda in *Illyricum* libertate *Religionis*, ejusque perditi gregis (ut falſo vocant) *Paſtoribus* admittendis diſceptatio mota fuiſſet, invicti pectoris magnitudine palam proteſtati ſint: *Se malle cum univerſo Regno ab unione Hungaricæ coronæ ſeparari, quam mortiferam iſtam animarum peſtem, ac funeſtiſſimam Reipublicæ labem ſub Regimine ſuo admiſſam, aut conceſſam in ſuis Regiminibus videre.* Si quis de rerum harum eventu ſubdubitaret, adeat alios Scriptores, & quidem primo Domeſticum *Georg. Rattkajum* Mem. Regum. & Banor. Croat. & Slav. *lib.* 4. *pag.* 161. & 185. Deinde Exterum *Joan. Sarinium* Diſſert. Paralip. *Cap.* 76. *num.* 45. neque vera referre ex his concludet.

VII. Atque hinc eſt, quod inclyti *Status*, & *Ordines* Regnorum *Croatiæ*, *Slavoniæ*, & *Dalmatiæ* in Diæta *Poſonienſi* A. C. 1687. habita, ſuis medio ſuorum *Ablegatorum* humilibus poſtulatis effecerint: *Ut in illis nemo, præter Romano-Catholicos Bonorum Poſſeſſionis capax eſſe queat.* Quo *Articulo* firma-

matus magni nominis *Zagrabienſis* Præſul *Martinus Barkovich* ex Ord. S. Pauli pr. Er. ut à labe *hæreſeos* intaminatam ſervaret non ſolum Diœceſim ſuam, ſed & ipſum Regnum, ſollicite *pravorum dogmatum* Sectarios eliminandos curabat. Ex quibus, cum unus *Nobilitate* Illuſtris, & *Divitiis* affluens *Stephanus Jankovich* repertus fuiſſet *Lutheri* placitis addictus, *hæreſim* primo ab eo adhibitis pluribus modis, conatus eſt propulſare, ſed dum induratum cor ejus flectere non valeret, illum tandem, aſſentientibus Regni *Statibus*, & *Ordinibus*, & authoritate, qua inſtar *Primatis*, de ſpeciali *Leopoldi I.* Imp. & Regis *Hungariæ* gratia, pollebat, Patria depulit, Boniſque filio *Stephano Catholico* relictis, Regno exeſſe juſſit. Pari zelo, dum improbus quidam *Georgius Nagy* Bonorum *Inſulæ Murakõz Zriniano-Fiſcalium* Adminiſtrator, perfidam *Judæorum* gentem in *Chaktornyenſis* Dynaſtiæ plagas introducere, & ex præconcepta malitia juxta Paulini Ordinis Cœnobium *S. Helenæ* collocare meditaretur: obſtitit Religioſiſſimus Præſul: & recurſu ad Auguſtiſſimam Aulam *Viennenſem* facto, pro ſua reverentia exauditus impetratis ſeriis inhibitoriis molimen ſcelaratum repreſſit.

VIII. Gentem attamen *Thracicam*, quos *Raſcianos*, & *Valachos* vocamus, *Græcæ* fidei, & ritui, *Schiſmati* quoque, utinam non & *Arianæ* ſectæ inhærentem, ac perpetuo inconſtantem, cujus partem ad A. C. 1597. (ut *Ritterus* notat) *Sigiſmundus Herbonſteinius*, Limitum *Slavoniæ* Præfectus, dum *Inferioris Slavoniæ* urbes, oppida, vicos, pagos, atque mapalia depopularetur, magno numero ſedes illinc habentes, *Turticumque* jugum excutere cervicibus cupidos, cum familiis, & pecoribus, ac facultatibus ad propinquos ejuſdem *Slavoniæ* agros, *Turcarum* armis, & continuis excurſionibus deſolatos, pro confiniariis militibus tranſtulit. Hunc ſecutus *Georgius Lenkovitz*, Limitum *Croatiæ* Præfectus ad A. C. 1600. qui ejuſdem nationis virorum, & mulierum plures colonias *Korenicza* adductas pari ratione per univerſum diſtrictum *Caroloſtadienſem*, aduſque *Mare Adriaticum* diſlocavit, pro inquilinis tam Regnum, quam Diœceſis *Zagrabienſis* ſuſcepere, quamvis inviti. Succeſſu autem temporis natio eadem *Thracica* aſſignato ſibi pro habitatione diſtrictu non contenta, Præfectorum Confiniariorum *Germanorum* conniventia, ad ipſa viſcera Regni *Croato-Slavonici* penetrans incolatum pertinaciter capere non deſiſtebat, cum multiplicibus, iiſque graviſſimis inſolentiis, ac ipſorum Præfectorum, hanc protegentium in *Nobilitatem* injuriis, nec non famoſi illius *Thracum* Archimandritæ *Hladika* appellati, nova periculoſaque adverſus Regnum conjuratione. Is etenim corrogata a ſuis ingenti pecuniæ ſumma *Viennam* ad Imperatorem, & *Hungariæ* Regem *Ferdinandum III.* profectus, novas *Thracibus* leges, immunitates, privilegiaque *Regni*, ac *Nobilitatis* libertatibus, ac juribus penitus adverſantia jam obtinuiſſe vulgabatur: ſignanter, ut quidquid terrarum hactenus, vel deinceps poſſiderent, id illis, eorumque poſteris nulla terreſtri Domino penſione, nulla recognitione ſpectata liberum eſto: quidquid in corpore, aut rebus haberet *Valachus*, quidquid militaria, quidquid politica concerneret, aut judiciaria, id totum *Germanici* juris, & adminiſtrationis eſto: Denique, ut compendio naturam hujus populi exprimamus, ea eſt, quam *Ratkajus* in Mem. Regum, & Banor. *pag.* 207. notavit. Quique utut *croatizatus* reſpectivè, & ex diuturno ſoli incolatu *ſlavonizatus*, cum veritate tamen exoſus genuinæ *Croatorum*, & *Slavonum* genti vitium, jam tum à primo ſui in terram hanc ingreſſu deprædicatum, *Thracicam* ve-

 luti

huti proprietatem circumfert, clependi, rapiendi, nec non prædandi, latrocinandique proprietatem, vix etiam tormentorum graviſſimorum, ac frequendiſſimorum ſuſpendiorum metu attenuandam: Inclyti ſtatus, & Ordines Regnorum Croatiæ, & Slavoniæ non ſine ingenti disguſtu tolerare coguntur.

IX. Ut porro hos *Valachorum* populos, cum ex conceſſis, atque poſſeſſis ſedibus exturbari non poſſe cerneret piæ memoriæ *Martinus Borkovich*, Epiſcopus *Zagrabienſis* mitiores ad minus, ac aliquantisper cultiores redderet, id pro zelo ſuo, quo in *Romano-Catholicam fidem* ferebatur, egit, quod ad ipſos in *Eccleſiæ Sanctæ* gremium ſenſim reducendos perſpexerat expedire. Quapropter ex Fiſcalibus *Petro Zrinianis* Dominiis, Bonum *Pribichc*, in pertinentiis Caſtri *Ozal* ſituatum, à Cæſare, & Rege *Hungariæ Leopoldo I.* impetravit pro fundatione aliquot Clericorum *Græci ritus*, qui ſumptibus inde perceptis in Seminario eisdem *Zagrabiæ* circa A. C. 1675. erecto, *Litteris Latinis*, ſimulque *Romanis Dogmatibus* erudirentur, quatenus & ipſi deinceps congentiles ſuos *Lumine Salutari* imbuere valerent. Fundationi huic acceſſit quoque circa A.C. 1696. non modica Summa capitalis in eundem finem ab Eminentiſſimo, & Illuſtriſſimo S. R. E. Cardinali, & Archi-Epiſcopo *Strigonenſi*, Comite *Leopoldo à Kollonich* eo tum Epiſcopi *Neoſtadienſis* in *Auſtria* (cujus ſingulari pietate, ut *Szentiv.* Diſſert. Paralip. *Cat.* 76. *num.* 44. innuit, miſſis ex *Hungaria* ſpecialibus, & zeloſis ad id operariis circa A. C. 1688. 89. & 90. multa millia *Valachorum* in *Croatia* ad unionem *Fidei Romano-Catholicæ* reducta ſunt) collata, atque eo tum, ut placito prænominati Benefactoris ſatisfiat, Seminarium, ſeu Domus Clericorum *Græci ritus* titulo *S. Hieronymi* ornata extitit. Nec fructu caruit inſigne hoc *Borkovichiani*, & *Kollonichiani* in fidem propagandam ſtudii opus; nam inde hactenus jam multi prodiverant, qui olim *Schiſmatici*, ſtrenui dein *Catholicæ fidei* profeſſores, Epiſcopi *Swidnicenſes*, alias Abbates *de Marcha* (olim Eccleſia cum Monaſterio Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, quibus per *Turcas* expulſis Epiſcopo *Zagrabienſi* obvenit, ab hoc vero Epiſcopo, & Religioſis *Græci ritus* Baſilitis *Eccleſiæ-Catholicæ* unitis ceſſa) & Epiſcopi *Zagrabienſis* in *ritu Græco* ſuffraganei: ſignanter *Paulus Zorchich* Collegii quoque *Illyrico-Bononienſis*, alias Capituli *Zagrabienſis* ad A.C. 1671. (ut *Georgius Passachichius* in Libello *Gloria Collegii Illyrico-Bononienſis* intitulato *pag.* 152. refert) Alumnus, non modicum, verum ſingulare populi tam Eccleſiaſtici, quam Regularis, & Sæcularis *Græco ritui* addicti, ornamentum: quo cum, aliisque ſuis in Epiſcopatu *Swidnicenſi* Succeſſoribus ingens etiam de populo *Eccleſiæ Catholicæ* numerus in laudato Seminario Sacris Scientiis excultos. Potior tamen pars ejusdem gentis cum *Baſilitarum* Cœnobio *Lepavienſi* erroribus *Schismaticis* intenta, neque bono oculo plures de hoc unioni *Eccleſiæ Catholicæ* adhærentes intuita, conſpiratione facta circa A. C. 1732. ejecto è Monaſterio Epiſcopo *Joanne Paſſich*, ac Religioſis unitis, direptisque rebus in eodem repertis, illud totaliter incineravit. Et eſto principaliores hujus factionis pro crimine tanto capitis etiam obtruncatione, reſidui autem mulcta pecuniaris puniti fuiſſent, locus tamen ſacer, neque Epiſcopo *Ritus Græci*, neque *Zagrabienſi*, quamvis omni ſollicitudine, humilique ſupplicatione, ac jurium ſuorum demonſtratione per piæ memoriæ *Zagrabienſem* Epiſcoqum *Georgium Branyugh* in Aula quoque Regia repetebatur, reſtitutus eſt. Epiſcopus porro *Græcus* ad Epiſcopum *Zagrabienſem* confugiens, ab eodem benigne exceptus, ac charitati-

ve

Digitized by Google

ve multo tempore ad menſam habitus, tandem ſe ad Seminarium ſupraſatum recepit ex Bonis ejusdem vitæ ſuſtentationem percipiens. Quia vero & ipſe plus in Bonis, quam Seminario reſidens nimis lautam, ſcandaloſam quoque, & dignitati Epiſcopali indignam cum diſpendio Seminarii ducere cœpiſſet vitam, neque commonitus reſipuiſſet, ab Epiſcopo *Zagrabienſi* in *Curia Romana*, & *Aula Regia* delatus, atque ab eodem ex commiſſione earundem proceſſatus, ſententiatusque ad quoddam Monaſterium *Græcorum unitorum* in *Poloniam* ut exul relegatus eſt, atque taliter *Epiſcopatus* quoque *Græcus* in Diœceſi *Zagrabienſi* ſub cineribus ſepultus jacet, fors adhuc aliquando, ut ſperamus, lumen daturus. In Seminario attamen hodiedum aliquot juvenes ſæpefatæ gentis, cura, & induſtria Epiſcopi *Zagrabienſis* intertenentur, & erudiuntur, ut denuo Epiſcopatus cum Monaſterio, quod ſuperi tribuant! reſuſcitari valeat. Gens nihilominus iſta tam *unioni Catholicæ* devota, quam *ſchiſmati* innixa cultior, civiliorque effecta à frequentioribus furtis, & prædis deſtitit, vel maxime poſtquam de mandato piæ memoriæ *Caroli VI.* Imperatoris, & *Hungariæ* Regis, induſtria ſingulari *Joſephi Friderici* Ducis *Saxoniæ*, & *Hilperhuſiæ* in A. C. 1737. ad ſtrictiſſimum militarem ordinem reducta, Præfectisque eorum punitio pro malefactis pecuniaria inhibita, ſimulque corporalis, imo & mortis in cauſis criminalibus, demantata ſub amiſſione officii, & honoris fuiſſet.

X. Hæc declarando longius digreſſi, tempus eſt, ut ad *Inſulam Muro-Dravanam* (cujus gratia, utpote Diœceſim *Zagrabienſem* reſpicientis, & nationem *Slavo-Croaticam* complectentis, præmiſſa referebamus) regreſſum faciamus: Atque ut in quo *Zrinio num. 4.* deſideramus, denuo diſſerendi materiam aſſumamus. Fuit is, ut diximus, *Georgius Senior*, qui quamvis & ab Amicis, & ab Eccleſiaſticis viris, quibus id incumbabat, & ab ipſo Imperatore, ac Rege Hungariæ, & oretenus, & per Epiſtolas de deſerenda ſecta, quam imbiberat, admonitus fuiſſet, laxa tamen durior in ea ad mortem usque perſeveravit, maluitque ut *hæreticus* mori, quam ſanis conſiliis in ultima etiam vitæ cum morte lucta, ut ſe *Catholicum* profiteretur, adhærere, cauſa non exigua (quis novit judicia Dei?) extinctionis tam celebris, vetuſtæque familiæ. Quemadmodum enim prudentiſſime obſervavit magnus ille Cardinalis *Petrus Pazmany*, ut *Szentiv.* Diſſert. Paralip. *Cat. 58.* refert, quod fere omnes illæ antiquiſſimæ, & ampliſſimæ familiæ, quæ Bona Eccleſiaſtica invaſerant, vel inique à ſuis anteceſſoribus aquiſita poſſederant, aut animo defecerint, aut plane diminutæ ſint. Ita & mihi liceat de iis familiis diſſerere, quæ abjurato *Catholiciſmo*, ſectam aliam quamcunque aſſumpſerunt, eique ut in ſuis Dominiis propagetur, faverunt. Exemplum (utinam nunquam fuiſſet!) habemus in inclyta familia *Zriniana*, quæ paulo poſt imbibitum à *Georgio Seniore* virus *Lutheranum* exitium ſibi nacta eſt, dum, ut ſupra *cap. 52. num. 9. ad fin.* in Comite *Adamo* & *Joanne*, & quidem poſt *Georgium seniorem* non naturali in omnibus morte extincta eſt. *Georgius junior* enim toxico ſublatus, ejus filius *Nicolaus* ab Apro dilaceratus, *Petrus* gladio percuſſus; Nepotes tandem *Adamus* filius *Nicolai* tormenti globo ictus; *Joannes* natus *Petri* incarceratus obiere. Idipſum contigit inclytæ olim, & potenti per Regnum *Croatiæ*, & *Slavoniæ* celebrique familiæ cognomento *Mallekoczii*, ex qua *Nicolaus* Senioris *Georgii Zrinii* conſiliarius, eademque *Lutheri* ſecta involutus, hæredibus ſuis nonniſi perpetuam amentiam, & ultimam pau-

Xxx per-

pertatem, ac tandem totius familiæ in quarta generatione cauſavit extinctionem. Quis non ſtupeat? quis non doleat, & illachrymetur? Sed dolorum ſatis, ad lætiora tranſeamus.


XI. Demortuo *Georgio* Seniore *Zrinio*, filius ejuſdem *Georgius* junior *Zrinius*, Apoſtolici zeli opera *R. P. Joan. Bakich*, Ordinis noſtri Monaſterii S. *Helenæ* ſupra *Chaktornyam* Prioris, ad rejiciendos *hæreticæ pravitatis* errores, & *Fidei Orthodoxæ* veritatem amplectendam ad A. C. 1623. converſus eſt, quam & in ſupramemorato Eccleſia noſtra die 13. Aprilis publica interpoſita profeſſione amplexus fuit: atque mox univerſam Dynaſtiam ſuam *Inſulanam* ad eandem ſecum conditionem vocabat, & ut hoc felicius eveniret, expulſis *Lutheranorum* errorum Magiſtris, datis ad Epiſcopum *Zagrabienſem* Epiſtolis Sacerdotes *Catholicos* ſubſtitui petiit. Pro interim autem, ut eo citius contagionis *hæreticæ* aura purificaretur, ipſemet Patres noſtros non minus 12. de conſenſu Superiorum ad diverſas Eccleſias, olim Parochiales, quamvis prophanatas, deſertas aliquas, aliquas ſemidirutas ablegavit. Agmen horum ductabant *RR. PP. Georgius Terſztenyak*, & *Joannes Mathaovich*, quemadmodum Duces, ita & Milites, ſtrenuique in vinea Domini operarii, prædicatione verbi Dei ita operabantur, ut intra paucum tempus populus ipſe Eccleſias prophanatas expurgare, dirutas reſtaurare, Miſſarum Sacrificiis, Verbique Dei prædicationi intereſſe, Sacris Eccleſiæ Sacramentis uti, aliaque *Chriſtiano-Catholicis* ſolita munia exercere cœperit, Paſtoresque animarum ſuarum à *Catholicis* Epiſcopis ſubmittendos recipere, iisdemque in Spiritualibus obtemperare appromiſerit. Quod & in plenarium effectum, advenientibus ſenſim ab Epiſcopo *Zagrabienſi* ſubmiſſis Animarum Curatoribus deductum fuit, vel maxime autem, poſtquam ad A. C. 1646. *R. P. Mathias Selegovich*, qua ſupradicti Conventus *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam* Subprior, ejuſdemque mox ſequenti anno meritiſſimus Prior, Comitis *Georgii* junioris *Zrinii* conſortem *Eliſabetham Zechy* ad *Fidei orthodoxæ* profeſſionem promoviſſet, atque adduxiſſet. Taliter itaque *Inſula Muro-Dravana* ad genuinam, veram, & *Salvificam fidem* perducta, eandem hodiedum inviolabiliter profitetur, tueturque ubique, unicum *Legradinum* oppidum ſi excipiamus; in quo ab eodem tempore, tamquam nido ſuo, ſubſiſtunt, pauci tamen pro nunc, ut recentiſſime mihi à viro fide digno relatum eſt. Faxint Superi! ut & hæ paucitas in nullitatem redigatur, *Fides* autem *Catholica* pro augmento gloriæ Dei, & Patriæ emolumento augmentetur.

CAPUT LVIII.

De principali Inſulæ Muro-Dravanæ Caſtro Chaktornyenſi, ejuſdemque Oppido, ac Vicinia Parochiæ memorati Oppidi ſubjecta.

I. Declaratis, quantum fieri potuit, ſingulis ad *Inſulam Muro-Dravanam* in genere ſpectantibus rebus, tempus eſt, ut ſpecifica etiam ejuſdem luſtremus. Inſpiciamus ergo primò ipſum principale ejuſdem Caſtrum, ſeu Arcem nomine *Chaktornya*, cum ſua Parochiali Eccleſia, vicinóque diſtrictu Parochiæ ſubjecto. Caſtrum hoc cum ſuo oppido una hora, & dimidia quaſi ab amne *Dravo*, duabus vero, & amplius à *Mu-*

Digitized by Google



ARX CHAKTORNYA, CUM OPPIDO EIUSDEM NOMINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Mura fluvio avulſum, in ipſa Regali Poſtaria via ſituatum, tempore *Romani Dominii*, ut *cap.* 50. *num.* 4. inſinuavi, *Aquama* nuncupabatur. Quale autem eo tum, & ex poſt etiam Caſtrum fuerit, quale oppidum, nullus refert *Hiſtoricorum*, nullus *Geographorum*. Quod tamen ædificium aliquod *Romanæ Præfecturæ* competens non ſolum pro ſecuritate, verum & pro deliciis extiterit, credibile eſt: ſicut etiam, quod ob perpetuas temporum viciſſitudines, quas plures declinante his in partibus *Romano Imperio* variorum populorum immigrationes, & continua bella cauſabant, in rudera verſum fuerit: ut teſtatur lapis in ruderibus repertus, cujus mentionem *cap.* 52. *num.* 2. feci. Si autem Traditioni vetuſtæ, & recentiori fides adhibeatur; fuit in eodem loco, in quo actu ipſum Caſtrum conſiſtit alta, & lata, an rotunda, vel quadrangularis? non traditur, cum aliquot contignationibus habitabilibus Turris, vallo, & aqua, perpetuisque vigiliis contra quoscunque hoſtes, armis quoque defenſivis, & offenſivis optime munita, ad quam ſe, & Præfecti, & populus temporibus inſultuum recipiebant, ſtrennueque defendebant. Traditionem hanc confirmare videntur plures ſimiles turres hodiedum in partibus *Hungariæ*, *Croatiæ*, *Slavoniæ*, *Dalmatiæ*, *Styriæ*, & *Carnioliæ* extantes, & ſignanter in *Croatia* ad *Brezoviczam*, & *Kuviſchinam*. Hæc de antiquitate Caſtri *Chaktornyenſis* ſufficiant, cum plura diligentiſſimo ſtudio inquiſita, reperire nequiverim.

II. Idipſum accidit etiam de mediorum ejusdem Caſtri annorum temporibus, usque ad A. C. 1266. circa quem *cap.* 52. *num.* 5. dixi *Demetrium* totius *Slavoniæ* Banum à *Bela IV.* Rege *Hungariæ* conſtitutum fuiſſe, ubi etiam memini eundem *Demetrium* familiæ *Chakianæ* Patrem extitiſſe, & *Inſulæ Muro-Dravanæ* Dominio *condeſcenſionali* gaviſum fuiſſe. Hunc itaque, ut *loc. cit.* retuli, ex *PP. Timonio*, *Rumanio*, & *Bombardio* Caſtrum *Chaktornyæ* condidiſſe plures exiſtimant. Ego in contrarium nihil habeo, cum & ex mea opinione deduci queat, memoratum *Demetrium* fuiſſe ejusdem Caſtri conditorem. Dico tamen, quod ſentio, ab Etymologia nominis. Primo: in *Hungarico* idiomate *Chak.* ſignificat *Tantum*: ly autem *Tornya* ſignificat *Turris*: igitur *Chaktornya*, idem eſt, ac dicere: *Tantum turris*. Et quia, ut *hic num.* 1. memini, vetuſtioribus temporibus, & forte etiam eo tum, dum *Demetrius* poſſeſſionem *Inſulæ Muro-Dravanæ* cepiſſet, in loco moderni Caſtri *Chaktornya* non erat, niſi tantum turris, eam loco vetuſti nominis *Aquama*, nominavit idiomate *Hungarico*, quia *Hungarus* erat, *Chaktornya*. Secundo: In *Slavonico* idiomate *Chako* ſignificat *Parens*, ly autem *Turen* ſignificat *Turris*: igitur *Chakov Turen* idem ſonat, ac *Parentis turris*. Cum autem *Demetrius* dicatur fuiſſe *Parens* familiæ *Chakianæ* vicum adjunctum vocari voluit *Slavonico* idiomate *Chakovez*, id eſt; *Parentis* vicus, nam *Véſz* Slavonice idem eſt, ac latine *vicus*, ſeu *pagus*, qui poſtmodum in oppidum mutatus eſt; per conſequens & Caſtro, & Oppido manſit nomenclatura in *Hungarico* idiomate *Chaktornya*, quæ etiam pro nunc in *Latino* ſermone uſurpatur, in *Slavonico* autem *Chakovecz*. Poſſibile etiam pro tertio: quod *Demetrius* ab his ipſis denominationibus ſibi ſuisque poſteris *Chaky* cognomen, impoſuerit, vel vero, ſi prius eo uſus fuit; tanto ſolidius illud pro ſe, ſuaque familia conſervari potuerit. An autem ipſam Turrim ædificiis ampliaverit? vel extra hanc aliquas domus extruxerit? vel ex ipſo vico oppidum inſtituerit? cum nullus Hiſtoricorum notaverit, neque ego ignorantiæ tenebris, ob Notatorum defectum, involutus, reſpondere queo;

ex qua ratione *Demetrium* Denominatorem potius, quam *Chaktornyæ* conditorem dicendum exiſtimarem.

III. Quemadmodum ignoramus, an poſt *Demetrium* Banum, Banorum aliquis ſive *Slavoniæ*, ſive *Croatiæ*, ut *cap. 50. num. 6.* memini, in *Inſula Muro-Dravana*, conſequenter in facto etiam Caſtro *Chaktornyenſi* reſederit? ita nobis non conſtat, an aliquid ædificiorum ſupra memoratæ turri adjecerit? prouti de ipſis proprietariis Dominis *Stephano de Lacak* Vajvoda *Tranſylvaniæ*, Comitibus *Celejæ*, & Comitibus *Ernuſtiis de Hampo*. Non ſolum autem ominari, ſed & credere fas eſt, quod hæc, ſicut celebres, ita potentes familiæ, ſimplici, atque pro inhabitatione minus idonea turri haud contentæ, ſenſim, & ſenſim partes aliquas ædificiorum non contemnendorum incolendas adjunxerint. Poſtquam autem *Nicolaus Zrinius* ad A. C. 1554. Dominio *Inſulano* potitus fuiſſet, is ad conſtruendam formalem Arcem pro competenti ſtatui ſuo, imo cuilibet Principi incolatu manus admovit, quam etiam in plura magnifica palatia, multaque cubicula diſtinctam, diruta vetuſta turri, à fundamentis erexit, multisque ornatiſſimis mobilibus locupletavit: aggeribus quoque ad normam ſolidi fortalitii, muro circumdatis, cinxit, validisque propugnaculis, ſignanter ad portam unicam, ad quam mediantibus binis ſubliciis pontibus pervenitur, inſtruxit, ſed & armamentario, omni genere armorum inſtructiſſimo, providit. Hinc *Franc. Graff. par. 1. cap. 1.* de Hungaria *quæſt. 6.* ſic loquitur: *Excellit Chaktornyum Arx, quam nec munitio, nec aqua, cuniculos arcentes, deſtituunt.* Et ne nomenclaturæ ſuæ indicem amitteret, idem *Zrinius* ſupra ſecundariam, ad ipſius Arcis introitum, portam, turrim elegantem erigi, laminaque tegi, horologiumque ſonans eidem imponi fecit. Hæc univerſa facta fuiſſe ad A. C. 1562. colliguntur ex Inſignibus familiæ *Zrinianæ*, quæ non ſolum ad internam, & externam portam, verum in quatuor mœniorum propugnaculis collocata, & mentionato anno notata fuerant. Quæ loci hujus tempore *Zrinianæ* familiæ firmitas, elegantia, & magnificentia fuerit? explicat *Jacobus Tollius* in Epiſtola ad amicum ſuum *Nicolaum Witzen* ſcripta, cujus fragmen ex Notis *Auſonii* refert *P. Bombardi* Topogr. Regni Hung. *par. 2. cap. unic. ſegm. 1. §. 12. num. 7.* ſequentis tenoris: *Erat id* (*Chaktornyenſe* Caſtrum) *valde ſplendidum, & amplum, egregieque contra Turcarum vim munitum, circumdatum ferme ex omni parte palude, quæ cuniculos arceret. Unum latus tantum, quod oppidum proſpectat, ſolido ſolo innititur, eo firmiori opere precinctum. Mirabamur in tanta circumjectarum nationum barbarie cultiſſimas ædes, lectiſſimam familiam, ditiſſimam ſupellectilem, & ſummum ubique nitorem. Suſpenſa erant in porticibus exuviæ Turcarum arcus, pharetræ, mallei, Clypei, reliquaque id genus arma: quorum tamen ſplendorem fulgor acinacum Damaſcenarum ſuperabant. Erant in iis, quorum capula auro, argentoque erant ornata: quorum vaginæ inſertis gemmis illuſtres oculorum aciem perſtringebant. Videre erat in atriis ſuſpenſa vexilla, quæ ex Turcis capta, multoque ſanguine fœdata, non incruentam, neque imbellem victoriam denotabant. Tertio, quartove, à quo veneramus die, deducti ſumus ad Bibliothecam, quam inſignem, & omni librorum copia refertam habebat, inde in Armamentarium. Accedit huic humanitati ampliſſimum Auctuarium* (hic *Græco* loquitur idiomate, quod interpretari poteſt: *Eleganti, neque contemnendæ quantitatis Cimeliorum armariolo* (*in quo præter alia haud ſpernenda numiſmatum antiquorum copia. Erat in iis Alexander Magnus ex auro, & ære, erant Othones argentei, Vitellius, Ovidius, Horatius, Peſcennius niger, multique alii* (*quorum nummi rariores*) *ex ære. Erant effigies Regum,*

cla-

Digitized by Google

clarorumque virorum minuta orbiculari forma, torno, ut ſuſpicor, elaborata. Monſtrabatur mihi præ cæteris effigies Martini Lutheri, & Uxoris Catharinæ, perquam elegantes. Inde digreſſi, in hortos Comitis perreximus, quorum nitorem, elegantiamque verbis exprimere non poſſum. Aſſequeris tu fortaſſe, dum veteres Alcinoi hortos tibi ob oculos propoſueris.

IV. Hæc facies Arcis *Chaktornyenſis* poſt fatalem Comitum *Nicolai*, & *Petri à Zrinio* caſum, eorundemque filiorum *Adami*, & *Joannis* occaſum, ablatis ex ea per Fiſcum Regium quibusvis mobilibus pretioſiſſimis, & pretioſioribus, incuria partim Cameralis Adminiſtrationis, partim factionis *Rakotzianæ* tumultuantium *Hungarorum* armis defœdata, munita tamen, ſtabilibusque aquis circumdata, exiguum quid veteris ſplendoris retinuit, usque dum tam hujus, quam totius *Inſulanæ Dynaſtiæ* Dominium non obtinuiſſet Excellentiſſimus D. *Michaël Joannes* Comes ab *Altheimb*, cum ſua Excellentiſſima D. Conthorali *Anna* nata Principiſſa *Pignatelli*. Qui poſtquam ad A. C. 1720. die 12. Februarii in Dominium legaliter ſtatuti fuiſſent, ad inſtaurationem univerſi Caſtri animum adjecerunt, quare mediantibus ſuis Officialibus, ſignanter ſupremo Bonorum Præfecto, dirutis majori ex parte ſupra infimam contignationem, quæ ſolidiſſima adhuc & firmiſſima, quodcunque ædificium ſuſtentare potens, reperta eſt, muris, novisque ſuper ædificatis, ad genuinam Archithectonicæ regulam, duabus adhuc contignationibus in quadrangulum longe, lateque productis, plurima certe pro officialibus habitacula, ſuis cameris, aliisque neceſſariis proviſa: ſed & pro Dominali incolatu, nec non hoſpitum Illuſtrium accommodatione Conclavia, & palatia, depoſitis undique *Zrinianis*, ſuæque *Altheimbianæ*, & *Pignatellianæ* familiarum appoſitis Inſigniis, extrui fecerunt: immenſæque pictarum rariſſimarum tabularum, periſtromatum, aliaque pretioſiſſima neceſſaria ſuppellectili tam ample, tamque ornate inſtruxerunt, ut cujuscunque non tantum Principis, ſed & Regis habitaculo dignum non immerito judicetur. Inter reliqua decora in ſupremo ambitu ex palatio majori, & ordinario Dominali, eductum eſt Dominale duntaxat Oratorium, ſicut pulcherima Ara, ita aliis ad Miſſam neceſſariis decentiſſimo apparatu proviſum, honori *S. Doctoris Hieronymi*, quemadmodum ab immemorabili tempore ob memoriam nati in *Inſula* ejusdem Sancti fuit, etiam nunc dicatum: in Ara hujus viſitur Imago ejusdem *S. Doctoris* in habitu eremitico, elegantiſſimo certe penicillo illuſtrata, nec tam facile ſimili, his in partibus reperibili. Eſt & aliud in infima contignatione mox ad portam majorem Oratorium ſat amplum, pro Officialibus, & familia Dominali ordinatum, ſimiliter univerſis rebus ad Sacrificium neceſſariis, iisque ſpecioſis, inſtructum, honori *S. Franciſci Xaverii* ſacratum. Non modicum etiam ipſam Arcem exornat magnificentia latiſſimorum graduum, quibus ad ſuperiores binos ambitus absque omni difficultate, & quaſi inſenſibiliter aſcenditur, ex ſecto lapide ordinatiſſime conſtructorum. Sed ne & hac occaſione Arx hæc ſuam vetuſtam amittat denominationem, Turris, demolita priori, quæ ſupra portam internæ arcis conſtiterat, aforis ſupra portam mœniorum, in ipſo propugnaculo ſatis alta, & formoſa erecta eſt, tectoque cupulato plumbeo proviſa, cui horologium impoſitum arcenſibus, & oppidanis menſuram temporis diurni, ac nocturni ſonando indicat. Hæc eſt internæ arcis *Chaktornyenſis* moderna facies, externæ porro, ſeu munimentorum, vel mœniorum antiqua adhuc perſe-


Digitized by Google

verat, ſuamque expectat reformationem. Cultura quoque hortorum Dominalem hoc in Caſtro ſuſpirat reſidentiam cum notabiliora mora frequentiorem, quæ ſi adeſſet, tota *Dynaſtia Inſulana* cum Nobilitate, & Plebe ſe feliciſſimam deprædicaret.

V. Ab Arce *Chaktornyenſi* divertamus modicè ad ejusdem Eccleſiam Parochialem *S. Michaëli Arch-Angelo* dicatam, cum reſiduis per *Inſulam* Parochialibus Eccleſiis (ne idem ſæpius repetam) Reverendiſſimo D. Archi-Diacono *Bexin*, pro nunc *Wolffgango Kukulyevich*, Canonico *Zagrabienſi*, & Abbati *S. Helenæ* de *Podborje* ſubjectam, à quodam de Comitibus *Celeja*, & probabiliter, ab *Hermano*, cujus *cap.* 52. *num.* 7. *ſub princip.* memini, vel fundatam, vel ædificatam, ut ex Inſignibus ejusdem familiæ lapidi inciſis, fornicique Eccleſiæ immuratis, colligere eſt. Hanc ab ipſâ Arce, & oppido ſemialterius quadrantis pedeſtri itinere diſtantem, atque in colliculo *Muram* amnem verſus ſituatam, dum ego ad A. C. 1741. curioſius luſtraſſem, deprehendi, quantum ædificium concernit, in Sanctuario eſſe formam vetuſtæ *Gothicæ* ſtructuræ, quod probabat, ipſum etiam Tabernaculum lapideum in eodem à latere Evangelii, in quo antiquitus Sanctiſſimum ſervabatur, eleganti *Gothica* ſculptura ornatum, baſique lapidea ſuſtentatum. Præterea olim ampliſſimam Eccleſiam, ſi proportio *Architectonica* conſideretur, fuiſſe, cum tribus, ut ajunt, navibus, fornice concameratis, tribusque ex utraque parte muratis columnis ſuſtentatis, quarum navium una adhuc ad partem dexteram intrantibus extabat, ſed non modicum decurtata, tempore probabiliter *Lutheranæ* ſectæ Inſulam pervadentis deſerta, ac ruinata: cui ſucceſſive poſt eliminatos *Lutheri* aſſeclas, uti & Sanctuario intacto adjunctum fuit corpus Eccleſiæ, ad A. C. 1625. ut ex ligno transverſali frontiſpitio Sanctuarii per modum ligaturæ immurato inciſum viſebatur, ſed improportionatiſſimum, & irregulariſſimum. Quod pati nolens ſicut honeſtus, ita eruditus animus *A. R. D. Joannis Dollar*, ejusdem Eccleſiæ in 12. annum Parochi, *Slavonii Criſienſis*, & Theologi *Græcenſis*, integrum vetus Eccleſiæ corpus dirui curavit, atque ad intactum antiquam Sanctuarium zeloſo, induſtrioque opere, novum, ſat amplum, ac luminoſum, cum duabus ad quamlibet partem elegantibus capellis, ac honeſto choro, juxta rectam *Architectonicæ* lineam, è fundamentis, ſumptibus partim ab Excellentiſſima Domina Comitiſſa Collatrice expetitis, partim à ſuis Parochianis corrogatis erigi, forniceque concamerari, addito etiam campanili, fecit, ad A. C. 1748. illudque, uti & Sanctuarium novis Aris, quibusdam à Tribubus opificum *Chaktornyenſium* erectis, adornavit. His non contentus egregiæ idolis Vir, ut ſibi quoque, ſuisque Succeſſoribus de commodiori, ac decentiori, quàm antea fuerat, provideat habitatione, Curiam quoque Parochialem, non ad declivitatem collis poſt Sanctuarium, ubi prius conſtiterat, verùm in planicie, quam platea pagi ab Eccleſia dividit, intra alias domos, ligneam quidem, ſed fortibus roboribus ſolidatam, amplam, & optime ordinatam A. C. 1649. extrui curavit. Ad Eccleſiam hanc habentur ſolemnes Nundinæ, in *Feſto Titulari* ejusdem, ſignanter autem traficatur eo tum cum Animalibus cornutis, ac Ciſtris lini, canabumque. Eccleſiæ filialis unicæ, honori *S. Rochi C.* circa A. C. 1681. quo per univerſam *Inſulam* peſtifera lues homines proſternebat, in ſuperiori campo *Muram* fluvium verſus, mediæ horæ ſpatio à Matrice Eccleſiæ ex voto erectæ, idem A. R. D. Parochus curam habet: & quia pro devotionibus, quæ ad hanc per annum publi-

cæ,

Digitized by Google



MONASTERIUM S. HELENÆ SUPRA CHAKTORNYAM,
Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.

Digitized by Google

cæ, ac ſolemnes in *Feſto Titulari*, ac *S. Fabiani M.* nec non *Feria 3tia* Paſchatis, ac Pentecoſtes, haberi aſſolent, valde exigua eſſet, neque populus tempore pluvioſo haberet locum, utpote nec unica domo ad viciniam exiſtente, quo ſe recipere quiret, laudatus A.R.D. Parochus, zelo ſuo plura jam, eaque non parva ad ampliandam quoque hanc Eccleſiolam fecit præparatoria. Populus porro, quem in ſpiritualibus idem A. R. D. Parochus providendum habet, diſperſus eſt per ſequentia loca. Primus eſt vicus ad Eccleſiam Parochialem à *S. Michaële* dictus *Mihovlyan*: alter eſt, & quidem principalis ipſum Oppidum *Chaktornyenſe*, ſupramemorato *Altheimbiano* Dominio totaliter ſubjectum, copioſis civilibus domibus repletum, quod quamvis ad A. C. 1723. die 13. Maji, & ad A. C. 1401. die 15. Maji fœdum in modum conflagraſſet, pulcherius tamen, extructis pluribus lateritiis domibus evaſit; maximo tamen eidem ornamento eſt Monaſterium, cum Eccleſia *S. Nicolao E. & C.* dicata Ordinis *S. Franciſci Seraphici* ſtrictioris obſervantiæ, huc à Comite *Nicolao Zrinio* ad A.C. 1659. introducti. Hoc in oppido præter Dominicalem forizationem, ternæ etiam annuæ habentur Nundinationes, ob cornuta animalia, quæ ad vendendum adducuntur, celebres: & quidem *Dominica Palmarum* primæ, ſecundæ in Feſto *SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli*, ac tandem tertiæ in Feſto *S. Catharinæ V. & M.* Vico *Mihovlyan*, ac Oppido *Chaktornyenſi* accedunt per ſupramemoratum A. R. D. Parochum providendæ Villæ, binæ PP. Paulinorum *Machkovecz*, & *Schenkovecz*, qui duo pagi merito, ſi Superis placet, dici poſſunt: *Gloria fidei Catholicæ in Inſula*, utpote qui virus *Lutheranæ hæreſis* ne deguſtare quidem, invigilantibus in id ſuis Dominis terreſtribus, & Paſtoribus pro tunc Spiritualibus, Patribus Paulinis, appetierunt. Deinde *Siskovecz*, *Puſzta-kovecz ſuperior*, *Martani*, *Sztrabonivecz*, & *Szauſzkavéſz*, ac tandem *Pribiſzlavecz*, cum adjuncto Dominii ejusdem nominis Caſtro, quod Comes *Petrus Zrinius* poſt exdiviſionem *Bonorum Inſulanorum* cum fratre *Nicolao* habitam, cum ampliſſimo cellario, cultiſſimoque horto, atque aliis ad neceſſitatem, & delicias neceſſariis ædificiis erexerat, ſucceſſu tamen temporis ſicut principale, ita & hoc Caſtrum in deſolationem venerat, ſed ab Excellentiſſimo moderno Dominio ex integro reſtauratum, priſtinum nonnihil recepit decorem.

VI. Indigitatis cunctis ad Parochiam *Chaktornyenſem* appertinentiis, unicus reſtat Conventus *S. Helenæ* ſupra ipſum Caſtrum *Chaktornyenſe* duobus quadrantibus in loco alias ſat amœno, ſi humiditati non eſſet obnoxius, ſituatus, atque pro Ordine *S. Pauli pr. Eremitæ* à duobus *Stephanis*, uno *Daciæ* Vajvodâ, altero Agazonum Regalium Magiſtro, quorum *cap. 52. num 6.* mentionem fecimus, ad A. C. 1376. fundatus, attributa ei *Zaſcad* cum pluribus arabilibus terris, ac fœnilibus, nec non monticulo ſupra ipſum Monaſterium *Várhelij* dicto, ac vicina ſylva *Glubetkâ*, aſſignatis etiam novem montibus promontorialibus, ad accipiendum exinde jus montanum, & pro uſu Patrum applicandum. Hos munificos Dominos, crediderim ego, ad pietatem iſtam inductos fuiſſe à *Ludovico I.* Rege *Hungariæ*, candidæ huic Religioni addictiſſimo. Quod luculenter exprimere videtur *Bonfin. Dec. 2. lib. 10. pag. 250.* ſic diſſerens: *Quum Eremitarum Ordo Divi Pauli Principis in Hungariam veniſſet, corpusque ejus Venetiis avectum in S. Laurentii ædem, quæ ad tertium lapidem Budæ proxima monti prominet, translatum eſſet; Carolus Pater primus Eremitarum collegia introduxit, qui S. Laurentii, S. Crucis, S. Spiritus, & D. La-*

Digitized by Google

dislai ſacras ædes uſurparunt: Ludovicus autem in Noſtre Cœnobium bis excellentiſſimum (huic ego ex Catalogo noſtro adjungo ab eodem pientiſſimo Rege fundata Paulinis Monaſteria, unum in *Maromaros* A. C. 1363. aliud in *Göncz* A. C. 1371. tertium in *Tall* A. C. 1377. ac tandem quartum *S. Pauli Berdæ* A. C. 1382.) *dicavit.* Et poſt quinque lineas ſubjungit: *Exemplo quoque ſuo multos ex Antiſtitibus, Optimatibus, & Nobilibus ad hæc Divinæ pietatis officia invitavit: qui nè à ſui Regis magnificentia degenerarent, per ſe, ſuosque templa, donaque dicarunt.* Fundationem hanc patentibus Diplomatibus confirmarunt, primo *Maria* Regina ad A. C. 1384. Deinde *Sigismundus* Rex ad A. C. 1406. ac tandem *Ferdinandus* Imp. & Rex ad A. C. 1553. Non ſcio autem, qua ratione ductus *P. Timon* in Epit. Rerum Hung. ad A. C. 1376. Monaſterium hoc titulo *Abbatiæ* compellet? cum tamen nullum noſtrum cœnobium *Abbatiæ* titulo fuerit conditum, per conſequens neque hoc, ſed mox prima ſui origine Religioni noſtræ, absque omni Eccleſia, eo in loco exiſtente, minus titulo *Abbatiæ* gaudente traditum, ut litteralia documenta expreſſe docent. Ex quibus arguuntur etiam illi, qui, ut refert *P. Tolvay*, ſcribunt eo loci ad A. C. 1376. *Abbatiam à Stephano dicto Chakio* fuiſſe conditam, qui quamvis Annum fundationis optime exprimant, hallucinantur tamen in eo, quod dicant *Abbatiam à Chakio* fundatam, cum conſtet à *Stephano Laczkffio* non *Abbatiam*, ſed ſimplex Religioſum Monaſterium conditum eſſe. Eidem Conventui *Hermanus* Comes *Ciliæ* ad A. C. 1420. inſcripſit Pagum *Schenkovecz*, qui etiam tractum Occidentalem ejusdem ædificaſſe dignoſcitur, tum ex forma antiquæ ſtructuræ *Gothicæ*, tum ex Inſignibus Gentilitiis ejusdem familiæ, quæ hodiedum in inferiori ambitu lapidi fornicem ambienti inciſa cernuntur. Poſt hunc *Fridericus Lamberger* ad A. C. 1467. inſcripſit villam *Machkovecz*, utramque autem inſcriptionem A. C. 1478. *Mathias* Rex Hungariæ authentico inſtrumento ſuperinde extradato roboravit. Alii dein Benefactores aliis piis largitionibus eidem ſacro loco incrementum addiderunt, ſingulis, prouti & egregii *Chriſtophori Fadan* ſuper vineam ejusdem nominis Cœnobio legatam, per authentica Regia Diplomata confirmatis.

VII. Quas injurias, quas perſecutiones Conventus iſte, à primæva ſui fundatione per annos 194. circiter in optimo flore conſiſtens, cum ſuis incolis tempore introductæ in *Inſulam* per *Georgium* ſeniorem Comitem à *Zrinio* hæreſis *Lutheranæ* perpeti coactus eſt, prolixiori narratione indigent: Nam præter colonorum Cœnobii verberationes, incarcerationes, occiſiones, violentas fœnilium Monaſterii, & ſubditorum depaſcuationes, imo fœni congregati, & ſegetum demeſſarum frequentiorem avectionem, vini quoque ex Ruſticorum cellariis, ipſiusque Conventus abductionem, & quod abduci non poterat, per ſibi, ſuæque ſectæ Nobilium, & Ignobilium, ſignanter famulitii, ſatraparumque multitudinem, imo & copioſum equorum numerum epotationem, ac in puteum effuſionem, majorisque partis ſuppellectilis conventualis, & Eccleſiaſticæ direptionem, educilli prohibitionem, atque ab eo bibentis plebis abactionem, Patris Prioris quoque incarcerationem, fœdamque eidem illatam mortem; Vineæ *Fadan*, decimarum item in agris, & Juris montani in vinetis occupationem; Forizationis etiam hebdomadalis diebus Dominicis uſitatæ, & annuæ ad Feſtum *S. Helenæ* ad idem Clauſtrum nundinationis inhibitionem, & avulſionem: ac quod plane *Sacrilegum* eſt, *Sacræ Thecæ*, in quo *Sanctiſſimum* conſervabatur è *Tabernaculo* ſubreptionem,

nem,

nem, & Sanctiſſimi Sacramenti per pavimentum diſperſionem, dolenter quamvis, patienter tamen, feliciora expectans mentionatus Conventus perpeti debuit. His malis ſuccurrere volens *Reverendiſſimus P. Joannes Zaicz*, pro tunc Ordinis Generalis, recurrit per humile Memoriale ad Auguſtiſſimum *Rudolphum II.* Imp. & Regem *Hungariæ*, qui quamvis Mandatum peragendæ Inquiſitionis ad Capitulum *Caſtri Ferrei* impetraſſet, illudque vigore hujus inquiſitionem peregiſſet, Teſtimonialesque pro Conventu favorabiles extradidiſſet: hisque lectis iidem Imperator, & Rex ſeveriſſimum contra eundem Comitem, tanquam iniquiſſimum raptorem, Juriumque Conventus violentum poſſeſſorem, ac detentorem emanari feciſſet Mandatum, quo ipſum ad totalem omnium ablatorum reſtitutionem, conſumptorum bonificationem, violentiarumque competentem ſatisfactionem adigebat. Sed ſurdo, quia hæretico, qui nec Dei præceptis, minus Regis mandatis obtemperabat, fabula cantabatur, taliterque in ſua contumacia ad obitum ſuum usque perſeverans, non minus, quam prius Dei famulos ad *S. Helenam* vexabat, quem tamen hi magis ſua conſtanti in loco perſeverantia, quam ille hos ſua contumaci perſecutione cruciabant.

VIII. Abrepto è vivis *Georgio* ſeniore à *Zrinio*, filius ejus *Georgius* ad *Fidem Romano-Catholicam* à Patribus noſtris ut *cap. 57. num. 11.* deſcripſi, converſus, & ſucceſſivè Regnorum *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ* Banus effectus, non impetebatur, juxta illud: *Cum potente ne litiges*, ſed humilibus inſtantiis ad refuſionem, & bonificationem injuriarum, ac violentiarum per Parentem Conventui illatarum requirebatur, qui recognoſcens ſe *malæ fidei poſſeſſorem*, majori forte ex parte id præſtitiſſet, niſi invida, præmatura, eaque violenta mors ipſum tumulo injeciſſet. Reliquerat hic duos filios Comitellos *Nicolaum*, & *Petrum* ſub Tutela *Petri Domitrovich* Epiſcopi *Zagrabienſis*, *Stephani Seney* Epiſcopi *Vacienſis*, *Sigismundi Friderici* Comitis à *Trautmansdorff*, *Stephani Pattachich*, & *Franciſci de Battyan*. Ad quos iterum ſupramentionatus Pr. Generalis, vigore novi Mandati, ad A. C. 1627. recurſum faciens reobtinuit Vineam *Fadan*, forizationisque Dominicalis, & Annuæ Nundinationis rurſum: intuitu autem reſiduarum injuriarum, & violentiarum nonniſi 100. urnas vini, ſingulis annis Conventui ab Arce pendendas; tali tamen ſub conditione, ut dum, & quando Orphani prænominati ad perfectam pervenerint ætatem, liceat illis juxta beneplacitum ſuum prædictas ordinationes confirmare, vel revocare. Hac occaſione iidem Domini Comitellorum *Zriniorum* Tutores, ſub præinſinuata conditione Ordini noſtro, ut Annal. Ord. noſtri *Vol. 2. pag. 12.* tradunt, Eccleſiam *Szveticenſem* cum adjuncta domo, amandatis ex ea Sacerdotibus *Glagolitis*, minus debitam curam Divinorum habentibus, contulerunt, atque introduci curaverunt. Emancipatis à Tutella Comitibus *Nicolao*, & *Petro*, Comes *Nicolaus* præmemoratorum Tutorum prælibatam ordinationem, Comite *Petro* diſſimulante, diſputare cœpit, ſed cum jure ſe nihil effectuaturum animadvertiſſet, violentum ſe exhibere conatus eſt, & primo quidem pium legatum A. R. D. *Stephani Lindvay*, aliter *Tankoſs* Parochi *Szelnicenſis*, in pecunia partim, partim in mobilibus Conventui inſcriptum, pro ſe per ſuos Officiales, & Satrapas, poſtpoſito Dei timore, occupari fecit. Secundo: ſicut Conventus, ita & ſubditorum ejusdem prata per ſuos, ſuorumque familiarium equos non ſemel depaſci curavit. Tertio: Forizationem Dominicalem, non ſine dam-

Digitized by Google

damno, & præjudicio Conventus, ad Eccleſiam ejuſdem interdixit, pellendo ex eo per Officiales, & Satrapas armata manu tam vendentes, quam ementes, resque venui expoſitas rapiendo, atque ad Arcem deportando, hominesque univerſos pro forizatione ad eandem compellendo, atque taliter totalem forizationem ad oppidum transtulit, contra Privilegium Regiæ & Cæſareæ Majeſtatis *Ferdinandi III.* ad A. C. 1639. die 19. Aprilis olim Conventui benigne conceſſum, & contra manifeſtam jacturam animarum miſeræ plebis, quæ vel maxime ibidem, ut *Miſſæ Sacrificia*, & *Verbum Dei* audiat, conveniꝛe ſolebat, ubi poſt obitum *Georgii Zrinii* hæretici in fide Catholica (omnibus aliis Sacerdotibus Catholicis ex Inſula ejectis) erudita, & inſtructa fuit. Intellectis his muſſitationibus *Nicolaus Zrinius*, ut populo de *Miſſæ Sacrificio*, & *Verbo Divino* provideat, vel potius, ut ſuam Forizationis translationem firmiorem efficiat, *Patres Franciſcanos* ad oppidum induxit, aſſignando ipſis ex Arce aliquam ſuſtentationis penſionem, in oppido vero pro erigenda Eccleſia, ac Conventu locum, *Patrum Paulinorum* nec apud *Comitem*, nec apud Patres *Franciſcanos* contradictionibus locum deprehendentibus.

IX. Has, & plures injurias, atque violentias Comes *Nicolaus* Conventui *S. Helenæ* inferebat: verum his non ſatur Conventum etiam *Szveticenſem* verſus, furore acrius æſtuans ſuo cum famulitio armatus proceſſit, Cœnobium invaſurus, Patresque inde eliminaturus; dum ergo velut *Saulus* ſpirans minarum, & cædis properat, nec longe à Conventu abeſt, repente à denſa circumventus nebula, & petroſorum montium ſpeciem exhibente, intra invias, nec unquam viſas rupes ſe deviaſſe conſpicit, & miratur; cumque ubi locorum conſiſteret, ignorans, nec facilem exitum reperiens, metu jam animum occupante fluctuaret; tandem advertit, altiori ſe virtute, ne *Marianis clientibus* (eſt enim Eccleſia *Szveticenſis* ſupra *Zrinianam* Arcem, *Ozal*, *Colapi* fluvio incumbentem, honori *Beatiſſimæ V. Mariæ* dicata, in qua etiam ſtatuam ejuſdem glorioſæ Virginis populus devoto accurſu frequentat, quem viciſſim gratiarum Mater beneficiorum ſuorum diffuſione conſolatur, imo prodigioſis ſubinde opitulationibus confovet) injurius eſſe pergat, objecto hoc obſtaculo commoneri. Votum igitur nuncupat Sanctiſſimæ Protectrici *Szveticenſi*, nolle ſe impoſterum ullam creare moleſtiam Religioſis Servitoribus ejus, ſi ex invio, & ſibi, ſuisque ignoto colle in tutum educatur. Quo facto, diſparens nebula apertum, ac ſæpe tritum verſus *Szveticzam* iter oſtendit. Venit proinde totus tam lenis, & affabilis Comes, Patresque benigne complexus, conceptæ ſuæ pravæ intentionis, & ſubſequi prodigioſi caſus ſeriem enarrat; atque deinceps, uti ſpoponderat, in nihilo adverſatus, quin benevolo potius animo Conventum *Marianum* proſecutus eſt. Ita *Annal. Ord. noſt. Vol. 2. pag. 14.* Sed & erga Monaſterium *Chaktornyenſe* mitiorem ſe exhibuit, & quamvis propter irrogatas injurias, ac violentias vigore Mandati Regii in Jus citatus fuiſſet, placatus tamen, conventione amicabili inſtituta, Vineam *Fadan*, quam mordicus prætendebat, ſuis cum libertatibus Conventui poſſidendam admiſit; 100. quoque urnas vini, à Tutoribus intuitu avulſorum Jurium montanorum conceſſas, quot annis à Conventu prætendendas, & ab Arce pendendas ordinavit. Quæ accordata, cum ſcripto comprehenſa, ſubſcriptionibusque, ac ſigillorum ab utraque parte impreſſione roborata fuiſſent: amniſtia ab utrinque pariter quoad omnes prætenſiones inſtituta eſt. Atque ab eo tempore Religio-

Digitized by Google

ſam Pauli familiam pluribus beneficentiæ meritis glorioſiſſimus hic hæros ſibi devincire ſtuduit. Forizationem tamen Dominicalem cum ab Oppido tollere animum non habuiſſet, eam neque ad Eccleſiam *S. Helenæ*, neque in Oppido inſtituendam præpediebat. Quia vero *PP. Franciſcani* in Oppido jam ſtabiliti extitiſſent, pluraque *Sacrificia Miſſarum* in eorum Eccleſia celebrari, pabulumque *Verbi Divini* ſingulis Dominicis, Feſtivisque diebus ſubminiſtrari populus animadvertiſſet, ipſemet ſenſim ſe à foro *S. Helenæ* abſtraxit, atque ad Oppidum pluralitate plebis tam oppidanæ, quam villanæ refertum, cum forizatione recepit: nonniſi unica annua pro Feſto S. Helenæ nundinatione, ſolemni tamen omnium rerum, præcipue autem Equorum, ac Cornutorum animalium remanente. Poſt funerea porro familiæ *Zrinianæ* fata, dum Fiſcalitas Regia Bona ejusdem univerſa apprehendiſſet, ac per ſuos Camerales Officiales adminiſtraſſet; in Bonis *Inſulanis* adinventi fuere quidam Miniſtri Cameræ, qui ſæpius ſuprafatas 100. urnas vini Conventui non ſolum diſputare, ſed & detrahere nitebantur. Qua re ad Auguſtiſſimum Imp. & *Hungariæ* Regem *Leopoldum I.* delata, idem ſicut pientiſſimus, ita benigniſſimus Princeps, cognita juſta, ex ſuorum ad latus Conſiliariorum, an Miniſtrorum informatione, *PP. Paulinorum* cauſa ſæpedictas 100. urnas vini & à Camerali Inſpectione, & ab omnibus in futurum *Dynaſtiæ Chaktornyenſis* ſive perpetuis, ſive temporalibus Poſſeſſoribus Conventui ſingulis annis, absque omni falcidia pendendas publico Diplomate ad A. C. 1678. emanato imperpetuavit. Atque hæc eſt univerſalis tantarum perſecutionum, violentiarum, atque injuriarum memorato Conventui illatarum recompenſatio. Sit Deus benedictus!

X. Vix ſæpe nominatus Conventus à domeſticis perſecutionibus, & injuriis reſpiraverat, cum ecce univerſa *Hungaria* devaſtationibus, depopulationibus, cædibus, atque rapinis repleta fuit. Poſt obtruncatum namque *Petrum Zrinium* non ceſſarunt *Hungari*, vel maxime *Acatholici* novos ciere motus, & quamvis horum incentores judicialiter *Poſonii* convicti, proſcriptique fuiſſent, reſidui tamen varias crudelitates in *Catholicos*, ſignanter autem in *Eccleſiaſticos*, & *Religioſos* exercebant, compluresque miris modis cruciabant, & non paucos enecabant: *Turcarum* quoque auxilia contra legitimum ſuum Regem, & *Fidei Catholicæ* oppreſſionem ſollicitare non ceſſabant, conſtituto in caput ſuæ factionis *Emerico Tökelio*, qui *Caſſoviam* indicto tumultuario Conventu factioſorum ſibi adhærentium conſilio, & conſenſu *Turcarum* Principi Regnum *Hungariæ* ſub tributo compromittit, eumque ad obſidendam Urbem *Viennenſem* invitat. Hujus invitationi, & compromiſſioni paret Imperator *Conſtantinopolitanus*. Hinc Supremum ſuum Vezirium *Karam Muſtapham* cum univerſa quaſi *Ottomanica* potentia, omni bellico apparatu inſtructiſſima ablegat, atque, ut directa via *Viennam* tendat, eamque obſideat, & expugnet, in mandatis dat. Vezirius juſſui Principis ſui ſubſeqvutus, *Viennam* A. C. 1683. copiis ſuis cingit, acriterque tormentorum vi quatit, & oppugnat, *Leopoldo* Imp. interim *Lincii* Deum devotiſſime deprecante, totque globos ignitos in pectora *Turcarum* vibrante, quot de ſacro Roſario globulos manu, & corde ardentiſſimo verſabat, cadereque ſinebat. Hinc factum, quod miſerante Deo, inſtauratus Cæſareus exercitus validior ſub Duce *Lotharingiæ* effectus, auxiliaribusque copiis *Joannis III.* Regis *Poloniæ*, ac Electorum *Saxonis*, & *Bavari* auctum *Ottomani-*

Digitized by Google

cam ſuperbiam, qua toti jam minitabatur *Germaniæ* depreſſerit, atque ab abſidione *Viennenſi* in humilem, imo turpiſſimam fugam egerit. Feliciſſima fuit hæc repulſio toti Regno *Hungariæ*, *Croatiæ*, & *Slavoniæ*. Victricibus namque *Leopoldi* Imp. armis ſubſecuta fuit conſequenter Urbium, Fortalitiorum, Caſtrorumque usque *Temesvarinum*, & *Belgradum* recaptivatio, *Turcarumque* ex iisdem ejectio. Ad quam cum, quemadmodum *populus*, ſic & *Magnates*, *Nobilesque*, imo & Status *Eccleſiaſticus*, ac *Religioſus* non ſolum ære, verum & perſonali inſurrectione concurriſſet, domeſticorum ædificiorum reſtauratio, rerumque neceſſariarum procuratio ad feliciora tempora reſervari debebant. Advenerant hæc omnino *Turcicâ* potentiâ inſigniter diminuta, paceque undique ſtabilita, ſed pauco admodum durabant tempore: hæc namque ad A. C. 1701. *Franciſcus Rakoczy* factione ſua *Hungaros* in Regem ſuum concitans interturbabat, ſuorumque ſeditioſorum armis univerſam deprædabatur, depopulabaturque *Hungariam*. Quas & hoc tempore tota *Inſula Muro-Dravana* coacta ſit ſuſtinere miſerias, fuſiori deberent deſcribi calamo, ſed ſufficiat dicere: Si Eccleſiis Dei, ſignanter ab *Acatholicis*, & Conventibus parcitum non eſt, multo minus certo Nobilitati, & Plebi *Inſulanæ*, quæ *Rakocziana* factioni, quamvis bis, terve invitata, adhærere renuerat, imo contra eandem, *Inſulam* ingredi conantem, ad ter, quaterve generoſe repellens, tandem ad A. C. 1704, quando & Arcem *Chaktornyenſem* occupaverat, ſed mox cum ignominia eam deſerere coacta fuerat: & ad A. C. 1708, vi potentiori cedens, arma corripuerat. Sed quemadmodum nullius, aut certo raræ Rebellionis felicem legimus finem, ſic & hæc ſæpiſſime armis Regiis cæſa, fugata, atque in paucitatem redacta, Capitibus ejus principalioribus, *Rakoczio* quidem in *Poloniam*, *Berchenio* vero in *Turciam* profugio dilapſis, nonniſi ſibimetipſis amiſſionem honoris, & bonorum, Patriæ vero ruinam cauſantis; *Karolio* autem, & *Okolichanio*, aliisque è Nobilitate pluribus ad Regiam fidelitatem regreſſis, terminata eſt.

XI. Sopitis tandem inteſtinis *Rakoczianis* turbis, ac pace undique inter Principes Chriſtianos firmata, ſed & durantibus induciis A. C. 1699. ad *Karlovicinum* inter *Leopoldum*, & *Sultanum* initis, quamvis ſæpefatus Conventus medio tempore, ad A. C. videlicet 1695. grande infortunium ſubiiſſet, reſſoreſcere cœpit. Poſtquam enim die 29. Aprilis citati anni vorax flamma per coquinæ fumarium erupens tecta univerſa cœnobii, Patrumque cellulas, & cum vicinis ædibus magnam frumenti partem depaſta fuiſſet, præcipue vero immite elementum ſæviiſſet in Sancta Sanctorum, tectumque eorum cum lamineo tecto Capellæ *Zrinianæ*, ac Aras omnes, Prædicatoriam exedram, organum, vexilla, & hujusmodi Inſignia Nobilitatis inibi quondam tumulatæ, & reſiduo Eccleſiæ decore incineraſſet; Superioritas, ut è cineribus vindicet Clauſtrum, operi huic æterna memoria dignum *R. P. Andream Weinacht*, præclaræ activitatis, & ſolertiæ virum, cum titulo Prioris præfecit. Quo rem ſtrenue gerente, Patronorumque liberalitatem ſollicitante, auxiliante Domino, in brevi Monaſterium reparatum eſt. Et Eccleſia non modo contecta, verum etiam teſtudine, ſeu fornice communita, quo ſecurius in futurum ejuſcemodi periculis illuderet. Specialiter hic collaudanda eſt pia largitas eorum Benefactorum, qui ad internum Templi decorem reſtaurandum manus munificas aperuerunt. Ita Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. *Stephanus Seliſchevich* Præſul *Zagrabienſis*, Altare majus elegantis operis 1800. fl. extrui curavit: Tractum

etiam

etiam occidentalem Monaſterii ſuis ſumptibus inchoatum perfici feciſſet, niſi morte præventus fuiſſet. Cola lateralem Aram honori *Mariano* Sacram poſuit P. ac G. D. *Joannes Kukulyevich*, à ſiniſtris Aram *S. Pauli* Eremitarum Principi dicatam, erexit P. ac G. D. *Joannes Battachich*: Cathedram Concionatoriam elaborari fecit P. ac G. D. *Sigiſmundus Lipich*. Reſidua dein Nobilitas cum Clero *Inſulano* ad alia interna, & externa Conventus reparanda ſicut pie, ita liberaliter contribuit. Atque ita quos tantiſper affligi voluit, cum fœnore poſtmodum conſolatus eſt Deus.

XII. Sed neque P. *Weinacht* ſingula in perfectionem deducere potens, Succeſſoribus ad alium Prioratum translatus perficienda reliquit; ſignanter Turrim, quæ vel maxime Eccleſiam adornat, Patri *Georgio Logomer*, qui eam quoad altitudinem in quantitatem duarum, ſi non plus, orgyarum elevatam tecto lamineo condecoravit; quam alii campanis, alii Horologio providerunt, ipſamque Eccleſiam Sacriſtia nova cum armariis, aliiſque conſervatoriis, prouti & apparatu Eccleſiaſtico pro poſſe adauxerunt: Eccleſiam item cancellis, ſeu flexoriis ſat firmis pro commodiori populi devotione adornarunt. Ac tandem *Zrinianam* quoque capellam, ab omnibus derelictam, quia indotatam, à ſuo ſqualore expurgarunt, & depoſitis, quæ per circuitum ejusdem pendebant *Zriniorum* à *Turcis* adeptorum trophæorum, ut ſunt Vexilla, Tympano, Pharetræ ſagittis oppletæ, & aneus, ſimiliaque, ſignis caſum non ſine metu vulnerationis, vel etiam occiſionis alicujus minitantibus, inalbari curarunt. Cui primo quandam vetuſtam Arulam cum ſtatua *S. Antonii Paduani* impoſuerunt, eidemque binas Arulas laterales *S. Barbaræ V. & M.* ac *S. Joannis Nepomuceni M.* adjunxerunt. Succeſſu vero temporis, poſtquam ad Iconem *Beatiſſimæ V. Mariæ* vetuſtioris potius, quam recentioris picturæ, infantulum *Jeſulum* faſciatum in manibus tenentis, parietis ejusdem Capellæ affixam, populus authore *P. Franciſco Caruſi* ejusdem loci Prædicatore devotionem habere cœpiſſet, gratiasque non immodicas à Gratiarum Matre recepiſſet, ſollicita Patrum cura, ac pia devotizantis plebis eleemoſynaria largitio Aram elegantis formæ erigi, decolorari, competentibusque in locis inaurari, ac inargentari curavit ad A. C. 1744. taliterque perfectæ imaginem memoratam è pariete deponi, ac Aræ imponi fecit, quam ſimiliter pia Benefactorum liberalitas elaboratis pro *Maria*, *Jeſulo* argenteis, ac inauratis, lapidibusque Bohemicis ornatis diadematibus coronavit, cui etiam lampadem argenteam ad A. C. 1749. appendit P. ac G. D. *Chriſtina* nata *Sibrik*, Vidua *Melchioris Bedekovich*. Ut porro devotio populi ad Sacram hanc Iconem adaugeatur, de conſilio Superiorum, impetratum eſt *Româ* Breve Apoſtolicum pro introducenda ad Eccleſiam hanc Congregatione utriusque Sexus ſub Titulo *Viſitationis Beatiſſimæ V. Mariæ de Solatio*. Certe ſolatium eſt illi, quem *Maria* ſua dignatur *viſitatione*: hinc finis hujus Congregationis eſt, ſtata quolibet anno hora una, præmiſſa Confeſſione, & Communione Beatiſſimam Virginem pro felici morte devote precari, quatenus illa ſic deprecantem Sodalem in agone ſuo *viſitare*, atque materna pietate *ſolari* haud gravetur. Vigore itaque memorati Brevis Pontificii, ſolitas Congregationum Indulgentias continentis, & de conſenſu Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Ordinarii ad A. C. 1745. die 9. Aprilis præſente multitudine populi, ex *Hungaricis* etiam trans *Muram* partibus, cum ſuis Adm. RR. DD. Animarum Curatoribus, confluentis ſolemniter intro-

Digitized by Google

troducta eſt, attributa eidem principali feſtivitate *Dominica*; mox Feſtum Viſitationis *Beatiſſimæ V. Mariæ* ſequente, & quatuor aliis minoribus: *Feria 2. Paſchatis*, *Dominica Pentecoſtes*, Feſtivitatis *S. Annæ*, & *Natæ Reginæ Angelorum*. Quantum devotionis, quantum ornamenti, & decoris mediante hac congregatione accreverit Eccleſiæ, adjunctæque Capellæ, ſi connotare ſingula vellem, prolixus nimium forem, hinc ad alia me convertendo, refero binas hac in Eccleſia conſervari cum ſuis Authenticis Sacras Reliquias, unam Particulæ *S. Crucis* A. C. 1724. per me, alteram *S. Helenæ* Imp. A. C. 1727. per *P. Davidem Liſſyak* mediante *P. Andrea Muſar* eo tum Ordinis ad Curiam Romanam Procuratore Generali, ex poſt & Actuali Generali, procuratas, & utramque ſuæ Monſtrantiolæ incluſam ſuis in Feſtivitatibus publicæ populi venerationi exponi.

XIII. Nullum in mundo tam ſolidum ædificium extrui poteſt, quin illud manus hominis, multo magis omnipotentia DEI diruere valeat. Ad A. C. 1738. die 30. Aprilis horis antelucanis concuſſa repetitis vicibus, & vehementi commotione *Inſulæ Muro-Dravanæ* tellus, non ſolum Arcis *Chaktornyenſis*, & Parochialium Eccleſiarum, aliorumque lapideorum ædificiorum, ſed & Cœnobii *S. Helenæ* muros multis gravibusque rupturis laceravit, imo plerisque in locis ruinavit, quod vel maxime Monaſterium idem cum Eccleſia absque ferrearum ligaturarum adminiculo ædificata experiri coacta eſt. Et non ſolum terræmotus iſte, ſed & bellica in *Turcas* expeditio, aëris pluvioſi, grandinoſi, & fulminoſi inclementia, ſterilis frugum proventus, lues jumentorum annum hunc, & aliquot parium ſtragium ſubſequentes, fatales reddiderunt, qui œconomiam etiam induſtrioſiſſimam extenuarunt, allodia, granaria, cellaria, aliaque conſervatoria evacuarunt, ſed & crumenas exſuxerunt. Hoc tamen non obſtante pro paupertate Clauſtri, ad eas, quas potuit in reſtaurationem ruinarum expenſas reſolvit ſe ejus temporis P. Prior, & primo comparatis materialibus, præcipue ferreis ligaturis, Eccleſiam non ſolum à fiſſuris liberavit, verum etiam majori ex parte recenti incruſtatione, & dealbatione renovavit, atque ideo ſanctuarii frontiſpicio ſequens, Annum terræmotûs, & inſtaurationis denotans, pro memoria inſcribi fecit Chronographicon.

eX terræMotV DestrVCta,
at fortIfICata, atqVe
renoVata VIgeo.

Poſt Eccleſiam muri etiam Conventûs partis Orientalis, & Septentrionalis ligaturis ferreis per longum, & latum muniti, eorundemque, & ſignanter fornicum per cubicula, & ambitus obturati, noviter incruſtati, atque dealbati, fornaces quoque per terræmotum exagitatæ nova reparatione firmatæ, caminique everſi recenti eductione erecti fuere. Refectorium item, quod *R. P. Wolffgangus Cherkovich* qua Prior ad A. C. 1708. erigi, A. R. P. autem *David Liſſyak* ſub ſuo Priorali Officio ad A. C. 1726. gratioſa celatura, picturisque recentioribus, ornari curaverat, non modicam ex memorata commotione terræ Criſim paſſum, reſtauratum eſt. Tandem ad A. C. 1745. ad Prioratum *Chaktornyenſem* felici omine promotus *R. P. Vincentius Hallaſzy*, animum admovit ad reſtaurationem totius Conventus, cujus ſingulari induſtria, & ſollicitudine faciem omnino induit vero ſtatui Religioſo competentiſſimam, & longe jucundiorem quam in ſua illam aliquando habuiſſet nativitate, obligatus, qui gloriam, cum felici memoria reddat Zelatori, Reſtauratorique ſuo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIX.

De aliis Eccleſiis, item Caſtris, Oppidis, ac Villis Inſulæ Muro-Dravanæ in undecim Parochiis conſiſtentibus.

I. MOra poſtquam peculiari ad principalis *Inſulæ Muro-Dravanæ* Caſtri diſtrictum conſtitimus, ad reliqua ejusdem Caſtra, Caſtella, oppida, & villas, ſeu pagos digreſſum facere nos oportet & ne regredi cogamur, ex oppido *Chaktornyenſi* primo loco *Nedelicium* oppidum, utpote *Styriæ* vicinum, atque inter *Dravum* fluvium, & viniferos montes ſituatum proficiſcimur. Eſt oppidum hoc campo fertili undique cinctum, diſtatque non procul à fonte *Ternavæ* fluvii, de quo *cap. 50. n. 6.* egimus, media ad ſummum hora ab oppida *Chaktornyenſi* occidentem verſus. Olim oppidum hujuſce nominis in eodem loco ampliſſimum, ita ut Eccleſia Parochialis medium ejusdem occuparet ſinum, fluviusque *Ternava* per medium quartæ partis deflueret, conſtitiſſe, hodierni etiam incolæ ex traditione referunt, quod rudera aliqua murata actu etiam trans *Ternavam* fluvium extantia probare videntur. Quando autem, & occaſione quali demolitum, contractumque ad modernam domorum paucitatem devenerit, neque ex libris, neque ex traditionibus reſcire quivi. Typographiam in eodem oppido inſtructam fuiſſe, docet liber in eodem impreſſus, & quidem *Tripartitum* Regni *Hungariæ* in idiomate *Croato-Slavonico* ad A. C. 1547. cujus exemplaria ad ſummam ſunt paucitatem redacta, unicum ego vidi in *Inſula* apud *A. R. D. Joannem Mihanovich* Parochum *S. Georgii in Aquis*. In hoc oppido pro nunc nihil celebritatis habetur, præter binas celebras cornutorum animalium nundinas, in feſto videlicet *S. Viti M.* & *Dominica Angelorum*, ſeu *1. Septembris*. Curias Nobilitares neque hic, neque in aliis pagis exiſtentes, cum non ſint hæreditariæ Nobilium eas poſſidentium nominandas, & recenſendas haud exiſtimo. Quantum Eccleſiam Parochialem concernit, ea turri ſat celſa, ac horologio proviſa, actu ad latus oppidi *Ternavam* fluvium verſus conſiſtit, eſtque copioſæ hominum catervæ capax, ſive Sanctuarium Gothico opere conſtructum, ſi corpus Eccleſiæ, tabulato duntaxat proviſum, reſpiciatur, honori *SSS. Trinitatis* dedicata. Quando autem erecta? non ſcitur, ſed ſi ex ſtallis, antiquiſſimi & ſolidiſſimi operis, ad levam partem ſummi Altaris extantibus collimare licet, Eccleſiam duobus, tribusve annis prius ædificatam concludendum cenſerem, viſitur enim in ſtallis exciſus Gothico Charactere A. C. 1469. per conſequens Eccleſia ſi non prius, ſaltem ad A. C. circiter 1460. erecta credi poteſt. Hanc modernus in 14. annum Parochus *Antonius Milloſs*, ſicut vetuſtâ in Croatia nobilitate prognatus, ita moribus, & ſcientiis Theologicis in *Bononienſi* Univerſitate hauſtis cultiſſimus, vitæque integritate laudatiſſimus, atque ideo officio *Vice-Archidiaconali* honoratus, induſtrioſo ſuo zelo Arâ principali, & duabus collateralibus noviter erectis, & inauratis condecoravit. Sed & Capellæ infra chorum per ſecundum ab ipſo Prædeceſſorem *B. V. Mariæ ad Nives* inchoatæ ſupremam impoſuit manum, eamque pariter Ara noviſſima illuſtravit: atque ut tanto magis devotionem Marianam pectoribus populi ſui Parochiani inſtillaret,

Digitized by Google

Congregationem pro utroque ſexu ejuſdem *Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ*, ſub Titulo *Mariæ majoris*, quæ etiam dicitur *ad Nives*, ſuis cum Indulgentiis *Româ* procuratis introduxit. Aliud nihil eſt, quod hac in Eccleſia videre eſſet, præter raram, eamque nititam munditiem, quam puriſſimus Parochus procurat, & lapidem unum Sepulchralem, in quo ſequentia leguntur.

Sepultura Egregii Domini Wolff. Dragath de Pleterniczе, nec non Conjugis, ac Liberorum. Obiit 21. Menſis Aprilis A. D. 1578.

Ab Eccleſia, facto digreſſu ad Curiam Parochialem (quam ſupra memoratus A. R. D. Parochus, diruta veteri ruinam minitante pro ſe, ſuisque ſucceſſoribus, ligneam quidem ob lapidum, laterumque defectum, ſed ad omnem decentiam Status Eccleſiaſtici in duabus contignationibus accommodatam, erigi curavit A. C. 1739.) Quid de quadam campana ipſemet D. Parochus, ſuique Parochiani ex traditione diſcurrant? audiamus. Referunt igitur: quondam hinc juſſu Dominii violenta manu acceptam, & abductam fuiſſe campanam ingentis ponderis, an Arci modernæ, vel trans *Ternavam* fluvium in ruderibus ſepultæ applicandam? non ſcitur; ſed caſu, aut verius, ut dicitur, pœna Dei inverſo curru cecidiſſe in ſæpe memoratum fluvium *Ternavam*, neque unquam, adhibitis etiam pluribus Boum jugis extrahi potuiſſe, imo ſemper ſemet profundius immerſiſſe: pro nunc vero neque immerſionis locum notum eſſe incolis, auditum tamen ſæpius, idque certis anni temporibus ejuſdem ſonum fuiſſe, hodieque audiri, ſed à quibusdam duntaxat. An hæc fidem mereantur? noſtrum inquirere non eſt, ſufficit, ſi prout viſa, ita audita referamus; atque ad ſpecificandas villas, quas D. Parochus *Nedelicenſis*, ſuo Paſtorali munere providendas habet, calamum vertamus. Sunt itaque præter oppidum *Nedelicium*, villæ *Hraſchan*, *Ternovecz*, *Puſchina*, *Kurſanecz*, *Totovecz*, *Sztraboninecz*, *Pretetnecz*, *Szlakovecz ſup.* & *inf.* ac tandem *Maczinecz* ultima *Styriam* verſus, in qua extat filialis Eccleſia murata antiquiſſimæ ſtructuræ (ſed quando, & à quo ſtructa? ex nulla ſignatura elici poteſt) *Sanctiſſimæ V. Mariæ S. Elizabetham viſitanti* ſacra, ad quam, prætérquam in *Feſto Viſitationis*, & *Feſto S. Joſephi*, ſingulis etiam *Dominicis*, ut nominant, *Novilunaribus* celebrat Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium idem D. Parochus, habetque Sermonem ad populum.

II. Viſis *Nedelicii* videndis, eadem via, qua ex oppido *Chaktornyenſi* venimus regrediamur, nullamque diverſionem faciendo directa, eaque regali viâ ad levam arcem *Chaktornyenſem* relinquendo, ſalutaturi tamen in eadem gratioſam *Chriſti Domini* iconem, plura ſuo loco de ea audituri, orientem verſus deſcendamus; & dum trium horarum iter perrexerimus, ſubſiſtamus modice in *Perlakienſi* oppido, ne in iterato aſcenſu ad idem nos reverti oporteat. Et hic loci Parochus *A. R. D. Michael Szmrekar*, Theologus *Viennenſis*, dignus, qui jam in 12. annum Paſtorali officio huic Parochiæ præſit. Eſto enim è parentibus conditione humilibus *Zagoriæ* in *Croatia* genitus ſit, ſi tamen humanitas ejusdem, eruditio, & zelus promovendi cultum Dei perpendantur, vere Nobilem dixerimus. Curiam Parochialem habet exiguam cum duplici contignatione ſicut anguſtam, ita vetuſtam; ſed Eccleſiam, cum ſublimi turri horologio proviſa, pulchram, & bene diſpoſitam novioris ſtructuræ, *S. Jacobo Majori* Apoſtolo dicatam,

Digitized by Google

tam, qui & multis gratiis in eadem claret. Ut autem præmentionatus D. Parochus curam ſuæ Parochiæ ſuſcepiſſet, primum ejusdem negotium fuit quærere gloriam Dei, quæ ut adaugeatur, vetuſtis duabus collateralibus aris ſubſtituit noviſſimas. Deinde, ſatagente eodem, erecta eſt Congregatio *Sanctiſſimi Roſarii* per quendam Patrem Ordinis Prædicatorum ad eandem functionem è Conventu *Petovienſi* à ſui Ordinis Superioritate ſpecialiter authorizatum. In cœmeterio ejusdem Eccleſiæ ad latus dextrum plateam verſus extat rotunda, latitudinis ad ſummum trium orgyarum, & altitudinis circiter ſemiquintæ Capella, cum turricula, *SSS. Trinitatis* ſacra, ædificium certo vetuſtum, diciturque olim fuiſſe *Fanum Idolorum*, in quo etiam *Lutheranorum* Prædicantes (Eccleſia enim Parochialis in deſolationem venerat) ſuæ ſectæ ſacrilegas peragebant functiones. Negotia ſpiritualia, Parochum hunc concernentia, peragenda ſunt in ipſo oppido *Perlakienſi*, deinde in villis: *Ozirklovtyan*, in qua viſitur Eccleſia filialis ſat magna *S. Laurentio M.* erecta, reſpective ad ædificium vetuſtiſſimæ formæ, refertur que olim fuiſſe *Ordinis Templariorum:* ad hanc habentur nundinæ annuæ in ipſo *Feſto S. Laurentii*, ob cornuta animalia celebres. Huic accedunt villæ *Hemuſſovecz*, *Draskovecz*, *Oporovecz*, *Chebovecz*, *Ottok*, & *Kralyevecz*, in qua altera Eccleſia filialis ante unum, alterumve annum arte murariorum ædificari cœpit, concurrente in id viciniori Nobilitate, & plebe villæ ejusdem, vel maxime autem zelo promovendi gloriam Dei ſupradicti A. R. D. Parochi, honori *S. Mariæ Magdalenæ* deſtinata. Ex oppido modice digreſſi, ad id iterum revertimur, quod ampluſſ omnino eſt, ſed humilibus domibus culmo (ut per totam *Inſulam* fieri aſſolet) tectis refertum. Celebrantur hic annuæ nundinæ in feſtivitatibus *SSS. Trinitatis*, & *S. Jacobi* Apoſtoli, ſimiliter ob copiam pulcherrimorum animalium cornutorum celebres. Hoc in oppido ad A. C. 1556. Comes *Paulus Ratkay*, vir egregius, & prudens, qui ob eximia militaris virtutis merita *Ferdinandi* Imperatoris Cubicularius, & Caſtri *Papenſis* Præfectus ad A. C. 1551. conſtitutus, ſummo patriæ dolore, ac commiſeratione omnium è vivis ſublatus eſt. Cum enim ad ſolvendam primam *Szigethi* obſidionem (quam Præfectus *Marcus Sztanchich* natione *Croata* ſtrenue contra *Turcarum* potentiam defendebat) exercitus Regius undique congregaretur, ex *Styria* quoque, & *Carinthia* non contemnendus *Perlakinum* adveniſſet, ſeque ibidem *Illyricis*, Equitibus, quos Comes *Nicolaus* ſenior *Zrinius* qua *Prorex* ducebat, conjunxiſſet, *Paulus Ratkajus, vir præſtantiſſimus*) verba ſunt *Iſtvanfii* Hiſt. *lib. 19. pag. 257.*) *cum ob vile ſcortum rixa inter Germanos oborta eſſet, & ipſe forte ex hoſpitio prodiiſſet, glande in incertum emiſſa interfectus eſt.* Nec dubium, quin in maximam adhuc, ſi meliora fata ſervatum voluiſſent, dignitatem evectus fuiſſet. Cum itaque hic videnda conſpexerimus, & recenſita intellexerimus, ne glande nociva abigamur, ſponte *Carrodunum* verſus recedamus.

III. Et ne gratis tempus itineris inſumatur, diſcurramus modice, quid ſit *Carrodunum*? De hoc *Joann. de Jordan* Orig. Slav. *par. 3. pag. 95. num.* 389. explicans *Ptolomæum*, ſic diſſerit: *Igitur Carrodunum eſt hodierna Civitas Legrad, ibi enim Dravus in Ptolomai Idea, fluvios verſus fontes reſpiciente, ſcinditur, & alveus, qui ſitum verſus fontes ſemper meridionaliorem reſpectu Muri ſervat, nomen Dravi retinet, alter vero in Septentrionem magis tendens Muhr audit.* Sed clarius de hoc *Schönleben* Appar. Carniol. *cap. 3. §. 3. pag. 90.* diſcurrit. Qui poſtquam quorundam Authorum opiniones

Digitized by Google

de *Carroduno*, quod eſt in *Vindelicia*, ſeu *Bavaria* ſub recentiori vocabulo *Krayburg*, & de *Carroduno*, quod eſt in *Sarmatia*, ſeu *Ruſſia* ſub nomenclatura *Leopolis*; item de *Carroduno* utriusque *Pannoniæ*, quod quidam *Kraynburgo* civitati *Carnioliæ* attribuere nitebantur, retuliſſet, inquit: „Sed mittamus iſta, cum digito lo„cum monſtret *Ptolomæus lib. 2. c. 16.* „qui reſpiciens ab orientali parte „confluentes *Muri*, & *Dravi* ait: „*Qui per geminas Pannonias fluit, ſcin„diturque juxta Carrodunum civitatem,* „*quaſi ad montem Cetium, vocaturque* „*ille, qui juxta Septentrionaliſſimam* „*partem eſt, Savarias, qui vero juxta* „*meridionaliſſimam, Daros.* Nullus „certo alius fluvius per geminas „fluens *Pannonias* ſcinditur niſi *Dra„vus*, *qui in inferiori Pannonia* ſimul „eſt *Mura*, & *Dravus*, ſurſum au„tem verſus recedendo diverſus qua„ſi, & ſciſſus eſt ad montem *Cetium*, „quem etiam perfluit, quâ *Mura* „eſt prope *Græcium*, qua *Dravus*, „ſeu *Daros* prope *Marpurgum*, per „quem totum tractum extenditur „mons *Cetius*. Igitur inter, vel pe„nes confluentes *Muri*, & *Dravi* eſt „*Carrodunum*, quod hodie dicitur „*Legrad*.„ Sed quia in textu *Ptolomæi* nulla eſſet mentio fluvii *Muræ*, verum cujusdam alterius, ſub nomine *Savarias*, ne cui dubium ſuboriatur citatos Authores *Ptolomæum* male interpretatos fuiſſe, accedat Operis hujus *cap. 50. num. 2.* ex quo eruet *Muram*, & *Savarias* eundem eſſe fluvium, qui moderno tempore communiter *Mura* vocitatur. *Carrodunum* itaque, ſeu *Legradinum*, quod trium quaſi horarum itinere *Perlakino* verſus *Croatiam* diſtat, antequam ingrediamur regali via proficiſcendo *Dravum* fluvium ſicut per trajectum tranſire, ita ſcire eſt neceſſum. Oppidum hocce ante 40. circiter annos conſtitiſſe inter fluvios *Dravum*, & *Muram*, & quidem multo proximius *Dravo*, quam *Mura* frequentioribus autem *Dravi* exundationibus prior alveus ejusdem meridiem proſpectans arena repletus, fluvium ipſum alio minori alveo ſeptentrionem reſpiciente defluere coëgit, quem ſucceſſive majorem effecit, ſibique viam liberi defluxus aperuit, taliterque oppidum ex *Inſula Muro-Dravana* quaſi rejecit. Sed quia ad alteram partem minorem alveum, per quem brachium *Dravi*, vadabile tamen, defluit, ſeque iterum cum majori parte ejusdem fluvii mox infra oppidum conjungit, reliquit, per conſequens pro nunc quaſi in *Inſula* conſiſtit, ideo *Dynaſtiæ Inſulano-Chaktornyenſi* ſubjectum paret.

IV. Præſcitis his ingrediamur igitur *Legradinum*, ſcrutemurque aliqua de eo memorabilia. *Romanos* hic Municipium ſuum excitaſſe, & habuiſſe quidam referunt Scriptores, ſed quale id fuerit? ne veſtigio quidem antiquitatis Romanæ indicari poteſt. Unde autem, & quo tempore nomenclatura *Legradini* eidem obvenerit? pariter nullus ſcriptorum docet. Si tamen Traditioni ſicut in uno, ita in altero, & tertio adhibenda eſt fides, ex Etymologia nominis *Leſztor Grad*, contracto autem vocabulo, *Legrad*, id eſt: *Tantum Arx*, ſeu *Tantum Caſtrum*, deduci poteſt; quod, ſicut olim, ut vulgus refert, forte etiam tempore *Romanorum*, hic loci conſtiterit *Caſtrum* (cujus rudera hodiedum extant) ad quod cum in dies frequentia ædium, incolarumque creſceret, atque in ampliſſimum oppidum excreſceret, eidem quoque à ly *Tantum Caſtrum* nomenclatura *Legrad* in *Slavonico* idiomate, in *Latino* vero *Legradinum* adhærere potuerit. Præterea in Tripartito Regni *Hungariæ* prima fit *Legradini* mentio ad A. C. 1567. *Art. 17.* In quo de locorum finitimorum munitione, ad quam Majeſtas ſua Cæſarea *Maximilianus* fideles ſuos Regnicolas hortabatur, laboresque gratuiti

ti

Digitized by Google

ti totius *Inſulæ*, duorumque extra *Inſulam* pagorum *Patha*, & *Chatar* ad Caſtellum Comitis *Zrinii Legrad* applicantur. Plures deinceps ejusdem Caſtelli fiunt memoriæ in eodem Tripartito, uti ad A.C. 1569. *Art.19.* & ad A.C. 1578. *Art.27.* item ad A. C. 1604. *Art. 18.* ſemper reſpectu erectionis Caſtelli *Legrad.* An autem aliquid actum ſit circa nominati Caſtri ædificium? & an in ruderibus vetuſtis, vel alibi? item ſi extructum fuit, qualiter, & quando in deſolationem venerit? ac tandem an hoc tempore, vel prius *Legrad* nominatum fuerit? à nullo reſcire potui: quamvis aliqui retulerint, Caſtrum hoc tempore revolutionis *Rakoczianæ* circa A.C. 1704. à malcontentis *Hungaris* ſuccenſum fuiſſe, & ab eo tempore, nemine reparante in ruinam deſciviſſe. Sed de his, cum ſinceris careamus fundamentis, utut ſit, illud certiſſimum eſt, quod oppidum hocce ad *Dravi*, & *Muræ* confluentiam à *Geographis* ſingulari nota inſigniri conſueverit, à S. Cæſarea autem Regiaque Majeſtate Officio Poſtario *Kaniſam* verſus honoratum ſit. Quod à *Geographis* ſpecialiter notetur, crediderim ex eo factum, quod multo tempore habitum fuerit inter propugnacula ad fines tutandos contra inſultantes Barbaros peropportunum, ſignanter tempore Comitum *Zriniorum* titulo *Capitaneatûs* honoratum. Et quantumvis nulla, aut certe exigua munitione proviſum, ſæpiusque à *Tartaris*, & *Turcis* tentatum fuerit, *Ottomannicæ* tamen ſervituti nunquam ſuccubuit, proprii pectoris munimento hoſtes recedere cogens. Hac occaſione inſinuandum cenſeo, qualiter omnes pagi cis *Muram* fluvium *Legradino* incipiendo, usque ad *Murſzko Szerediſche*, quod *Hungarico* idiomate *Szerdahely* dicitur, homines meri militares temporibus *Zriniorum*, è quibus *Turca* partes *Transmuranas* poſſidebat, extiterint, perpetuasque diurnas, atque nocturnas excubias in pluribus altis Præſtegis, ſive turribus excubitoriis, aut ſpeculis, ſeu ut vulgus hujas vocitabat *Chardakis*, vel *Kulis*, egerint, ſimulque animadverſo hoſte mortarium pluveribus pyriis onuſtum unum poſt aliud ſuccenderint, taliterque omnem viciniam plebeam, ac nobilitarem ad arma capienda pro repellendo inimico excitaverint, nullo alio cenſu Dominio obligati: hinc & principalioribus quatuor pagis *Vajvodatus* inſtituti fuere; & primus quidem in *Kriſovecz*, ſecundus in *Dekanovecz*, tertius in *Gorichan*, ac tandem quartus in *Kotoriba*, qui omnes à Capitaneo *Legradienſi*, hic vero ab ipſo Comite *Zrinio* tamquam ſupremo, & hæreditario *Dynaſtiæ Inſulæ Muro-Dravanæ* Domino, ſimul & Capitaneo dependebat.

V. Inſinuato hoc, regredior cum diſcurſu ad oppidum *Legrad*, ſicut à cultris, & cultellis ſaccalibus, qui hic copioſi, ſive quoad præſtantiam, ſive quoad elegantiam conſiderentur, ab immemorabili jam tempore fabricantur, ita & à civium, plerumque mercaturæ deditorum, frequentiâ, ac opulentia celebre, quod quia ſæpius à ſuprerfluentibus aquis infeſtatur, ſolumque ipſum cænoſum, ac paluſtre eſſet, lapidumque penuria laboraret, nonniſi lignea ædificia, pleraque tamen elegantia, ſignanter circa Eccleſiam Parochialem, tolerat. Plurimum autem celebritatis oppidum hoc deſumit à Forizatione hebdomadali, & annua Nundinatione, quæ haberi aſſolet in Feſtivitatibus *SSS. Trinitatis*, *S. Bartholomæi Ap. Omnium Sanctorum*, & *S. Luciæ V. ac M.* quibus diebus omnium rerum, præter eas, quæ ex *Germania* veniunt, ex *Turcia* etiam, partim per ipſos *Turcas*, partim per *Græcos* apportatarum commercium inſtituitur, & vel maximè pulcherrimorum cornutorum animalium à longinquis etiam

Digitized by Google

Hungariæ partibus adductorum. Illud etiam memorabile eſt; qualiter declarata ad A. C. 1650. inter Imperatores Occidentis, & Orientis pace, *Nicolaus Zrinius*, eo tum Pro-Rex *Illyrii* cum *Kaniſienſibus*, ac iis ſubjectis *Turcis*, quibus cum acerrima ſuperioribus annis gerebat prælia, in dicto *Legradini* conventu, fædus percuſſerit. Hic etenim Comes, una cum Fratre ſuo *Petro*, quietis impatiens temporibus etiam armiſtitiorum, ut *Brietius* ad A. C. 1664. expreſſe teſtatur, viciniorem *Turcarum* ditionem flamma, ferróque funeſtabat, *Turcis* ipſis, ubicunque obvios habebat, ad internecionem deletis. Aderant igitur, juxta *Ratkajum* Mem. Reg. & Ban. Croat. *pag.* 260. ad indictam diem ſupra 60. *Barbari* parum eleganter inſtructi: at *Zrinius*, cum cæterum auguſtâ ſpecie, ac procera corporis ſtatura ſpectabilis eſſet, ſurgentibus de capite ardearum pennis, auro, gemmiſque interclusis. Sariſſam deinde, pedeſtrium Ducum inſigne, geſtans, ac magno procerum, nobilium, militariumque virorum comitatus agmine, tubis, tympaniſque concrepantibus (certo interim hoſpitii loco *Turcis* præſtollantibus) pedibus greſſus advenit ſpectabilior. Mutua peracta ſalutatione, *Barbarorum* primis, quos *Agas* vocant, ac Decurionibus, *Oda Baſſis* compellatis, parte ab una conſidentibus, noſtris ab altera, ſupremum *Zrinio* tenente locum, graves utrimque in medium recitatæ ſuperiorum temporum hoſtilitates, quibus viciſſim exageratis pax inita eſt. Portus *Legradinus* liber declaratus, commeandi demum militibus utriusque partis, præſentatis Ducum ſuorum litteris, facultas conceſſa. Tum demum epulis indultum eſt. His Legradini conſpectis, & intellectis, ne ultro progrediendo defatigemur, ſufficit indicaſſe 1000. orgiis (ut refert *Joan. de Jordan* Orig. Slav. *par.* 3. *pag.* 130. qui eas ſe menſurando numeraſſe ſcribit) infra *Legradinum* Fluvium *Muram* in *Dravum* exonerari, ſuamque nomenclaturam perdere. Quo etiam reſcito, viſitandus eſt D. *Nicolaus Jelluſchich*, natus *Hungarus* in Comitatu *Caſtri Ferrei*, Theologus *Bononienſis*, iſque titulo *Reverendiſſimi* honorandus, & merito, quia vir eximiam animi dotum, & virtute, & litteratura inſignis Infulam Abbatialem *S. Crucis de Kereſztur* promeritus eſt. Hic non modicum oppido confert decorem, dum in Eccleſia ſua Parochiali *SSS. Trinitati* conſecrata Pontificalibus indutus ſolemnem decantat Miſſam; ſed vel maxime exemplari vita ſua, ſuavique alloquendi modo, ac gratioſa erga omnes domeſticos, & exteros hoſpitalitate, dum his, ſpiritualibusque ſuis diſcurſibus plurimos Acatholicos, ſuæ jurisdictioni ſubjectos *Dogmata Lutherana* ejurare facit, taliterque *Eccleſiam Catholicam* prole legitima adauget, ipſum vero oppidum *Zizania* expurgat, dignus, qui Parochiæ huic ad decrepitam usque ætatem (ſi altiores dignitatum gradus ſuperi denegaverint) præſit, atque, ut ex nido olim *Lutheranorum Inſulanorum* ſedem *Catholicorum* ſua in Parochia, pro ſui laboris ſolatio conſpiciat, tandemque coronam æternæ vitæ recipiat. Templum habet quidem (ob lapidum, ut ſupra memini, defectum) ex ſolidis roboribus compactum, excellens tamen, & mundum, omnibusque ad Divina peragenda neceſſariis optime inſtructum; cui adjacet campanile ſat altum pari opere fabrefactum, horologioque ſonante proviſum, utrumque tamen apparet, ac ſi eſſet muratum. Similem habet filialem Eccleſiam in ipſo oppido *S. Nicolao E. & C.* dicatam, quam veteraſcentem ſupra laudatus Reverendiſſimus D. Abbas, & Parochus zelo ſuo renovavit. Hic pro functionibus ſuis ſpiritualibus reſpectu adminiſtrandorum Sacramentorum extra oppidum excurſione nulla adurgetur,

tur, habet ſatis, quod in Oppido agat idiomate *Croatico*, & *Hungarico*, ſiquidem utrumque iſthic vigeat, imo rarus eſt incola oppidi hujus, qui non utramque caleat.

VI. Receſſuri *Legradino* fluvium *Dravum*, medio Trajectus prioris tranſire cogimur, ſed antequam directam, quam tendimus, viam adeamus, divertamus modice tranſito fluviolo *Rakovnicza* ad conſpicienda quædam rudera trans *Muram* amnem in planicie ſituata, neque neceſſe erit navigio trajicere *Muram*, cum ex ripa ejusdem deſiderata conſpici queant. De præattactis ruderibus *Valvaſorius* Topogr. Carn. *lib. 12. cap. 2.* hæc habet: *Vetus Zrinium, & Præſidium Confiniorum. Habet ad protegenda loca circa Gvoſzdanſzko caſtrum ſituata, jacetque ad hanc partem Vunæ fluvii. Et eſt domus Genethliaca Comitum Zriniorum. A. C. 1540. Turcæ hanc Arcem Zrinianam, obſederant, ſed ab ea fortiter repulſi ſunt. A. C. 1577. Menſe Octobri iterum Turcæ Arcem hanc invaſerunt, eamque de facili occupaverunt, proditum namque iisdem fuerat, milites Arcis Zriniæ exiviſſe in partes Turcicas ad prædas agendas, neminemque pro Arcis tutela reliquiſſe. Sed ad A. C. 1579. noſtri recuperaverant quidem locum iſtum, non tamen diu manutenuerunt, nam eodem anno reverſi Turcæ eam denuo expugnarunt, ſuique juris cum univerſa viciniа fecerunt. Hinc Comes Nicolaus Zrinius A. C. 1660. non procul à Legradino novum Præſidium à fundamentis erigi inchoavit, erectumque aggeribus, ac foſſatis, aliisque ad munitionem neceſſariis optime proviſum Neo-Zrinium compellavit.* Ex his, quid præſentia denotent rudera? intelligitur. Sed qualiter tanta moles præſidii in triſtes devenerit reliquias? enarrat *Bombardius* Topogr. Hung. *par. 2. cap. un. ſegm. 1. §. 12. num. 4.* ſequentibus. *E regione Kaniſæ, ubi Mura in Dravum influit, ſtetit olim Novum Zrinium, incolis Novi Zrin. Vetus quippe Zrinium, unde nomen duxit Illuſtris Zriniorum familia, non alibi, quam in finibus Croatiæ ad Vunam fluvium, ubi nunc Campus Zrinienſis, incolis Zrinſzko polye, inveſtigandum eſt. Ut proinde lapſus hoc loco videatur Zeilerus, qui non procul à novo, vetus quoque Zrinium olim ſtetiſſe affirmat, Deſcriptionis ſuæ p. 467. Fuit autem Zrinium, de quo nobis hic ſermo, opus irregulare, & tumultuario extructum, appellatumque à Comite Nicolao Zrinio, non tam ut munimenti loco ſerviret ad fines contra Turcas, qui Kaniſam tenebant, tutandos, quam ut aſylum eſſet, quo præda è barbaris regionibus congeſta tuto reponi poſſet. Hinc ut non multa A. C. 1664. à Turcis captum, demolitumque fuit.* Dum porro Turcæ ſe ad invadendam *Hungariam*, & *Auſtriam* parant, ad A. C. 1664. ſub initium Menſis Junii disjiciendam ſuſcipiunt Comitis *Zrinii* munitionem, qua ſe *Petrus* fortiter incluſit, dum *Nicolaus* fatigare obſidentes intendebat. Sed potentiæ *Ottomannicæ* ſe reſiſtere impotentem cernens, à Cæſare ſubſidia petit: quæ quidem reſoluta, & ſubmiſſa fuere, tali tamen ſub conditione, ne *Turcas* ſubſidia hæc invadant, niſi ab ipſis damnis evidentibus invadantur. Cum autem *Turcæ* nihil hoſtilitatis adverſus ſubmiſſas auxiliares copias exercuiſſent, verum in unius Caſtri *Neo-Zrinii* expugnatione ſe occupaſſent, illudque ſpectantibus tam noſtris, quam *Germanis*, ægre *Petro Zrinio* ſe ſalvante expugnaſſent, etiam demoliti ſunt. Cauſam ſimilis Ordinationis *Brietius ad A. C. 1664.* ſequentibus exponit: *Neglecta à Cæſare Arcis Zrinivarenſis defenſione, quamvis de ea multum ſatagere videretur Montecuculus, hæc poſt aliquot dierum obſidionem in Turcarum manus devenit. Ideo autem Arcis hujus neglecta defenſio eſt, quod eam Zrinius Comes abſque Cæſaris conſenſu tumultuario opere conſtruxiſſet, eaque potius uteretur ad prædas conſervandas, quas ab ditione Turcica inquietus etiam in pace miles abigebat, quam quod Regio-*

Digitized by Google

nis Auſtriacæ juſtæ ſecuritati inſerviret. Conſpeximus igitur triſtia hæc rudera, utinam Antenati noſtri non conſpexiſſent luctuoſiorum Heroico-Illuſtriſſimæ familiæ Comitum *Zriniorum* ruinam, & interitum, qui probabiliter, ſi ominari licet, per tumultuariam Caſtri hujus extructionem, protinamque ejusdem everſionem prognoſticabatur. Abeamus ergo hinc ne dolore obrutum cor alia alibi videnda contemplari nequeat.

VII. Siquidem à Regali via tantiſper, pro aliquo digreſſu faciendo, declinaverimus, neceſſum eſt ut ad eandem redeamus, & quidem eam, quæ ſemialterius horæ ſpacium *Vidovicium* ducit. Eſt hic pagus à *Dravo*, & *Mura* fluviis, quaſi æqualiter diſtans, cum Eccleſia, & Cura Parochiali, à *S. Vito M.* cui Eccleſia dedicata eſt, in Idiomate *Slavonico* dictus *Vidovecz*, cum addito *Inferior*, eſt enim & aliud *Vidovecz* in Parochia *Szoboticenſi*, quod *ſuperius* appellatur. Atque ad fluviolum, qui ex palude *Jurcbevczi* defluit ſituatus, Eccleſiam cum turri muratam, vetuſtatis ſqualore nonnihil deturpatam, ad ſingularem decorem deduxit, imponendo ei duas præelegantes Aras laterales, modernus A. R. D. in 12. annum Parochus *Nicolaus Mabanovicb*, Theologus *Bononienſis*, ex partibus *Croatiæ* oriundus, vir pius, humilis, mitis, modeſtus, & exemplaris, zeloſiſſimusque Animarum Curator, quas ſuis ſpiritualibus Servitiis conſolari non ceſſat per ſequentia loca. Primus eſt ipſe pagus *Vidovecz*, ſecundus oppidum *Kotoriba* ad *Muram* fluvium Vajvodatus honore celebre, cum filiali Eccleſia *Sanctiſſimæ Cruci* dicata, frequenti olim *Turcarum* incurſioni patulum, ſed ſemper à *Zriniano* milite in libertatem aſſertum: ad idem pro nunc extat per *Muram* Trajectus *Kaniſam* verſus. Huic accedunt pagi *Dubrava*, in quo de novo erigitur Eccleſia filialis *S. Margaritbæ V. & M.* ſacranda; *Draſilovecz*, *Cbukovecz*. *Mibalyevecz inferior*, & *S. Maria*, ſic ab Eccleſia filiali honori *Beatiſſimæ V. Mariæ* erecta, cui adjacet, nuncupatus. De his ultimis duobus pagis quædam notanda veniunt. *Primo:* Ex *Joan. de Jordan.* Appar. Geogr. *Sect.* 27. *num.* 433. qui *Pannoniæ ſuperioris*, ſeu *Valeriæ* Præſidia enumerans, inter alia ponit Præſidium *Marinianæ* cum Tribuno cohortis, diſſeritque de eodem ſequentibus: *Marinianæ (quæ eadem cum Marinanis) ab Itinerariis collocantur ad latus Dravi fluminis M. P. XLVII. ſupra Murſam, in ſitu bodierni Mibalovecz, ubi Dravus ex Pannonia inferiore, ſeu ſecunda, in Pannoniæ olim ſuperioris partem, Valeriam dein à Diocletiano nominatum, tranſmittitur: unde Præſidium Romanorum bic loci utramque Provinciam Valeriam, & Pannoniam ſecundam reſpiciebat.* Loquitur quidem citatus Author *num.* 435. de quodam *Mibalovecz* infra *Viroviticzam*, ſeu *Veruciam*. Sed quemadmodum ille ex conjectura unius *Romanæ* planioris viæ *Petovio* per *Ludbreginum*, *Capronczam*, *Viroviticzam*, *Mibalovecz*, ac ab inde tranſito *Dravo*, per *Baranya Vár*, & *Dardam* usque *Murſam*, ſeu *Eſſekinum* ominatur fatum Præſidium *Marinianum* ad ſuum *Mibalovecz* conſtitiſſe: ita & nos non ſolum ex conjectura alterius pariter *Romanæ* viæ, quamvis aſperioris, cujus & ipſe citatus Author *loc. cit.* meminit, ſeque eadem iter ſuum egiſſe fatetur, quæ pari ratione *Petovio*, per *Ormosdinum*, *Chaktornyam*, & noſtrum *Mibalovecz*, inde vero tranſita ad *Kotoribam* fluvio *Mura* per *Kaniſam*, *Breſniczam*, *Iſtfandinum*, *Szigetbum* directe *Murſam* usque ducebat; hodieque Poſta Regia decurrit; verum etiam ex ipſa Etymologya nominis *Marinianæ*, quas Codex *Præfecturarum Romanarum* inter Municipia *Valeriæ* vocat *Marianam*, uti & *Bombardius* Topogr. Hung. *pag.* 252. quod etiam ex

situ

Digitized by Google

ſitu ejusdem Præſidii, ex quo utramque Provinciam *Valeriam*, *Saviamque* quæ erat *Secunda Pannonia* reſpiciebat, cenſere poſſumus, Præſidium nominatum vel in ipſo noſtro *Mihalovecz*, vel potius ad *S. Mariam* conſtitutum fuiſſe: nam tempore etiam *Romanorum Ethnicorum*, vel maxime autem *Chriſtianorum* Eccleſiæ Deo, & Sanctis per Regna, & Provincias erigebantur, & dicebantur; per conſequens inferendum judicarem Eccleſiolam hanc in *Inſula Muro-Dravana* vetuſtiſſimam eſſe. *Secundo*: Ex *P. Martino Szentivanio* Differt. Paralip. *Cat.* 9. qui ex quodam alio manuſcripto Catalogo Celſiſſimi Principis *Pauli Eſterhazy* Regni Hungariæ Palatini enumerat, & ſpecificat Imagines Miraculoſas *Sanctiſſimæ Dei Genitricis V. Mariæ* olim in *Hungaria*, *Servia*, *Bulgaria*, *Dalmatia*, *Croatia*, *Slavonia*, *Tranſylvania*, & *Boſnia* clientum affluxu, & beneficiorum fama celebres. Inter reliquas meminit etiam cujusdam veteris Sacræ miraculoſæ Iconis (quæ actu ſunt, ſunt recentiſſimæ) his verbis: *In Inſula Chaktornyæ*, Ubinam hæc quondam extiterit? mihi ſufficienti ſtudio, & labore indaganti in notitiam non aliud devenire potuit, præterquam quod in Eccleſia *S. Mariæ*, cujus ejusdem nominis villa adſita eſt, fuiſſe olim ingentem Peregrinorum ad devotionem erga *Sanctiſſimam Dei Matrem* peragendam accurſum, cui traditionali relationi inſiſtendo, ſtatuendum exiſtimarem, hic loci Sacram illam Iconem, de qua *Szentivan. loc. cit.* loquitur, extitiſſe, ſed tempore introductæ in *Inſulam* per *Georgium Zrinium* luem *hæreſis Lutheranæ* abjectam, atque cum Sacerdotibus curam Animarum juxta Ritum *Romanæ Eccleſiæ* adminiſtrantibus, ejectam fuiſſe.

VIII. Poſt longiorem moram *Vidovicii* inſtitutam tempus eſt, ut iter noſtrum proſequamur occidentem verſus ad Parochiam *S. Georgii M. & M. in Spinis* dictam, diſtinctam tamen ab alia Parochia ejusdem nominis, & agnominis trans *Dravum* amnem *Lugbreginum* verſus ſituatam. Noſtra ad quam tendimus, ſemi alterius horæ ſpatio *Vidovicio* diſtans, & prope fluvium *Stratka* in medio quaſi pagi, qui olim *Turinczi* dicebatur, juxta ſpinoſa dumeta collocata, jam in annum 22. Parochum *A. R. D. Marcum Subarich*, *Croatam* ex partibus *Tranſſavanis* oriundum, Theologum *Viennenſem* reveretur, quia reverentia dignum. Eſt enim ſicut veteranus vir, ita inſignis prudentiæ, & vigilantiæ Paſtor, amplianddæque Numinis gloriæ ſedulus, zeloſusque Curator. Teſtatur hoc Eccleſia ſua Parochialis, quam *hæretico furore* totaliter ruinatam, *Lutherana* autem Secta ex *Inſula* eliminata, è ruderibus pro poſſe prædeceſſorum elevatam, ligneisque partim, partim muratis parietibus concluſam, exiguamque decoris Domus Dei ſpeciem præſeferentem, amore ſancto erga cultum Dei inflammatus pro ligneis parietibus muratos ſubſtituit, totamque hac, quæ ſpectatur, venuſtate adornavit. Quod autem Parochiale ſuum munus concernit, illi cum impenſo animarum ſibi ſubjectarum ſalutis ſtudio diligenter, & indefeſſe incumbit per ſequentes pagos: *Hudoſſan*, *Palinovecz*, *Torſchiſche*, *Dvoriſche*, *Puſztakovecz inferiorem* & *Gorichan* olim Vajvodatus titulo conſpicuum, in quo extat Eccleſia filialis ab immemorabili tempore cultui *S. Leonardi Ab.* ædificata. His itaque viſis, & accepto vale properemus.

IX. Copioſiora luſtranda erunt ad Parochiam *Szoboticenſem*, quod ad occiduum itidem ſolem poſitam tranſito fluvio *Sztratka* unius horæ ſpatio attingemus. Eſt hic Curia, ſicut bene diſpoſita, ita optime compacta, & Eccleſia Parochialis *Natæ Reginæ Angelorum* dedicata, antiquiſſimæ ſtructuræ, ut ex Sanctuario

Digitized by Google

patet, quod refertur eſſe ex mero fuiſſe lapide, idque probant aforis columnellæ per circuitum pro aliquo ornatu diſpoſitæ, quaſi illæ ædificii molem ſuſtentarent. Dolendum in eo, quod hæc Eccleſia ſenſim, & ſenſim, non ob antiquitatem, ut quidam putant, ſed potius ob inſoliditatem fundi (qui ex ipſa Eccleſiæ humiditate cænoſus apparet) profundius terræ immergatur: ad hanc tamen ſive fulciendam, ſive de novo erigendam eximios modernus D. Parochus non ceſſat facere apparatus. Adjunctam habet ſibi ad latus dextrum intrantibus ſubtus chorum Capellam *Beatiſſimæ V. Mariæ* Sacram, picturisque variorum Sanctorum exornatam, Confraternitati *de Doctrina Chriſtiana* addictam. Parochiæ huic provide præeſt jam in annum 14. *Reverendiſſimus D. Thomas Szenyan* Protonotarius Apoſtolicus, nobili inter *Croatas* Confinii *Caproncenſis* genere natus Theologus *Bononienſis*, vir, ſicut ſuaviſſimæ humanitatis, ita & benevolentiæ, ſimul profuſæ charitatis, & hoſpitalitatis. Quemadmodum autem præeſt, ita & prodeſt Parochiæ eruditione ſua non contemnenda ſedulus, indefeſſusque Paſtor per ſequentes villas: Prima eſt *Szoboticza* de qua actu egimus, deinde *Steffanecz*, *Ivanovecz*, *Vidovecz ſuperior* cum Eccleſia filiali ligneæ ſtructuræ *S. Vito M.* ſacra, *Orchovicza*, *Vilaria*, *Podbreſzt*, *Benkovecz*, *Jurchevecz*, *Szarelecz*, & *Draſimerecz*. Habet & alteram Eccleſiam filialem *Chriſto Domino Crucifixo* ſacratam, quam *Nedelicio* deſcendendo *Perlakinum num.* 2. in Regali via venerati ſumus. Hujus *S. Crucis* pluribus prodigiis memorabilis initia referuntur ad A. C. 1706. quo eam D. *D. Nicolaus Spolyarich* in villa *Podbreſzt* habitans ære ſuo comparatam ad viam Regiam cultui tranſeuntium de licentia Superioritatis ſpiritualis erexit: ſed cum illam eodem, vel ſequenti anno vehemens dejeciſſet ventus, memoratus Dominus depoſito de Cruce ſimulcahro *Chriſti Domini*, illud ſub tectum domûs ſuæ ad angulum quendam repoſuerat, ea intentione, ut id denuo ſolidiori Cruci affigat, firmiusque loco in eodem, in quo prius ſteterat, locet. At cum intentionem ſuam vel oblivione, vel aliis præpeditus negotiis protraheret, Conthoralis ejus *Anna Maria Kudelii* graviter infirmatur, cúmque infirmitas in dies ſuccreſceret, neque ullis adhibitis medicinarum ſubſidiis repelli poſſet, recurſu facto ad ſupremum animarum, & corporum Medicum DEUM, ægra ſomnum capere cœpit, ſub cujus decurſum admomonita à *Crucifixo* ſub tecto latente; ſi velit ſanitatem conſequi, moneret ſuum Maritum ad repoſitionem ſui. Quod dum ternis ſemper in ſomno ægræ accidiſſet vicibus, commonitus Maritus id, quod jubebatur, extemplo præſtitit ad A. C. 1710. uxor quoque ſua illico ex integro convaluit. Fama rei hujus vulgata tranſeuntes ſpecialiori cultu *Crucem Sanctam* venerari cœperunt, plurimique eorum gratias acceperunt, ſignanter Molitores quidam *Dravani*, qui (locator namque *S. Crucis* jam obierat) congeſta ad invicem aliqua peculiola æduculam ſub *Cruce* exiguam, pro peragendo tamen Miſſæ Sacrificio percommodam ex aſſeribus conclavatam erexerunt, taliterque devotionem erga *Chriſtum Crucifixum* adauxerunt. Poſtquem autem aucta devotione *Crucifixus* quoque variis, iisque copioſis prodigiis inclareſcere, populusque frequentior ad gratias impetrandas confluere cœpiſſet, æediculam illam, & dilatare, & prolongare eo quo poterant modo, ex aſſeribus videlicet coacti ſunt Curatores ejusdem loci A. R. D. Parochi Szoboticenſes, ſupra cujus portam ad deſignendum locum, & annum ſequens inſcripſerunt Chronographicon.

Do-

DoMVs CrVCIfIXI.

Quo vero *Crucifixus* hic in terreno Dominali ad 100. circiter paſſuum viciniam Allodii ejuſdem ſituatus eſſet, Eleemoſyna, quæ medio tempore in oblationibus devoti populi huic ſacro loco obveniebat, accipiebatur ab Officialibus Arcis *Chaktornyenſis*, volentes ejuſdem, excluſo Parocho, curam habere. Cum autem conglomerata notabili ſumma pecuniaria nihil pro decore *Domûs Crucifixi* ageretur, imo ea, quæ ex aſſeribus conclavata fuerat, quaſi deſerta in deſolationem vergere, devotioque & concurſus plebis decreſcere cerneretur: zelo augendæ gloriæ Dei accenſus modernus Reverendiſſimus D. Parochus, dum ad A. C. 1741. Excellentiſſima D. Comitiſſa *Dynaſtiæ Inſulæ Muro-Dravanæ* hæreditaria, & proprietaria *Chaktornyam* adveniſſet, porrecto humili Memoriali, inſtitit, quatenus Sacer hic locus à Juriſdictione Parochiali non avellatur, ſummaque pecuniaria præ manibus Dominorum Officialium exiſtens, pro ædificio Eccleſiæ, in quem finem, eam fidelis, & pius populus contribuiſſe dignoſcitur, Parocho admanuetur. Quod dum ab ingentis prudentiæ Domina, juſtum D. Parochi poſtulatum recognoſcente, impetraſſet, mox omnem conatum adhibuit, ut muratam Domum *Crucifixo* è fundamentis erigat, quod & in forma *Italica* feliciſſime præſtitit, eamque pro decentiori cultu Divino, ac commodiori piæ plebis devotione, duas laterales Aras adjungendo, accommodavit, ſupremamque manum eidem impoſuit Anno, quem ſequens in frontiſpicio Sanctuarii denotat Chronoſticon.

sI DESERTA fVIT noVITER
pIETATE resVrgIT
DeVotI popVLI CVpIentIs gaVDIa poLI.

Erudito Chronoſtico huic non minus elegantes adjuncti ſunt ſequentes *Chriſti Domini Crucifixi* erga homines infinitum amorem explicantes verſus.

Crimina qui plango, deperdita pectora tango,
Affixus Cruci, cupio te reddere luci,
Sum ſalus ægroto Crucifixus corpore toto,
Ad me levando manus, pateris recedere ſanus.

Erecta igitur Eccleſia locus, qui paſcuationi ſerviebat, in Oratorium *Crucifixi*, ipſe *Crucifixus* in Aram tranſiit, hodiedumque largitione gratiarum ad eum confugientium eſt perquam illuſtris: quarum Catalogum huc adnectere longum foret, relinquimus id hujus loci Parochis, ſperamus namque quod unus, vel alter eorum, eas ex pluribus notatis in unum volumen compilatas pro incremento devotionis publicæ luci daturus ſit. Id tamen inſinuandum cenſeo, quod hac in Eccleſia ab A. C. 1736. particula *Sanctiſſimæ Crucis* Monſtrantiolæ incluſa conſervetur una cum ſua authentica, eaque diebus concurſuum publicæ populi venerationi exponatur.

X. Ex campo inferiori, tranſmiſſo fluvio *Ternava*, ac pertranſito lacu non cænoſo, ſed arenoſo *Paiſtuba* dicto, ſeptentrionem verſus, unius quaſi horæ ſpatio aſcendere oportet Campum ſuperiorem, in quo primo loco occurret nobis pagus *Bellcza*, cum Eccleſia, & curia Parochiali. Eccleſia à fundamentis ad elegantem horum temporum formam erecta eſt circa A. C. 1720, atque gloriæ *Glorioſæ Aſſumptæ in cœlos Reginæ* dedicata; cui ad A. C. 1730. illatæ ſunt binæ de novo elaboratæ Aræ laterales, alia-

Digitized by Google

que Eccleſiaſtica non ſpernenda ſuppellex, circa annum dein 1739. ſuperaddita eſt pariter ex fundamentis Sacriſtia, ſuperimpoſito eidem pulcherimo oratorio, & Ara *SS. Cruci* Sacra, ampliſſimisque feneſtris, ita ut populus ex utraque parte fori a foris Sacerdotem celebrantem conſpicere poſſit. Unicam proportionatam turrim Eccleſia hæc ſuſpirat, quæ ſi adeſſet, non ipſam duntaxat Eccleſiam, verum & utrumque campum ſuo decore illuſtraret. Parochiam hanc ſicut zeloſe, ita vigilantiſſime jam in Annum 21. adminiſtrat, *Reverendiſſimus D. Georgius Antolcbich*, Protonotarius Apoſtolicus, Theologus *Bononienſis* in partibus *Croatiæ tranſſavanis* luci editus, vir pius, prudens, benignus, Verbisque Divini facundus Præco; hinc cunctis amabilis, & & converſatione Eccleſiaſtico viro competenti commendabilis. Præter pagum *Beliczam*, ſuæ Paſtorali curæ commiſſam, habet etiam pagos *Gardinovecz* hæreditarium olim Nobilium *Ladislai* & *Valentini Repich*, ut colligitur ex Diplomate Regio *cap. 53. num. 4.* producto: Item *Domaſſinecz*, *Novakovecz*, & *Dekanovecz* olim Vajvodatus honore inſignem, qui etiam ſæpius *Turcarum* expertus rabiem, eidem heroice reſtitit. In hoc extat etiam elegans Eccleſia filialis ætate nobis incognita erecta, atque honori *Omnium Sanctorum* ſacrata.

XI. Hinc iterum, ut ſuperiorem campum, antequam ad montana progrediamur, ex integro luſtremus, ſeptentrionem verſus progrediendum eſt ad ipſam *Muræ* fluvii ripam, & poſt unius horæ intervallum offeret ſe nobis ad rudera veteris Caſtri, *Turniſche* vocitati, ejusdem nominis Oppidum, & Parochia cum curia ſatis commoda, ac Eccleſia ſicut ampla, ita decenter in omnibus ornata, ac proviſa per zeloſos Parochos, qui in Domino obierunt. Extat in eadem Capella cum Icone *Beatiſſimæ V. Mariæ Doloroſæ*, habente cultores copioſos, quibus pro pietate cujusque ſuis reſpondet gratiis, ac in dies magis beneficiis illuſtratur; ad hanc inſtituta eſt Congregatio *de Doctrina Chriſtiana*, multum ſicut juventuti plebeæ, ita & adultæ rudiori plebi multum proficua. Munere Paſtorali hac in Parochia functurus A. C. 1750. à ſuperioritate ſua miſſus advenit *A. R. D. Georgius Peroſs*, *Croata Inſulanus* Theologus *Viennenſis*, homo quidem juvenis, ſed moribus ſuis probis, modeſtis, atque ingenuis vere virilem maturitatem ſpirans, ſed & eruditionis apparet eſſe non exiguæ, dignus propterea, ut ei felicem progreſſum in ſuo Regimine ſpirituali precemur. Curæ ſuæ Paſtorali concreditas habet ſequentes villas; ipſum videlicet *Turniſche* oppidum, *Ferketinecz*, *Miklovecz*, *Kriſovecz*, quondam Vajvodatus officio illuſtrem, & *Szivicza*. Quod Caſtrum, ſeu Caſtellum *Turniſche* concernit, illud mox poſt Parochialem curiam in ruderibus ſepultum jacet, extant tamen hodiedum valla, & foſſata, intra quæ conſiſtebat, referturque olim fuiſſe cum 4. primis ſupranominatis villis Excellentiſſimæ familiæ Comitum *Bathyany* proprietarium, ſed ab Excellentiſſimo Comite Adamo *Bathyany* circa A. C. 1644. Comiti *Petro Zrinio* intuitu certæ Summæ pecuniariæ titulo redemptibili impignoratum. Caſtellum porro hoc cum ſuis poſſeſſionibus ad familiam *Bathyanyanam* pertinuiſſe colligitur etiam ex *Ratkajo*, qui Mem. Reg. & Ban. *pag. 246.* ſic inquit: *Peninſulam Muræ, Dravoque interclusam privatis incurſionibus à Kaniſienſibus Turcis divexatam jam ſupra retulimus: verum non hac contenti, eam etiam ditionem, quæ Adami Bathyany poteſtati paret, frequenti deprædatione infeſtam reddebant.* Quando autem Caſtrum iſtud demolitioni ſuccubuit? incertum eſt: plerique tamen omi-

nan-

Digitized by Google

nantur id accidiſſe eodem anno, quo & *Neo-Zrinium* everſum eſt. Idque inſinuare videtur *Brietius* ad A. C. 1664. dum de everſione *Neo-Zrinii* diſſeruiſſet, ultra ſic inquiens: *Inde auctis Turcico Præfecto animis, dum diruta Arce Auſtriam irrumpere impatiens tentat, resque tota in tranſitu Arabonis fluvii verſare videretur, inſigni clade à Montecuculo ad S. Gothardi pagum frangitur, occiſis cruenta ſtrage infidelium ſedecim millibus.* Quaſi diceret: Diruta arce *Neo-Zrinii*, animatus *Turcicus* Præfectus, dum *Neo-Zrinio* in *Auſtriam* tendit *impatiens*, alia quoque caſtra obvia, ne in reditu ipſi impedimento eſſent, disjicit. Præter recenſita, id etiam memoria dignum omittendum haud cenſemus: qualiter nimirum ad A. C. 1650. *Legradini* pax cum *Turcis*, de qua hic *num. 5.* egimus, concluſa, eodem anno *Turniſchæ* firmabatur, qua occaſione, ut *Ratkajus loc. cit. pag. 261.* refert: *Ad idem Caſtrum Haſſanes præcipuus Caniſienſium viſendi Zrinii cupidus advenerat: Vir ſane elegans, atque militaris, niſi fama ejus, facto antea cum Zrinio certaminis congreſſu, ac in fugam verſo, pileoque cum honore amiſſo decreviſſet.*

XII. Ex campo tranſeundum eſt Montana, & ne bis eandem teramus viam, ex *Turniſche* directe duarum horarum intervallo procedendum judicarem ad *S. Georgium in Aquis*, taliter ab aqua limpidiſſima, quæ ſub Ara ſumma, tanquam é fonte perpetuo exilit, ſitientesque recreat, dictum. *Bombard.* Topogr. Hung. *par. 2. cap. un. ſegm. 1. §. 12. num. 10.* vocabulo *Oppidi*, quamvis pauculas domos numeret (niſi forte priſcis temporibus numeroſiores extitiſſent) honorat. Eſt Eccleſia hæc in placidiſſima, ſimul ſaluberrima aura, vitiferorum montium vertici, cum Curia Parochiali, impoſita, in qua pulcherrimus, amœniſſimusque per longum, & latum Septentrionem, orientem, & meridiem verſus proſpectus patet, à nundinatione etiam annua in Feſto *S. Georgii M.* haberi ſolita, celebris. Parochiæ huic in 20. jam annum ſicut meritiſſime præeſt, ita providentiſſime prodeſt *A. R. D. Joannes Mihanovich*, è vetuſta Nobilium familia *Croato-Zagorienſi* genitus, Theologus *Romanus* ex Collegio *S. Apollinaris E. & M.* Hic enim & Theologiæ, & Jurisprudentiæ utriusque non vulgari peritia conſpicuus, ne quam Eccleſia ſua proventuum pateretur imminutionem, fundos ejus imperterrite vindicavit. Et cum decorem Domûs Dei diligeret, plurimis in eam collatis ornamentis reddidit venuſtiorem. Subſunt huic ſpiritualibus officiis providendæ primo villæ: *Novoſzelo*, *Dragoſzlavecz*, *Mihalyevecz major*, in qua extat Eccleſia filialis honori *S. Catharinæ V. & M.* dicata, *Bogdanovecz*, *Badlich*, *Dubrava*, *Brezje*, & *Mihalyevecz minor*. Deinde Promontoria, inter quæ rariſſimi ſunt pagi, ſed hinc inde per montana inter vineas diſperſæ plurimæ Vinicolarum, & Montaniſtarum domunculæ: hinc Parochus de quo agimus, dici poteſt: *Parochus Montano-Campeſtris*. Villæ namque eſto non ſint in planitie campeſtri, adjacent tamen plerumque campo. Subſunt ergo ejusdem Paſtorali curæ Promontoria, *Kosnyak*, *Merzlopolye*, *Brachevecz*, *Lopatinecz*, *Vuchetinecz*, *Velikibraſzt*, *Pleskovecz*, *Ferkanovecz*, *Záſzad*, *Okrugliverh*, *Dugiverh*, *Dragoſzlavſzkiverh*, & *Vukanovſzkiverh*. Expoſito per compendioſam narrationis noſtræ ſeriem Parochiæ *S. Georgii in Aquis* ſitu, eam in cultu *Mariano* terminare volumus. Cultui huic memoratus A. R. D. Parochus apprimè deditus, dum *Româ* ex ſtudiis repatriaret, *Lauretum* divertit, ac peracta ibi erga *SS. DEI Genitricem* devotione, Iconem in tela pictam *Lauretanæ* ſimilem, Originalique ſacræ Statuæ attactam ſecum detulit, Parochusque hujus loci effectus, extructa de licentia Superiori-

Digitized by Google

ritatis ſuæ 20. circiter paſſibus ante Eccleſiam Parochialem ad publicam viam parvula ad formam *Lauretana* domunculâ, eam eidem affixit, cratibusque clauſit, adjungendo tamen a foris flexorium, quatenus tranſeuntis populi veneratione potius, flexis etiam genibus cui libuerit, quam in privata domo ab uno, alterove colatur. Qua conſpecta tranſeuntes eam tam ſpe, quam fide firmiſſima ſibi propitiam fore credentes debito proſequi cultu non omittebant. Et en! Ectypon *Mariæ* parieti Domunculæ commiſſa poſt exiguum temporibus intervallum inter cratis umbras miraculis coruſcare cœpit. Quod animadvertens zeloſus *Mariani* honoris Parochus, petita iterum à ſuperioritate ſua facultate Altare ſacræ Iconi, ad quod commode Miſſæ Sacrificium celebrari queat, ſuppoſuit, cultumque Marianum ferventer ex Ambone auditoribus ſuis commendare haud ceſſavit. Percrebreſcente rei hujus famâ tantus ſucceſſive ex univerſa *Inſula*, ex vicina *Hungaria*, & *Styria* convolare ad ſalutandam, & venerandam hanc *Gratiarum Matrem* cœpit, ut vix viceni pro exaudiendis pœnitentibus ſufficerent Confeſſarii. Quo viſo A. R. D. Parochus cogitabat Iconem Sacram de loco ſuo priori movere, atque ad Eccleſiam Parochialem transferre: ſed cum ſimul perſpexiſſet in dies devotizantis populi concurſum augeri, eleemoſynariæque largitionis copiam contribui, animum ad novam eidem erigendam Eccleſiam, quam &, *Mariâ* cooperante, una cum eminenti turri feliciter conſummavit, & quidem nihilo fere minorem Parochiali, in pulcherrima forma. Ipſo enim *Domus Lauretana* cum ſua ſacra Icone, & Altari ſupra 5. aut 6. ni fallor, gradus per circuitum diſpoſitos collocata Aræ principalis præſefert ſpeciem in Sanctuario, cui adjunctæ ſunt infra gradus in corpore Eccleſiæ duæ elegantes Aræ laterales. Præterea Sacriſtia cum choreto organo proviſo, & majori choro à retro pro populo, Cathedra item Concionatoria, uti & Confeſſionalia, ſingula denique ad cultum, & ornatum *Deiparæ Virginis*, neceſſaria competenter ordinata, atque inſtructa ſunt. Agmina gratiarum hic à Clientibus *Marianis* acceptarum nobis conſignare longum foret, ſed interrogentur omnes huc pie confugientes, qui experti ſunt illam *Matrem gratiarum benevolam*: quarum copiam quemadmodum innumera *Virginis* honori appenſa teſtantur anathemata, ita & harum ſeriem in typis (ut appollicitus eſt ſupralaudatus A. R. D. Parochus) proxime vulgandam legere poterit, qui memoratas gratias ſcire deſideraverit. Luſtratis hic binis Eccleſiis, onereque officii hujus Parochiæ intellecto, adeamus etiam Curiam Parochialem, quam olim exiguam, ac ligneam, in muratam, ampliorem que pro decentia Status Eccleſiaſtici prætitulatus D. Parochus commutavit.

XIII. Adſalutata iterum *Deipara Lauretana* recedamus, atque per montana Septentrionem verſus, à dextris, & ſiniſtris per unius horæ viam meras vineas habituri, ad vallem deſcendamus, accedamusque *A. R. D. Mathiam Salecz*, Parochum *Szelnicenſem*. Hic in *Croatia* circa partes *Caroloſtadienſes* natus, poſtquam Theologiam moralem *Zagrabiæ* abſolviſſet, curamque animarum qua Capellanus quibusdam in Parochiis laudabiliter exercuiſſet, meritus eſt Paſtorali officio *Szelnicza* admoveri, Vir, ut alter Job, ſimplex, & rectus corde, timens DEUM, ac declinans à malo: & verè *Izraëlita*, in quo dolus non eſt, ac juxta hoc erga omnes affabilis, hoſpitalis, & quod maximum eſt, ovium ſibi concreditarum Paſtor jam in annum 23. infatigabilis. Corpus Eccleſiæ ſuæ cultui *S. Marci Evang.* dicatæ eſt vetuſtum,

ſtum, tabulato duntaxat, ut antiquitus moris fuit, proviſum, cum turri non contemnendæ venuſtatis. Sanctuarium porro Eccleſiæ Gothicæ ſtructuræ cum cupula celſæ altitudinis ſtetit usque ad A. C. 1738. quo ex vehementi terræmotu non ſolum labefactata, ſed & per medium in modum crucis fiſſa nonniſi ruinam meditabatur, ruiſſetque probabiliter, niſi lignea trabe ſuffulta fuiſſet. Hinc memoratus D. Parochus neceſſitatus fuit eam una cum Sanctuario demoliri, novumque, concurrentibus in opus univerſis Parochianis, multo venuſtius priori, è fundamentis, adjuncta ei ad latus Epiſtolæ decenti, & ſufficienti ſacriſtia, erigere, illudque uſitato his temporibus fornice concamerare. Ad cujus frontiſpicium memoriæ ergo ſequens in perſona Eccleſiæ Parochianos alloquens Chronographicon.

eoDeM, qVo CorrVI, eX faVore Vestro reVIVIsCo.

Quemadmodum autem Parochus ad *S. Georgium in Aquis*, ita & hic *Montano-Campeſtris* nominari poteſt, habet namque curæ ſuæ concreditum gregem in montibus, ſeu Promontorii *Konchovchak*, *Bukovecz*, *Preprucban*, *Zabanecz*, & *Marhatovecz*. In pagis vero partim campeſtribus, partim montanis, *Szelnicza* ipſa, *Kralyevecz ſuperiori*, *Strukovecz*, & *Peklenicza* in monticulo ſat alto ad ripam *Muræ* ſituata, in cujus valle meridiem proſpiciente extat in terra fuliginoſa fons aquæ vivæ, ſed atricoloris, qui æſtivo tempore è ſcaturigine ſua producit quandam pinguedinem pariter nigricantem; hanc populus circumvicinus colligit, utiturque ea ad currus inungendos quam optime ſerviente: uti & pro pharmaco ſcabioſis hominibus, ac animalibus ſanitatem conferente. His accedit etiam villa *Vratiſſinecz*, in qua ab olim fuerat è roboribus ligneis Eccleſia filialis *SS. Cruci* dicata, verum & hæc induſtria memorati D. Parochi præteritis hiſce annis in ampliori, & venuſtiori forma lateritia facta eſt. Ac tandem Oppidum *Murſzko Szrediſche*, quod *Hungari* nominant *Szerdahely*. Hic olim Parochialem Eccleſiam extitiſſe, teſtatur certum Inſtrumentum authenticum de A. C. 1505. *Mathiæ Svarecz* Presbyteri *Zagrabienſis*, Divina & Apoſtolica, Imperialique authoritate Notarii publici: in quo legitur ſubſcriptus *Georgius Plebanus de Szerdahely*. Qua via autem, & quando Parochia hæc eliminata ſit, atque ad ſæculares manus devenerit? reſcire nequivi. Unicum hoc circumfertur, quod in eodem Oppido Curiam ſuam nobilitarem habuerit *D. Georgius Nagy* ſupremus Triceſimarum *Slavonicarum* Inſpector, qui eam una cum omnibus terrenis montanis, & campeſtribus ad eam ſpectantibus Vbli Capitulo *Zagrabienſi* legaſſet ea conditione, ut ex ſubſidio proventuum legati terreni in loco curiali Eccleſia erigatur, omnibusque neceſſariis provideatur, ac venerationi *S. Ladislai Regis Hungariæ* conſecretur: quo facto, futuri proventus in parte competenti cedant Eccleſiæ pro dote, reſiduitas vero applicetur uſui Vblis Capituli *Zagrabienſis*, tamquam erigendæ Eccleſiæ perpetui Tutoris. Sublato è vivis circa A. C. 1699. Teſtatore, ut mox ejusdem deſiderio ſatisfiat, injuria temporum, quibus *Franciſco-Rakoczniani* motus ſicut *Hungariam*, ita & *Inſulam Mur - Dravanam* depopulabantur, haud ſinebat, his tamen ſopitis compacta fuit pro tempore optata Eccleſia è ligno, ſed cum & hæc in ruinam vergeret, ſupranominatus D. Parochus, cum unam filialem ſuam erexiſſet, aliam etiam ædificare deſiderans, de facili à Vbli Capitulo *Zagrabienſi*, utpote ſicut ſuæ, ita & univerſarum Diœceſis Eccleſiarum decoris zeloſiſſimo, ſumptus impetravit, quibus & hanc lateritiam fecit, eam-

Digitized by Google

que pro honore Dei celebriorem reddidit, cum & antea pro celebri habita fuiſſet tum ob devotionem, quæ in eadem ſtatis temporibus peragi ſolet, tum ob binas annuas nundinationes venuſtiſſimorum cornutorum animalium ex *Hungaria* adductorum, in Feſtivitatibus *SS. Philippi, & Jacobi Ap.* ac *S. Demetrii M.* haberi uſitatas. Sed neque hic quievit zelus D. Parochi, cum etenim Eccleſias ſibi concreditas pro poſſe ſuo renovaſſet, & illuſtraſſet, Curiam quoque Parochialem, demolita veteri, utpote anguſtiſſima, & ruinam ſpirante, novam è fundamentis, ligneam quidem, ſed ſatis pro more patriæ elegantem extrui curavit, taliterque ſibi, ſuisque ſucceſſoribus honeſtam habitationem procuravit.

XIV. Longo ſat jam per *Inſulam Muro-Dravanam* peracto itinere velocius tendamus, ut tandem cupito noſtro adepto quieſcere valeamus. Unam tamen adhuc Parochiam, antequam *Stridonium* veniamus, adire neceſſum eſt. Eſtque illa ad *S. Martinum in Pomorie*, quaſi diceretur: *Ad Ripam Muræ fluvii*, ſeu *Cis Muram*, diſtans *Szelnicza* unius horæ itinere in via Regali *Rakelſpurgam*, civitatem *Styriæ inferioris* ducente. Eccleſia hæc ædificata eſt A. C. 1468. ut annus Gothico charactere lapidi inſculptus docet. Fundatores ejus, aut Benefactores demonſtrant quidem terna Inſignia in Sanctuarii fornice, forma Gothica concamerata, lapidibus inciſa. Plures viros eruditos, uti & libros de ſimilibus tractantes, ſignanter *Valvaſorium* Topogr. & Hiſt. Carn. *lib.9.* in quo plura, quam 300. Inſignia ſculpta diverſarum familiarum antiquiſſimarum, etiam *Croaticarum* producuntur, conſului, reſcire curioſus, quarumnam familiarum hæc Inſignia fuiſſent, ſed à nullo edoceri potui, præterquam de uno ſignum *SS. Crucis* præferente, ex quo colligere licuit, Eccleſiam hanc olim Parochialem extitiſſe *Ordinis Crucigerorum*, è quorum numero duo Eccleſiam hanc erexiſſent, ſuaque Gentilitia ſigna memoriæ ergo appoſuiſſent; atque hoc probari vix non poſſet ex infra dicendis *de Nova Curia*, interim quiqui illi ſint Fundatores, ſeu Benefactores, ii pro temporalibus præſtitis huic Eccleſiæ bonis, ſuperi retribuant æterna: nos vero ad A. R. D. Parochum itidem *Montano-Campeſtrem* divertamus, ut ab eo informemur de ſtatu hujus Parochiæ. Hic nomine *Martinus* cognomento *Horvat*, natus *Stridone* ex civilibus parentibus non contemnendum ſe Benefactorem hucusque exhibuit Eccleſiæ *S. Hieronymi* in *Strido*, Moraliſta *Zagrabienſis*, vir veteranus, & omnium Parochorum in *Inſula* ſenior; primo obtutu apparebit homo moroſus, & tædioſus, quaſi nec conſpicere advenas deſideraret, inquiret mox, qui eſtis? unde eſtis? quid veniſtis? proponet etiam quæſtiunculas Theologico Speculativas, & Morales, item Philoſophicas, & Hiſtoriales tam ſcripturiſticas, quam ſæculares, ſeu prophanas recognoſcere cupiens eruditionem peregrinorum: ſed ſi cordatius modice ei reſpondeatur, humiliter tamen, mox in affabiliſſimum, humaniſſimumque virum mutabitur, exhibebitque pro poſſe ſuo cuncta amicæ hoſpitalitatis officia. Narrabit etiam inter hæc, qualiter is ipſe ad A. C. 1720, per conſequens ante 30. annos Parochiæ hujus curam ſuſcipiens, Eccleſiam ſuam à *Rakoczianis* prædatoribus deſolatam invenerit, eamque ad modernum decorem reduxerit: demonſtrabit quoque lapidem Sepulchralem, cujus qualiter Sanctuario Eccleſiæ immuratus ſit, nullus recordatur, bene vero, quod is ipſe, qui in eodem exſculptus eſt, Parocho ejus temporis certam, non parvam ſummam pecuniariam, quatenus eum in Eccleſia tumularet,

obtu-

Digitized by Google

obtulerit, ſed quia *Lutherana dogmata* hortante eodem Parocho ejurare renuiſſet, verum in iis mori prælegiſſet, petito Parochus ſpreta pecunia, nullatenus annuerit, atque ea ratione ipſum extra ſacrum locum ſepeliri curaverit. Porro circa Perſonam exſculptam in eodem lapide leguntur ſequentia:

Hic jacet Generoſus Dominus Nicolaus Mallekoczy, Sereniſſimi Archi-Ducis Caroli Supremus Capitaneus in Baychvár, & Spectabilis, ac Magnifici Domini Georgii Comitis à Zrinio Conſiliarius intimus, qui obiit in Domino 1603. 10. Febr. ætatis ſuæ vero 55.

Viſo hoc videamus etiam diſtrictum Parochiæ hujus, Ductore eodem D. Parocho, qui exhibebit nobis primo Villas, quarum in functionibus ſuis ſpiritualibus infatigabilem, & zeloſam curam habet. Eſtque prima ipſa *S. Martini in Pomorie*, 2da *Maroff*. 3tia *Sobnik*. 4ta *Verbovlye*. 5ta *Braſſovecz*. 6ta *Jurovecz*. 7ma *Cheſztianecz*, ac tandem 8va *Bukovie*. Poſt has occurrunt bina Caſtra, ſeu Caſtella cum ſuis pariter villis, ſed exiguis, primum eſt *Novi Dvori* Latine *Nova Curia*, quamvis ſalubritate auræ, amœnitate viciniæ, cæterarumque deliciarum, ſi coleretur, affluentia ſpectabilis, tectoque aliquo proviſa, deſolata tamen gemit à nullo niſi innovetur, habitabilis. Cui ſtructuram ſuam à primis fundamentis debet? non ſcitur: *Crucigerorum* olim Collegium fuiſſe, ſicut vulgus perhibet, ita *Szentiv.* Diſſert. Paralip. *Catal.* 44. teſtatur, viguitque, ut idem aſſerit, A. C. 1277, fuitque olim Conventus, ſeu Perceptoratus ſubjectus Priori Clauſtri *Aurana* in *Croatia*, hic vero Comiti *Dubiczæ*. Fuerunt hi *Crucigeri*, ut citatus *Szentiv.* ſcribit: *S. Joannis Hieroſolymitani*, qui olim *Hoſpitalarii*, dein *Equites Rhodienſes* vocabantur, nunc vero *Melitenſes* dicuntur. Si ergo *Nova Curia* ſpectans ad Parochiam *S. Martini* fuit olim *Crucigerorum*, inferre licet, & Eccleſia *S. Martini* fuit Parochialis *Ordinis Crucigerorum*. Secundum Caſtellum *Lapſina* ab aëris tranquillitate celebre, unde Comitibus *Zriniis* caſtellum hoc, cæteroqui non magnum ingenti in precio, deliciisque habebatur, pro nunc etiam ſat venuſtum ab Excellentiſſimo moderno Dominio utcunque reſtauratum. Præter *Szentivanium* Diſſert. Paralip. *Cat.* 122. *Lucius lib.* 3. *cap.* 1. plures etiam *Hiſtorici* Domeſtici, & Exteri meminerunt unius Comitis de genere *Lapſanorum*, & ſimul *Carinenſium* nomine *Martini*, qui erat de numero eorum 12. Comitum, qui qua Legati *Croatiæ*, & *Slavoniæ* ad *Colomannum* Regem *Hungariæ* eadem Regna nomine totius gentis Regno *Hungariæ* incorporarunt: de qua *Lapſanorum* familia directiſſime deſcendit modernus Illuſtriſſim: D. Comes *Chriſtophorus Orſich*. Terra porrò *Carini*, vel fuit Arx *Korenicza*, cum ſubjecta ſibi ditione, quæ jacet ad *Bibatchinum* (uti locatur in Tab. Geograph. *Joannis Roſſi* A. C. 1690. *Romæ* excuſa) vel probabilius Terra *Carini* eſt Arx *Karin*, cum ditione appertinente, quæ eſt in Comitatu *Jadrenſi* non procul à *Novigrado* (ut habetur in citata *Joan. Roſſii* Tab.) harum unam, ſed mihi non conſtat quam, *Zvonimirum* ultimum *Dalm. Croat. & Slav.* Regem, Comiti de genere *Lapſanorum*, cum filia *Vujnicza* clauda in uxorem data, poſſidendam contuliſſe, atque ab hac eoſdem *Lapſanovichios* dictos etiam fuiſſe Comites *Carinenſes*, ſcribit *Lucius loc. cit.* aſſeritque id conſtare ex Privilegio *Ludovici* Regis *Hungariæ* A. C. 1360. die 28. Novembr. emanato. Quis novit, an non aliquando ejuſdem familiæ *Lapſanorum* memoratum Caſtrum *Lapſina* extiterit proprietarium? Cum autem hoc noſtrum non ſit inquirere, ſed pure, quæ vidimus referre, tranſeamus ad montana ea, quæ prout villæ, & Ca-

Digitized by Google

ſtella prænominata, juriſdictioni ſpirituali Parochi *S. Martini in Pomorje* ſubſunt, cernemusque ſequentia: *Jurovcbak*, *Kamenar*, *Gradiſcbak*, *Gerkaveſcbak*, & *Kapelſcbak* ſic dictus mons à Capella filiali *S. Margaritæ V. & M.* Sacra, & ab olim montis ejusdem vertici impoſita. Atque hæ ſunt *Inſulanæ* 11. Parochiæ de quibus nos, uti & de eorundem Caſtellis, Oppidis, Pagis, & Villis titulo *Capitis hujus* acturos ſpopondimus. Nunc igitur arripiamus iter noſtrum regia via *Lapſinam* usque, ſupra quam omiſſa via regia ſiniſtrorſum, tranſito per pontem fluviolo *Strigovcbak* intra montana nos declinare oportet, inter quæ poſt paucum temporis intervallum adibimus oppidum *Stridonenſe*, in quo cum longiorem trahere moram intendamus, pro nunc ab ejusdem luſtratione ſuperſedeamus, id *ſequentibus tribus Capitibus* peracturi.

CAPUT LX.

De Parochia Stridonenſi, eidemque adnexo ejusdem nominis Oppido.

I. Oppidum *Stridonenſe*, quod in *Latino* idiomate *Stridon* in *Slavonico* pro varia circumjunctis populi dialecto *Stridovo*, *ſtrigovo*, & *Strigna* appellatur, ut oculis conſpicimus, in valle inter montes vineis conſitos ſituatum eſt. Hoc ipſum Oppidum *D. Hieronymi* Natale ſolum eſſe probavimus primo, ex remonſtratione vetuſtiſſimorum *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ* Confiniorum, *cap.* 42. Secundo, Authoritate plurium fide dignorum Scriptorum *cap.* 44. 45. 46. 47. 48. & 49. productorum. Ex quibus benevolus Lector colligere poterit, vix ſupereſſe aliquod dubium, quod contrarium ſentire quiret. Epiſcopatum olim huic oppido *Stridonenſi* adnexum fuiſſe aſſerit *P. Fuhrman* Vet. & Nov. Auſtr. *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. dum de temporibus filiorum *Conſtantini Magni* diſſerens, ait: *Fuerunt hucusque, ſignanter ſub Conſtantino Magno per univerſum Romanum Imperium multi conditi Epiſcopatus, & inſtituti Epiſcopi: inter reliquos in Norico, & Pannonia fuere ſequentes: In Norico præter Archi-Epiſcopatum Laureacenſem fuit Tiburnia, Æmona nunc Labacum, & Celeja. In ſuperiori Pannonia, Siſcia, Stridon, Petovium, Sabaria, Scarabantia nunc probabiliter Sopronium, vel Sarvarinum.* Idipſum de *Stridone* noſtro pluribus probat *citatus Author* in Epiſtola ad me *Româ* exarta, quam *cap.* 48. produxi; ſed ne Lector inquirendo fatigetur, placet ea, quæ hanc materiam concernunt, hic reproducere, referendo prius ex Synopſi Chronologica *P. Szentivany* ad A. C. 325. de eodem *Stridonenſi* Epiſcopatu textum, qui ſic ſonat: *Concilio Oecumenico Niceno finis imponitur, cui interfuiſſe ſcribuntur etiam Epiſcopi Pannoniarum: Domnus Stridonenſis ex Provincia Pannoniæ, & Domnus Laureacenſis Auſtriæ ſuperioris, quæ tunc Pannonia ſuperior dicebatur.*

II. Sicut itaque ſuum *P. Fuhrman*, ita & Szentivanii aſſertum ſequentibus eruditiſſime probat: „ In Actis „ *Concilii Nicænii I.* ſub *Conſtantino* „ *Magno* celebrati, *Domnus* Epiſco- „ pus *Stridonenſis Pannonienſis* ſub- „ ſcriptus invenitur. De quo *Ca-* „ *rolus à Paulo* in Geographiæ ſacræ, „ ſive Notitiæ antiquæ Diœceſium „ omnium Patriarcharum, Metro- „ politicarum, & Epiſcopalium Ve- „ teris Eccleſiæ *lib.* 3. *De Illyrico oc-* „ *cidentali*: *Pannonia inferior, ſeu ſe-*

„ *cun-*

OPPIDUM STRIDON NATALE SOLUM MAGNI ECCLESIÆ DOCTORIS SANCTI HIERONYMI.



A. Domus Parochialis. B. Eccleſia Parochialis S. Mariæ Magdalenæ. C. Via Chaktornyam verſus. D. Oppidum ſpectans ad Dominium Chaktornyenſe E. Oppidum concernens Eccleſiam S. Hieronymi curæ P.P. Paulinorum Conventus S. Helenæ a Com. Petro Zrinio concreditam, eidemq. ab A. Leopoldo I. Imp. et Rege Hung. incorporatam. F. Capella S. Rochi in foro S. Hieronymi. G. Fonticulus S. Hieronymi Infirmis ſalutaris. H. Eccleſia S. Hieronymi Eccleſiæ Doctoris. I. Domus Curaturæ S. Hieronymi. K. Via verſus Bonellum P.P. Paulinorum Leſzkovecz dictum. L. Rudera vetuſtæ Arcis Stridonenſis M. Fluviolus Strigovchak Oppidum præterlabens ac Muram amnem influens.

„ *cunda, & Savia, Stridon D. Hieronymo, cujus patria fuit, vulgò Strigna Domnus Stridonenſis Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Nicæno primo.* In „ quo *eodem Libro* præter *Stridonenſem* „ alios etiam *Inferioris Pannoniæ* Epiſcopatus, nempe *Siſciam, Sirmium,* „ *Murſam* &c. eorumque Epiſcopos ſpecificat. Et *Marcus Hanſiz* „ Soc. Jeſu, Germaniæ ſacræ, *Tom. 1. Corollar.* 4. inquit: *Stridonem urbem multi Dalmatiæ tribuunt, ſed rectius tribuitur Pannoniæ: nam idem Domnus, qui duobus in locis eidem Concilio (Nicæno) ſubſcriptus eſt, cum in uno vocatur Stridonenſis, in altero appellatur Pannonienſis* &c. Confirmatur ex litteris Pontificiis apud „ *Hanſizium*, quibus docemur ſedes „ Pontificias, ſeu Epiſcopales *utriusque Pannoniæ* Metropoli *Laureacenſi* „ in *Norico Ripenſi* ſitæ, ſubjectas fuiſſe, quas inter ſpeciatim *Sirmienſis,* „ *Petovienſis*, & *Celejenſis* recenſentur, non autem *Stridonenſis.* Quia „ vero ex recitatis conſtat *Domnum* „ fuiſſe Epiſcopum *Stridonenſem*, certè his adnumerandus eſt etiam *Stridonenſis*, illumque, uti alii, ſubjectum fuiſſe Metropolitano *Laureacenſi*, ac per conſequens, non „ *Dalmatam*, ſed ut ſua ſubſcriptio „ teſtatur *Pannonienſem* fuiſſe. Præterea memorat *Hanſizius cap. 8.* „ hæc: *Erat oppidum Stridonis in Dalmatiæ, Pannoniæque Confinio. Eo cum primis nomine memorabile, quod prope hoc ipſum tempus* (primi Concilii Nicæni) *Hieronymum, illud peritiæ Sacræ prodigium in hanc lucem ediderit, & adhuc Pannoniæ cum Dalmatia lis eſt de loco ejus oppidi, quibusdam in Pannonia propria cis Dravum, aliis contra trans ipſum Savum, ubi Stridona eſt, collocantibus.* Quod „ ultimum circa *Trans Savum* emendavit, & in *cit. Corollar.* 4. aperte „ contrarium affirmat, & ad magis „ confirmandam ſuam ſententiam, „ etiam poſt Epiſcopatum *Petovienſem*, inter *Muram*, & *Dravum* Epiſcopatum *Stridonenſem* in *Tab. 1.* „ Geographica cum ſupra ſcripto „ titulo: *Metropolis Laureacenſis ſub Romanis, cum Epiſcopatibus Norici, & Pannoniæ.* „ Hæc *P. Fuhrman* de Epiſcopatu *Stridonenſi.*

III. Quo porro tempore, quave occaſione Epiſcopatus *Stridonenſis* de Catalogo Epiſcopatuum reſiduorum abraſus eſt? vetuſtas, & bella Romanorum cum variis habita gentibus obliterarunt; prouti etiam Eccleſiæ modernæ Parochialis, cultui *S. Mariæ Magdalenæ* conſecratæ, fundationem, & introductionem. Eccleſiam enim hic loci vetuſtiſſimis etiam temporibus extitiſſe, vel ob unicam *S. Hieronymi* hic progeniti memoriam credibile eſt. Imo Inſtrumentum certum authenticum, *cap. præc. num. 13.* memoratum *Mathia Svarcz*, de A. C. 1505. expeditum comprobare videtur, olim Eccleſiam hanc fuiſſe bona fundatione dotatam, Præbendariſtis quoque pro ſervitio Eccleſiæ proviſam, nam duo horum *Georgius*, & *Thomas* in eodem Inſtrumento ſubſcripti leguntur cum hac expreſſione: *Præbendarii in Strigo.* Sed & hæc Eccleſia probabiliter cum reſiduis *Inſulanis* ſub tempus introductæ *Lutheranæ hæreſis* Criſim paſſa, atque ſuo legitimo paſtore viduata in ruinis ſepulta jacuit; idque vel exinde probatur, quod ea tota quanta, ſi partem aliquam Sanctuarii excipiamus, noviſſimæ appareat ſtructuræ, ut & lapis, de quo infra agemus, cum inſcriptione teſtatur. Eccleſia igitur in meditullio Oppidi conſtituta, ſat ampla, & elegans eſt, Aris pluribus, iisque pulcherrimis, rebusque ad Eccleſiaſticas functiones neceſſariis perquam belle proviſa, turrim altam lamineo tecto ornatam, horologioque ſonante conſpicuam ad latus Evangelii habens, ſignanter autem Congregatione multo Indulgentiarum theſauro à *S. Sede Romana* locupleta, honorique *S. Joſephi Nutritii*

Digitized by Google

tritii *Chriſti* ante 50. circiter annos introducta celebris. In hujus exteriori muro prope Sanctuarium ad latus ſiniſtrum conſpicientibus viſitur lapis quadrangulariter oblongus cum ſequenti Inſcriptione.

1680. Erectum, & 1690. conſecrat. per Illm. & Rſm, D. D. Ig. Alexan. Mikulich Eppm. Zagrab. Tempore Vinc. Juretich Paroch. Strid.

IV. Eccleſiam hanc, eidemque ſubjectam Parochiam, pure *Montanam* compellandam, pro nunc in primum annum adminiſtrat *A. R. D. Georgius Biſztriczay* ignobili quidem ſorte in *Hungaria* prognatus, ignobilitatem tamen ſuam non ſolum eruditionis ſuæ, quam ſibi in *Bononienſi* Urbe *ſcientiarum Matre* compellata, ſtudio Theologico comparavit, verum etiam ſpiritu pietatis, ac affabilitate morum, zeloque ſui Paſtoralis officii compenſare videtur, cui propterea precandum eſſe cenſeo, ut quam feliciſſime in Cura animarum exercitatus, intuitu laborum ſuorum ad ſublimiores dignitatum Eccleſiaſticarum gradus promotus præmia temporalia, & æterna recipere valeat. Oneroſam etenim, quia amplam, eamque totaliter montanam Parochiam, villis quidem etiam intra montes ſituatis refertam, ſpiritualibus ſuis Servitiis providendam habet. Suntque præter Oppidum *Stridon* Villæ *Jalſovecz*, *Veſchicza*, *Gibina*, *Sztanetinecz*, *Verbovecz*, *Borkin*, *Hernye*, *Preſzcka*, *Goricbicza*, *Grabrovnik*, *Gluboka*: quibus adjungendum eſt Caſtellum *Ratczkaniſa*, ſupra ipſam *Muræ* fluvii ripam ſituatum, in ruinam, & ſubmerſionem aqua cauſante vergens, locus alias ſaniſſimus, quem, ut refertur, peſtis nunquam afflixerit. His accedunt montes Promontoriales: *Glubokovcbak*, *Leſzkovcbak major*, & *minor*, *Veſcbicza*, *Strigovcbak*, *Vaſſivſcbak*, *Cziganſcbak*, *Ternovcbak*, *Prekopa*, *Lobovcbák*, *Martinovcbak*, *Sztanetinskak*, *Rimſcbak*, *Kozlovcbak major*, & *minor*, *Pernyák*, *Kerche*, *Sprincz*, *Káſzkriſcbak*, *Gibinſcbak*, *Szlatinyak major*, & *minor*, *Orcbovcbak*, & *Buſſovcbak*. Capellam filialem unicam habet trans montes *Muram* fluvium verſus ad viam Regiam in vicinia pontis amnis *Chawniczæ*, ex *Styria* defluentis, ſeque mox infra pontem, modice autem ſupra Caſtellum *Ratczkaniſæ* in *Muram* exonerantis. Hic primo erecta fuerat ſtatua lignea, dein lapidea honori *S. Joannis Nepomuceni M.* cui ſucceſſive prædeceſſor Parochus, *A. R. D. Thomas Dollar* de annuentia Superioritatis ex collecto à devotis *S. Martyri* clientibus pecuniario ſubſidio Capellam cum Turricula erexit, ſtatuæque Altare ſuppoſuit, taliterque devotionem erga *Sanctum famæ Patronum*, quæ hodiedum continuatur, adauxit.

V. Quod concernit Arcem *Stridon*, cujus etiam *Bonfinius Dec. 2. lib. 10.*, ſed barbaro vocabulo *Iſtrigoum* meminit, illa alto, qui oppido *Stridonenſi* adjacet monti *Strigovcbak* dicto, optimi vini feraciſſimo, innititur, in ruderibus ſepulta, quam tamen temporibus familiæ Comitum *Ernuſt de Hampo*, cui paruit, ad A. C. 1505. ſuo in flore viguiſſe conſtat, ex Inſtrumento authentico *Mathiæ Svarcz num. præc.* citato, in quo cum reſiduis teſtibus ſubſcripſit ſe etiam ſequenti tenore: *Blaſius Czar*, *Caſtellanus Caſtri Strido*. Male igitur illud de *Friderico* Comite *Cilejæ* quidam circumferunt, quod in eodem Caſtro ob ſceleratam vitam Deo vindice fulmine ictus perierit, unaque cum Caſtro à terra abſorptus ibidem Sepulchrum invenerit, cum tamen nominatus Comes ante A. C. 1452, id eſt: ante Fratrem ſuum Comitem *Ulricum*, qui citato anno ultimus familiæ à *Ladiſlao Corvino*, ut *cap. 52.*

num.

Digitized by Google

num. 7. retuli, trucidatus eſt, obierit, per conſequens annis 53. circiter prius, quam præmemoratum Inſtrumentum emanaſſet, illudque *Blaſius Czar* Caſtellanus Caſtri *Strido* ſubſcripſiſſet. Qualiter ergo, & quando Arx hæc in deſolationem venerit? cum neque Scriptores notaverint, neque incolarum quis referre queat, crediderim ego, ut à quibusdam ſanioris conſilii viris intellexi, eam ſimpliciter deſertam, & lapſui commiſſam eſſe, idque tum ob auram fortiorem, atque ideo minus jucundam, multumque inſanam, tum ob fulmina, quibus frequentius æſtatis tempore in tam eminenti monte conſtituta, infeſtabatur, juxta id Poëtæ: *Ne ſcandas altos ferientia fulmina montes.*

VI. Oppidum *Stridonis* quod attinet, illud vel ob ſedem Epiſcopalem famoſam olim urbem extitiſſe, nullus ſpero erit, qui in dubium verteret: ampliorem etiam fuiſſe teſtantur plura vacua loca nunc in hortos, agros, & fœnilia converſa, atque inter, & extra civium domos ſituata. Imo has, quæ extant, domus poſt rabiem *Gothicam*, quæ oppidum hoc circa A. C. 383. evertit, extructas eſſe cenſendum eſt, ex textu *S. Hieronymi* annum ætatis eo tum 40. circiter agentis, & in explicatione *Oſeæ cap. 8.* multarum urbium, Provinciarumque deſolationem prædicentis, ſic ſonante: *Nonne hoc impletum eſſe audivimus in noſtræ originis regione finium Pannoniæ, atque Illyrii? ubi poſt Barbarorum incurſiones in tantam deſolationem eſt perventum, ut nec humana ibidem manſerit creatura, nec animal ſupereſſe dicatur ex his, quæ hominibus amicari, & convivere conſueverunt.* Nunc igitur exiguum oppidum eſt vix 30. conſtans domibus, iisque humilibus, culmo tectis, cultis tamen, ſignanter poſt conflagrationem harum, quæ accidit A. C. ni fallor 1744, neque ad paupertatem declinantibus, ſed neque ad opulentiam magnam ſe extollentibus. Alluitur torrente *Strigovcbak* dicto, vix unius horæ ſpatio ſupra ex fonticulo orto, qui, ſi nubes ſe in imbres modice copioſiores reſolvant, immenſo è vicinis montibus adveniente aquarum agmine ultra modum exundare, multaque damna in hortis, & agris cauſare ſolet. Reſpectu forizationis hujus Oppidi Dominicalis, & Feſtivalis, illud ſincere fateri cogor, quod omnia pro domo neceſſaria, ſignanter victualia advenientibus tam venditoribus, quam emptoribus ex vicina *Hungaria*, & *Styria* haberi valeant, præcipue autem carnes bubula, vitulina, & ſuilla, quibus quini, ſenive Domeſtici laniones traficam exercent. Nundinationes quoque annuæ ternis vicibus *Feriâ 5ta Cœnæ Domini*, & Feſtivitatibus *S. Mariæ Magdalenæ*, & *S. Hieronymi*, haberi uſitatæ non modicam addunt oppido huic celebritatem: & quemadmodum *Legradinum*, quod eſt ad orientem, orientalibus mercibus, ita *Stridon*, quod eſt ad occidentem occidentalibus, ſtatis hiſce Nundinarum diebus abundat, imo, ſi numerum domorum, populique *Legradienſis* pluralitatem excipiamus, *Stridon* quantum ad ſuſtentationem vitæ humanæ *Legradino*, ſi non excedit, certe non cedit. Exornatur oppidum hoc plurimum tribus in viciniſſimis vinearum montibus, ſicut amplis, ita elegantibus ædificiis. *Althamiano* videlicet non ante multos annos conſtructo, *Chakiano* noviſſimo, & *Eſterhaziano* vetuſtiori, in eum finem erectis, quatenus Dominia hæc quandoque, ſignanter autumnali vindemiarum tempore, ob loci amœnitatem, auræque ſalubritatem, moli negotiorum ſuorum publicorum, & privatorum levamen hilarioſum in venationibus, aucupiis, aliisque herilibus diſtractionibus, ac recreationibus ſupponere valeant. Et quamvis *Eſterhaziana*, ac *Chakiana* familia

Digitized by Google

nullum in *Inſula Muro-Dravana* Dominium habet, habet tamen, uti & plures aliæ per diverſa Promontoria ex *Croatia*, & *Styria* vineas ære ſuo comparatas, ut ad menſam ſuam ſibi, & Illuſtrioribus hoſpitibus depretioſiori mero vitrum propinare queant. Hæc ſunt, quæ de Oppido *Stridonis* ejusdemque olim Sede Epiſcopali, ac moderna Parochiali proponenda habui: nunc divertamus ad *S. Hieronymum.*

CAPUT LXI.

De loco naſcitæ, & Eccleſia S. Hieronymi in Oppido Stridon.

I. Reperimus quidem Oppidum *Stridon*, ſed naſcitæ *S. Hieronymi* locum, ob defectum ſcripturarum, & ſignorum, invenire arduum erit. *Hiſtorici* plerique, uti & *Geographi* ac ſæpius in *ſuperiorib. cap.* citati locum oppidi digito demonſtrant, ſed naſcitæ locum ne verbulo quidem, vel ſigno indicant. Quid ergo faciendum? recurrendum eſſe exiſtimarem ad Traditonem, quâ inſtruimur præmemoratum Sanctum eo loco eſſe natum, quo honori ejus Templum impoſitum eſt. Templum porro colliculo è regione Parochialis Eccleſiæ locatum eſt, ergo domum paternam *S. Hieronymi*, in qua natus eſt, in colliculo eodem conſtitiſſe inferendum eſt. Traditione hâc ſuffragante idipſum ſentire videtur *Bombardius* Topogr. Hung. *par.* 2. *cap. un. ſegm.* 1. §. 12. *num.* 11. de *Stridone* oppido agens, & dicens: *Stridova D. Hieronymi natale ſolum, utpote in cujus honorem Templum colliculo impoſitum multis ſupplicationum ordinibus, ex remotioribus etiam Hungariæ partibus eo adductis, plurimisque prodigiis continuo celebratur.* Huic apparet conſentire *cap.* 49. *num.* 2. citatus à me *Don Joan. de Jordan* inquiens: *Capella ibi eſt honori ejusdem ſancti dicata in monticulo, ex cujus radice fons aquæ ſalutaris promanat.* Uterque horum locum prodigioſum demonſtrat, prior quidem ſupplicationibus, poſterior fonte aquæ ſalutaris, quaſi uterque innueret locum hunc non tam à ſtatua, vel Icone *S. Hieronymi* (cui tamen derogare nafas ſit) prodigioſum eſſe, quam ab ipſo loco naſcitæ ejusdem *S. Doctoris*, cum ſub ipſo ſcaturiat fons aquæ vivæ, quem ludicro opere *Hieronymus* adhuc puer effodiſſe fertur, ſitque ad eundem omnium ſupplicationum ordinum huc adductorum tantus æque concurſus, quantus ad Eccleſiam, non alia de cauſa, quàm ut de ea ſalutari aqua cum devotione ad *S. Hieronymum* bibant, domumque in vaſculis abſportent, ſeque bibendo hic, ſuosque domi ægrotos bibentes ab infirmitatibus, precipuè quod mirêre, febrilibus ſanos faciant. Cujus aquæ beneficium cum milleni, & milleni homines ab immemorabili tempore ſe expertos eſſe teſtati fuiſſent, hodiedum etiam fonticulum hunc tot *Hieronymitanas gratias*, quot aquarum guttas ſcaturientem omnes illi, qui ſanitatis cauſa accedunt *Fontem gratiarum* profitentur.

II. His accedit trabs lignea vetuſta, quæ figuris *Gothici* characteris ſequentia inciſa repræſentabat verba:

Hic natus eſt S. Hieronymus
Eccleſiæ Doctor.

Trabs hæc ſuppoſita erat Tabulato Veſtibuli, ſeu Atrii ex ſolidis quercinis roboribus compacti, ipſius Eccle-

cleſiæ, quam *Fridericus* Comes *Cileja* ad A. C. 1448. hoc in loco honori *S. Hieronymi* erigi curaverat: ſed an hoc Veſtibulum, ſeu Propylæum prius, vel poſtea erectum extiterit? ad notitiam noſtram non pervenit. Piæ memoriæ tamen *Reverendiſſimus D. Gabriel Biſztriczaij* in *Hungaria* ad viciniam *Stridonenſem* trans *Muram* natus, dein virtutibus, & meritis ſuis ex Parocho *Transmurano Szent-Györgyönſi* Canonicus *Zagrabienſis*, & dein etiam Præpoſitus *Chasmenſis* effectus, ætatis ſuæ ſi non, certè prope ſeptuagenarius, ad A. C. 1745. defunctus, vir ſicut candidi pectoris, ita candidiſſimi oris, ſæpe ſæpius in familiariori diſcurſu referre ſolebat: ſe quemadmodum Eccleſiam *S. Hieronymi*, ita & memoratum Veſtibulum, ſeu porticum, dum adhuc ſtudiis humanioribus vacaret frequentius viſitaſſe, ſibique veſtibulum, illud multo vetuſtius Eccleſiâ apparuiſſe, tum ex eo, quod jam corroſione vermium, quam quercinum lignum non tam facile admitteret, labefactatum fuiſſet, tum etiam, quod vetuſtiſſima *Gothica* ſcriptura, qua locus naſcitæ S. Hieronymi declarabatur, trabi inciſa legebatur. De hac trabe idipſum referebat noſter *P. Martinus Chonkaſs*, ætate, & religioſitate grandævus, mortuorum Catalogo A. C. 1742. adſcriptus, qui, & eam, qua Curator Eccleſiæ *S. Hieronymi*, dum veſtibulum illud ligneum demoliri, novumque muratum in craſſitie unius longi lateris circa A. C. 1709. ſubſtitui curaſſet, depoſuit, in hoc ſancta ſimplicitate peccans, quod ad minus fruſtum illud trabis cum inſcriptione ad aliquem locum conſpectui hominum pro memoria non repoſuerit. Ex hac itidem inſcriptione colligitur locus naſcitæ *S. Hieronymi*. Ly namque *Hic*, idem ſignificat, ac ſi diceret: *In hoc loco. In hoc colliculo.* Si inſcriptioni additum fuiſſet: *Stridone*, certum fuiſſet de ſolo, dubium vero manſiſſet de loco, quia vero de *Stridone* oppido inſcribens ſupponebat, ideo per ly *Hic* locum demonſtraſſe creditur. Plura non habentur, quibus locus naſcitæ *S. Hieronymi* deſignari quiret: ſi hæc non ſufficiunt, ſufficiant ad minus ea, quibus probatur in hoc oppido *Stridonis natus.*

III. Oppidum *Stridon* à *Gothis* everſum circa A. C. 383. & quidem totaliter deſolatum ex Scriptis *S. Hieronymi* dixi *cap. præc. num 6.* Quinam oppidi hujus ruinas primi inſtauraverint? ob ſcriptorum inopiam, quod vetuſtiorum, & celebriorum civitatum plerisque contigit, intercidiſſe videntur. Nihilominus ex dictis *cap. 51. num. 11.* colligitur: quod poſt obitum *Attilæ*, ejusque filiorum cædem, circa A. C. 454. *Gothi* cum conſenſu *Marciani* Imperatoris *Sarmatis Arcaragantibus* commixti inhabitaverint *Pannoniam*. Quas autem *Pannonias*? Citatus à me *loc. cit. Joan. de Jordan* explicat ſequentibus: *Ab occidente Gotbos à Muro fluvio incipiendo, dein intra Murum & Savum à meridie inter Arcaragantes poſuerunt.* Ex quibus concludendum exiſtimo, quod ſicut *Inſula Muro-Dravana* circa A. C. 454. à memoratis populis denuo inhabitari cœpit, ita & Oppidum *Stridon* quosdam ex his incolas receperit. An autem hoc ipſo tempore, vel ad minus poſtquam *Illyricum* ſpeciale, id eſt: *Dalmatia*, *Croatia*, & *Slavonia* ad A. C. circiter 758. ab *Ethnicis*, & *Hæreticis* ſub *Budimiro* primo horum Regnorum Rege Catholico expurgatum extitiſſet, memoria aliqua *S. Hieronymi* in oppido *Stridonis* habita fuerit? pariter fateri cogimur, nos ob defectum Scripturarum ignorare. Si tamen veſtibulum illud, ſeu Propylæum, cujus mentionem *num. præc.* feci, antiquius fuit Eccleſiola à Comite *Friderico Cilejæ* ædificata, judicarem omnino extitiſſe ibidem memoriam *S. Hieronymi*, ſiquidem Atrium illud,

Digitized by Google

ſeu Veſtibulum per modum corporis Eccleſiæ erectum fuerit, habueritque probabiliter Sanctuarium ligneum pari opere compactum ab Arcaragantibus ibidem habitantibus, ac *S. Hieronymo* agnatis: Cui ligneo Sanctuario poſtquam Comes *Cilejæ* muratum ſubſtituiſſet, intentionatus fuit etiam, ut credile eſt de tam potenti Comite, corpus Eccleſiæ adnectere, ſed quia circa A. C. 1449. aut 1450. ante fratrem ſuum *Ulricum* ultimum familiæ, qui in duello cum *Ladislao Corvino* habito A. C. 1452. occubuit, mortalem exuiſſet vitam, deſiſtere etiam ab ædificio coactus eſt.

IV. Dum ad A. C. 1738. poſt terræmotum ego Eccleſiolam *Cilejanam* diruiſſem, & monticulum pro amplioris Eccleſiæ ſpatio ad unius, ſi non plus, orgiæ altitudinem decurtari curaſſem, inveni ſub terra murum quadrangularem ſolidum ex puris lapidibus unius circiter orgyæ latitudinis, altitudinis autem unius, & dimidiæ. Conſului Architectos, aliosque viros eruditos, quidnam murus hic denotare poſſit? Magiſter Murariorum, poſtquam murum ex integro demoliri feciſſet, nullamque ſignaturam in eo reperiſſet, repoſuit, fuiſſe olim ſolidum fundamentum pro eminenti columna lapidea, cui infallibiliter ſtatua aliqua, & forte *S. Hieronymi* pro memoria impoſita fuiſſet. Eadem occaſione reperta etiam fuere quam plurima oſſa hominum mortuorum, & ſolidiſſimæ quercinæ tumbæ hominum in iis ſepultorum, quæ denotabant hunc locum fuiſſe Sacrum. Quum vero ad A. C. 1744. Sanctuarium novum quoad omnia perfectum, atque pro Miſſarum celebratione adaptatum extitiſſet, Veſtibulum quoque, quod fuerat, ut *num.* 2. inſinuavi, ad A. C. 1709. erectum, quatenus in corporis Eccleſiæ ædificio progreſſus fieri valeat, demolitum eſt. Quo facto, cum pari ex ratione colliculus ſat profunde abraderetur, reperta ſunt occidentem verſus intrantibus Eccleſiam ad lævam partem fundamenta ex ingentibus lapidibus in quadrangulum compoſita, nihil aliud, niſi formam turris repræſentantia, ut omnes, qui ea luſtrabant, & contemplabantur affirmabant, & per conſequens inferebant: debuiſſe quondam hic loci Eccleſiam non exiguam ſtetiſſe. Eadem occaſione non procul ab iiſdem fundamentis erutus eſt lapis quadrangularis, ſed in uno angulo fractus, quem exiſtimabant conſpicientes fuiſſe lapidem Sepulchralem, huic enim inciſæ cernuntur ſequentes figuræ.



Duæ, tresve adhuc Litteræ viſebantur, ſed valde abraſæ deſumi non poterant. Videntur hi Characteres antiqui Græci vel Ruthenici haud multum abſimiles illis, quos *Angelus Rocca Theſaur. Pontif. Antiq. Tom.* 1. *de Partic. S. Crucis c.* 1. *pag.* 254. *exhibet*; & *pag.* 257. dicit: quod inter Græcos & Ruthenos magna intercedit conſuetudo; immo Rutheni more, ac ritu Græco vivunt, & Ruthenici Characteres inſtar Hebraicarum Literarum myſteriis pleni, à Ruſſia, & à Servia, nec non à Bulgaria, Vallachia, & Moldavia Daciæ partibus; à Boſnia item, & Moſcovia, atque ab aliis gentibus, ad Orientalem plagam pertinentibus, adhibentur, majorique ex parte à Græco fonte deſumptæ cenſentur; Lingua vero eorum omnium à Græco idiomate diverſa. Hucuſque *Rocca*. Ex his repertis antiquitatibus colligere fas eſt, antiquiſſimis temporibus fuiſſe in hoc monticulo Eccleſiam, qua vel incuria, vel caſu ab antiquitate, aut hoſtilitate demolita, illius loco ſtatua erecta fuit, hac dein etiam corruente, lignea Eccleſia ædificata fue-

Digitized by Google

fuerit, duraveritque usque ad tempora *Friderici* Comitis *Cileja*, qui illam, quam nos occaſione terræmotus labefactatam, demoliti ſumus, ad A. C. 1448. *Ob ſingularem* (ut in *Bulla Pontificia*, quam *cap. 44. num. 6.* recitavi, exprimitur) *quam ipſe, & alii Chriſti fideles partium illarum ad B. Hieronymum Confeſſorem, tanquam præcipuum Eccleſiæ ſidus irradians gerunt devotionis affectum*, ædificari in forma trifolii curaverat, ædificatamque certis poſſeſſionibus dotaverat, ac quibusdam Religioſis Glagolitis ſub titulo *Abbatiæ*, ut ex traditione Seniorum accepimus, notatque ſæpecitatus *Bombardius pag. 94.* contulerat. Quos & Monaſterium quoque, vel ad minus domum habitabilem ad propinquitatem Eccleſiæ habuiſſe credendum eſt, cum & ſpatium ſat amplum è regione Eccleſiæ meridiem verſus, ubi nunc hortulus cernitur, & plures in eodem loco eruti lapides, ac lateres credere ſuadeant. Hi dein Religioſi, partim ob diſturbia bellica, partim ob exiguitatem fundationis ſubſiſtere *Stridonii* non potentes, locum Sacrum ſponte, ut quidam referunt, deſeruerunt: ſunt plerique qui aſſerunt eos usque ad tempora *Georgii* Senioris *Zrinii* ibidem perſeveraſſe, eosque per eundem, utpote *Lutheranum* excluſos fuiſſe, taliterque Bona hujus Eccleſiæ ad manus ſæculares una cum litteralibus Inſtrumentis (quæ ſi præ manibus forent, forte plura memoratu digna de loco hoc Sacra produci poſſent) deveniſſe, ipſam vero Eccleſiam una cum ſuo Atrio ligneo omni ſuppellectili Eccleſiaſtica privatam, in profanum uſum, ſpreto Sacrilegio, claudendis (ſalvis auribus benevoli Lectoris) bobus, vaccis, equis, & porcis applicatam extitiſſe.

V. Demortuo *Georgio* Seniore *Zrinio*, ejusdemque filio itidem *Georgio*, filii hujus *Nicolaus*, & *Petrus*, poſtquam *Dynaſtiam Inſulam* intra ſe diviſiſſent, ac *Stridon* oppidum cum adjacentibus ſat amplis poſſeſſionibus Comiti *Petro* in portionem obtigiſſet, atque hic pius Comes, qualiter memoria *S. Hieronymi* hic *Stridone* prognati cum deſolata ſua Eccleſia in oblivionem quaſi deveniſſet informatus, ac ſimul requiſitus fuiſſet, quatenus Eccleſiam reſtaurari curaret, vel ad minus aut Parocho loci, aut alicui alteri ſive Eccleſiaſtico, ſive Religioſo reſtaurandam aſſignaret. Quod projectum DEO devotus Comes altæ ſuæ menti imprimens, poſtquam mora aliqua recogitâſſet, cuinam præprimis inſtaurationem fatæ Eccleſiæ concrederet? Cui ſic meditanti inciderunt in memoriam zeloſo-Apoſtolica Servitia Patrum Paulinorum *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam*, quibus non tantum Parentem ſuum, verum &, ſi non totam, potiorem tamen *Inſulæ* partem ex *Lutherana ſecta* ad *Orthodoxam fidem* amplectendam, ut *cap. 57. num. 4.* & *11.* pluribus inſinuavi, adduxerunt. Advocato itaque ad præſentiam ſui *R. P.* eo tum Priore *Mathia Selegovich*, cui Comes aliunde multum afficiebatur, eidem, & per eum Conventui *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam* memoratam *S. Hieronymi* in *Strido*, una cum proventibus dotalitiis, olim à Comite *Cileja* Glagolitis aſſignatis contulit ad A. C. 1644. Verum ſuper collatione hac indignatus dicti Comitis *Petri* frater ſenior *Nicolaus*, illum, ut diſſipatorem Bonorum primo redarguit, dein ad A. C. 1650. reoccupavit, ſuæque juriſdictioni, Comite *Petro* diſſimulante, neque cum fratre contendere volente, ſubjecit. Sed, poſtquam eadem ex ratione furore agitatus Comes *Nicolaus* ad expellendos de Conventu *Sveticenſi* Patres properans, in via (ut *cap. 58. num. 9.* declaravi) miro Divinæ providentiæ obſtaculo commonitus fuiſſet, eam Patribus, quibus à Fratre Comite *Petro* attributa fuerat, reſignavit, Teſtamentariaque ſua diſpoſitione,

Digitized by Google


quam ex poſt condiderat, imo omni anno, videns ſe qua ſtrenuum militem, & generoſiſſimum Belli Ducem perpetuis mortis caſibus expoſitum, renovare conſueverat, ordinavit, quatenus Patres Paulini in poſſeſſione Eccleſiæ *S. Hieronymi*, & Bonorum ei adnexorum per ſucceſſores ſuos manuteneantur. Hinc poſt funeſtum obitus ejusdem caſum, Illuſtriſſima D. dicti Comitis *Nicolai* Vidua Comitiſſa *Maria Sophia à Leblin* ſæpefatos Patres noſtros ad A.C.1665. de novo locum eundem, ejusdemque poſſeſſiones medio ſuæ Arcis *Chaktornyenſis* Proviſoris *Mathiæ Zorkovich* Patribus Paulinis admanuavit, ut authenticum ſuperinde ejusdem Proviſoris teſtatur Inſtrumentum. Ut autem Collatio hæc *Zriniana* ſtabiliter præ manibus Patrum Paulinorum perſeveret, poſt obtruncatum Neoſtadii Comitem *Petrum Zrinium*, ſollicitante, ac procurante *P. Mathia Selegovich* eo tum Definitore Generali, & Priore *Neoſtadienſi* per Cæſareo-Regium donationale Diploma *Leopoldi I.* de A.C. 1671. emanatum Patribus Conventus *S. Helenæ* ſupra *Chaktornyam* confirmatum eſt, & imperpetuatum, mediante etiam ſtatutione eodem Anno coram exmiſſis V. Capituli *Zagrabienſis*, & *A. R. D. Nicolao Kovachich* Parocho *Stridonenſi*, aliisque quam pluribus de Nobilitate, & plebe, nemine contradicente, peracta. Ut Teſtimonium authenticum nominati Vblis Capituli perhibet; in quo habentur expreſſa hæc verba: Antelatam *Capellam, ſeu Abbatiam S. Hieronymi.* Atque hinc factum, quod ex poſt in Oppido *Stridonis* binæ Nundinationes annuæ, videlicet *Feriæ 5. Cœnæ Domini*, & *S. Mariæ Magdalenæ* habeantur in foro Dominali: Tertia autem *S. Hieronymi* in foro PP. Paulinorum, *Dominicales* autem, & *Feſtivales* forizationes promiſcue in utroque.

VI. Hanc igitur Eccleſiolam partim vetuſtate, partim temporum iniquitate ex dimidio ruinatam, ſacrilegaque animalium clauſura deturpatam Patres noſtri, ubi ejus curam ſuſceperunt, quamvis à *Nicolao Zrinio* nonnihil interturbati, & necdum plene in poſſeſſione ejusdem ſtabiliti, ſenſim expurgantes, & reparantes, ligneumque illud veſtibulum, cujus *num.* 4. memini in muratum ad normam Eccleſiæ commutantes, additis Altaribus & inductis ſalutaribus devotionibus, convenienti, auctiorique honori reſtituerunt. Quibus ſic ordinatis effecta eſt hæc Eccleſia eximius gratiarum locus, ubi ad invocationem glorioſi Eccleſiæ Doctoris D. Hieronymi frequentes, & prodigioſæ (ſi piis fidelium recognitionibus fidem non abnuimus) ſanitatum operationes, & in rebus afflictis opitulationes exhibentur. Poſtquam autem ad A. C. 1738, ut ſæpius memini, Eccleſia hæc terræmotu diſcuſſis fornicibus, & fiſſis parietibus, inque ruinam inclinatis deformata fuiſſet, ea de conſilio, & ſuaſu Superiorum altiorum totaliter demoliri debuit, novaque latior, atque longior noviter è fundamentis ſedula PP. Curatorum ſollicitudine illicò eodem anno erigi cœpit. Quia verò mox ſuccedens triſtis camporum, & vinearum ſterilitas, animarum cornutorum lues, nec non bellica primo contra *Ottomanicam portam*, dein & contra Auguſtiſſimæ *Domus Auſtriacæ* hoſtes expeditio, ingentem proventuum domeſticorum cariſtiam, benefactorum paucitatem, & in plebe, per ſe miſera, Eleemoſynariæ contributionis penuriam, imo inviſam cauſaſſent egeſtatem, ædificium memoratæ Eccleſiæ promoveri, ut ominabatur, nequivit. Senſim tamen continuabatur, usque dum Sanctuarium ad formam, uti antea fuerat, trifolii, tria Altaria complecti potens erectum, ſuperimpoſita ei

pen-

Digitized by Google

Digitized by Google



F. Joan. Ranger Ord. S. P. p. E. del.

ARA S. HIERONYMI STRIDONE.

Digitized by Google

penſili proportionatæ altitudinis copula, fornice conjuncta, ac tecto proviſa conſurrexit. Sanctuarium hoc poſtquam zeloſa, & induſtrioſa eorum annorum Patris Curatoris ſollicitudine incruſtatum, feneſtrisque vitreis occluſum extitiſſet, A.C. 1744. à ſummo ad imum eleganti pictura *al Freſco* illuſtratum eſt: in qua, præter alia Pictoris Fratris noſtri *Joannis Ranger* acuminoſi ingenii inventa, ac Sancto Purpurato Doctori accommodata, viſitur Triumphali pompa *S. Hieronymi* curru, leonibus binis præjuncto, vecti in comitiva variarum ejusdem virtutum ſymbolice expreſſarum, nec non mundi carnis, ac dæmonis debellatorum, diverſorumque hæreticorum doctiſſimis ſuis ſcriptis confutatorum: cum ſequenti chronographica inſcriptione ex *Proſpero* paucis immutatis deſumpta, in ipſo frontiſpicio primariæ rotundellæ ſupra Aram ipſius S. Doctoris appoſita.

SANCTVS HIERONYMVS PARVA STRIDONE NATVS HEBRÆI, GRAII, LATIIQVE ELOQII GNARVS.

VII. Dum ita Sanctuarium hoc exornatum fuiſſet, nihil pro eo reſtabat niſi Ara principalis. Laterales namque, una *Beatiſſimæ V. Mariæ* cum Icone ejusdem, uti habetur *Romæ* in Eccleſia *S. Mariæ majoris*, in qua Corpus *S. Hieronymi* requieſcit, altera *S. Annæ* Matris *SSmæ Dei Genitricis*, penicillo artis pictoriæ ad ipſum rotundellarum murum eleganter delineatæ ſunt. Sed & principalis ara cura, & induſtria Patrum Curatorum noviſſima, ſimulque concinna ex plurium benefactorum largitione, fideliſque populi Eleemoſynaria contributione (quorum nomina libro vitæ inſcripta eſſe non dubitamus) arte arcularia, & ſculptoria fabrefacta, adjuncto etiam Tabernaculo novo, appoſita eſt A. C. 1745, quam dein ad A. C. 1748. inaurari, & depingi ære ſuo fecit P. ac G. D. *Chriſtina* nata *Sibrik*, Vidua *Melchioris Bedekovich*. Ut porro majus decus, & ornamentum accedat & Aræ, & Sanctuario *S. Hieronymi*, honori ſui Sancti nominalis Patroni *A. R. P. Hieronymus Tuſ̃tich* Provinciæ noſtræ *Croato-Slavonicæ* Prior Provinciales lampadem argenteam affabre ſuis ſumptibus elaboratam duarum circiter librarum eodem anno appendi curavit. Hic etiam memorandum judico, quod hac in Eccleſia aſſervetur particula Reliquiarum *S. Hieronymi* circa A. C. 1719. piæ memoriæ *Rmo Pri* pro tunc Ordinis noſtri Generali *Joanni Kriſtolovecz*, à *P. Innocentio Hiemer* Provinciæ *Auſtriacæ* Presbytero *Romæ* reduce dono data, quam dum una cum Authentica *Romana* revidiſſet, & approbaſſet *E. & I. D. Emericus Eſterhazy* eo tum Epiſcopus *Zagrabienſis*, eidem etiam idem munificus Præſul ad A. C. 1724. ære ſuo Monſtrantiolam argenteam affabre elaboratam, & inauratam obtulit, huicque occluſam, publicæ populi venerationi exponendam admiſit. Sanctuario, ut relatum eſt, ita perfecto, ipſum corpus quoque Eccleſiæ cum duabus turribus ad juſtam molem conſurgere cœpit, quod dum lateritio tecto obductum, forniceque concameratum extitiſſet, frontiſpicio etiam ſat decoro erecto, incruſtatum, ac dealbatum fuiſſet, ſuprema eidem manus, ſi turres demantur, quæ tamen ad æqualitatem muri Eccleſiæ & elevatæ ſunt, impoſita eſt A. C. 1749. ut lapis quadrangulariter oblongus principali Eccleſiæ portæ ſuperimpoſitus docet hac cum inſcriptione.

VETUSTÆ, TEMPORIBUS VETUSTIS HONORI S. HIERONYMI HIC STRIDONE PROGNATI ERECTÆ,

SED

GRAVI TERRÆMOTV DESTRV-

Digitized by Google

STRVCTÆ, ET VIX NON CORRVENTI (a) AMPLIOREM, SIMUL ET FORMOSIOREM, SOLLICITUDINE PATRUM PAULINORUN, PATRIOTARVM, VICINIQVE POPVLI DEVOTA LARGITAS NOVITER SVBSTITVIT. (b)

VIII. Quantum concernit Abbatiam *S. Hieronymi* in oppido *Stridon*, Titulos, & Inſignia Abbatialia aucupetur, qui velit. Ego ſynceritatis ſtudioſus fateor, Patres Priores noſtros *Chaktornyenſes*, cum ſuo Conventu neque ambiviſſe, neque ambire, ſed neque ſupprimere velle, quaſi non aſſent loci olim Abbatialis hæreditarii poſſeſſores, per conſequens Abbatem repræſentantes, cum & Comitis *Friderici Cilejæ*, ut *cap. hoc num.* 4. inſinuavi, fundatio, & Capitularis ſtatutio nominent in *Stridone* Eccleſiam Patribus Paulinis attributam *Capellam, ſeu Abbatiam*: atque Inclytus Comitatus Szaladienſis Patrem Priorem *Chaktornyenſem* dum ad Conventus Comitatenſes per Publicatas invitatur, Titulo *Prioris Chaktornyenſis*, & *Abbatis Stridonenſis* honorat. Abbatias omnes à tempore ſuarum fundationum Regularium extitiſſe, nemo eſt, qui in diſputationem trahere poſſit, conſequenter & in Abbatiam *S. Hieronymi Stridone* ſub ſuæ originis tempus Regulares inductos concludendum cenſebit. Quod autem dicatur Comes *Cilejæ* eam *Glagolitis*, id eſt: *Latini* idiomatis ignaris, verum *Slavonico* ſermone Divina peragentibus admanuaſſe, nihil obſtat, nam olim non tantum Eccleſiaſtici, ſed & Religioſi in Regionibus *Slavonicis* idiomate vernaculo officia divina recitabant, & decantabant, Miſſas celebrabant, aliaſque functiones Eccleſiaſticas peragebant, ut probant vetuſti libri *Antiphonalium*, & *Gradualium*, non tantum in noſtra *Lepoglavenſi* Bibliotheca aſſervati, ſed, quod dolendum eſt, plerumque folia eorum pergamenacea ad cortices aliorum librorum applicati: verum etiam à me in *Polonia*, *Bohemia*, & *Moravia* apud pleroſque Regulares viſi, & curioſius ob idioma *Slavonicum* luſtrati. Idipſum Religioſos Ordinis noſtri obſervaſſe in Provincia ad Mare Adriaticum *Iſtriaco-Vinodolenſi* traditione docemur, imo in Provincia etiam *Croato-ſlavonica* fuiſſe unum de Patribus ſicut eruditioribus, ita obſervantioribus per ſuperioritatem ad hoc ordinatum, ut ſtatis temporibus ad *Fratres Glagolitas* ſermones ſpirituales in lingua *Slavonica* habeat, teſtantur Annales Ordinis noſtri: intelligo etiam hodiedum à plurium Ordinum Religioſis hoc ipſum in Inſulis *Maris Adriatici* olim *Croato-ſlavonicis*, nunc *Venetiarum* Reipublicæ ſubjectis, practicari. Potuerunt ergo & illi, quibus à Comite *Cilejæ* Eccleſia *S. Hieronymi* in *Strido* concredita fuit, extitiſſe Religioſi, ſimul & Glagolitæ.

IX. Sed neque obſtat, quod Abbatia *S. Hieronymi* in *Strido* non reperiatur inter Abbatias, quas *Szentivanius* Diſſert. Paralip. *Cat.* 34. recenſet, ſub finem namque ejuſdem ſic diſſerit: *Plures adhuc erant Præpoſituræ, & Abbatiæ ſub Corona Hungariæ, quarum nomina ignorantur, & ſunt abolita.* Et quemadmodum is idem ſub finem *Cat.* 35. de pluribus Abbatiis inquit: *Abbatiæ, quæ cujusnam Ordinis fuerint, non liquet, quamvis reperiantur earum nomina in ſcripturis, & Privilegiis antiquis.* Multo minus liquere poteſt, cujusnam ordinis Abbatia *S. Hieronymi Stridone* fuerit, cum nec nomen ejus ad notitiam ejusdem, utpote abolitum, pervenire potuerit. Hinc non immerito conque-

(a) Deſignat Annum, quo prior Eccleſia vehementi terræ motu agitata eſt.
(b) Denotat annum, quo præſens Eccleſia ad ſuam molem conſurrexit.

Digitized by Google

queritur celeberrimus ille *Strigonienſis* ad A. C. 1616. declaratus Archi-Antiſtes *Petrus Pazmany* apud *Car. Peterffium* Concil. Hung. *par.* 2. *pag.* 265. inquiens: *Cogitaram ego vel omnium, vel ſaltem Strigonienſi Eccleſiæ annexorum Epiſcopatuum, quique in eorum Diœceſibus olim floruerunt Religioſorum catalogum texere, annexis omnibus, quæ plenam ſtatûs Eccleſiaſtici notitiam generare poſſent: ſed conatum ſucceſſus deſtituit. Nihil enim uſpiam reperi, quod animum expleret. Fragmenta duntaxat reperi, & in quorundam Religioſorum libris male deſcripta Monaſteriorum nomina, quæ nec intelligi ab Hungaris poſſint.* Cujuscunque porro Glagolitæ illi ad *S. Hieronymum* in *Strido* extiterint Ordinis, pauci admodum fuiſſe debebant, niſi forte opulentiorem *Cilejanam* habuiſſent fundationem, ex modernæ namque, quæ poſtmodum Eccleſiæ *S. Hieronymi* attributa eſt, proventibus, neque tres pro decentia ſtatûs Religioſi ſubſiſtere potuiſſent, atque hinc ex parte crediderim, eos locum hunc ſacrum ſponté, juxta quorundam *hic num.* 4. relatam opinionem deſeruiſſe, & eſto forte usque ad tempora *Georgii* ſenioris *Zrinii* perſeveraſſent, tum ob exilem fundationem, tum ob hæreticam perſecutionem *Zrinio* vacuam reliquiſſe habitationem. Atque hæc tam de loco naſcitæ *S. Hieronymi*, quam de Eccleſia ejusdem *Stridonenſi*, ejusque Adminiſtratoribus, ac Abbatia, quantum potuit rudis calamus pro exili eruditione produxit.

CAPUT LXII.

De devotione populi tam domeſtici, quam exteri ad Eccleſiam S. Hieronymi Stridonenſem, & de gratiis, quas ibidem ſe obtinere fatetur.

I. ECcleſiam *S. Hieronymi Stridonenſem* ab immemorabili tempore celebrem à devotione concurrentis populi extitiſſe plerique deprædicant ſcriptores, ſignanter *Bombardius* Topogr. Hung. *par.* 2. *cap. un. ſegm.* 1. § 12. *num.* 1. ſcribens: *Stridova D. Hieronymi Natale ſolum, utpote in cujus bonorem templum colliculo impoſitum multis ſupplicationibus ordinibus, ex remotioribus Hungariæ partibus eo adductis, plurimisque prodigiis continuo celebratur.* Huic ſubſcribit *Fran. Graſs* Geogr. *par.* 1. *cap.* 1. *de Hung. quæſt.* 6. ſic inquiens: *Stridova à multis Hungarorum (quibus id Solum Natale S. Hieronymi creditur) ſupplicationibus nobilis.* Et quemadmodum memorata Eccleſia celebritatem ſuam à frequentiori ſupplicantis populi concurſu adepta eſt temporibus vetuſtioribus, ita & iis, quibus PP. Paulini *Chaktornyenſes* eam adminiſtrant nihil diminutam, ſi non adauctam cernere eſt. Et vel maxime poſtquam demolita veteri Eccleſia, novam in formoſiorem, & ampliorem formam concurrens devota plebs elevari conſpexiſſet, mox etenim majorem ipſa erga S. Eccleſiæ Doctorem *Hieronymum* concipere eſt viſa pietatem, ac in vetuſtam accendi venerationem. Præterquam enim, quod in feſto eidem Sancto die 30. Septembris dicato frequentiſſima non ſolum ex *Inſula Muro-Dravana*, ſed & confini *Styria*, ac *Hungaria* devotionis cauſâ, proceſſionaliter quidem ex propinquioribus, ſi tempus admittat, Parochiis accurrat populorum turba, Dominicis quoque, ut vocant, Novilunaribus, id eſt: primis poſt Novilunium, quibus ibidem Miſſa cum Sermone habetur, non exiguus eorum confluit numerus. Et ne confluentes abſque ſpirituali conſolatione redire cogantur, ad eorum obſequia pariter ſpiritualia bini, quandoque terni, etiam quaterni ex Conventu *S. Helenæ Chaktor-*

Digitized by Google

nyenſi Patres Paulini, ſicut obligantur, ita promptiſſimo excurrunt animo.

II. Sed & ipſe *S. Hieronymus* poſt novi ædificii ſucceſſum novis apparet inclareſcere gratiis, dum è numeroſo populo plerique, ut olim, quando in variis neceſſitatibus, ac infirmitatibus genuflexi ad Aram *S. Hieronymi* opitulationum expetunt remedia, de gratiarum *Hieronymitarum* Gaza & fonte, cujus ſupra *cap. 61. num. 1.* memini, inexplicabiles, poſtulatorum participes effecti, reportant theſauros. Quod ſi ea, ut alibi, eſſet hominum accurrentium opulentia, dudum hic ſacer locus, in celeberrimum evaſiſſet, evaderetque hiſce temporibus, qui tamen pro exilibus fortunis ſuis, quas poſſunt, in acceptorum beneficiorum recompenſam, referunt opes exiguas, Deo tamen, & *S. Hieronymo*, ut Viduæ illius apud *Lucam cap. 21.* duo æris minuta, acceptiſſimas. Quemadmodum autem ſub principium Curaturæ Patrum Paulinorum plura apportabantur anathemata, vota, tabellæ, fulcra, velut totidem beneficentiæ, & pietatis *Hieronymitanæ* teſtimonia, ita & nunc de novo novæ Eccleſiæ inferri cœperunt. Plures omnipotentiæ prodigioſos effectus priorum annorum meritis *S. Hieronymi* in noſtra *Stridone* in ſimpliciter conſutis aliquot chartæ phyleris connotatos, atque in eadem Eccleſia conſervatos fuiſſe ſæpius referebat *V. P. Martinus Chonkaſs* (de quo *cap. 61. num. 2.* mentionem habui (ut religione, ita fide candidus: Sed hos una cum charta à tumultuantibus *Rakocziana* factionis aſſeclis, dum ſicut *Dynaſtiam* reſiduam *Muro-Dravanam*; ita & Oppidum *Stridon* ad A. C. 1704. fœde depopularentur, pro pyriorum pulverum conſervatoriis applicatos, & absportatos extitiſſe. Hinc de vetuſtioribus *S. Hieronymi* gratiis nihil agere valeo. Aliquot igitur recentiores, easque quæ momentoſioris dignoſcuntur eſſe conſiderationis, hic recenſendas aſſumpſi, ex votivis Tabellis recenter ad latera *S. Hieronymi* perennis memoriæ, & gratiarum actionis intuitu appenſis, deſumptas.

III. Et ut innumerum febricitantium ſanitati reſtitutorum miſſum faciam numerum, primam, quæ occurrit nobis *Magdalenam Fritz* audiamus. Hæc oppidi *Chaktornyenſis* civis vidua duorum filiorum Mater, *Emerici* annorum 17. & *Joannis Bapt.* 15. Quorum prior ad A. C 1741. non tantum pedes, ſed & manus refractarias, ex acutiſſimis contracturæ doloribus habuit: Mater cum multa pro filii ſanitate applicuiſſet remedia, neque ullam ex his filius dolorum remiſſionem concepiſſet, converſa ad *S. Hieronymum*, illum piis precibus, & ſuſpiriis, addito peregrinationis ad Sacram ejusdem ædem in *Strido* voto, pro filii incolumitate interpellat. Et ecce! Mulier vix voti rea facta, filium conſpicit ex aſſe ſanum. Sed paulo poſt alterum ejusdem mulieris filium *Joannem*, dum ſomnum caperet, quædam infernalis Mæduſa adoritur, ac corpori integro maleficium cum dolore ſæviſſimo imprimit, ita, ut experrectus, cæcus, mutus, & ſurdus, ſeque movere impotens conſpectus ſit, taliterque neque bibens, neque comedens, per triduum jacens in lecto permanſit, conſternata mater miſera, dum quid actu opus eſſet, & cogitaret, & à pluribus conſilia requireret, meminit in ſeniore filio obtentæ à *S. Hieronymo* gratiæ, fiducialiter iterum ad eundem qua precibus, qua lachrymis recurſum fecit, atque doloris, & maleficii Æſculapium invocavit. Neque dedignatus eſt purpuratus Doctor miſeræ mulieris parere invitationi, continuo namque veniens in virtute de cœlo, abſtulit maleficium, & ſtupentibus univerſis, qui infauſti juvenis noverant, & viderant caſum, omnia corporis membra priſtino vigori reſtituta fuere.

IV. Majoris adhuc admirationis eſt illud, quod A. C. eundem 1741. *Martinus Vergovich* ex Parochia *S. Martini*

cis

Digitized by Google

cis Muram amnem, adductis pluribus teſtibus, & ipſo A. R. D. loci Parocho, de filia ſua octenni retulit, qualiter nempe illa fatali oppreſſa morbo è viventium tabulis expuncta fuerit: quam unicam prolem parentes exanimem videntes, inter gemitus, & lachrymas ad *S. Hieronymum* converſi munera, & multa obſequiorum ſpoponderint genera, ſi ſuſcitatorem filiæ experiantur. Mira res! Puellula ſexta poſt obitum hora reviviſcit, parentes ſuos, quibus inſalutatis receſſerat, filiali mox complexos amore ſtringit, & paulo poſt *Stridonenſe* debitum, cujus ſe parentes pro vita filiolæ obligatos fecerant, una cum ipſa non ingrati perſolverunt. A. C. 1725 *Joannis Ferk* Civis *Luttenbergenſis* proles tres *Joannes, Franciſcus, & Maria*, item *Emerici*, & *Juditbæ Simonka* Conjugum civium oppidi *Alſo-Lendva* proles freneticæ, meritis *S. Hieronymi*, cui voto à parentibus obſtrictæ fuere ſanitatem adeptæ ſunt. *Joannes* filius *Magdalenæ Vraſich* ex pago *Hoticza* in morbillis excæcatus, nihilque per tres hebdomadas videre potens, facto voto ad *S. Hieronymum* viſum recepit. Ex eodem pago *Magdalena*, & *Juditba* filiæ *Eliſabethæ N.* caduco morbo graviſſime vexatæ, cum omnibus excogitabilibus mundanis remediis adhibitis nullatenus ſanari valuiſſent, imo vis morbi ita accreviſſet, ut per longum tempus, ſæpius exanimes quaſi jacuerint. Ubi tandem Mater earum ſe ſupra *S. Hieronymum* reflexiſſet, filiasque ejusdem patrocinio peregrinationem *Stridonem* vovens, commendaſſet, ſaniſſimæ effectæ ſunt, atteſtantibus, & narrantibus *A. R. D. Joſepho Banſich* Parocho de *Muraiſzambath*, & *P. ac G. D. Petro Mlinarich* Comitatus *Caſtri Ferrei* emerito Vice-Comite, quibus cognomen Matris memoria exciderat.

V. A. C. 1746. cujusdam *Mariannæ* Viduæ filius *Joſephus* ex Parochia *S. Martini* perículoſa infirmitate gravatus, & quinque diebus mutus effectus, nonniſi mortem ejus circumſtantes præſtollabantur; ſed à Matre voto facto ad *S. Hieronymum* cum uno Miſſæ Sacrificio convaluit. Margaretha Civiſſa *Luttenbergenſis* diſſenteria infectas binas habebat proles, poſtquam multas miſerias, ac afflictiones juxta ipſas pati coacta fuiſſet, reflectens ſe ad Opitulatorem *S. Hieronymum*, ad eundem precibus, & ſuſpiriis pro medicina recurrit, quam & obtinuit, ita, ut continuo proles ſanarentur. *Michaëlis Spiſſich* filia *Margaretba* à *S. Wolffgango* in *Styria* agonizans, ardentem candelam in manibus tenens, jamjam animam exhalatura à circumſtantibus precibus Deo pro felici tranſitu commendabatur: quo viſo tactus dolore parens, ipſo Dominico Novilunari die (quoad *S. Hieronymum* devotio fieri aſſolet) omiſſis omnibus domi ſuæ, confugit feſtinans ad Auxiliatorem *S. Hieronymum*, ibique peracta devotione, & filiæ ſuæ commendatione, redux domum filiam ſuam ſanam, & hilarem reperit, quam lætabundus ipſe conſpiciens Deo, & *S. Hieronym.* gratias flexo poplite pro reſtituta prole humiles retulit.

VI. Ad A. C. 1747. *Mathiæ Hericz*, Styri ex Parochia S. Crucis lingua, neſcitur quo morbi vinculo ligata, verba nulla per anni integri ſpatium formare poterat; hinc nonniſi ſignis animi ſui conceptus prodere cogebatur: gravis naturæ ea videbatur injuria, linguam habere, & loqui non poſſe: gravius adhuc erat nullum ſcire remedium ſolvendæ linguæ opportunum. Suſpirabat itaque frequenter oculos cœlum verſus rotans, ſuamque miſeriam *S. Hieronymo* ſecretis animi ſui petitionibus recommendans. Exauditus à *S. Doctore Mathias* linguæ officio reſtituitur, ne deeſſet, qui beneficium hoc aliis non ediceret. Edixit *Stridonium* voti exſolvendi cauſa veniens Patri *Blaſio Gruza*, eò tum Eccleſiolæ *Hieronymianæ* Curatori, præſente R. D. *Joanne Topolnyak* Capellano *Stridonenſi*, aliisque pluribus fide dignis perſonis. Ad A. C. 1748. quoque *Margaretbæ Fekonya* Oppidi *Luttenbergenſis* Incolæ filiolus, nomine *Thomas*, graviſſimis Epilepſiæ moleſtiis corripiebatur, adeo, ut cum illum inſoli-

ſolitum clamorem, illam ſubitam humi alliſionem, dentium ſtridorem, ac corporis totius tremorem accurrentes intuerentur, miſerati ſint ejus ſortem, & præcipuè Mater, quæ præſenti diſcrimine cogitatione ſua omnia terrena remedia tranſcendens, *Stridonium* verſus oculos conjicit, *S. Hieronymum* invocat, exclamans: *O Sancte Dei, Filioli mei miſerere, vides eum virium, & mentis impotem, ab juva!* poſt clamorem ſimilem in filium retorquens oculos, menti, & ſanitati ſic reſtitutum vidit, ut nunquam amplius eo morbi ſyncope correptus fuerit, atteſtantibus id cum Matre *Stridonem* comparente, votumque exſolvente, pluribus de eodem oppido incolis, in præſentia duorum Patrum Capucinorum de Conventu Varasdinenſi, eo tum *Stridonii* exiſtentium.

VII. Majoris conſiderationis eſt illud, quod ad A. C. 1749. narratum, atque comprobatum extitit, de duobus Conjugibus in pago *Gibina*, unicum habentibus filium, jam adoleſcentem, qui infelici caſu in fluvium *Moriczam*, & ab aquis abſorptus, ſuffocatusque, atque integro bihorio à parentibus ſollicite quæſitus, tandem prope ripam exanimis repertus eſt. Mœſti parentes in uno filio omnia perdidiſſe rati nonniſi fletu, & ejulatu aëra replent, accurrentes vero vicini ſepulturam juvenis urgent. Genitores tamen ſpe meliori concepta, votum ad *S. Hieronymum*, cujus crebras *Stridonii* haberi gratias intellexerant, peregrinationis, donarioli que pro paupertate ruſticanæ domus offerendi emittunt, juvenemque non ſine cunctorum circumſtantium admiratione reviviſcere cernunt, redivivumq; primo domum, dein poſt paucum temporis voti explendi cauſa *Stridonem* abducunt, ubi hæc Magnalia Dei, Patrocinio *D. Hieronymi* exoperata, cum pleno vicinorum, qui adfuerant, teſtimonio ex cathedra Concionatoria promulgari petierunt; prouti ad augendam majorem Dei Gloriam, ac *S. Hieronymi* honorem promulgata fuere. Prolixus jam ad finem tendens, nimium forem, ſi univerſa beneficentiæ *S. Hieronymi* munera hic ſupplicantibus collata recenſere vellem, ſi hæc benevolo lectori non ſufficiunt, adeat quæſo locum hunc ſacrum, inveniet ibi præter ſymbola gratias receptas teſtantia, plura notata, quibus cæcis viſus, mutis loquela, ſurdis auditus, claudis greſſus reſtitutus, aliis dein in aliis neceſſitatibus, tribulationibus, & anguſtiis favorabiles opitulationes conceſſæ ſunt.

VIII. Omittendam tamen haud judicio animalium etiam cornutorum, è quorum ſubſidiario labore humana ſubſiſtit vita, per tres integras hebdomadas ex infirmitate quadam neque bibentium, neque comedentium, ſed jacentium tantum & mugientium ope *S. Hieronymi* A. C. 1744. gratioſam factam ſanationem. Retulit hoc ſub fide Chriſtiana de ſuis animalibus *Mathias Lakatoß* ex pago *Hoticza*, qui & in grati animi memnoſynon magnalia *S. Doctoris* pia congratulatione poſteritati palam faciens votivam Tabellam penicillo pictorio hæc repræſentantem ad Aram ſui Sancti Opitulatoris appendi fecit. Omnes prærecenſiti patentiſſimum teſtimonium perhibent: *Quod ſit* (ut *Regius Vates Pſ. 67. v. 36.* loquitur) *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.* Hi namque juxta *S. Damian. Epiſt. ad Blan.* ſcribentem: *In ſapientia, cui uniti ſunt, omnia ſciunt, in omnipotentia omnia poſſunt.* Hæc itaque ſunt, quæ de Natali Solo *S. Hieronymi* imbelli meo ingenio, ac levi calamo benevolis, & eruditis lectoribus proponere præſumpſi. Si horum quis inventus fuerit contrarium ſentiens, abſit ut morer: id unicum votis intimis aſpirans, ut levidenſis hujus laboris mei initio, quod augendo honori Dei, & cultui *S. Hieronymi* dedicatum eſt, correſpondeat &

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PRIMÆ PARTIS.

A.

ABorigines Dalmatarum. *pag.* 58.
Incolarum Inſulæ Muro-Dravanæ, *pag.* 201.
Acarnanes, Natio Illyrica. *pag.* 49.
Achicorius, Dux Gallo-Illyrorum. *pag.* 51.
Achilis, ſeu Enchelei, filii Illyri ſedes. *p.* 14.
Adamus C. Zrinius ad Szalankamen occumbit. *pag.* 226.
Ægyptus fit Romanorum Provincia. *p.* 67.
Hanc occupat Ptolomæus Lagi, Alexandri M. filius. *pag.* 35.
Ælius Adrianus Imperator. *pag.* 103.
Æmilianus acclamatus Imperator. *pag.* 120.
Æpulo, ſeu *Apulo* Iſtriotarum Rex. *pag.* 55.
Æra Chriſtiana incipit. *pag.* 88.
Agriani, Populus Illyricus, cum ſedibus ſuis. *pag.* 18.
Agron, Rex Illyrii potentior reſiduis. *p.* 51.
Agriam urbem ædificat. *pag.* 18.
Alani. & Roxolani populi Slavonicæ nationis. *pag.* 219.
Alathæus, & Saffrach Gothi, Illyricum depopulantur. *pag.* 158.
Stridonem, & Petovium ruinant. *ibid.*
Alexander, Rex Macedoniæ bellum ab Illyris mercede redimit. *pag.* 29.
Fratremque ſuum Philippum pro Obſide præbet. *ibidem.*
Alexander cognomento Magnus naſcitur. *pag.* 30.
Patri ſuo Philippo exoſus ad Illyrios confugit. *ibidem.*
Demortuo Patre habenas Regni tractat. *pag.* 31.
Ejusdem ſub initium gubernii geſta. *ibidem.*
Cum Cappadocibus bellum. *ibidem.*
Erga Cappadoces favor. *ibidem.*
Illyros ope Cappadocum ſub jugum mittit. *pag.* 31.
Legatos Illyrii ad Danubium ſuſcipit. 33.
Eosdem in fidem, & amicitiam recipit. *ibidem.*
Heleſpontum tranſiens, omnia Orientis Regna occupat, Monarchiamque Græcam erigit. 33.
Tandem moritur. *pag.* 35.
Ejus Poſteri pro Regnis concertant. *pag.* 50.
Alpes Juliæ quæ? *pag.* 67.
Item *pag.* 96.
Amantina, Pannoniæ Provincia, cum ſua Metropoli, ſuoque ſitu. *pag.* 133.
Amantini, Natio Illyrica, cum ſua habitatione. *pag.* 17.
Amynthas, Rex Macedoniæ decedit. *p.* 29.
Anonymus, Rex Illyrii, Macedonibus infeſtus. *pag.* 50.
Antenor, Trojæ proditor ſe Cappadocibus Henetis conjungit. *pag.* 26.
Ut Rex illis exulare cogitur. *pag.* 40.
Cum Henetis in Europam navigat. *ibid.*
Paduanam Civitatem condit. *pag.* 26.
Antoninus Caracalla, & Geta Fratres Imperatores. *pag.* 111.
Antoninus Pius Imperator. *pag.* 180.
Antonius Triumvir. *pag.* 64.
Amoribus Cleopatræ implicitus. *p.* 65.
Huic Imperium ambienti Senatus bellum indicit. *pag.* 67.
Ab Octaviano cæditur. *ibidem.*
Aqua nigra olim, nunc Savus fluvius. *p.* 207.
Aqua viva olim, nunc Majerje in Campo Varasdinenſi. *pag.* 111.
Arcaragantes, iidem, qui Slavo-Sarmatæ. *p.* 205.
Arcaragantia olim, nunc Inſula Muro-Dravana. *ibidem.*
Archi-Epiſcopatus moderni Illyrii, cum ſuis Suffraganeis. *pag.* 245.
Ardiæi, Illyrica natio, & eorum Sedes. *p.* 24.
Ab Autariis evertuntur. *pag.* 25.
Cum Paltariis reſiduos Illyros Romanis faventes armis vexant. *pag.* 60.
Sed domantur à Romanis. *ibidem.*
Armeniam ſubigit Decebalus. *pag.* 101.

Aria-

Digitized by Google

Ariana Hæreſis in Illyrico invaleſcit. *p.* 241.
Arius Hæreſiarcha ad Palinodiam contandam adigitur. *pag.* 140.
Arrupium olim, nunc Modruſſa. *pag.* 65.
Aſchenecz, ſeu Thuiſco, quas terras primitus inſedit? *pag.* 8.
Aſſeſſia olim, nunc Bribir. *pag.* 113.
Aſſyrus, Aſſyriorum Pater. *pag.* 36.
Athalaricus, Oſtrogothorum Dux Pannonias occupat. *pag.* 160.
Ejus trium filiorum Sedes. *ibidem.*
Athea Scytharum Regis cum Philippo Macedone bellum. *pag.* 30.
Atintanes, Illyrica natio, & eorum Sedes. *pag.* 17.
Attila, Rex Hunnorum Europam depopulatur. *pag.* 159.
Quo obeunte, filii ejus inter ſe de Regno colliſi cum plerisque Hunnis in Scythiam redeunt. *ibidem.*
His confœderatæ gentes Pannoniam occupant. *ibidem.*
S. Auguſtinus Gazottus in Boſnia hæreſes extirpat. *pag.* 258.
Idem Epiſcopus Zagrabienſis. *p.* 246.
Auguſtus Octavianus Dalmatico, & Pannonico bello ex aſſe intentus *pag.* 90.
Præſidia Romana per Illyricum diſlocat. *pag.* 91.
Fit Imperator. *pag.* 67.
Moritur. *pag.* 93.
Ejus de Illyrica gente ſententia. *ibid.*
Aurelius Antoninus Imperator. *pag.* 112.
Aureolus Purpuram in Illyrico induit. *p.* 121.
Sed ad Bergamum occiditur. *ibidem.*
Auſtria moderna, olim Pannonia Superior. *pag.* 173.
Autharii, Illyri filii, poſterorum ſedes. *p.* 16.
Autharii ad Delphicum Phanum pereunt. *pag.* 50
Autharius Rex Illyrii. *pag.* 25.
Avendo, ſeu Avendone olim, nunc Sztari-Grad in monte Kapella, Gvózd alias dicto. *pag.* 42.
Avidius Caſſius Imperium invadit, ſed obtruncatur. *pag.* 109.

B.

Babylone peſtis exorta totum pervagatur Orbem. *pag.* 108.
Bagaudorum Ruſticus tumultus. *pag.* 132.
Banale gubernium in Croatia, & Slavonia. *pag.* 256.
Barbari qui? *pag.* 122.
Barbarorum multa millia à Lucio Domitio deleta. *ibidem.*
Bardylles Illyrii Rex in bello ſuccumbit. *p.* 30.
Idem Rex Pannoniorum. *pag.* 86.
Bathanathius Dux Gallo-Illyriorum. *pag.* 51.
Bathinus fluvius quis? *pag.* 85.
Batho, Pannoniorum Rex à Tiberio victus. *pag.* 83.
Hic non fuit Rex Pannoniæ Saviæ. *ibid.*
Bathones duo, unus Pannoniæ Rex alter Dalmatiæ Dux. *pag.* 84.
Bathonis Pannonii acutum ad Romanos reſponſum. *pag.* 90.
Bathiana Comitum familiæ origo. *p.* 51.
Bebii montes qui? *pag.* 169.
Belgradum nunc, olim Taurunum. *pag.* 69.
Beliczenſis Parochiæ deſcriptio. *pag.* 289.
Belika, olim Balea, & Banges, dein Balba, & Magnana, nunc Velika. *pag.* 69.
Belli Romano-Civilis origo. *pag.* 62.
Bellum Illyriorum, & Macedonum contra Romanos. *pag.* 56.
Belloveſus, & Sigoveſus Celtarum, & Gallorum Duces. *pag.* 26.
Belloveſus in Italia Mediolanum condit. *ibid.*
Hujus quædam Copiæ in Illyrico remanſere. *ibidem.*
Idem Rex Illyrii. *ibidem.*
Bilbilis, probabiliter nunc Ogulin. *pag.* 43.
Blondi opinio de Natali Solo S. Hieronymi. *pag.* 148.
Bodinum nunc, olim Viminiacum. *pag.* 139.
Boji contra Hetruſcos, & Umbros potentes. *pag.* 28.
Ad Raclitanum conſident. *ibidem.*
Bolga Dux Gallo-Illyrius partem Macedoniæ depopulatur. *pag.* 50.
In deſpoliatione Templi Delphici occumbit. *pag.* 51.
Ejus Sedes. *ibid.*
Bombardius Inchofferii, & Schönlebenii ſententiam de Natali Solo S. Hieronymi approbat. *pag.* 181.
Joannis Lucii opinionem impugnat. *ibidem.*
Bononia olim, nunc Bonmonoſtor. *p.* 139.
Bonoſus Cæſar acclamatus laqueo vitam finit. *pag.* 130.
Boſnia in Diviſione Provinciarum nomen amiſit. *pag.* 72.
Quam declinante Romano Imperio recobtinuit. *ibidem.*
Pars olim veteris Dalmatiæ. *pag.* 171.
Ejus limites. *ibidem.*
Et viciſſitudines. *ibidem.*
A Turcis occupatur. *pag.* 172.
Boſnenſes hæretici Catholici effecti, in hæreſim relabuntur. *pag.* 258.
Manichæorum pars, Neſtorianorum ſectam amplectitur. *p.* 259.
A Turca Regno pelluntur. *pag.* 260.
Migrant in Hungariam. *pag.* 172.
Familiæ potentiores hinc inde diſperguntur. *ibidem.*

Bren-

Digitized by Google

Brennus Dux Gallo-Illyrus Macedoniæ partem depopulatur. *pag.* 50.
In deſpoliatione Templi Delphici occumbit. *ibidem.*
Ejus ſedes. *pag.* 51.
Breve Nicolai V. Papæ, Natale Solum S. Hieronymi comprobans. *pag.* 175.
Britanni, & Germani domantur. *pag.* 100.
Bubalia Pannoniæ Provincia eum ſua Metropoli. *pag.* 133.
Situs ejusdem. *pag.* 134.
Budimirus primus Dalmatiæ, & Croatiæ Rex Catholicus. *pag.* 243.
Bulgari Mœſiam inferiorem occupant, & Bulgariam appellant. *pag.* 172.
Bulini, Natio Illyrica, & horum ſedes. *p.* 17.
Byzantium olim, nunc Conſtantinopolis. *pag.* 140.

C.

Cadmus cum conjuge Harmonia in ſerpentem mutatus. *pag.* 15.
Caji Cæſaris cum Pompejo diſcordia. *p.* 63.
Magnanimitas. *pag.* 64.
Cajus Cæſar Pompejum fugat. *pag.* 63.
Cajus Calligula Imperator. *pag.* 98.
S. Cajus Dalmata Papa. *pag.* 131.
Cajus Trebonianus Imperator. *pag.* 120.
Gothis Tributarius. *ibidem.*
Cajus Valerius Diocletianus Imperator. *pag.* 131.
Camera Græcenſis bis adminiſtrat Dominium Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 226.
Campona olim, nunc Theten. *pag.* 139.
Cappadoces, & Sarmatæ pro Trojanis pugnant. *pag.* 26.
Cappadoces cum Alexandro M. confligunt. *pag.* 31.
A quo magni habentur. *ibidem.*
Facitque eos in Illyrico Præſidiarios Milites. *pag.* 33.
Et in ſocietatem belli Aſiatici aſſumit. *ibidem.*
Scythæ olim nominabantur. *pag.* 35.
Venedos ſe primo, dein Slavos compellarunt. *ibidem.*
Ex Aſia in Illyricum migrant. *ibid.*
Idioma Slavonicum in Illyricum inferunt. *ibidem.*
Ex Moſoch Japheti filio prognati. *p.* 38.
OmniumSlavonicarum nationum Conditores. *ibidem.*
Cappadocia olim Moga dicebatur. *pag.* 37.
Cappadocum migratio in Sarmatiam Europeam. *pag.* 41.
Carauſius invadit Imperium Romanum. *p.* 132.
Carinus in Cæſarem adlectus, fit Imperator. *pag.* 131.
Carmelus, ſeu Centimalus Japydum Rex. *pag.* 55.
Carodunum quid? *pag.* 209. 281.
Catalogus veterum Incolarum Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 210.
Caſſander Illyriorum Regem interimit. *pag.* 49.
Celtæ, ſeu Galli Illyricum intrant. *pag.* 26.
Celtarum populi qui? *pag.* 11.
Nomenclatura hæc unde? *ibidem.*
Nationibus pluribus applicata. *ibid.*
Principaliores fuere. *pag.* 12.
Horum diſtrictus. *ibidem.*
Nomenclaturæ hujus reſtrictio. *p.* 12.
Celto-Scythæ, Scythæ, & Hyperborei qui? *pag.* 10.
Cethim, & Dodanim Javani filii. *pag.* 5.
Cethim Cetiorum, Citiorum, Cypriorum, Cretenſium, & Macedonum parens. *ibid.*
Hujus poſteri in Illyrico etiam habitarunt. *pag.* 6.
Monti Cetio nomen indiderunt. *ibid.*
Ubi mons Cetius? *ibidem.*
Qui & Gallenberg appellatur. *p.* 7.
Qua de ratione? *ibidem.*
Cetii, & Citii poſt Græci dicti. *pag.* 8.
Chaktornya nunc, olim Aquama. *pag.* 266.
Nomenclaturæ modernæ origo. *pag.* 267.
Veteris Arcis deſcriptio. *pag.* 268.
Venit in deſolationem. *pag.* 269.
Reſtauratur. *ibidem.*
Ejusdem Oratorium duplex, è quibus unum S. Hieronymi. *ibidem.*
Chaktornyenſis Parochiæ deſcriptio. *p.* 270.
~~*Chaky* Carolus, & Mauritius~~, Beatorum Titulo honorati. *pag.* 216.
Chriſti JEſu Nativitas. *pag.* 88.
Mors in Cruce. *pag.* 97.
Reſurrectio, & Aſcenſio. *ibid.*
Chriſtiana Religio nutat in Illyrico. *p.* 240.
Debilitatur. *pag.* 242.
Chriſtiani quieti late per Illyricum propagantur. *pag.* 100.
Cibalis olim, nunc Valpo. *pag.* 113. 139.
Pannoniæ Provincia, cum ſua Metropoli. *pag.* 135.
Cimbrorum, & Theutonum migratio, & cum Romanis bellum. *pag.* 61.
Cincibiles, ſeu Simpelis Gallo-Illyrorum Rex. *pag.* 55.
Citiorum Inſula quæ? *pag.* 6.
Civitates veteris Illyrii 70. *pag.* 21.
A Romanis opibus, & muris ſpoliantur. *pag.* 56.
Clariſſarum Cœnobium Zagrabiæ. *pag.* 254.
Claudius Imperator. *pag.* 121.
Cleopatra aſpidis morſu ſe ipſam interimit. *pag.* 67.
Clito Rex Illyrii ſic ſimpliciter dicti. *p.* 32.

Digitized by Google

Clodius Pupienus Imperator. *pag.* 113.
Cocceus Nerva Imperator. *pag.* 100.
Colonizari Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 204.
Collegium Societatis JEſu Poſeganum. *p.* 254.
Varasdinenſe. *ibidem.*
Zagrabienſe. *pag.* 252.
Comitatus Slavoniæ inferioris à Timonio Hungariæ appropriati, vindicantur. *p.* 164.
Comitatus quid? Ejus Officiales, Officialiumque authoritas. *pag.* 219.
Szaladienſis Familia C. ab Altheimb hæreditaria. *pag.* 234.
Varasdinenſis Familiæ C. Erdődy imperpetuatus. *pag.* 231.
Concilium Nicænum celebratur. *pag.* 140.
Confinia Banalia in Croatia, & Slavonia. *pag.* 256.
Confuſio linguarum ad Turrim Babel. *p.* 21.
Fuit novorum Idiomatum inſtitutio. *pag.* 22.
Et Familiarum diſtinctio. *ibidem.*
Conſtans optimus Princeps, Protector Eccleſiæ Dei. *pag.* 147.
Conſtantinopolis ædificatur. *pag.* 140.
Conſtantinus Româ elabitur in Britanniam. *pag.* 137.
Cæſar acclamatus, Auguſti titulum recuſat. *ibidem.*
Optimarum qualitatum Princeps fit Chriſtianus. *pag.* 138.
Licinium ſibi adverſantem prodigioſe fugat. *pag.* 139.
Ejus habitatio. *ibidem.*
Frequentior diverſio ad Aquas Jaſias. *pag.* 147.
Licinium nova molientem iterum, iterumque atterit, & capit, ac tandem ſtrangulari curat. *pag.* 140.
Imperator effectus, Ethnicorum contra Chriſtianos inſectationes coërcet: ſingularemque Eccleſiæ DEI curam ſuſcipit. *ibidem.*
Sacrum Baptiſma ſuſcipit. *ibidem.*
Plura in bonum Reipublicæ Chriſtianæ utilia Concilia conſtituit. *pag.* 141.
Imperium in trifarium dividit, & moritur. *pag.* 146.
Ejus Patria, & Natale Solum. *ibid.*
Filii hujus non contenti paterna diviſione Imperium armis dividunt. 147.
Conſtantius Chlorus Cæſar creatur. *p.* 132.
Helenam Uxorem repudiat. *ibidem.*
Mittitur in Britanniam. *pag.* 135.
Fit Imperator. *pag.* 137.
A Galerio repetit filium Conſtantinum ex Helena natum. *ibidem.*
Conventus tres in Illyrico à Romanis inſtituti. *pag.* 56.
Croata, Dalmatiæ partem occupant. *p.* 168.
Unde venêre? *ibidem.*
Quando Dalmatiam occuparunt? *p.* 170.
Quam Dalmatiæ partem inſederunt? *pag.* 169.
A Carolo Magno poſt diuturna bella ſubjugati. *ibidem.*
Loquuntur Idiomatibus Slavonico, Hungarico, Germanico, & Italico. *pag.* 78.
Croatia nunc, olim Dalmatia. *pag.* 75.
A S. Ladiſlao Rege Hungariæ, Coronæ Hungaricæ adjungitur. *p.* 170.
Croatia multiplex. *ibidem.*
Modernæ limites. *ibidem.*
Ejus pars Turcis paret. *ibidem.*
Inſulis ejusdem maritimis Venetus dominatur. *ibidem.*
Croatia, & Slavoniæ nomenclatura æquivoca. 75. 169.
Crucifixi prodigioſi in Inſula Muro-Dravana origo. *pag.* 288.
Criſpus Cæſar Allemannos compeſcit. *p.* 139.
Innocens cum Liciniano cæditur. *pag.* 140.
Cur olim plures ad ſemel in Illyrico Reges. *pag.* 55.
Cura Spiritualis duplex explicatur. *p.* 176.
Curetes, qui dein Croatæ Cajo Cæſari fideles. *pag.* 63.
Curta olim, nunc Ormosdinum. *pag.* 195.
Curycta Inſula olim, nunc Veglya, Jaſorum Curetum Sedes. *pag.* 44.
SS. Cyrillus, & Methodius Apoſtoli nationis Slavonicæ. *pag.* 244.
Czirkovlyan, olim Templariorum. *pag.* 280.

D.

Dacia fit Romanorum Provincia. *pag.* 101.
Nunc Tranſylvania. *pag.* 121.
A Gothis occupatur. *ibidem.*
Nova Dacia in Mœſia conſtituitur. *pag.* 122.
In binas partes dividitur, Metropolisque cuilibet aſſignatur. *ibidem.*
Vetus Dacia Gothis, & Marcomannis indulgetur. *ibidem.*
Daci cum Sarmatis Illyricum depopulantur. *pag.* 96.
Dalma urbs in Boſnia. *pag.* 57.
Ab hac Dalmatarum, & Dalmatiæ nomenclatura. *ibidem.*
A Romanis ſucceditur. *pag.* 60.
Dalmata à Theuta Illyrii Regina defectionem moliuntur. *pag.* 59.
Jugi Romani impatientes Illyros his fideles infeſtant, finesque ſuos prolongant. *ibidem.*

Roma.

Romanum Exercitum propulſant. *p.* 59.
A Romanis dein fugati ſubjugantur, *pag.* 60.
Liburnis bellum inferunt. *pag.* 62.
Cum reſiduis Illyris à Julio Cæſare veniam petunt. *pag.* 64.
In gratiam recepti mox deficiunt, & finitima Romanorum inundant. *p.* 65.
Ab Octaviano domantur, & ſub Tributum mittuntur. *pag.* 66.
Cum Pannoniis contra Romanos arma parant. *pag.* 89.
Primo feliciter pugnant. *pag.* 90.
Tandem victi deduut ſe Romanis. *ibid.*
Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *p.* 204.
Dalmatarum territorii fines primi. *pag.* 58.
Primum Regimen. *ibidem.*
Poſt Chriſtum natum cum Pannoniis ſollicitudo. *pag.* 89.
Dalmatia primitus exigua, effecta dein, & dicta eſt Magna. *pag.* 68.
Ejus diviſio. *ibidem.*
Ad Savum usque extenſio. *pag.* 68.
Et ad Dravum protenſio. *pag.* 69.
Item usque ad Muram. *pag.* 71.
Et usque ad Danubium. *pag.* 70.
Extenſio hæc probatur. *pag.* 69.
Item. *ibidem.*
Item. *pag.* 71.
Extenſio hæc qualiter intelligenda? *pag.* 70.
Fit Romanorum Provincia. *pag.* 104.
Hujus genuini fines. *pag.* 71.
In diviſione Provinciarum ſuum in pare nomen retinuit. *p.* 72.
Eadem occaſione parte in una reſtringitur, parte in altera protenditur, *p.* 101.
Declinante Imperio Romano tota ſuum nomen reobtinuit. *p.* 73.
Quod probatur. *pag.* 159.
Nunc partim Slavonia, partim Croatia, partim Servia, & partim ipſa Dalmatia. *pag.* 64.
Poſt diviſionem Imperii in Orientale, & Occidentale pro Italica Regione ſumebatur. *pag.* 242.
Atque hac occaſione ab Illyrico diſtingui cœpit, *pag.* 144.
Declinante Romano Imperio vetuſtos ſuos limites recepit. *ibidem.*
A Gothis occupata, & poſſeſſa. *p.* 158.
A S. Ladislao Rege Hungariæ, Coronæ ejusdem adjuncta. *pag.* 162.
Partim Venetis, partim Turcis paret. *pag.* 163.
Dalmatia nomen poſt extinctos Illyrii Reges innoteſcere cœpit. *pag.* 58.
Quis ejus primus Rex. *pag.* 162.
Ejusdem, & Pannoniæ limitum diſceptatio unde orta. *pag.* 135.
Dalmatia Veteris, & Pannoniæ Veteris genuina declarantur confinia. 153. *ſeq.*
Ejusdem fines tempore Oſtroilli Regis. *pag.* 163.
Modernæ Limites. *ibidem.*
Dalmaticorum Equitum virtus, *pag.* 122.
Dalmaticum bellum, idem ac Illyricum. *p.* 59.
Danubii fluvii Origo. *pag.* 9.
Cur olim Iſter vocabatur. *ibidem.*
Daorta, filia Illyri, ubi cum ſuis poſteris habitavit? *pag.* 16.
Dardania à Philippo Rege Macedonum ſpoliatur. *pag.* 30.
Nunc Valachia, & Moldavia. *p.* 82.
Dardani in ſocietatem belli Aſiatici ab Alexandro M. adſciti. *pag.* 33.
Dardanus, filius Illyri, quas terras cum ſuis poſteris incoluerit? *pag.* 15.
Daſſaretiba, filia Illyri ubi cum ſuis poſteris ſedes fixerit? *pag.* 16.
Decebalus Daciæ Rex ſeipſum interimit. *p.* 101.
Decius Cæcilius Imperator. *pag.* 113.
Decius Trajanus Imperator. *ibidem.*
Demetrius, Antigoni filius, Illyriis acceptiſſimus. *pag.* 50.
Demetrius, Banus Slavoniæ, Dominus Uſufructuarius Inſulæ Muro-Dravanæ. *p.* 216.
Demetrius Pharius, Corcyram Illyrii Inſulam Romanis tradit. *pag.* 53.
Iſtriotas ad Piraticam inducit. *ibid.*
Pinei Regis Illyriorum Tutor contra Romanos bellum ſuſcipit. *ibid.*
A Romanis vincitur, & fugatur. *p.* 54.
Philippo Macedonum Regi bellum primo contra Illyros, ac tandem contra Romanos perſuadet. *ibid.*
Devotio Populi ad S. Hieronymum Stridone. *pag.* 307.
Item. *pag.* 308.
Diocletianus Imperator, Maximinum Herculium, & Conſtantium Chlorum Cæſares creat. *pag.* 132.
In Chriſtianos crudelis. *pag.* 136.
Imperio ſe abdicat. Quare? *ibid.*
Senio confectus, moritur horti Cultor. *pag.* 139
Diomedes Idolum Illyriorum. *pag.* 97.
Dionyſius Syracuſanus Illyris favens. *p.* 28.
Urbem Lyſſam ædificat. *ibidem.*
Mox Illyris Adverſarius. *pag.* 29.
Moritur Tyrannus. *ibidem.*
Diploma Alexandri M. pro Natione Slavonica. *pag.* 34.
Diverſa nationes in Croatia, & Slavonia. *pag.* 78.
Diverſi in Illyrio Reges. *pag.* 55.
Diviſio Illyrii vetuſtiſſima. *pag.* 19.

Digitized by Google

Doda, Civitas Illyridis. *pag.* 8.
Dodanim, Javani filius. *pag.* 5.
Nomen dedit Dodonæis Illyridos incolis. *pag.* 7.
Dodona, Epyri Civitas. *pag.* 8.
Dodonai, poſt Epirotæ dicti. *pag.* 7.
Dominium quid, & quotuplex? *pag.* 212.
Penes Illyros primos totius Adriatici Litoris. *pag.* 29.
Apud Romanos Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 212.
Ejusdem apud Coronam Regni Hungariæ. *pag.* 216.
Domitianus Imperator. *pag.* 100.
S. Domnio Epiſcopus Salonitanus. *p.* 99.
Domnus Ep. Stridonen. & *Domnus* Ep. Laureacen. ſubſcribunt Concilio Nicæno, *pag.* 140.
Dravi, & Muræ fluviorum ortus, fluxus, & influxus. *pag.* 195.
Dravus, olim Scarnijunga dicebatur. *p.* 196.

E.

Ebrus, Iſtri Pater. *pag.* 5.
Edictum S.P.Q.R. malo Reipublicæ vulgatum. *pag.* 99.
S. Eleutherius Illyrii Apoſtolus. *pag.* 101.
Eleutherius Epiſcopus Regionarius Illyrii. *pag.* 240.
Elitborius Dux Gallorum. *pag.* 28.
Epirus à Romanis in Provinciam redacta. *pag.* 57.
Epiſcopatus vetuſti per Illyricum. *pag.* 100.
Item. *pag.* 242.
A B. Budimiro Rege conſtituti. *p.* 243.
Sed iterum extincti. *pag.* 244.
Moderni. 244.
Epitaphium Petri Com. à Zrinio, & Franc. March. de Frangepan. *pag.* 225.
Nicolai C. à Zrinio ab Apro interempti. *pag.* 224.
Eſſekinum nunc, olim Murſia. *pag.* 125.
Euſebii, Patris S. Hieronymi Sepulchrum. *pag.* 169.
Euſebius Ep. Vercellenſis. in Illyrico contra Arianam Hæreſim prædicat. *pag.* 241.

F.

Fauſta Criſpi Noverca in balneo ſuffocatur. *pag.* 140.
Filii Illyri, quorum Populorum Patres. *p.* 14.
Flavius Valerius Severus Cæſar. *pag.* 137.
Occiditur. *ibidem.*
Florianus Imperator. *pag.* 129.
Flumen nunc, olim Promona. *pag.* 69.
Fœdus Gentii Illyrii, & Perſei Macedoniæ Regum contra Romanos. *pag.* 56.
Franciſcanorum Conventus Chaktornyæ. 271.
Fridericus C. Cileæ Banus Slavoniæ. *p.* 219.
Fulminatrix Legio Chriſtiana. *pag.* 109.
Magiæ inſimulatur. *pag.* 112.

G.

S. Gabinus Dalmata Martyrio afficitur. *p.* 136.
Gallenberg idem, ac Mons Cetius. *p.* 7.
Galerius Maximianus Cæſar creatur. *p.* 132.
Fit Imperator. 137.
Maxentium bello impetitum in Imperio tollerare cogitur. *ibidem.*
Galli mixti Illyris unam gentem Illyricam effecere. *pag.* 27.
Gallienus Cæſar Pannoniam ſuperiorem ab Imperio abalienat. *pag.* 121.
Fit Imperator, & Chriſtianorum perſecutionem cohibet. *ibidem.*
Gallorum cum Illyris unio. *pag.* 27.
Veſtigia in Illyrico. *pag.* 26.
Generoſitas, & Fidelitas Nobilitatis Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 211.
Genealogia Illyrii, à Noe deducta. *pag.* 9.
Populorum Illyricorum ab Illyro. *p.* 13.
Ejusdem Expoſitio. *pag.* 14.
Gentius Illyrii Rex. *pag.* 55.
Ejus latepatens Regnum. *ibidem.*
Apud Romanos ſuſpectus redditur. 56.
Adverſus quos cum Perſeo Macedoniæ Rege bellum parat. *ibidem.*
Sed primo congreſſu funditur, capitur, & Romam in Triumpho ducitur. *pag.* 57.
Georgius C. à Zrinio Senior, Lutheranæ Sectæ addictus. *pag.* 222.
Lutheraniſmum in Inſulam Muro-Dravanam inducit. *pag.* 266.
Georgius C. à Zrinio junior, Fidem Catholicam amplectitur. *pag.* 222.
Eamque profitetur. *pag.* 266.
Ejus Heroica Acta. 222.
Eſu venenati raphani moritur. *ibid.*
S. Georgii M. Parochiæ in Spinis deſcriptio. *pag.* 287.
S. Georgii M. Parochiæ ad Aquas deſcriptio. *pag.* 291.
Gepidarum, & Gothorum in Mœſiam tranſitus. *pag.* 130.
Germanica Lingua Matrix. *pag.* 23.
Ejus filiæ. *ibidem.*
In Illyrico viget. *pag.* 25.
Geta Imperator à Fratre perimitur. *p.* 111.
Glaucias Rex Illyrici Taulantinorum. *p.* 32.
Godeſchalcus Rex Slavorum Occidentalium. *pag.* 234.

Go.

Digitized by Google

Gomer, Germanorum Pater. *pag.* 32.
Gordianus Imperator prior, ſe ipſum ſtrangulat. *pag.* 112.
Gordianus Cæſar occiditur. *ibid.*
Gordianus Imperator, poſterior. *pag.* 113.
Contra Perſas feliciter pugnat, Imperio privatur, & occiditur. *ibid.*
Gothi Scandinaviæ Populi. *pag.* 115.
Nationis hujus origo. *pag.* 114.
Cum Vandalis, & Alanis nationis fuere Sarmaticæ. *pag.* 117.
Cum Getis, Gepidibus, Gothonibus, Guthonibus, & Dacis ejusdem fuere nationis. *ibidem.*
Ex Dacia in Thraciam migrant. 112.
Ob Stipendia à Romanis diminuta tumultuantur. *ibidem.*
A Gordiano pacificantur. *pag.* 113.
Mœſiam, & Thraciam infeſtant. 114.
Decium Trajanum profligant. *ibidem.*
Illyricum fœdiſſime vaſtant. *p.* 120.
Trebonianum Imperatorem Tributarium faciunt. *ibidem.*
Daciam occupant. *pag.* 121.
Connationales ſuos ad prædas Romanas excitant. *ibidem.*
Sed à Claudio Imperatore atteruntur. *ibidem.*
Et in Mœſia Sedes accipiunt. *p.* 130.
Sarmatas Limigantes armis vexant. 141.
A Conſtantino M. domiti: Fœderati dicuntur. *ibidem.*
Se in Viſigothos, & Oſtrogothos dividunt. *pag.* 159.
Fuerunt ex poſt Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 206.
Gratia, quas S. Hieronymus Stridone Populo devotizanti ſuis, in neceſſitatibus contulit. *pag.* 308.
Gratioſa Imago B. V. M. in Eccleſia PP. Paulinorum S. Helenæ ſupra Chaktornyam. *pag.* 277.
Græca Linguæ filiæ. *pag.* 23.
Gubernium Temporale in Dalmatia, Croatia, & Slavonia varium. *pag.* 225.
Gymnaſia Criſienſe, & Segnienſe Religioſis Ord. S. Pauli pr. Eremitæ concredita. 254.

H.

Hebræa Linguæ filiæ. *pag.* 23.
Hebrus fluvius olim, nunc Maricza. 261.
S. Helena Conſtantini M. Mater à Marito repudiata. *pag.* 132.
Chriſtiana facta Hieroſolymas peregrinatur. *pag.* 140.
Repertæ ibi per ſe Crucis partem Romam attulit. *ibidem.*
Ejus Patria. *pag.* 146.
Helveticum bellum cum Romanis. *pag.* 62.
Hermanus C. Cileæ Hæreditarius Dominus Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 218.
Heneti qui fuerint. *pag.* 24.
Primo fuere Paphlagones. *p.* 26.
Poſt migrationem Cappadoces effecti. *pag.* 37.
Cappadocum Dux Henetus, ſeu Venetus. *pag.* 39.
A quo Cappadoces Heneti, & Veneti dicti. *pag.* 26.
Pars una horum cum Antenore ex Aſia in Europam navigat. *pag.* 40.
Et Urbem Paduanam condit. *ibidem.*
In Illyrico ſe notam facit. 26.
Ibidemque ſe locat. *pag.* 40.
Ubi? *p.* 41
Pars alia Cappadocum migrat in Sarmatiam Europæam. *ibidem.*
Hinc vero ad partes Danubiales. *ibid.*
Eorum diverſa ubique denominatio. 49
Heneti, Veneti, Venedi, Vendi, Vindi, Vandali ejusdem Originis Slavonicæ fuere. 37.
S. Hieronymus Slavo-Sarmaticæ nationis. 145.
Naſcitur Stridone. *pag.* 147.
Hoſpitale Illyricum Romæ ad S. Hieronymum. *pag.* 251.
Hoſtilianus Imperator. *pag.* 120.
Hungaria, Regnum nobiliſſimum. *p.* 173.
Quam ſubintrant variæ hæreſes. 258. 260
Dominium hujus in Principes Auſtriacos devolutum. 173.
Hungarorum modernorum nobilitandi mos. *pag.* 213.
Hunni Duce Attila Pannoniam occupant. *pag.* 159.
Quo obeunte plerique Pannoniam deſerunt. *ibidem.*
Duce Avare in Pannoniam redire parant. *pag.* 169.
Daciam, Pannoniam, & Marcomanniam occupant. *pag.* 172.
Germaniam multis cladibus afficiunt. *ibidem.*
Ex qua tandem in Pannoniam repelluntur. *pag.* 173.
Quam primo Hunnavariam, dein Hungariam dixere. *ibidem.*
Nunquam fuere Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 209.
Quia nunquam ultra Muram fluvium ſedes ſuas fixerunt. *ibidem.*
Hunnorum vetuſtus ſuos nobilitandi mos. *pag.* 213.
Hyperborei, Scythæ, & Celto-Scythæ qui? 10.

I.

Japydia olim, nunc Morlachia. *pag.* 81.

Digitized by Google

Japydiæ, & Liburniæ nomenclatura in diviſione Provinciarum ſupprimitur. *p.* 107.
Japydum Sedes. *pag.* 18.
Jaſi fuere plures. *pag.* 43.
Fuere & in Illyrico. *pag.* 45.
Jaſiga, ſe Jazyga natio fuit Sarmato Venedica. *pag.* 43.
Ejus habitatio, & à Jaſo Curete denominatio. *ibidem.*
Ex Illyrico migratio. *pag.* 45.
Moraviam, & Auſtriam incolentes. 46.
Javan Græcorum Pater. *pag.* 5.
Idola Slavorum Gentilium. *pag.* 237.
Illyri Genealogia à Noë deducta. *p.* 9.
Illyri primævi Macedones vocitati. *p.* 8.
Dein Celtæ, ac tandem Illyri denominati. *pag.* 12.
Ubi habitarunt? *pag.* 17.
Trojano bello pro Græcis pugnant. 25.
Macedones, & Thraces continuis vexant bellis. *pag.* 27.
A Macedonibus fuſi. *ibidem.*
A Philippo Macedoniæ Rege victi domantur. *pag.* 30.
Alexandro M. rebellantes ſubjugantur. *pag.* 33.
Quo obeunte communes omnium hoſtes. *pag.* 49.
Cum Gallo-Illyris Macedoniam depopulantur. *pag.* 51.
Contra Ætolos fortiter pugnant. *ibid.*
Julii Caji Cæſaris exercitum delent. 63.
A quo veniam petunt, & obtinent. 64.
Sed mox Romanis inobedientes deficiunt. *ibidem.*
Finitima Romanorum inundantes domantur. 65.
Octaviano Tributarii effecti. *pag.* 66.
Pacifice vivunt. *pag.* 96.
Idololatriæ dediti varios coluere Deaſtros. *pag.* 97.
Severo Alexandro rebellantes auro conciliantur. *pag.* 112.
Primi, poſt Aborigines, Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 201.
Illyrii Origo. *pag.* 4.
Primævi amplitudo. *pag.* 19.
Fines primi. *p.* 20.
Antiquiſſima diviſio. *p.* 19.
Limites tempore Alexandri M. 33.
Reges Pannonibus etiam imperitabant. *p.* 86.
Quæ Provinciæ generali Illyrii vocabulo nominatæ. *p.* 93.
Limites tempore Romanorum. *ibid.*
A Strabone deſcripti. *p.* 94.
A Pomponio Mela ſignati. *ibidem.*
Ab Appiano notati. *ibidem.*
A Suetonio inſinuati. *p.* 95.
Tempore S. Hieronymi. *ibidem.*
Genuini denique fines. *ibidem.*
Quibus reſtrictis, nomenclatura quoque reſtricta eſt. *pag.* 172.
Quibus Provinciis Nomenclatura remanſit? *ibidem.*
Illyrica Lingua an Matrix? *pag.* 23.
An eadem cum Slavonica? *ibidem.*
Quæ ejus filiæ? *ibidem.*
Illyricæ Inſulæ in Adriatico Mari. *pag.* 21.
Illyricorum Populorum potentia. *p.* 32.
Prima Sedes. *pag.* 18.
Idioma. *pag.* 23.
Cum Gallis unio. *pag.* 27.
Poſt Chriſtum natum ſollicitudo. 89.
Illyricum an olim in Pannoniam extenſum? *pag.* 21.
In Trifarium diviſum ſub Philippo Macedonium Rege. *pag.* 32.
Taulantinorum. *ibidem.*
Tribalorum. *ibidem.*
Romanis ſubjicitur. *pag.* 54.
Totumque ſubjugatur, & in Provinciam redigitur. *pag.* 56.
Gentio Rege Romam abducto ſcinditur. *p.* 57.
Attamen ſe totum Romanis dedidit. 91.
In 17. Provincias à Romanis dividitur. *pag.* 104.
Provinciæ hæ ante Dominium Romanum neque finibus, neque nominibus, ut Sextus Rufus notat, cenſebantur. *pag.* 107.
Dividitur dein in Orientale, & Occidentale. *pag.* 141.
Provinciæ utriusque. *p.* 142.
Quæ Orientalis, quæ Occidentalis? *ibid.*
Utrumque ab Imperio Romano avulſum. *pag.* 143.
Declinante Romano Imperio in plura Regna diſpartitum. *ibidem.*
Illyricum Bellum, idem ac Dalmaticum. 59.
Illyrus, filius Iſtri. *pag.* 4.
Rex Illyrii. *pag.* 25.
Imperatores tres ſucceſſive intra breve tempus interimuntur. *pag.* 99.
Victimæ ornatæ fuere, ut immolarentur. 114.
Imperii Romani Interregnum. *pag.* 123.
Diviſio inter Conſtantium Chlorum, & Galerium Maximianum. 137.
In Orientale, & Occidentale. *p.* 141.
Ejusdem Declinationis principium. 158.
Imperium Romanum Rebellionibus diſſipatur. *pag.* 121.
Inchofferi Sententia de Natali Solo S. Hieronymi. *pag.* 177.
Incolæ moderni Inſulæ Muro-Dravanæ an pro Croatis, ſeu Slavonibus, vel verò pro Hungaris cenſendi? *pag.* 232.
Ingenuus Imperator. *pag.* 103.

Digitized by Google

Innocentius Plariſta Inchofferi, Schölebenil & Bombardii ſententiam de Natali Solo S. Hieronymi approbat. *pag.* 183.
Inſula Muro-Dravana, olim Aquama nominabatur. *pag.* 197.
Ad Stiriam nunquam pertinebat. 180.
Ejus ſitus. *pag.* 195.
Terræ motibus, & gravibus tempeſtatibus obnoxia. *pag.* 197.
Nunc Szaladienſis Comitatus. *p.* 228.
An aliquando Varasdinenſis? 229.
Quando à Varasdinenſi avulſa? 230.
Inſula Muro-Dravanæ in Montanam, & duplicem Campeſtrem, ſuperiorem, & inferiorem diviſo. *pag.* 197.
Harum ſitus, & Limites. *ibidem.*
Beneficia. *ibidem.*
Fluvii. *ibidem.*
Fertilitas, Oppida, & Villæ. *ibidem.*
Qui quondam Incolæ, & quando? 200.
Joannes C. Chikuliny ex Arenda Regia poſſidet Inſulam Muro-Dravanam. *p.* 226.
Joannes C. Draskovich reſiſtit fortiter Lutheranis. *pag.* 262.
Joannes Ernuſt de Hampo Dominus hæreditarius Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 220.
Joannes de Jordan quis? *pag.* 190.
Stridonem, Oppidum Inſulæ Muro-Dravanæ luſtrat. *pag.* 191.
Omnium, Natale Solum S. Hieronymi in Inſula Muro-Dravana ſtabilientium, aſſerta approbat. *p.* 192.
Joannes Lucius Marci Maruli Opinionem de Natali Solo S. Hieronymi corrigere nititur. *pag.* 150.
Et quamvis ipſe nihil determinet, Inchofferum impugnat. *pag.* 177.
Joannes Pallich Epiſcopus Græci Ritûs Szvidnicenſis in exilium relegatur. 265.
Joannes C. à Zrinio obit in Areſto. 225.
Jovia olim, nunc Ludbreginum. *pag.* 111.
S. Irene. V. prima in Illyrico Chriſtiana, & Martyr. *pag.* 99.
Iſter, filius Ebri. *pag.* 5.
Pater Illyri. *pag.* 4.
Quas terras primitus inſedit. *p.* 8.
Iſtro fluvio nomen dedit. *pag.* 9.
Iſter fluvius olim, nunc Danubius. *ibidem.*
Diſtinctus ab Iſtro fluvio, qui nunc Rhizanus dicitur. *pag.* 10.
Iſtri fluvii fons. *pag.* 9.
Iſtria, an fuerit pars Illyrii? *pag.* 20.
Adimitur Illyrico. *pag.* 99.
Iſtriorum Sedes. *pag.* 18.
Cum Romanis bellum. *pag.* 55.
Iter Romanorum Roma in Pannoniam. 43.
Judaico bello Illyri cum Veſpaſiano interfuere. *pag.* 100.
Julianus Sabinus Imperii uſurpator obtruncatur. *pag.* 131.
Julius Maximinus Thrax Imperator. *p.* 112.

K.

Kerebko nunc, olim Noviodunum. *p.* 108.
Kliſſa, Urbs Dalmatiæ, à Turcis occupatur. *pag.* 152.
Köpchinium, aliter Kitcze à Ceriis cognominatum. *pag.* 7.
Krapina, & Pſzari Chechi, & Lechi quondam Sedes. *pag.* 192.
Kriſovlyan in Campo Varasdinenſi. *p.* 109.

L.

Labacum nunc, olim Æmona. *pag* 84.
S. Ladiſlaus Rex Hungariæ Dalmatiam occupat. *pag.* 162.
Lado, ſeu Ladus Idolum Illyriorum. *p.* 97.
Lapides cum Inſcriptionibus maximam Hiſtoriæ conciliant lucem. *pag.* 110.
Horum aliqui producuntur. *ibidem.*
Lapſina Caſtellum in Inſula Muro-Dravana. *pag.* 295.
Latina Lingua apud Illyros. *pag.* 28.
Latina Linguæ filiæ. *pag.* 23.
Laureacum ſuperioris Pannoniæ Epiſcopatus. *pag.* 240.
Lauretana Domus in Inſula Muro-Dravana. *pag.* 291.
Lauretti Collegium Illyricum. *pag.* 252.
Legati Romani ad Theutam Illyrii Reginam. *pag.* 52.
Legio Fulminatrix Chriſtiana. *p.* 109.
Magiæ inſimulatur. *pag.* 112.
Legradini nomenclaturæ Etymologia. 282.
Nicolai C. à Zrinio Acta. *pag.* 284.
Legradinenſis Parochiæ deſcriptio. *ibidem.*
Legradinum nunc, olim Carrodunum. 281.
Adhuc Lutheraniſmo infectum. 266.
Lentudum, ſeu Leonata olim, nunc Luthemberga. *pag.* 195.
Lepidus Triumvir. *pag.* 64.
Lepoglava olim Scholæ humaniores. 252.
Liburnia, an fuerit pars Illyrii? *pag.* 20.
Liburnia, & Japydiæ nomenclatura à Romanis ſuppreſſa. *pag.* 107.
Liburnorum Sedes. *pag.* 18.
Limigantium Slavo-Sarmatarum Sedes. 139.
Limites Illyrii ſub Alexandro M. *pag.* 33.
Sarmatiæ Europeæ. *pag.* 48.
Veteris Pannoniæ. *pag.* 81.
Limus fluvius nunc, olim Tilurus. *p.* 57.
Lingones, Saluvii, & Boji Hetruſcos, ac Umbros pellunt. *pag.* 28.
Lingua Illyrica an Matrix. *pag.* 23.
An eadem cum Slavonica, & quas habeat filias? *ibidem.*

Digitized by Google

Lingua primorum Illyriorum. *pag.* 23.
Vandalica eadem eum Slavonica. 118.
Venedica quoque ſeu Vendica, & Vindica. *pag.* 36.
Dalmatarum olim Romana. *pag.* 76.
Poſtea, & nunc Slavonica. *ibidem.*
Lingua primorum Pannonum quæ fuerit? non conſtat. *pag.* 80.
Poſteriorum Slavonica. *ibidem.*
Et Latina. *pag.* 81.
Lingua Slavonica, lingua ſacra. *pag.* 78.
Late per Orbem diffuſa. *ibidem.*
Linguam Slavonicam Cappadoces Heneti in Illyricum invexerunt. *pag.* 36.
Loca plura in Sarmatia Europæa ab Henetorum, ſeu Venedorum vocabulo deſumpta. *pag.* 41.
Item in Illyrico. *ibidem.*
Et ad partes Danubiales. *pag.* 43.
Locorum nomina priſcis temporibus à primo, & principali inhabitatore deſumebantur. *pag.* 9.
Locus Naſcitæ S. Hieronymi indigitatur. *p.* 300. 301.
Longobardi Pannoniam intrant. *pag.* 162.
Eam Hunnavaribus cedunt, & Italiam occupant. *ibidem.*
Non fuerunt Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 207.
S. Lucas Ev. Dalmatis fidem Chriſti diſſeminat. *pag.* 99.
Lucius Aurelianus Imperator. *pag.* 122.
Amiſſam Daciam recuperare negligit, ſed Novam conſtituit. *ibidem.*
Alias Alexandro M. comparatus. 123.
Lucius Ælius Verus Imperator. *p.* 108.
Lucius Commodus Imperator. *pag.* 111.
Ludovici Vergelii de Natali Solo S. Hieronymi concluſio. *pag.* 151.
Impugnatur. *pag.* 152.
Lutherana hæreſis per Hungariam ſerpit. 260.
Inſulam Muro Dravanam inficit. 261.
Liberum ejus exercitium per Hungariam admittitur. *p.* 262.
Per Inſulam Muro-Dravanam extirpatur. *p.* 266.
Lutherani in Illyricum Sectæ ſuæ prætendunt Introductionem. *p.* 262.
In Illyrico poſſeſſionibus gaudere nequeunt. *ibidem.*

M.

Macedones Illyros fundunt. *p.* 27.
Macedonia à Romanis ſubjugatur. *p.* 56.
Et in Provinciam redigitur. *ibidem.*
Macedonum veterum deſcriptio. *p.* 29.
Magog. Magogum Pater. *p.* 36.
Malekocziana familiæ miſerabilis extinctio. *p.* 265.
Majerje in Campo Varasdinenſi, olim Aqua viva. *p.* 111.
Manichæorum hæreſi Illyricum graviter infectum. *p.* 131.
Mannii, Populus Illyrii, & ejus Sedes. 17.
Marcham, Cœnobium Baſilitarum unitorum, Schiſmatici incinerant. *p.* 264.
Marchio de Prye Proprietarius Dominus Inſulæ Muro-Dravanæ. *p.* 226.
Marcomanni Pannoniam armis infeſtant. 108.
Fuere Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *p.* 203.
Marcus Aurelius Imperator. *p.* 109.
Miraculoſam de hoſtibus victoriam reportat. *ibidem.*
Ejus Sepultura. *ibidem.*
Marcus Aurelius Probus Imperator. 129.
In Pannonia Syrmii primus vites plantari fecit. *p.* 130.
Milites otioſos pati non potuit. *ibid.*
Ideo confoditur, & tumulatur cum Epitaphio. *p.* 131.
Marcus Aurelius Carus Imperator. *ibidem.*
Marcus Claudius Tacitus Imperator. 123.
S. Marcus Ev. apud Dalmatas Chriſti Evangelium prædicat. *p.* 99. 240.
Marcus Opilius Macrinus Imperator. 111.
Marcus Quintilius Imperator. *p.* 122.
Marcus Marulus impugnat Blondum in Sententia de Natali Solo S. Hieronymi. 149.
Suamque producit Concluſionem. 150.
Sed hæc oppugnatur. *ibidem.*
Maraboduus Rex Marcomannorum à Romanis victus. *p.* 89.
Martinianus à Licinio Cæſar dictus cæditur. *pag.* 140.
S. Martini E. & C. in Pomorie Parochiæ deſcriptio. *p.* 292.
Martinus Borkovich, Ep. Zagr. Lutheranos è ſua Diœceſi Edicto Synodali propulſat. *pag.* 263.
Neque Judæis Incolatum admittit. *ibid.*
Siſſienſe Dominium V. Capitulo Zagr. per dolum ademptum, revindicat. *pag.* 102.
SS. Martyres Illyrici ſub Adriano Imperatore. *pag.* 103.
Martyria SS. Epiſcoporum Illyrii. *p.* 241.
SS. Martyrum per Dalmatiam, & Pannoniam Catalogus. *p.* 136.
Mathias Fuhrman, Inſulam Muro-Dravanam eſſe Natale Solum S. Hieronymi, ſolidiſſimis convincit Argumentis. 184.
Maxentius, Imperator. *pag.* 137.
In Tiberi mergitur. 138.
S. Maximus Ep. Æmonenſis Martyrio vitam finit. *pag.* 113.

Digitized by Google

Maximianus Herculius Imperator. 132.
Imperio ſe abdicat. *pag.* 136.
Suſpendio obit. *pag.* 138.
S. Maximilianus Ep. Cileæ capitis obtruncatione Martyrii coronam adipiſcitur. 131.
Metulii ab Octaviano obſeſſi, ſe ipſos cremant. *pag.* 65.
Metulum olim, nunc Metlika. *ibidem.*
Urbs Dalmatiæ quondam. *p.* 66.
Mihalyevecz inferior, & S. Mariæ vicus in Inſula Muro-Dravana, quid olim? 286.
Mædus, filius Illyri, ubi fixerit ſedes. *p.* 16.
Mæſia, à Myſia diſtincta. *pag.* 122.
Mæſiæ limites. *pag.* 123.
Mogentiana olim, nunc Meſteri in Hungaria à Gentio Illyrii Rege condita. *p.* 21.
Mohachinum olim Amantia, & Amantina. 83.
Monarchia Græcorum ab Alexandro M. inſtituta. *pag.* 33.
Monaſteria Regularium vetuſtiora, & recentiora in Diœceſi Zagrabienſi. *p.* 257.
Mons Claudius quis? *pag.* 48.
Mons Trojanus in Illyrico olim, nunc in Carniolia. *pag.* 41.
Mores Illyrorum veterum. *p.* 18.
Sarmatarum. *pag.* 48.
Croatarum, & Slavorum modernorum. *pag.* 257.
Morlachia nunc, olim Japydia. *pag.* 81.
Moſchorum poſteri Cappadoces Conditores omnium Slavonicarum Nationum. 38.
Nomenclatura late propagata. *p.* 37.
Moſchovitæ à Patre Moſoch hodiedum nomenclaturam retinent. *pag.* 124.
Moſoch, Moſochorum Pater. *pag.* 36.
Nati hujus, Cappadoces Heneti, & Sarmatæ itidem Heneti. *ibidem.*
Multi in Oriente, & Occidente Romanorum hoſtes. *pag.* 132.
Mura, Dravus, & Danubius Pannoniæ Limites. *pag.* 82.
Mura, olim Savarias dicebatur. *p.* 196.
Mura, & Dravi ortus, fluxus, & influxus. *pag.* 195.
Murſia olim, nunc Eſſekinum. *pag.* 125.
Murſzko Szrediſche, olim Parochia. 293.
Myſia inferior, nunc Bulgaria. *pag.* 82.
Superior, nunc Servia, & Raſcia. *ibid.*

N.

Nationes diverſæ in Croatia, & Slavonia. 78.
Nedelicenſis Parochiæ deſcriptio. *p.* 279.
Nemanides, ſeu Nemanich Rex Serviæ. 171.
Nero crudeliſſimus Imperator. *pag.* 98.
Se ipſum interimit. *pag.* 99.
Neſactium olim, dein Novetium, nunc Villa Nova. *pag.* 55.
Nicolai Mallekoczy Sepultura. *pag.* 294.
Nicolaus C. à Zrinio, Senior, Hæreditarius Dominus Inſulæ Muro-Dravanæ. 221.
Arcem Chaktornyenſem ædificat. 268.
Szigethi glorioſe occumbit. *ibid.*
Nicolaus C. à Zrinio, Junior, multitudine actorum hæroicorum glorioſus in venatione ab Apro diſcerptus. *p.* 223.
Nobilitandi vetus Hunnorum, & modernus Hungarorum mos. *pag.* 213.
Noë, Filio ſuo Japhet in Aſia minori, & in Europa aſſignat Sedes. *pag.* 36.
Noricorum Provinciæ duæ. *pag.* 104.
Nova Curia in Inſula Muro-Dravana olim Ordinis Crucigerorum. *pag.* 295.
Noviodunum olim, nunc Kerchko. 108.
Numerianus Imperator. *pag.* 131.

O.

Octavianus Triumvir. *pag.* 64.
Metulum obſidens læditur, Dalmatas tamen ſubjugat. *p.* 65.
Petovium obſidione cingit. *ibidem.*
Ubi ſauciatur. *pag.* 66.
Antonium Triumvirum cædit. 67.
Fit genuinus Imperator. *ibidem.*
Odenatus Palmyrenorum Rex Orienti imperat. *pag.* 121.
Odoacer Herulorum Rex, Pannonias, Dalmatiam, & Italiam ſui juris facit. 160.
Ubique Victor Felethæum Rugorum Regem capit, Romamque in Triumpho ducit. *pag.* 161.
Olba olim, nunc Ruſſia, & Tartaria. 116.
Opiniones diverſæ de Origine Illyrii. *p.* 3.
De Celtica Nomenclatura. *pag.* 11.
De Confuſione Linguarum ad Turrim Babel. *p.* 21.
De Origine Pannoniæ. *pag.* 79.
Orici, Natio Illyrica, & ejus Sedes. *p.* 17.
Origo æquivocationum de limitibus Dalmatiæ, & Pannoniæ. *pag.* 144.
Belli Civilis Romæ. *pag.* 62.
Illyrii. *pag.* 4.
Ormosdinum nunc, olim Curta. *p.* 195.
Oſtroillus primus Rex Dalmatiæ. *pag.* 162.
Oſtrogothi, Pannonias occupantes intra ſe dividunt. *pag.* 160.
Fuere Incolæ Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 207.

P.

Pannon, filius Autharii, nepos Illyri. *p.* 76.
Duplicem nationem condit. *p.* 25.
A quo & Nomen hæreditavit. 79.
Hujus Progeniei ſedes. *pag.* 25.
Pannones à Romanis infeſtantur. *pag.* 87.

Contra hos cum Dalmatis fortiter dimicant, victi tamen ſub jugum mittuntur. *pag.* 88.
Denuo contra Romanos inſurgunt, & feliciter pugnant. 89.
Rebellantes, à Gallieno comprimuntur. *p.* 121.
Pannonia primitus Scythia, Celtica, & Hyperborea nominabatur. *p.* 80.
Non fuit primitus Savo, Dravoque concluſa. *p.* 73.
A Romano Imperio deficit. 120.
Superior ab Imperio abalineatur 121.
A Marcomannis, Sarmatis, & Quadis vaſtatur. *ibidem.*
A quo ſubdiviſa. *pag.* 132.
Quando ſubdiviſa. *p.* 134.
Inter Savum, & Dravum à Svetonio pro Dalmatia habetur. *ibidem.*
Hunnavaria dicta. *p.* 162.
Ac tandem Hungaria. *p.* 173.
Superior in Auſtriam mutata, *ibidem.*
Pannoniæ Populi qui primi? *pag.* 80.
Provinciæ duæ. *p.* 104.
Diviſio prima à quo, & quando inſtituta? *p.* 105.
Hujus occaſione cur fines protenſi? *ibidem.*
Utrumque Metropolis. *ibidem.*
Auguſtalis, & Conſularis Authoritas. *pag.* 106.
Dein & Pro-Conſularis. *pag.* 109.
Limites. *pag.* 106.
Pannoniæ veteris, & Dalmatiæ veteris genuina declarantur confinia. *pag.* 153.
Pannonici, & Illyrici Regni Identitas. 83.
Pannoniis Illyrii quoque Reges imperitabant. *pag.* 86.
Quod probatur. *ibidem.*
Pannonum Nomenclatura Thot unde? 97.
Primorum Idioma quod fuerit? non conſtat. *pag.* 80.
Poſteriorum, Slavonicum. *ibidem.*
Latinum etiam. *pag.* 81.
Geſta vetuſtiora. *pag.* 85.
Parii in Pharos Inſula urbem ædificant. 29.
Parthe, Illyri filia, ubi cum ſuis poſteris conſedit. *p.* 16.
Pater noſter Vandalicum, idem ac Slavonicum. *pag.* 118.
Paterinorum, & Manichæorum hæreſes Slavoniam, & Boſniam ſubintrant. *p.* 258.
Patrum Paulinorum Zelus per Inſulam Muro-Dravanam in extirpanda hæreſi Lutherana. *pag.* 266.
Eorum Conventus ſupra Chaktornyam. *pag.* 271.
Multas paſſus perſecutiones. *p.* 272.
Conflagrat. *pag.* 276.
Inſtauratur. *ibidem.*
Terræ motus tempore graviter ruinatur. *pag.* 278.
Sed iterum reſtauratur. *ibidem.*
Patrum Societatis JEſu Zagrabiam introductio. *pag.* 252.
S. Paulus Apoſtolus per Illyricum Chriſti fidem prædicat. *p.* 98. 239.
S. Paulus Thebæus in Eremum ſecedit. 113.
Paulus C. Ratkaji Perlakini interimitur. 281.
Paulus Zorchich Ep. Svidnicenſis Græci Ritus ſuos ad unionem revocat. *p.* 264.
Penthesylea Amazonum Regina. *pag.* 26.
Perdiccas Rex Macedoniæ ab Illyris occiditur. *pag.* 29.
Perhabus, Illyri filius, quas Sedes cum ſuis occupavit? *pag.* 16.
Perlakienſis Parochiæ deſcriptio. *p.* 280.
Perſeus Rex Macedoniæ contra Romanos bellat. *pag.* 56.
Sed intercipitur, & Romam in Triumpho ducitur. *p.* 57.
Peſtis Babylone exorta totum pervagatur Orbem. *pag.* 108.
Romanum depaſcit Imperium. 120.
Per Illyricum graſſatur. *pag.* 122.
Petinenſis Eccleſia in Iſtria à Conſtantino M. erecta. *p.* 140.
Petovium an Urbs Dalmatiæ? *pag.* 66.
A Gothis veſtata. *p.* 158.
Ab Octaviano obſeſſa, & capta. 66.
Petri Pazmany S. R. E. C. de violentis Bonorum Eccleſiaſticorum Poſſeſſoribus opinio. *pag.* 265.
S. Petrus Apoſtolus Romæ Sedem Primam Apoſtolicam figit. *pag.* 98.
Petrus C. Keglevich violentus Inſulæ Muro-Dravanæ Poſſeſſor. *p.* 220.
Petrus C. à Zrinio inſignia ſua heroica acta infidelitatis nota denigravit. *p.* 225.
Philippi Bergomenſis Sententia de Natali Solo S. Hieronymi. *pag.* 148.
Philippus Amynthæ Macedoniæ Regis filius, Illyriorum Obſes, Thebanis cuſtodiendus traditur. *pag.* 29.
Fit Rex Macedoniæ, & cum Illyris paciſcitur. *ibidem.*
Illyros Thracis, & Pæonibus fœderatos vincit. *p.* 30.
Alexandrum filium in gratiam receptum ex Illyrio revocat. 31.
Illyricum in trifarium dividit. *p.* 32.
Ab Attalo interimitur. *p.* 31.
Philippus alter Rex Macedoniæ cum Romanis pacem inire cogitur. 54.
Philippus Imperator. *p.* 113.
Philemon, Cappadocum, & Sarmatarum Dux. *pag.* 26.
Pineus infans, Rex Illyris. *pag.* 54.
Illyrii partem gubernat ut Tributarius Romanorum. *pag.* 54.

Pipa

Digitized by Google

Pipa, Marcomannorum Regis filia. *p.* 121.
Pleuratus Rex Illyrii. *pag.* 50. 54.
Quia odioſus Romanis, in Macedoniam profugus. *pag.* 55.
Plures in Illyrico Reges. *ibidem.*
Pœonia, à Pœone Priami filio nomen accepit. *pag.* 79.
Hæc olim ſituabatur ad fines Macedoniæ. *ibidem.*
Pœonum Natio, ubi Sedes fixerit? *p.* 25.
Pompejus Dalmatarum ope, Cajum Cæſarem fundit. *pag.* 63.
Popolis, ſeu ad Populos olim, nunc Schemovecz. *pag.* 111.
Poſega nunc, olim Recatina. 90.
Præſidia Romana per Illyricum ab Auguſto conſtituta. *pag.* 91.
Præſidiarii Romani Illyricum turbant. *ibid.*
Primatialis Epiſcopi dignitas Syrmii. 242.
Tranſlata Laureacum. *ibidem.*
Prodigia ante Nativitatem Chriſti. *pag.* 88.
In Morte Chriſti. 97.
Promona olim, nunc Flumen ad Mare Adriaticum. *pag.* 62.
Provinciarum fines pro libitu Principum determinabantur. 135.
Ptolomæus Lagi, Alexandri filius, Ægyptum occupat. *pag.* 35.
Publius Helvius Pertinax, Imperator. 111.
Pyramis cum Inſcriptione Nicolai C. à Zrino Junioris. 225.
Pyruſta, Dalmaticus Populus, à Cajo Cæſare domatur. *pag.* 62.

Q.

Quadrata olim, nunc Zagrabia. *pag.* 43.
Quæ ſint Matrices Linguæ? *p.* 20.
Qui Populi Illyrici generali Illyriorum vocabulo compellati? *pag.* 19.
Quinque celebriorum Illyricorum Populorum Sedes. *pag.* 18.
Quinquegenti attrociſſimi Romanorum hoſtes. *pag.* 132.
Qui hi fuere? *ibidem.*
Quintilis Menſis olim, nunc Julius. 64.
S. Quirinus Epiſcopus Siſſienſis Martyrio coronatur. *pag.* 136.
Quot genera Linguarum ad Turrim Babel exorta? *pag.* 22.

R.

Radegoſtus, Slavo-Vandalus Romam capit. *pag.* 145.
Sed trucidatur, & inter Deaſtros reputatur. *ibidem.*
Ideo Idolum Slavo-Vandalicum. 118.
Rakoczianı per Hungariam tumultuantes, Inſulam Muro-Dravanam depopulantur. *pag.* 276.
Ramiſta olim, nunc Zaurachje. 111.
Ubi hæc? *ibidem.*
Raſcia, Serviæ tractus. *pag.* 171.
Ratkajus à Timonio redargutus. *pag.* 19.
Contra eundem vindicatur. 20. 143. 173.
Ratkajus contra Schönlebenium, & Alexium Piariſtam defenditur. *ibidem.*
Recatina olim Urbs Dalmatiæ, nunc Poſega fortiter contra Romanos defenditur. 90.
Reges Illyrii Pannonibus etiam imperitant. 86.
Qualiter Dominatum Pannoniæ adepti? *ibidem.*
Regilianus Imperator. *pag.* 121.
Regna ab Alexandro M. occupata. 33.
Hæc, eo obeunte, Duces ejus inter ſe dividunt. *p.* 35.
Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ Coronæ Regni Hungariæ uniuntur. 215.
Reſtrictio Celticæ Nomenclaturæ. *pag.* 12.
Rhiſon, ſeu Rhiſanum Urbs Illyrii. *p.* 53.
Romani Iſtriotis bellum inferunt. *ibidem.*
Illyricum ſibi ſubiiciunt. *pag.* 54.
Contra Macedones pugnant. *ibidem.* 70. Urbes Illyrii opibus, & muris ſpoliant. *pag.* 56.
Conſules ex amicis hoſtes faciunt, ut ſibi famam gloriæ concilient. *p.* 60.
Danubio ſuperato, ad ipſos Sarmatas victorioſe progrediuntur. *pag.* 62.
Romanorum Tria imperandi genera. 92.
Potentia ſub Regibus. *ibidem.*
Potentia ſub Conſulibus. *ibidem.*
Bellum adverſus Theutam Illyrii Reginam. *pag.* 53.
Arma, devicto Gentio Illyriorum Rege, Dravum usque eo tum non penetrarunt. *pag.* 74.
Inteſtina diſcordia evertit Rempublicam, ut pariat Imperium. *p.* 63.
Potentia ſub Imperatoribus. 92.
Romula olim, nunc Retchicza. *pag.* 43.
S. Rupertus Ep. Salisburgenſis fidem Catholicam in Slavonia promovet. *p.* 243.

S.

Sabaria civitas, à Savarias fluvio nomen deſumpſit. *pag.* 197.
Valeriæ Provinciæ Metropolis. 132.
Salona, Urbs Dalmatiæ à Romanis capta. 62.
Dalmatiæ, & Croatiæ Caput. *p.* 240.
Samo Slavorum Orientalium Rex. *p.* 164.
Sarmatæ Venedi, ſeu Vendi nati ex Moſoch, Japheti filio. *p.* 36. 117.
Pro Trojanis pugnant. *pag.* 26.
Fuere genuini Slavi. *pag.* 47.

Digitized by Google

Et veri Slavorum Majores. *pag.* 124.
Vandaliam, & Luſatiam occupant. 48.
Cum Dacis Illyricum depopulantur. 96.
Ex Aſia à Marco Claudio repelluntur. *pag.* 123.
Sarmatarum Venedorum variæ Sedes. 47.
Prima ex Aſia in Sarmatiam migratio. *pag.* 46.
Idioma Slavonicum. *pag.* 48.
Mores vetuſti. *p.* 48. 236.
Diverſa Nomenclaturæ. *p.* 48.
Sarmatia, à Sarmata Henetorum Duce denominata. *ibidem.*
Communis Venedorum, ſeu Vendorum Patria. *pag.* 116.
Sarmatiæ Aſiaticæ Limites. *ibidem.*
Europeæ. *pag.* 48. 116.
Satimirus Rex Dalmatiæ Semi Chriſtianus. *pag.* 243.
Saturninus Gallus, Imperator. *pag.* 130.
Savarias fluvius nunc Günz, ſeu Ginzium. *pag.* 196.
Savariæ nomine plures olim fluvii compellabantur. *ibidem.*
Savia Provincia tempore Octaviani Auguſti tali vocabulo nominabatur. *pag.* 73.
Quando ſic compellata? *ibidem.*
Duplex, Ripenſis, & Interamnenſis. 133.
Poſt Diviſionem Provinciarum Dalmatiæ Limes. *ibidem.*
Cum Valeria binas conſtituebat Provincias. *ibidem.*
Saviæ Provinciæ ſitus, limites, & Metropolis. *ibidem.*
Savus fluvius, diſtinctus à Sajo. *p.* 203.
Scandinavia communis Gentium officina. 114.
Gothlandia quoque dicta. *p.* 115.
In 4. partes diviſa *pag.* 114.
Scandinaviæ Populi. *ibidem.*
Scarnijunga olim, nunc Dravus fluvius. 107.
Schönleben Inchofferum de Natali Solo S. Hieronymi contra Joannem Lucium defendit. *pag.* 177.
Schönlebenii de Natali Solo S. Hieronymi Concluſio. *pag.* 178.
Quam Valvaſorius approbat. *ibidem.*
Scherdilaides Illyrii Orientalis Rex. *p.* 54.
Contra Macedones à Romanis ſubſidia petit, obtinetque, ac feliciter pugnat. *ibidem.*
Sed ob non reciprocata Romanis contra Macedones auxilia, una cum Pleurato Illyrii Occidentalis Rege capitur. *ibidem.*
Scherdiletus Pſeudo-Rex Illyrii. *pag.* 55.
Scholæ Triviales Varasdini, & Zagrabiæ. 254.
Scholarum Latinarum Zagrabiæ Inſtitutio, Progreſſus, & Auctio. *pag.* 252.
Scordiſci, cujus nationis populi? *p.* 82.
Macedoniam depopulantur, ſed à Romanis ſubiguntur. *pag.* 62.
Fuere Incolæ Inſulæ Muro-Dravana. *pag.* 203.
Scordiſci, & Tribali ſe ſe adinvicem atterunt. *pag.* 25.
Scordiſcorum Sedes. *pag.* 18.
Cum Romanis bellum. *pag.* 61.
Scythæ, Celto-Scythæ, & Hiperborei qui? 10.
Scythia duplex. *pag.* 11.
Scythiæ denominatio cui Regioni adhæſit? 10.
Seminaria Sæcularium Nobilium Varasdini, & Zagrabiæ. *pag.* 255.
Seminarii pro Clericis Græci Ritûs Zagrabiæ fundatio. *pag.* 264.
Segnienſis urbs à Sennonibus Gallis initia ſumit. *pag.* 26.
A Tebio Tillio muro circumdatur. 28.
Senia olim, nunc Segnia. *pag.* 43.
Septimius Severus, Imperator. *pag.* 111.
Serbli, ſeu Servii, olim Sorabi. *p.* 75.
Servia fit Regnum, eique Rex præficitur. 170.
Salomoni Regi Hungariæ ſubjecta. *ibid.*
A Turcis occupata. *pag.* 171.
Servii partem Dalmatiæ, Boſniæ, & Bulgariæ prœmii loco accipiunt. *p.* 170.
Severus Alexander, Imperator, clam Chriſtum colit. *pag.* 112.
Hujus familia ob Chriſti cultum defecatur. *ibidem.*
Sidonia olim Urbs Dalmatiæ. *pag.* 66.
Sigismundus L. B. à Siniſperg Præp. maj. Zagr. Scholas Triviales erigit Zagrabiæ. 254.
Urſulinarum Cœnobii Varasdinenſis ſpecialis Benefactor. *ibidem.*
Sigoveſus Dux Gallorum in Saltu Hercinio Sedes figit. *pag.* 26.
Simon Bratulich, Ep. Zagr. reſiſtit Lutheranis. *pag.* 262.
Singidunum duplex: ad Danubium Szmenderov; intra Dravum, & Savum Szigetecz. *pag.* 69.
Siniciarius belli inter Conſtantinum, & Baſianum Author interimitur. 138.
Siſcia, ſeu Siſſium Urbs olim Dalmatiæ. 66.
Saviæ Provinciæ Metropolis. *p.* 133.
Tyberii hybernum receptaculum. 90.
Romani Imperii contra hoſtes Europæos belli Sedes. *p.* 65.
Siſciani contra Romanos tumultuantur. *ibid.*
A Pannonibus adjuvantur, attamen ab Octaviano expugnantur. *ibid.*
Siſcianorum fortitudo. *ibidem.*
Siſſienſis obſidio Turcica ſolvitur. *p.* 101.
Siſſium V. Capituli Zagr. Caſtrum à Turca occupatum, ſed mox recaptivatum, dolo eidem adimitur. *ibidem.*
Ab Imperatore Leopoldo reſtitutum. *pag.* 102.

Slavi,

Digitized by Google

Slavi, ſeu Slavones, olim Heneti, Veneti, Venedi, Vendi, & Vindi nominabantur. *pag.* 37.
Hunnorum Socii in Hunnavaria ingenti clade ſternuntur. *p.* 162.
Reſidui Dalmatiam mediterraneam occupant. *pag.* 164.
Alii Orientales, alii Occidentales. 234.
Horum ad invicem correſpondentia. *pag.* 235.
Priſca Religio. *p.* 237.
Morum, & Religionis identitas. 236.
Occidentales Slavi effecti. 235.
Orientales male dicebantur Slavi. 125.
Merito etiam his temporibus Szlavi, id eſt: laudabiles, & glorioſi dicendi. *pag.* 129.
Slavonia à Colomanno Rege occupata, & Coronæ Regni Hungariæ adnexa. 164.
Inferior à Timonio perperam Hungariæ adſcripta. *p.* 165.
Contra quem fortiter vindicatur. *ibid.*
Slavonia Nomenclatura quibus partibus remanſit? *pag.* 164.
Modernæ genuini Limites. *ibidem.*
Slavonica Lingua an Matrix? *pag.* 23.
An eadem in Illyrica? *ibidem.*
Quas habeat Filias? *ibidem.*
In Illyrico principalis. *pag.* 25.
Slavonicarum Nationum Conditores fuere ex Moſoch deſcendentes Moſchi, & Moſcovitæ, Cappadoces item, & Sarmatæ Heneti. *pag.* 38.
Diverſæ in diverſis partibus Nomenclaturæ. *pag.* 123. 125.
Slavonici Vocabuli uſuatio. *pag.* 124.
Origo à Jornande deducta non probatur. *pag.* 125.
Derivatio à Bombardio producta vacillat. *p.* 126.
A Dubravio optime interpretata. *ibid.*
Et à pluribus ſcriptoribus approbata. *ibidem.*
A Savo fl. derivata non eſt genuina. *ibid.*
Ratkajana etymologia ex parte ſuſcipitur, ex parte rejicitur. 127.
Interpretatio à ly Enetos laudatur. *ibid.*
A Strabone impugnata origo. 128.
Reſolvitur. *ibidem.*
Corruptio partim impugnatur, partim excuſatur. *ibidem.*
Nullatenus per SCL. ſed per SL. ſcribendum. *pag.* 129.
Slavonicum Idioma Cappadoces Heneti in Illyricum invexerunt. 36.
Quo & Sarmatæ Heneti uſi fuere. 38.
Slavorum Regni propagatio, & diminutio. *pag.* 164.
Slavi Gothi in Illyricum migrant. 119.
Dalmatiam occupant. *pag.* 162.
Slavo-Sarmatæ à Conſtantino M. domantur. *pag.* 139.
A quo fixas accipiunt ſedes, Limigantes ex eo dicti. *ibidem.*
A Gothis bello impetiti Conſtantini auxilia impetrant. *pag.* 141.
Contra Gothos aſſumunt Servos, feliciterque pugnant. *ibidem.*
A quibus propriis Sedibus deturbantur. *pag.* 145.
A Conſtantino M. in Thraciam, Macedoniam, & Italiam recipiuntur, ac diſlocantur. *ibidem.*
Incolæ ea occaſione Inſulæ Muro-Dravanæ facti. *pag.* 205.
Ab olim fuere Nobiles, Dominiorumque Poſſeſſores. 214.
Slavo-Vandali à Conſtantino M. Sedes in Pannonia impetrant. 145.
Stephanus Vajvoda Tranſylvaniæ cum ſuis, Dominus proprietarius Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 217.
Conventus S. Helenæ PP. Paulinorum ſupra Chaktornyam Fundator. 271.
Criſii, ob notam quandam infidelitatis, jubente Rege Sigiſmundo, obtruncatur. 218.
Stridon, Oppidum Inſulæ Muro-Dravanæ, genuinum S. Hieronymi Natale Solum. *pag.* 173. *ſeq. per totum.*
Idque probatur. *pag.* 174.
Parochia Diœceſis Zagrabienſis. 175.
Olim Epiſcopatus. *pag.* 188. 296.
A Gothis vaſtatum. 158. 299.
Actuale, quale? *ibidem.*
Stridone, Memoria S. Hieronymi quando cœpta? *pag.* 301.
Eccleſia S. Hieronymi erigitur. 302.
Glagolitis concredita. *p.* 303.
Ab his relicta, PP. Paulinis admanuata. *pag.* 304.
Noviter poſt terræmotum ab iisdem ædificata. *ibidem.*
Erectionis hujus occaſione quædam ibidem reperta. *pag.* 302.
An aliquando Abbatia? 306.
Stridonenſe Caſtrum deſolatum. *p.* 298.
Stridonenſis Parochia olim Præbendariis proviſa. *pag.* 297.
Deſcribitur. 298.
Stridonis Oppidi ſitus. *p.* 296.
Suevi, & Lygii in Pannonia locantur. 98.
S. Suſanna Illyra Martyrio afficitur. 136.
Symbolum Nicænum conditum. *p.* 140.
Syrmii in Almo monte vites plantantur. 130.
Syrmium Pannoniæ Provincia, & Metropolis. *pag.* 133.
Syrmus Rex Illyrii, Tribalorum. *p.* 32.
Szelnicenſis Parochiæ deſcriptio. 292.
Szlovak, idem ac Thot. *pag.* 98.

Digitized by Google

Szobotienſis Parochiæ deſcriptio. 287.
Szveticenſis PP. Paulinorum Conventus. 273.
Infeſtationes pati cogitur. p. 274.
Szvetovid, Idolum Illyriorum. p. 98.

T.

Taulantinorum Illyricum. *pag.* 32.
Taulantius, Illyri filius, ubi ſedes fixerit? 15.
Taurisci cujus Nationis? p. 82.
Olim Celto-Galli. *pag.* 60.
Dein Turopolyenſes, à Romanis domiti. p. 61.
Taurunum olim, nunc Belgradum. 69.
Tempus, quo Sarmato-Venedi, ſeu Vindi ad partes Danubiales migrarunt. 45.
Theten nunc, olim Campona. p. 139.
Theodemirus, Oſtrogothorum in Pannoniæ Dux. *pag.* 160.
Theodoricus, filius Theodemiri, Zenoni Imperatori charus. *ibidem.*
Hujus conſenſu Herulos Italia pellit. *pag.* 161.
Odoacrem Herulorum Regem interimit. *ibidem.*
Et fit Rex Italiæ. p. 162.
An etiam Dalmatiæ? *ibidem.*
Theuta, Illyrii Regina. *pag.* 52.
Arrogantis Imperii Mulier cum finitimis bellat. 51.
Ex felici armorum progreſſu inſoleſcit, Legatosque Romanorum occidi jubet. *pag.* 52.
A Romanis bello petita fugatur. 53.
Theuta Reginæ, Dalmatæ fidem recuſant. 59.
Theutinus Pannoniæ, non Dalmatiæ Rex. p. 73. 87.
Thomas C. Erdödy Banus Croatiæ cum Regni Ablegatis reſiſtit Lutheranis. 262.
Thot, Pannoniorum Idolum. p. 98.
Idem ac Szlovák. *ibidem.*
Thraces cum Dardanis, & Heneto-Illyris adverſus Romanos pugnant. p. 62.
Romanorum tamen Tributarii fiunt. *ibidem.*
Thracia olim, nunc Romania. *pag.* 61.
Tiberius Dalmatas, & Pannones ſubigit. 83.
Siſſii hybernat. *pag.* 90.
Dalmaticum, & Pannonicum bellum finit. *ibidem.*
Fit Imperator. *pag.* 91.
Mores ſuos corrumpit. p. 96.
Veneno tollitur. *pag.* 98.
Tiberius Claudius Imperator. *ibidem.*
S. *Titus*, in Dalmatia Fidem Chriſti prædicat. p. 98. 240.
Titus Imperator. *pag.* 100.
Timonius, Inchofferi, Schönlebenii, Bombardii, & Innocentii Piariſtæ Aſſertum de Natali Solo S. Hieronymi certiſſimum eſſe affirmat. p. 183.
Tomos urbs Illyrii olim, nunc Preſzlavicza. 66.
Traditionibus majorum, & vulgi an deferendum? *pag.* 191.
Trajanus Imperator. *pag.* 101.
Tranſylvania nunc, olim Dacia. p. 121.
Tribali, & Scordiſci ſeſe ad invicem atterunt. *pag.* 25.
Tribali Philippum Macedoniæ Regem in via ſpoliant. *pag.* 30.
Ab Alexandro M. in ſocietatem Belli Aſiatici aſſumpti. *pag.* 31.
Poſtea Bulgari dicti. *pag.* 32.
Tribalorum Illyricum. *ibidem.*
Tribalus, Nepos Illyri, ſedes cum ſuis capit. *pag.* 18.
Triteuta, Agronis Regis Illyrii Mater, nubit Demetrio Phario. p. 53.
Triumviri Antonius, Lepidus, & Octavianus Rempublicam Romanam opprimere decernunt. *pag.* 64.
Inter ſe diſcordant. *pag.* 65.
Trojano bello Illyri pro Græcis pugnant. 28.
Trojanus mons in Illyrico olim, nunc in Vindorum Marchia ſeu Carniolia. 41.
Turca fruſtra tentant Incolatum Inſulæ Muro-Dravanæ. *pag.* 211.
Turopolyenſis Campus. *pag.* 82.
Turniſche Caſtellum olim Familiæ C. Battyanianæ. *pag.* 290.
Turniſchenſis Parochiæ deſcriptio. *ibidem.*
Tvartkus Rex Boſniæ. *pag.* 171.
Typographia olim Nedelicii. *pag.* 279.
Tyranni 30. Imperium Romanum diſcerpunt. *pag.* 121.
Vires eorum ſenſim atteruntur. 122.

U.

Ulricus C. Cilejæ trucidatur. *pag.* 219.
Undecim millia Martyrum in Monte Ararath. *pag.* 101.
Horum Feſtivitatem ſolemniter colit V. Capitulum Zagrabienſe. *ibid.*
Urſulinarum Cœnobium Varasdini. 254.

V.

Valachi, ſeu Raſciani, Græci Ritûs, Schiſmatici, nunc in Illyrico tollerantur. 263.
Valens Cæſar. *pag.* 139.
Valpo nunc, olim Cibalis. *pag.* 113. 139.
Valeria, Pannoniæ Provincia. *pag.* 132.
A Savia diſtincta. *pag.* 133.
Duplex, Ripenſis, & Interamnenſis. *ibid.*
Inter Illyrii Provincias numerari deſinit. *pag.* 143.

Digitized by Google

Valerianus Imperator. *pag.* 121.
Valerius Licinius Imperator. *pag.* 137.
Statuas Conſtantini M. demoliri curat. *pag.* 139.
Propterea bello appetitus pacem petit. *ibidem.*
Conditionibus pacis haud ſatisfaciens Purpura exuitur. *ibidem.*
Ac tandem ſtrangulatur. *pag.* 140.
Vandali, cujus Nationis fuere? *p.* 117.
Idiomate utebantur Slavonico. *ibid.*
Non fuere Germani. *pag.* 119.
Male à Slavinis Populis ſejunguntur. *ibid.*
Totum pœne Orbem pervagantes à Probo preſſi in Illyricum redeunt, ſedesque ſibi aſſignatas capiunt. 130.
Incolis Inſulæ Muro-Dravanæ accreſcunt. *pag.* 25.
Vandalicum Idolum Radegoſzt. *p.* 117.
Pater noſter, idem fere cum Slavonico. *ibidem.*
Veglya, Inſula Adriatici Maris in Croatia, olim Curicta, Jaſorum Curetum Sedes. 44.
Vendobona, ſeu Vendum olim, nunc Vienna Auſtriæ à Venedis Nomenclaturam accepit. *pag.* 41.
Venedi primitus in Paphlagonia conſedere, dein in Cappadociam migravere. *p.* 37.
Exinde in pluribus Germaniæ locis ſedes fixere, ſeque per Gallias, Helvetiam, & Britanniam diffudêre. 45.
Venedicum Idioma idem ac Slavonicum. 36.
Venetiarum Urbis diſtrictus Nomenclaturam olim ab Henetis, ſeu Venedis deſumpſit. *pag.* 40.
Veſpaſianus Imperator. *pag.* 99.
Veſtigia Celto-Gallorum in Illyrico. *p.* 26.
Vidovicenſis Parochiæ deſcriptio. *p.* 286.
Villa Nova nunc, olim Neſactium, & Nevetium. *pag.* 55.
Viminiacum olim, nunc Bodin. 139.
Vindorum Marchia, quando à Slavonia avulſa? *pag.* 164.
Viſvar Civitas in Pannonia, Viſumaro Vandalorum Principi ſua Principia debet. 145.
Voluſianus Imperii Collega. *pag.* 120.

Z.

Zabolch, Conditor Illuſtr. Familiæ Chakianæ. *pag.* 210.
Zagrabia, olim Mons Græcus. *pag.* 28.
Zagrabienſis Epiſcopatus Siſſio Zagrabiam translatus. *pag.* 244.
Zagrabienſis Diœceſis poſt cladem Tartaricam à B. Auguſtino Ep. Zagr. reſtauratur. *pag.* 246.
Ejusdem Capitulà, & Archidiaconatus. *pag.* 247.
Collegia, & Seminaria. *pag.* 250.
Zaurich nunc, olim Ramiſta. *pag.* 111.
Zelus PP. Paulinorum conſervandæ Fidei Catholicæ in Inſula Muro-Dravana. 261.
Zriniana C. Familiæ deploranda extinctio. *pag.* 265.
Zriniæ Arcis veteris, & novæ deſcriptio. *pag.* 285.
Zvonimirus, ultimus Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ Rex. *pag.* 162.

Digitized by Google

NB. *Infra poſita vetus Inſcriptio ſub terra latens ante annos circiter* 10. *reperta eſt in Thermis Varasdinenſibus Venerabili Capitulo Zagrabienſi ſubjectis, & ad angulum quendam involutum repoſita, usque dum conſpectui publico ſupra primariam arcis portam immurata fuiſſet, mihique nonniſi poſtquam opus præſens prelo ſubjectum extitiſſet, innotuit; hinc ad probandum id, quod pag.* 43. *ſeq & pag.* 147. *de* Jaſis *populis circa* Aquas Jaſas, *&* Campum Jaſium, *qui hodie* Varasdinenſis *appellatur, retuli, eandem inſcriptionem hic loci Benevolo Lectori proponendam cenſui:*

IMP. CAES. FL. VAL. CONSTANTINVS. FELIX. MAXIMVS. AVG.
AQVAS IASAS OLIM VI IGNIS CONSVMPTAS CVM PORTICIBVS
ET OMNIB. ORNAMENTIS AD PRISTINAM FACIEM RESTITVIT.
PROVISIONE ETIAM PIETATIS SVE NVNDINAS
DIE SOLIS PERPETI ANNO CONSTITVIT.
CVRANTE VAICATV L. L. INOV. P. P. P. P. P. SVPER.

PARS SECUN-

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

VITA
MAGNI ECCLESIÆ DOCTORIS, SANCTI
HIERONYMI,
DALMATÆ STRIDONENSIS.

PROLOGUS.

QUantumvis ad prænominati tam Eximii Doctoris, ac Venerabilis Viri vitam; omni imitatione digniſſimam, deſcribendam me indignum, & inſufficientem profiteri debeam, ea tamen, quam ad Sanctum hunc meum, *Slavonicæque* nationis patronum habere obligor, devotio, atque clientalis pietas compellit me, quatenus præconia laudis ejus ex præcipuis ſanctæ vitæ Ejusdem Scriptoribus in unum colligerem, eaque compatriotis ejuſdem legenda exhiberem. Scripſerunt porro vitam præattacti Sanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris *Cæſar Baronius Soranus* ex Congregatione Oratorii S. R. E. Cardinalis, *Surius*, *Marianus Victorius* Epiſcopus Reatinus: & ex hoc *Zacharias Lippeolus*, ac *Franciſcus Haræus*: Præterea *Petrus Ribadeneira*, & *Heribertus Rosweidus* Ultrajectinus, uterque è Societate Jeſu Theologus. Item *Franciſcus Glavinich* in Idiomate *Slavo-Dalmatica*, & *Pelbartus de Temesvar* in *Latia* lingua, uterque Ordinis S. Franciſci Seraphici hic Prædicator, ille Lector jubilatus. His accedit quidam nomine *Sebaſtianus*, de quo *Petrus Diaconus* Caſſinenſis *Lib. de Viris illuſtr.* hæc habet: *Sebaſtia-*

Digitized by Google

baſtianus S. Benedicti Monachus, *Hieronymi Doctoris egregii vitam deſcribens Eccleſiis tradidit: in qua, quæ ei à pueritia inſtitutio, quæ in ſenectute ei ſcientia fuerit, lucidiſſime demonſtrat.* Scripſerunt quoque quidam præmemorati Sancti Doctoris vitam ſub nominibus Sanctorum *Cyrilli* Epiſcopi Hieroſolymitani, & *Euſebii* Cremonenſis Diſcipuli Sancti *Hieronymi*; ſed hanc reprobat Cardinalis *Baronius* in Annalib. Eccleſiaſticis ad *A. C.* 420. & *Jacobus Cavacius* in *Notis* ad Vitam ejusdem Sancti *pag.* 157. utpote pluribus apocryphis relationibus ſcatentem, quia ex ſpuriis (ut *Baronius* exiſtimat) Epiſtolis præattactorum Sanctorum *Cyrilli*, & *Euſebii* concinnatam. Ego univerſis his præinſertis centenis gradibus tam ingenio, quam virtute inferior, nihil eſt, quod ſcriptis eorum ſapientiſſimis addam, vel demam; vitam tamen ſæpefati Sancti Doctoris admirandam, tam ex prærecenſitis graviſſimis Authoribus (iis tamen, quos *Baronius* rejicit, niſi forte in aliquibus cum aliis ſibi adverſantibus Scriptoribus conciliari poſſe viderentur, exceptis) quam ex ipſiusmet Divi *Hieronymi* ſcriptis (è quibus notabiliora per extenſum producere, alia autem, vel quia nota, vel quia ſupervacanea forent, prætermittere intendo) elicitam; uſus plerumque *Petri Ribadeneiræ*, qui eam ex *Mariano Victorio* decerpſit, ordine, atque in plura capita diſtributam, & nonnihil tum ex pluribus celebrioris famæ *Hiſtoricis*, apud quos aliqua de hoc celeberrimo Sancto reperire potui, tum ex manuſcriptis mihi ab amicis litterarii exercitii cupidis, pariter ex Authoribus bene meritis erutis, benevole ſubminiſtratis auctam, quamvis non ea, qua decet, ſed qua licet ſcribendi peritia expoſitam, benevolorum Lectorum oculis repræſento legendam, atque in modernæ debilioris, ac labilioris vitæ ſtatu pro poſſe imitandam. Pro cujus accuratiori authentica, cum citandæ quoque ſæpius venient ipſæ Hieronymi Epiſtolæ, quarum exemplaria in binis reperi Libris, *Petri* videlicet *Caniſii* editionis Venetæ A. D. 1730. & *Nicolai Kesler* editionis Baſilæenſis A. D. 1489. Et quia hic poſterior plura contineret, quam prior, ideo dum aliquam Epiſtolam, quæ non habetur apud *Petrum Caniſium*, ex hoc poſteriori cito, ſemper addo; ly: *in Vetuſto Codice*, vel per abbreviationem: *in Vet. Cod.* aliam autem quæ habetur in priori Libro ſimpliciter cito, absque aliquo additamento, de quo reverenter præmonitum habere volui benevolum Lectorem, ut ſi rei veritatem inveſtigare cuperet, ſe in inquirendis citatis Epiſtolis dirigere valeat.

PRÆ-

Digitized by Google

Digitized by Google



Pluribus excelſum dedit hunc excellerę donis
Cur non à Celſo dos foret illa Deo?

F. Gabr. Daller O.S. P.p. E. del. Lepogl. 1747.

Digitized by Google

PRÆFATIUNCULA
AD
BENEVOLUM LECTOREM
DE
SANCTI
DOCTORIS HIERONYMI
EFFIGIE.

EFfigies, quam hic cernis benevole Lector, eſt S. noſtri *Hieronymi*, deſumpta ex Libro, qui intitulatur: *Vetus Academia Jeſu Chriſti, Iconibus & Documentis priſcorum veræ pietatis Doctorum, & Profeſſorum illuſtrata.* Authore *Theophilo Spizelio* Auguſtæ Vindelicorum A. D. 1671. edito. Qui de veterum Doctorum iconibus eodem Libro contentis benevolum Lectorem ſic affatur: *Quas Lector benevolus in hoc volumine cernis veterum pietatis Chriſtianæ Doctorum imagines, eas ante plurimos annos vir quidam eruditus, ſed Anonymus, juxta antiqua celebratiſſimæ Bibliothecæ Auguſtanæ exemplaria per Raphaelem Cuſtodem æri incidi, & cum breviſſimis Patrum Græcorum, & Latinorum deſcriptionibus divulgari curavit. Ut vero magis, clariusque appareat, non omnino temere eas confictas, aut è cerebro pictas; ſed vel ex antiquiſſimis monumentis depromptas, vel juxta veterum Scriptorum proſographias adornatas fuiſſe.* His expoſitis addit quædam non contemnenda documenta, ſibi bene (ut aſſerit) explorata, è quibus producit optime explicatas formas, & ſtaturas eorundem veterum Sanctorum Doctorum. Ut in exemplo: (plura quidem habet, ſed nobis ſufficiet unum) in antiquo Græcorum Menæo, apud *Petr. Hall.* in vita S. Dionyſii Areopagitæ *fol. 116.* forma, & ſtatura *Dionyſii Areopagitæ* perquam exacte deſcribitur ad hunc modum: *Erat autem, quod ad figuram corporis attinet, ſtatura mediocri, gracilis, albus quidem, ſed ſubpallidus, ſubſimus, contractis ſuperciliis, oculis profundis, magnis auribus, canus, comatus, barba modice promiſſa, pauxillum ventrioſus, digitis manuum oblongis, &c.* Cui deſcriptioni citatus *Theophilus Spizelius* ſubjungit ſequentia: *An non memorabilis hæc Dionyſii deſcriptio optime reſpondet noſtræ imagini fol. 13. exhibitæ?* Ita de imagine *Juſtini* Philoſophi, & Mart. à *Fed. Morello* deſcriptæ; de Icone *S. Baſilii* magni à *Cardinali Baronio ad A. C. 378. S. Ephremi* Syri à *Voſſio*; ac denique *S. Ambroſii* Epiſc. Mediolanen. *ex monumentis ejuſdem Eccleſiæ*, in qua antiquiſſimæ ejuſdem Sancti Doctoris imagines aſſervantur, memoratus *Spizelius* diſſerit, ac tandem concludit, dicens: *Non equidem ſive pro harum, ſive cæterarum Imaginum* (inter quas eſt etiam *S. Hieronymi*) *veritate authentica vadem me dare, aut eas pro indubitatis Doctorum veterum iconibus venditare; ſed oſtendere duntaxat conſtitui, illas haud temere confictas, aut ſine ratione pictas ſculptasque fuiſſe.* Ex hujus ergo eruditiſſimi Authoris Libro & ego Imaginem S. noſtri *Hieronymi* copiari curavi, an illa vera dicti S. Doctoris ſit Effigies,

Digitized by Google

figies, nec ne? perpenſis prænominati Authoris monumentis in medium adductis diſceptare mihi haud convenit, credere potius, quam diſcredere tam celebri Authori parato; magisque de *S. Hieronymi* certiſſima exhibenda Icone ſollicito: qui virtutum, morumque exquiſitiſſimum exemplar *Hieronymum* Orbis Chriſtiani, & vel maxime *Illyrici* conſpectui ſiſtere decrevi, quod cum ex ipſiusmet monumentis plurimum, ſed & ex aliis venerandæ antiquitatis documentis fideliſſime ſit depromptum: ideo nullam de eo dubitationis apud benevolum Lectorem locum reperturam, ſed poſt diligentiorem inſpectionem ipſam aliquando imitationem ſubſecuturam mihi pleniſſime perſuadeo. Nunc itaque ad ipſa Sancti *Hieronymi* virtutum, morumque illuſtrium Sacra penetralia acceſſum faciamus.

Digitized by Google

CAPUT I.

Sanċti Hieronymi Natales, Educatio, & Studia Humaniora.

I. PAtriam Divi *Hieronymi* tellurem *Parte prima* luſtravimus, quæ an genuina ſit, nec ne? prudentum judicio diſcutiendum relinquitur; hac igitur hic prætermiſſa, tempus nativitatis ejusdem, nec non educationis normam, ac ſtudiorum exercitia deſcripturus, primo cum omnibus ejusdem vitæ Scriptoribus aſſero Sanċtum *Hieronymum* (quæ vox in Græco idiomate *Sacrum nomen* ſignificat) natum eſſe in confinibus *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ*, Civitate *Stridone* (quam vulgus hodie *Stridovo*, *Strigovo*, & *Strigovam*, & *Petrus de Broecke* ſæpius *Strignam* appellat) quæ ipſo *S. Hieronymo* vivente fuit à *Gothis* vaſtata, ut ipſemet *Comment.* in *Habacuc* Proph. *cap. 3.* teſtatur, dicens: *Nonne hoc impletum audivimus in noſtræ originis regione, Pannoniæ finibus, atque Illyrii, ubi poſt varias Barbarorum invaſiones ad tantam deſolationem eſt perventum, ut nec humana ibidem manſerit creatura.*

II. Natus igitur eſt *S. Hieronymus* patre Euſebio (matris nomen eſto litteris proditum non ſit, credibile tamen eſt eam egregiæ pietatis fuiſſe matronam) viro Chriſtiano, nobili, ac præpotente, temporibus *Conſtantii* Imperatoris, filii *Conſtantini* magni, Anno Chriſti (ut vult *Proſper in Chronico*, atque cum hoc *Graveſon in Hiſt. Eccl.* item *Petr. Annatus in Apparatu ad Theolog. poſitiv.* & *Philip. Briet. in Annalib. Mundi*) 342. Et quamvis ipſe S. Hieronymus *Epiſtola 12.* ad *Nepotianum* ſcribat ſe natum in paupere domo, & tugurio ruſticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem ſaturare poterat ventrem, nunc ſimilam, & mella faſtidiat: id tamen non de ſe ipſo, ſed de voluptuoſis Clericis, & Monachis, ex perſona tamen ſua differit, ut teſtatur *Baronius ad A. C. 372.* in quo de primordiis *S. Hieronymi* agit. Unicus ei fuit frater nomine *Paulinianus*, & ſoror pariter unica, cujus, ſicut & Matris nomen ignoratur. Habuit juvenculus pro ſocio collaċtaneum ſuum, & ut credibile eſt compatriotam, juvenem quemdam nomine *Bonoſum*, prædivitum pariter, & opulentorum parentum filium, quocum ab infantia ad florentem usque adolevit ætatem: cujus & ipſe *Hieronymus Epiſt. 11.* ad Ruffinum meminit, inquiens: *Bonoſus tuus, immo meus, & ut verius dicam, noſter.* Et paulo infra: *Ecce puer honeſtis ſeculi nobiſcum artibus inſtitutus, cui opes affatim, dignitas apprime inter æquales erat.*

III. Dum autem *Hieronymus* infantiles ſupergreſſus fuiſſet annos, præclara parentum ſolicitudine dignis Chriſtianæ juventutis moribus inſtitui, atque in pietate erga Deum, Cœliteſque, ac amore erga proximum inſtrui non negligebatur. Aſt cum vanos inter parentum famulos nonnihil mobilis *Hieronymi*, & imprudens adhuc juventus à pia ſeniorum educatione degenerare animadverteretur, datus eſt Magiſtro *Orbilio*, viro quidem rigido, ſed in imbuen-

buenda primæva juventa ſolerti ſimul, & ingenioſo. De his ipſemet *S. Hieronymus Epiſt.* 41. ad Ruffinum ita loquitur: *Recordor me cucurriſſe qua juvenem per cubicula ancillarum, conſumpſiſſe tempus ludis, & jocis: & ex gremio Matris eram datus Magiſtro horribili, atque plagoſo Orbilio invitus, & coactus.* Apud hunc itaque Magiſtrum pueritia *Hieronymi* ab univerſis illius ætatis ſeu illecebris, ſeu vitiis immunis conſervata, ſolique virtutum, ac litterarum ſtudio capaciſſimum animadverſum pectus, ut majoribus ſtudiis commodius operam navaret, à parentibus *Romam*, utpote totius Orbis, Catholicæque Religionis caput, ac cunctarum cultiorum litterarum Scholam miſſus fuit, ipſemet in ſuo *Chronico ad Conſtantii Ann.* 20. fatente.

IV. Romæ exiſtens cum collactaneo ſuo *Bonoſo* audiit in Grammatica Magiſtrum *Donatum*, qui docta ſcripſit in *Terentianum*, & *Virgilium* commentaria: atque brevi temporis intervallo (erat namque vivaciſſimi, capaciſſimique ingenii) capiens ea tam perfecte, ut poterant ab illo mox doceri; totis viribus ad condiſcendam *Rhetoricam* incubuit, totumque ſeſe tradidit eloquentiæ, in qua etiam ſingulariter eminuit, ſeque exercuit in componendis, recitandiſque declamationibus, & controverſiis, evolvendiſque omnibus omnium excellentium Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarumque, ac Græcorum, & Latinorum libris, ut elegantiam, proprietatemque utriusque idiomatis conjugeret, ſeque in Græca, & Latina lingua numeris omnibus abſolutum, & omnino conſummatum redderet, prouti & reddidit. His tamen non contentus ad altiora ſtudia natus *Hieronymi* animus, gradum fecit ad ſublimiores ſcientias, ſtudiumque *Philoſophiæ* accedens, omnes *Platonis*, & *Ariſtotelis*, aliorumque Philoſophorum libros, nullis utilibus omiſſis diligenter, ſimul & intelligenter revolvit, & evolvit, neque ullum doctrinæ genus reliquit intactum. (De his ſuis ſtudiis meminit ipſemet *lib.* 1. contra *Pelagium*, & *Comment.* in Epiſt. ad Gal. *cap.* 2.) Dominus enim, qui ſtatuerat ejus opera, & doctrina ad illuſtrandam Eccleſiam uti, eundem ſenſim, & ſenſim diſponebat ad ſtatutum finem.

CAPUT II.

Sancti Hieronymi Baptiſmus, Peregrinatio Gallica, & reditus in Italiam.

I. DUm ſæcularibus his, atque vanis mundi ſtudiis incumberet *Hieronymus*, paulo ſolutiorem geſſerat vitam, ita, ut ſuæ integritatis caſtimonialis paſſus fuerit naufragium, hinc neque adeo animum ſuum in rebus fidei excolebat: Eodem tamen Præceptore ſuo *Donato* ſaniora conſilia propinante, ac brevioris humanæ vitæ probitatem ſuadente motus, poſtquam myſteriis fidei plenè edoctus fuiſſet, in adultiore jam ætate ſacro Baptiſmatis fonte ablutus eſt. Ipſemet *Epiſt.* 25. & 26. ad *Damaſum* teſtimonium perhibente: hinc ſibi cum *Romana* urbs jure aſſerere poteſt, utpote, qui ibidem per Baptiſmum Chriſto renatus fuit, conſequenter Chriſtianus *Romæ* natus cenſeri meritò debet: ſed ſpiritualiter tantum. Adeptâ in baptiſmate Spiritus ſancti gratiâ, continuo diſſolutiorem vitam in meliorem, & pientiorem emendavit,

atque

Digitized by Google

atque priorem quam amiſerat corporis integritatem, multis lachrymis aliiſque pœnitentiæ operibus expiando, ſecundam, quam vocamus continentiam, poſt Baptiſmum ſervavit immaculatam: totus namque ex poſt fuit in piis officiis, & operibus charitatis; atque hinc diebus Dominicis, & Feſtivis cum ſuo collactaneo *Bonoſo* ſolebat ſepulchra Sanctorum Martyrum inviſere, eorumque ſacras Reliquias ſumma cum devotione venerari, conabaturque à Sanctis opem pro ſubſequenti vita ſancte tranſigenda impetrare. De hac ſua devotione ipſemet *Comment.* in Ezechiel. *cap.* 4. ſic diſſerit: *Dum eſſem Romæ, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis, & propoſiti diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circuire, crebróque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo deſoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum: & ita obſcura ſunt omnia, ut prope illud Prophetæ compleatur: Deſcendant in infernum viventes. Et raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperat tenebrarem, ut non tam feneſtram, quam foramen dimiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & caca nocte circumdato illud Virgilianum proponitur:*

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

II. Diebus porro ferialibus occupabat ſe in deſcribendis variis ſibi utilibus libris (eo enim tum nondum utiliſſima illa, ſimul & celeberrima *Typographiæ* ars invecta fuit, ut ſibi libros impreſſos procurare valuiſſet) in tantum, quod ſibi magno ſtudio, & labore ingentem librorum copiam conſcripſerit, quæ non exiguam Bibliothecam conſtituere cernebatur. Hac pro deſiderio ſuo comparata, ratus eſt animum ſuum gravioribus, & ſublimioribus eſſe ſtudiis applicandum, ſacræque attendendum *Theologiæ*. Eapropter diverſas Provincias obeundas, varias civitates luſtrandas, & ſapientiſſimos quoque viros inviſendos, & conſulendos; quemadmodum à *Pythagora, Apollonio, Thyanæo, Platone*, aliiſque factitatum *Philoſophis* noverat: qui pro conſequenda rerum naturalium ſcientia, relicta patria peregre profecti, pleraſque Orbis oras impigre circumiere, in animum induxit. Quam ob rem *Bonoſo* comite aſſumpto in *Galliam* diſceſſit, quæ ea tempeſtate (ut ipſemet *Epiſt.* 13. ad *Ruſticum* Monachum teſtatur) præſtantibus, doctiſſimiſque viris abundabat, ſtudiiſque florentiſſimis vigebat, ut his in *Theologicis*, & *Scripturiſticis* ſcientiis erudiretur, cum illis vero amicitiam contraheret, ac tandem Provinciam illam, & quæ in ea forent viſu digna, curioſius perluſtraret.

III. In hoc itinere, quod *Româ* conficiebat in *Galliam*, tranſiit *Inſubria* oppidum *Concordiam*, quæ non procul abeſt *Mirandula*, contraxitque ibi notitiam familiarem cum Sancto quodam ſene viro, nomine *Paulo*, cui poſtea à ſe ſcriptam Sancti *Pauli primi Eremitæ* vitam tranſmiſit, ut ipſemet *Epiſt.* 8. ad eundem *Paulum* aſſerit, dicens: *Miſimus interim te tibi, id eſt: Paulo ſeni, Paulum ſeniorem, in quo propter ſimpliciores quoque multum in dijiciendo ſermone laboravimus.* Et paulo poſt: *Si hoc munuſculum placuerit, habemus etiam alia condita, quæ cum plurimis orientalibus mercibus ad te, ſi Spiritus Sanctus afflaverit, navigabunt.* In *Gallias* perveniens, hæſit aliquo tempore *Treviri*, quæ tunc erat urbs *Germano-Gallica* (ut *Dio lib.* 53. & *Ptolomaus* Geograph. *lib.* 2. *c.* 9. notant) ubi propria manu magnum deſcripſit volumen *S. Hilarii de Synodis*, quod ille pretioſiſſimi inſtar theſauri ſervavit, & quamvis illud *Ruffino* eo tum ſibi amiciſſimo commodaverit; repetiit tamen ex poſt ut ſibi remittatur, ut ex *Epiſt.* 5. ad *Florentium* ſcripta patet, in qua etiam ſe

Digitized by Google

librum eundem propria manu deſcripſiſſe fatetur. Adjunxerat ſe hic eidem *Innocentius* cognatus ſuus, forte etiam ſtudiorum cauſa *Treviros* adveniens, qui ipſum cum *Bonoſo* in pluribus vetuſtis codicibus deſcribendis apprime adjuvit.

IV. Ex *Gallia* Anno Chriſti 370, ut quidam notant, ſed *Baronius* habet ad A. C. 372. cum ſæpefato ſocio ſibi fidiſſimo *Bonoſo* rediit in *Italiam*, atque aliquamdiu ſubſtitit *Aquilejæ* ob ſocietatem, & experientiam capiendam multorum ſanctitatis fama præſtantium virorum, *Valeriani* videlicet, *Heliodori*, *Nepotiani*, *Ruffini*, *Chromatii*, *Jovini*, *Euſebii*, *Bonaſi*, *Florentii*, *Niceæ* Subdiaconi, & *Chryſogoni*: ad quos omnes intimæ neceſſitudinis teſtes extant Ejusdem Epiſtolæ; horum vero tres potiſſimum laudat in ſuo *Chronico*, dicens: *Florentius*, *Bonaſus*, & *Ruffinus inſignes Monachi habentur.* Ex quibus paucis Sancti *Hieronymi* verbis, nonniſi ſumma laus prædictorum elicitur Monachorum: fuit namque eo tum, ut *Baronius ad A. C.* 372. ſcribit Eccleſia *Aquilejenſis* laudatiſſima, poſt mortem etenim Epiſcopi *Fortunatiani*, qui *Arianiſmo* adhæſerat, ipſam ſucceſſor *Valerianus* ab *Arianæ* hæreſis peſte, atque ab omni impietate purgaverat, ad Eccleſiaſticas dignitates optimos quosve, & doctiſſimos viros conſtituerat, qui ita celebres erant, ut *S. Hieronymus* in ſuo *Chronico ad Annum Valentis Imp.* 13. eorum optimam mentionem faciendam judicaverit, dum de iis ſic ſcribere haud vanum duxerit: *Aquilejenſis* (inquit) *Clerus aſſimilatur choris, ſeu communitati Sanctorum, quia per hos univerſum Arianum venenum pro tunc profligatum fuit.* Quod autem Clerus iſte ex monachis plerumque conſtiterit, id ex ſupradicto elogio ejusdem Sancti Doctoris elicitur: Dum enim *Florentium*, *Bonaſum*, & *Ruffinum* inſignes monachos fuiſſe memorat, hos vero à *Valeriano* Epiſcopo ad ſuæ Eccleſiæ dignitates aſſumptos ex ſupra relatis conſtat, legitime ergo infertur Eccleſiæ *Aquilejenſis* Clerum ex monachis plerumque eo tum conſtitiſſe. *E quibus* (ulterius diſſerit *S. Hieronymus loc. cit.*) *Florentius erga pauperes tam miſericors fuit, quod in communi Pater pauperum fuerit appellatus.* Hic idem adjumento fuit *Heliodoro*, ut iter orientem verſus peragere quiverit, & Sancto *Hieronymo*, quod ad ejusdem expenſas *Aquilejæ* etiam, & alibi plurimos libros copiari, & deſcribi ſibi curaverit, ut ipſemet *Epiſt.* 4. fatetur, in quibus ipſius miſericordiam erga pauperes his verbis celebrat: *Ego debeo numero, & ſilentio præterire multos, in quibus tu Chriſtum Dominum enutriſti, ſatiaſti, veſtiſti, & viſitaſti &c.* In horum itaque illuſtrium virorum, & ſanctorum religioſorum ſocietate detinebat ſe *Hieronymus Aquilejæ*, conſulendo eos, & audiendo de ſubtilioribus Myſteriorum fidei quæſtionibus, quas ſibi reſolvi, & explicari poſtularat.

CAPUT III.

Sancti Hieronymi reditus in patriam, Peregrinatio ad partes orientales, & Electio vitæ ſtatus.

I. POſtquam *Aquilejæ*, ut præinſinuatum eſt, amicitiam cum magni nominis viris contraxiſſet, indeque non ſcitur quo recedere ſtatuiſſet *Hieronymus*, improviſo rerum eventu (caſum ſors ſororis ſuæ in ſpiritu prænoſcens) in *Dalmatiæ* oppidum *Stridonem* patrium ſuum So-

lum

Digitized by Google

lum pervenit: ubi dum ſororem ſuam adoleſcentulam propter ætatis imbecillitatem virginitatis flore excidiſſe cognoviſſet, eam deſperabundam pro poſſe ſuo ſpiritualibus colloquiis juvit, ſublevavit, & erexit, atque primum *Juliano* Diacono oretenus (Parentes namque jam naturæ debitum ſolverant) dein & per litteras, uti & *Chromatio* itidem per litteras, ut infra patebit, commendavit, quorum ſalutaribus conſiliis uſa pravam, atque perverſam mundanarum deliciarum deſerens viam, religioſæ vitæ ſtatum complexa, conſtanter in virtute continentiæ perſeveravit. Cum autem in patria ſua moraretur *Hieronymus*, lis ei quædam (hujus cauſa nullibi notatur) cum matertera *Caſtorina* interceſſit, eam vir, jam ſanctitatis viam terere incipiens, per amicabilem accordam terminavit, Chriſtianam per hoc profeſſus omnium injuriarum amniſtiam. Portionem autem ſuam ſubſtantiæ Paterno-hæreditariæ, quam diviſione mediante obtinuerat, Germano ſuo fratri *Pauliniano* totam quantam conſignavit, ea conditione, ut hanc bene conſervet, eaque mediante, dum occaſio ſe obtulerit, Monaſterium Religioſorum, ubi ſibi melius viſum fuerit, ædificet.

II. His *Stridone* peractis, ac vale ab amicis, notisque accepto, itineri longiori ſe accinxit, peragravitque ad orientis ſolis partes conſtitutas provincias principaliores, *Thraciam* videlicet, *Pontum*, *Bithyniam*, *Galatiam*, *Cappadociam*, *Ciliciam*, & denique *Syriam*. De qua peregrinatione *Marianus Victorius in Vita S. Hieron.* ſic diſſerit: *Jam vero non apparet verificari rem, quam ſcribit quidam de S. Hieronymo: quod videlicet is cum Ruffino, & cæteris ſociis primario Jeruſalem adiviſſet, ibidemque ſe ab invicem diviſiſſent; Ruffinus iviſſet in Ægyptum, Sanctus vero Hieronymus ſe ad alias mundi partes extendiſſet, & ultimatim in Syriam veniſſet. Nam quod Ruffinus cum Melania Româ in Ægyptum ſit profectus, & hinc venerit Hieroſolymam; Sanctus vero Hieronymus fuerit Monachus in Syria, præcedentia, & ſubſequentia abunde confirmabunt. Nihilominus ex deſcriptione itinerum S. Hieronymi, quæ ipſemet Epiſt. 4. declaravit, colligere poſſumus etiam itinera orientalia, & occidentalia: Scribit enim ex Syriaca Eremo ad Ruffinum, qui non pridem in Ægyptum venerat, ſe primo in Thraciam iviſſe, & hinc Pontum, & Bithyniam: poſt hoc Galatiam, & Cappadociam, poſtremo tandem per Ciliciam in Syriam perveniſſe, ubi etiam ſe ſtabilivit ut monachum, & eremitam.* Poſt *Marianum Victorium*, de peregrinationibus *S. Hieronymi* in genere *Cornelius* quoque à *Lapide* Comment. in *Eccleſiaſtici cap. 34. v. 10.* ſic loquitur: *Quin & S. Hieronymus Græciam, Galliam, Aſiam, Syriam, Paleſtinam, Ægyptum, ſapientiæ, & virtutis ſtudio, ut ſcilicet videret ſanctos Anachoretas, & Religioſos, ab iisque vitam religioſam addiſceret, peragravit; in qua peregrinatione multa diſcrimina, labores, & eventus ſe ſubiiſſe ipſe teſtatur.* Et mox ſubjungit: „Huc facit illud „*Democriti* apud *Stobæum ſerm. 381.* „Qui interrogatus: *Ad quid peregri-* „*natio prodeſſet?* Reſpondit: *Vitæ* „*frugalitatem docet.* Offa quippe, & „thorus herbaceus peregrinanti fa- „mis, & laboris dulciſſimæ medelæ „ſunt.„ Atque hæc eſt univerſa, & genuina deſcriptio itinerum *S. Hieronymi*, quæ ille cum fideliſſimis ſuis Sociis, *Bonoſo*, & *Innocentio*, quibus deinde acceſſit *Evagrius*, & *Hylla* ſervus *S. Melanii*.

III. Dixi *Evagrius*. Is fuit Presbyter *Antiochenus*. De hoc *Baronius ad A. C. 372.* hæc ſcribit: *Quod primo Evagrium Antiochenum attinet, inſinuatum eſt ſupra ſub temporibus Juliani Apoſtatæ: quod is nempe doctus vir fuerit, & cum S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi in occidentem venerit: idipſum teſtatur S. Baſilius Epiſt. 1. qui de eodem ad Euſebium*

Digitized by Google

bium Samoſatenſem Epiſcopum ſcribit, *&* *dicit*: *Quod ei is ipſe in ſuo reditu ex Italia aliquot litteras apportaverit.* Cum igitur legamus *Evagrium* ſe *S. Hieronymo* aſſociaſſe, credere poſſumus id *Aquilejæ* accidiſſe, & cum eodem peregre ex occidente in *Cappadociam* profectum fuiſſe. Nullum enim alium *Evagrium* præter hunc ſocium *S. Hieronymi* fuiſſe teſtatur *S. Baſilius Epiſt. 8.* ut notat *Rosweidus in Vitis Patrum.* Hoc ipſum confirmat etiam dignitas Sacerdotalis, & patria *Antiochia*; item *Italia*, quæ univerſa uniformiter conveniunt. Quod autem iſte idem *Evagrius* ſit ille, qui *Mediolani* multa adverſus paganum *Auxentium* egerat, & cujus *S. Hieronymus in Epiſt.* 7. ad *Innocentium* meminit certiſſimum eſt. Quo vero anno *Evagrius* in *Cappadociam* cum *S. Hieronymo* comparuerit? Ex ſcriptis præfati *S. Baſilii* colligi poteſt: in quibus antequam de *Evagrio* mentionem faceret, de infirmitate, in quam inciderat, *Epiſt. 8.* ita loquitur: *Quinquaginta diebus, quibus ægrotabam, diligenter mihi adſtabat amantiſſimus frater, & coadjutor meus Elpidius, nam febres me conſumebant, & præ inedia alimenti corpus meum macerimum tanquam ex charta lampadem circumdabant: ſat protractam infirmitatem pertuli &c.* Hæc, & plura ſimilia ſcribit *Baſilius* de infirmitate ſua, quæ ipſi evenerat Anno Chriſti 370. quo fuerat in Epiſcopum electus; poſt explicatas dein infirmitatis miſerias meminit quoque *S. Hieronymi*, & *Evagrii*, eosque in *Cappadociam* veniſſe, atque hinc in *Syriam* abiiſſe, ac tandem in Eremum receſſiſſe ſcribit. Non tamen (ut opinari licet) ante A. C. 371. cum ad hunc collimet etiam Epiſtola 4. ad *Ruffinum* ſcripta à *S. Hieronymo*, idque ipſum nos ſentire facit *Baronius ad A. C. eundem.*

IV. Poſtquam *Antiochiam S. Hieronymus* perveniſſet, ibidem agens cum *Evagrio* in villa *Maronia*, quæ (ut ipſe *Epiſt. 3. in vita S. Malchi* ſcribit) triginta ferme millibus paſſuum ab *Antiochia* orientem verſus diſtat, quæque poſt multos vel Dominos, vel Patronos ad *Evagrii* poſſeſſionem devoluta eſt, contraxit cum *S. Malcho* ſanctiſſimo Monacho (cujus poſtea, uti & plurium Anachoretarum, quibus eo tum *Syria* florebat, vitam conſcripſit) notitiam, quo cum frequentius colloquia ſpiritualia, ſermocinationesque de eligendo vitæ ſtatu inſtituere in amoribus habebat: quibus alte perpenſis, accenſus deſiderio conſectandæ vitæ monaſticæ, litteras ad pleroſque præclari nominis Anachoretas dedit, petens eorum precibus ſolvi à vinculis ſeculi. Inter hos maximæ famæ fuerat *Theodoſius*, ad quem pariter eodem in merito per litteras recurſum faciens, ſcripſit his verbis: *Quam vellem nunc veſtro intereſſe conventui, & admirandum conſortium, licet iſti oculi non merea ntur aſpicere, tota cum exultatione complecti. Spectarem deſertum omni amænius civitate; viderem deſolata ab accolis loca, quaſi ad quoddam paradiſi inſtar, ſanctorum cœtibus obſideri. Verum quia hoc mea faciunt delicta, ne conſortio beatorum inſeratur obſeſſum omni crimine caput, idcirco obſecro (quia vos impetrare poſſe non ambigo) ut me ex iſtius tenebris ſeculi veſtro liberetis oratu.* Et paulo poſt: *Nunc veſtrum eſt, ut voluntatem ſequatur effectus: meum eſt, ut velim: obſecrationum veſtrarum eſt, ut quod velim, & poſſim.* Ac tandem iterum in fine Epiſtolæ: *Supereſt, ut oratu veſtro ſancti Spiritus aura me provehat, & ad portum optatum optati litoris proſequatur.* De præmemorato *Theodoſio* Anachoreta *Baronius ad A. C.* 372. ſcribit: Quod ejus inſtantibus orationibus Sanctus *Hieronymus* auſteram Eremitici ſtatus vitam ardentiſſime ſuſceperit: illumque eundem eſſe, qui eo tum in iis regionibus ſanctitate cunctis prævaluit. Hujus laudabilia acta *Theodoretus lib. 9. cap. 10.* apud *Rosweidum* conſcripſit, qui eum

etiam *Antiochenum*, utpote ibidem natum, & educatum, nominat; & dicit: Quod Nautæ ad invocationem tantum ejus nominis procelloſas maris tempeſtates ſedaverint: ac tandem ipſum *Antiochiæ* etiam mortuum, & tanquam ſanctum virum celebri ſepultura honoratum fuiſſe tradit. Sed ad noſtrum *Hieronymum* redeamus.

V. Quod *Hieronymus* occaſione modernæ moræ ſuæ *Antiochiæ* habitæ Eremiticæ, & ſolitariæ vitæ cultores inviſerit, quamvis nullibi expreſſe notetur, id tamen ipſum præſtitiſſe ſuadent tum vicinia Deſertorum *Syriæ*, *Arabiæ*, *Calcidis*, & *Scetis*, tum ardentiſſimum, quo erga ſolitariam vitam æſtuare cœperat, deſiderium: atque hoc ipſemet innuere videtur in *Epiſt.* 40. ad præmemoratum *Theodoſium* Eremitam ſcripta, in qua hæc leguntur verba: *Et ante dixeram præſens, & nunc per litteras votum indicare non ceſſo.* Ubi illud: *Et ante dixeram præſens*, indicat *Hieronymum* cum aliquibus ad minus Anachoretis notitiam, & converſationem habuiſſe: ſed hoc de vicinioribus duntaxat intelligendum aliqui exiſtimarent, quod autem & ad remotiores extendi idipſum valeat, probari poteſt, & ipſiusmet Sancti *Hieronymi* ſcriptis, ſignanter dum de *S. Antonii* habitaculo in *Vita S. Hilarionis* ſic loquitur: *Saxeus, & ſublimis mons per mille circiter paſſus ad radices ſuas aquas exprimit, quarum alias arenæ bibunt; aliæ ad inferiora delapſæ paulatim rivum efficiunt: ſuper quem ex utraque ripa palmæ innumerabiles multum loco & amænitatis, & commodi tribuunt.* Deinde de ipſo *S. Hilarione* ſcribens, inquit: *Videres ſenem huc, atque illuc cum diſcipulis Beati Antonii Iſaac, & Peluſiano diſcurrere. Hic, ajebat: pſallere S. Antonius, hic orare, hic operari, hic feſſus reſidere ſolebat; has vites, has arbuſculas ipſe plantavit; illam areolam manibus ſuis ipſe compoſuit: hanc piſcinam ad irrigandum hortulum multo ſudore fabricatus eſt; iſtum ſarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit: jacebat in ſtrato ejus Hilarion, & quaſi calens adhuc cubile deoſculabatur.* Ex quibus colligitur *Hieronymum* oculatum fuiſſe habitaculi *S. Antonii*, & cum ipſomet *Hilarione* de *S. Antonio* ſermonem habuiſſe, conſequenter credendum eſt ipſum Sanctos hos quoque Eremi Patres in *Thebaide* viſitaſſe, & exinde forte amorem ſolitudinis concepiſſe. Hoc ipſum colligitur etiam ex *Brietio*, qui cum *Spondano ad A. C.* 372. ſcribit *S. Hilarionem* obiiſſe, vel, ut *Ribadeneira* notat A.C. 373. die 21. Octobris: Sanctum autem *Hieronymum* ſupra ex *Baronio* notavimus *Antiochiam* A. C. 371. perveniſſe, adeoque potuit *S. Hieronymus* intra hos duos quaſi annos prædictis Sanctis Eremitis ſuam præſtitiſſe viſitationem. Præterea ipſemet fatetur *S. Hieronymus* ſe de vita *S. Pauli primi Eremitæ* ab *Amatha*, & *Macario S. Antonii* Diſcipulis in *Thebaidis* ſolitudine informatum fuiſſe, adeoque & hoc medio probari poteſt *S. Hieronymum* cellulas, & turguriola Sanctorum Anachoretarum *Thebaidis* luſtraſſe.

VI. Medio tempore, quo *Antiochiæ* de deligendo vitæ ſtatu deliberabat *Hieronymus*, ne inutiliter dies terere videatur, docentem audivit in ſacris ſcripturis *Apollinarem Laodicenſem*, virum quidem eruditum, ſed hæreſi *Ariana* infectum, quia tamen antequam damnaretur cum ſuis erroribus, nequaquam vitabatur, atque ideo ſe eidem in diſcipulum tradiderat *Hieronymus*, ſed poſtquam ad A. C. 373. in *Synodo Romana* à *Damaſo* Papa *Apollinaris* cum univerſis ſuis erroneis ſententiis damnatus extitiſſet, *Hieronymus* quoque eum, licet Magiſtrum ſuum execratus eſt, ut ipſemet *Epiſtola* 65. ad *Pammachium* fatetur ſequentibus verbis: *Apollinarem Laodicenſem, Antiochiæ ſæpius au-*

Digitized by Google

diceram, qui quamvis me informaret in ſacris litteris, tamen apicem ipſius pertingere nolo. Et quia probabiliter advertebat ſanctus vir Magiſtrum hunc ſuum à doctrina veritatis deflectere, eum, antequam damnatus fuiſſet, deſeruit, atque omnibus carnis illecebris, & ſæculi vanitatibus, fluxisque mundi bonis, ac naturæ, fortunæque dotibus, quibus ad ſumma quæquæ eniti poterat, ſepoſitis, ac abdicatis; ut eo quietius ſoli DEO vacare poſſit, rerumque divinarum contemplationi intendere valeat, ſeceſſit in aſperam *Syriæ* ſolitudinem (quæ juxta *Syriam Saracenis* jungitur) tanquam unicum ſalutis omnium fidiſſimum portum, comitibus *Innocentio*, & *Hylla*, quibus poſtea acceſſit *Heliodorus*, ille idem, cui (ut *cap. præc.* inſinuavi) *Florentius Aquilejenſis* adjumento fuit, quòd iter orientem verſus peragrare quiverit.

CAPUT IV.

Sancti Hieronymi vita ſolitaria, & Lucta Spiritus adverſus carnem.

I. IN ſolitudine Syriæ *Hieronymus* cum prænominatis ſociis (*Boſoſus* namque jam receſſerat ab eo) conſtitutus, vitæ neceſſaria accipiebat ab *Evagrio* Pontifice, ſuo olim amiciſſimo itineris comite. De hoc eodem *Evagrio Baronius ad A. C. 372.* hoc modo ſcribit: *Hieronymus Evagrium nominat Pontificem, quia eo tum, dum hoc in ſuo ſenio ſcriberet actualis Epiſcopus Antiochiæ fuit.* Item idem *Baronius ad A. C. 389.* ſupra Ann. 11. *Theodoſii* Senioris tradit: Quod *Evagrius* Epiſcopus *Antiochenus* fuerit, atque ad confirmandam ſuam traditionem, in teſtimonium adducit Scripta *Theodoreti, lib. 5. cap. 23. Socratis, lib. 5. cap. 15. Sozomeni, lib. 7. cap. 15. & Epiſtolam 78. S. Ambroſii*, ultro quoque de eodem *Evagrio* fatus *Baronius* notat: Quod ad minimum pervenerit ad An. 14. Theodoſii Imp. idque deducit ex *Regeſtro* celebrium Eccleſiæ Scriptorum, nominatim autem ex *cap. ult. Regeſtri illius*, quem *S. Hieronymus* conſcripſit. Hic ergo *Evagrius Hieronymum*, & ſocios ſuos in ſolitudine degentes ſuis ſuſtentabat ſumptibus: cui etiam amanuenſes, hominesque doctos, & antiquitatum peritos, qui ſuis in ſtudiis eum adjuvarent, atque libros, prout ei opus erat, deſcriberent, intertenebat. Ejusdem quoque *Evagrii* operâ Epiſtolæ, quæ diverſis ex locis *Maroniam*, vel *Antiochiam* ad *Hieronymum* inviatæ afferebantur, eidem reddebantur, viciſſimque Reſponſoriæ *Hieronymi* ad alios expediebantur, taliterque correſpondentia plurium Illuſtrium, immo Illuſtriſſimorum virorum cum *S. Hieronymo* ſecuriſſima reddebatur. De hac ſua Poſtaria ſecuritate ipſum *Damaſum* Papam certiorem reddit *Epiſt. 25.* ſic ſcribens: *Et ne forte obſcuritas loci, in quo dego, te fallat, per bajulos litterarum ad Evagrium Presbyterum, quem optime noſti, dignare ſcripta transmittere.* Quibus innuere videtur, ſe hoc mediante litteras rite percepturum.

II. Locus Eremi, ſeu ſolitudinis fuit inter *Syros*, & *Saracenos*, ipſomet *Epiſt. 5.* ad *Florentium* atteſtante his verbis. *In ea parte eremi commoranti, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur dilectionis tuæ ſcripta perlata ſunt.* Item alio in loco: *Hic locus erat ſpelunca Provinciæ Calcedonenſis.* Poſita porro eſt hæc ſolitudo in *Calcide Syriæ*, ubi *Syri* ab *Agarenis* barbaris diſtermina-

ban-

Digitized by Google

bantur, quam præter ſparſos hinc inde monchorum greges, exceptis feris, ſerpentibus, & ſcorpionibus, incolebat nemo. Solitudinem, de qua hic agitur, ſi bevolo Lectori oculis mentis inſpicere lubet, adeat Tabulam Geographicam *Matthæi Seütter*, his verbis intitulatam: *Deſerta Ægypti, Thebaidis, Arabiæ, Syriæ, &c. Ubi accurate* (ſi ei fides adhibenda eſt) *adnotata ſunt loca per SS. Anachoretas inhabitata*; atque in hujus longitudine ſub *Lit. C.* latitudine vero ſub *Lit. G.* inveniet Deſertum *Calcidis* intra fluvios *Euphraten*, & *Orontam*, ab Urbe *Antiochia* 40. quaſi milliaribus ad occiduum ſolem diſtans, ſituatum, quod Sanctus noſter *Hieronymus* ſuis cum ſociis inhabitabat.

III. Eremum itaque hanc ingreſſus *Hieronymus*, illico bellum ſpirituale generoſiſſio animo eſt aggreſſus, orationi namque, & Librorum lectioni aſſidue vacans, naturæ ardorem, vitiorumque incentiva crebris frangebat jejuniis: nihilominus præter frequentes corporis infirmitates, acerrimas dæmonum infeſtationes, & ingentia prælia carnis ſuſtinere cogebatur: quæ quantumvis, uti dictum, precibus, & jejuniis, duriſſimisque corporis mortificationibus, ac jugi litterarum ſtudio frœnare, vincereque conſueverit; hæc tamen, utpote aſperrima certamina vir ſanctus ad Euſtochium *Epiſt.* 22. ſcribens, in hæc verba depinxit: *O quoties ego ipſe in Eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram; horrebant membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſit, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Illic igitur, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante Dominum ſuum jam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Jeſu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam. Non depudeſco infidelitatis meæ, quin potius plango me non eſſe quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebro junxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam, pertimeſcebam, & mihimet iratus, ac rigidus, ſolus deſerta penetrabam. Si ubi concava vallium, aſpera montium, rupium corrupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum.* Hactenus *Hieronymus*.

IV. Qui ſatis abundéque declarat, quantum cum ſua carne bellum habuerit, quamque rigidum ſuimetipſius corporis cenſorem egerit, quam duris illud modis domuerit ſcorpionum, & ferarum ſocius, ſacco veſtitus, humi cubans, aquam frigidam bibens, & cibis crudis utens, coctumque comedere luxuriæ deputans, carnis laſcivientis pugnas hebdomadarum inedia vincens; & tamen inter has tantas corporis fatigationes, & afflictiones adeo ſpiritu exultabat, ut diceret *Epiſt.* 13. ad *Ruſticum* Monach. ſcribens: *Oppidum mihi carcer, ſolitudo paradiſus eſt.* Sed quo etiam ſolatio, poſtquam victoriam de hoſte proprio reportâſſet, circumdatus extiterit, in eadem *Epiſt.* 22. ad *Euſtochium* exprimit his verbis: *O quoties me ſenſi in Eremo deſolatum, & afflictum! non ceſſabat planctus ab oculis meis, vociferabam die, ac nocte, & petra percutiebam pectus meum. Sed quid? Ut ipſe teſtis mihi eſt Dominus,*

poſt multas lacrymas, poſt cœlo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Poſt te in odorem unguentorum tuorum currimus. Meruit ſanctus hic vir ſuæ continuæ contemplationis ſtudio hanc ſpiritualis conſolationis ineffabilem haurire dulcedinem. Atque ideo contemplationis exercitia virginibus DEO dicatis enixe commendabat, dum Librum *de Virginitate* ſcripſit, ajens: *Experto itaque ſeni devote conſulenti credite filiæ: ſi ſemel guſtaſtis quam dulcis eſt Dominus, ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum; poteritis ab eo illud audire: Venite, & oſtendam vobis omne bonum. Et tunc oſtendet vobis talia, qualia nonniſi mentes aſſuetæ norunt. Scio quid loquor chariſſimæ: nam & meam inſipientiam loquor. Ego homunſculus, ſic abjectus, ſic vilis in domo Domini, adhuc vivens in corpore Angelorum choris interfui, de corporeis per hebdomadas ſuſtentationibus, & nutrimentis nihil ſentiens Divinæ viſionis intuitu. Poſt multorum forte dierum ſpatia præſcius futurorum redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid innumerabilis delectationis ſentiebam? teſtis eſt ipſa Trinitas, quam cernebam, neſcio: teſtes ſunt & ipſi beati ſpiritus, qui aderant; teſtis eſt conſcientia mea, quia tantis bonis fruebar, quot, & qualia neſcit proferre mollicies corporis mei.* Denique pro doctrina cujuslibet ſubjungit dicens: *Non poteſt ad tantæ contemplationis dulcedinem cor ſæcularibus plenum negotiis aſpirare, ſed oportet, ut ſæculo moriatur, ut ſoli Deo per tantas meditationes, & deſideria ſuperius inhæreat. Unde granum frumenti cadens in terram, niſi mortuum fuerit, ſemper ſic ſolum manet, ut cecidit, quod ſi moritur, fructum plurimum affert.*

V. Ne tamen ſibi uni in vaſta illa Eremo videretur *Hieronymus*, ſic mores aptavit ſuos, ut tamen ingenium ſuum, Eccleſiæ Doctor eximius aliquando futurus, excoleret. Hinc Vir quidem, ſed Juvenis adhuc quasdam *Origenis* Homilias, quas ille ad populum habere ſolebat, in *Latinum* idioma ex *Græco* transferebat. Credibile quoque eſt; quod hujus ſolitudinis occaſione idem ſanctus vir ſcripſerit vitam ſui, & omnium Eremitarum Anteſignani *S. Pauli primi Eremitæ.* Teſtatur etenim ipſemet *Lib.* de viris illuſtrib. *cap.* 135. his verbis: *Scripſi vitam ſancti Pauli monachi.* Meminitque hujus ſæpius in diverſis ſuorum Scriptorum locis. Præprimis in *Chronico ad An.* 19. *Conſtantii Imp. junioris.* ſequentibus; *Antonius monachus centeſimo quinto ætatis anno in eremo moritur, ſolitus multis ad ſe venientibus, de Paulo quodam Thebæo, miræ beatitudinis viro, referre quamplura: cujus etiam nos exitum brevi libello explicavimus.* Item *Epiſt.* 8. ad *Paulum Concordien.* ut *cap.* 2. inſinuatum eſt, his verbis: *Miſimus interim te tibi, id eſt: Paulo ſeni, Paulum ſeniorem, in quo propter ſimpliciores quosque multum in dejiciendo ſermone laboravimus.* Præterea *Epiſt.* 22. ad *Euſtochium*, dum in eadem vitæ ſolitariæ, ſeu eremiticæ ſtatum dilaudat, adjungit hæc verba: *Hujus vitæ author Paulus, illuſtrator Antonius.* Item ad eandem *Epiſt.* 27. referens *Paulam Matronam Romanam* in eremum ſeceſſiſſe, dicit: *Paula ſola ſic dici poteſt, & incomitata ad eremum Antoniorum, & Paulorum pergere geſtiebat.* Ad finem porro vitæ memorati *S. Pauli pr. Eremitæ* ſubjungit ſequentia: *Obſecro, quicunque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui ſi Deus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quam Regum purpuram cum Regnis ſuis.* Quod autem *S. Hieronymus* de vita *S. Pauli pr. Erem.* (*Thebæi* ex eo dicti, quod in urbe *Thebaidis* natus fuerit, atque *Thebaidis* deſerta incoluerit) ab *Amatha*, & *Macario S. Antonii* Ab. diſcipulis (qui eidem in ſolitudinem

Syriæ

Syriæ advenienti, ſeque ibidem ut Eremicolam ſtabilienti ſæpe ſæpius enarrabant: *Paulum* quendam *Thebæum* Principem iſtius rei, id eſt: Vitæ Eremiticæ fuiſſe) edoctus fuerit, colligitur ex ipſo *Prologo S. Hieronymi* in vitam *S. Pauli pr. Er.* dum de utroque paulo ante memorato *S. Antonii* diſcipulo ſic ait: *Etiam nunc affirmant.* Conſequenter concludendum quoque venit, quod *S. Hieronymus* occaſione hujus ſolitudinis *Syriacæ* vitam *S. Pauli pr. Erem.* conſcripſerit, & vulgaverit: hoc namque verba illa de *Amatha*, & *Macario* notata: *Etiam nunc affirmant*, ſufficienter probare dignoſcuntur.

VI. De hac à *S. Hieronymo* conſcripta vita, *Baronius ad A. C.* 344. ſic diſſerit: *Cujus quidem vitæ hiſtoriæ Divina providentia bene conſultum voluit, ut à S. Hieronymo ſcriberetur, viro ab omni fabularum commento longiſſime abhorrente, & qui non ſibi exploratiſſima ſtylo ſuo perpetuæ memoriæ potuerit conſecraſſe: cum præſertim ſui ſæculi res geſtas conſcribens, à quovis prudente mendacii redargui valuiſſet, atque à quolibet è vulgo homine pariter derideri, & qui ſciret ſe adverſarios emunctæ naris habere, quamlibet, leviſſimam licet, occaſionem captantes ipſius ſcripta carpendi.* Perſpectum namque ſibi habebat *Baronius* vir ſicut eminentiſſimus, ita eruditiſſimus, qualiter Scripta *S. Hieronymi*, quantumvis per tot ſæcula ſibi ſuccedentia aſſidua lectione probatiſſima, ſemperque in æſtimatiſſima veneratione habita, à pluribus *Novatoribus* irrideantur, atque vilipendantur. Contra quorum ineptias, & calumnias orituras, quaſi in ſpiritu prævidiſſet ipſe *Hieronymus* in *Præfatione* vitæ *S. Hilarionis* ſequentem pro ſe adducit defenſionem. *Maledicorum voces contemnimus, qui olim detrahentes Paulo meo, forſitan detrahent & Hilarioni: illum ſolitudinis calumniati, huic objicientes frequentiam. ut, qui ſemper latuit, non fuiſſet, qui à multis viſus eſt, vili æſtimetur. Fecerunt hoc & majores eorum quondam Phariſæi, quibus nec Joannis eremus, ac jejunium; neque Domini Salvatoris turbæ, cibi, potusque placuerunt. Verum deſtinato operi imponam manum, & Scyllæos canes obturata aure tranſibo.* Eapropter *Gelaſius* hujus nominis Papæ I. Vitam *S. Pauli pr. Erem.* ab *Hieronymo* conſcriptam cum omni honore ſuſcepit, eamque in Concilio 70. Epiſcoporum A. C. 494. *Romæ* celebrato inter alias Sanctorum vitas præ cunctis approbavit, dum de Libris Canonicis egiſſet, inter quos de vita *S. Pauli prim. Erem.* ſequens placitum, quod habetur in Decreto *Gratiani Diſt. 15. cap. Sancta Romana Eccleſia* inſeri curavit hujus tenoris: *Vitas Patrum Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen Beatus vir ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcipimus.* Hinc univerſa Eccleſia *Græca*, & *Latina* hiſtoriam iſtam, utpote canonicam eſt amplexata, *Paulumque primum Eremitam* recognoſcens venerata, hodieque colit, & veneratur, ut patet ex *Antologio, Mœnais*, & minori *Mœnologio*: prouti etiam & vetuſtiſſimo *Martyrologio Romano*, & *Germanico-Colonienſi*, nec non *Bedæ, Rabani, Maurolyci.* Item ex antiquo Regni *Hungariæ*, ac Ordinis *S. Pauli primi Eremitæ Breviario*, uti & *Eboracenſi, Mediolanenſi, Zagrabienſi*, atque *Romano*. Sed ad *Hieronymum* noſtrum, à quo tantiſper digreſſi ſumus, regrediamur. Hic præter memoratam *S. Pauli prim. Erem.* vitam, conſcripſit etiam, probabiliter hujuſce ſolitudinis occaſione vitas SS. Eremitarum *Hilarionis*, & *Malchi* monachi fugitivi, cujus *cap. præc.* memineram, in cujus hiſtoria ea recenſuit, quæ ab ipſomet acceperat, ut erudiret homines religioſos, quam ſit periculoſus amor inordinatus erga parentes, & cognatos, qui quandoque titulo, & colore pietatis reli-

Digitized by Google

religioſos reddunt inquietos, eosque è cœnobiis extrahunt, quemadmodum in dicto *Malcho* videre, & experiri licet.

CAPUT V.

Sancti Hieronymi Sociorum amiſſio, & de his, aliisque ſolicitudo.

I. HUnc tam præclaræ ſpei, & Sanctitatis Adoleſcentem, novumque inexpertum eremicolam humani generis hoſtis, qui eum multis ex cauſis jam reformidare cœperat, & à quo ſibi ingens exitium imminere præſagiebat, variis, ac gravioribus tentationum generibus eſt aggreſſus. Et imprimis quidem omnes Sodales, quos ſecum *Hieronymus* eam in eremum adduxerat, ſuſtulit. *Heliodorus* namque, mutato propoſito, ad patriam, veluti ſorori viduæ, ac nepoti ex ea parvulo *Nepotiano* proſpecturus remeavit. Hunc intimum ſuum amicum, conatus eſt Sanctus vir propoſiti ſocium retinere, verum cum præſentem nequiverit, abſentem per *Epiſtolam 6.* plenam lacrymis, quærimoniiſque, ut quæ deſerti contubernalis monſtraret affectum, revocare contendit, multis ad ſolitariam vitam hortando argumentis, & ea, quæ in contrarium adduci poterant, non minus facunde, quam felici ingenio late, copioſeque refellendo. Quam Epiſtolam hoc epilogo, quaſi celeusmate concludit: *O deſertum Chriſti floribus vernans! O ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi civitas magni Regis extruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in ſæculo, qui major eſt mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu formoſarum urbium carcer includit? Crede mihi, neſcio quid plus lucis aſpicio. Libet, ſarcina corporis abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem. Paupertatem times? ſed beatos pauperes Chriſtus appellat. Labore terreris? at nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa jejuniis membra collidere? ſed Dominus tecum jacet. Squalidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed tu paradiſum mente deambula: quotieſcunque illuc mente conſcenderis, toties in eremo non eris. Scabra ſine balneis attrahitur cutis? ſed qui in Chriſto ſemel totus eſt, non illi neceſſe eſt iterum ſe lavare. Et ut ad cuncta audias Apoſtolum breviter reſpondentem: Non ſunt (inquit) condignæ paſſiones hujus ſæculi ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto.* Ita ſanctus vir *Hieronymus* non ſolum ſuam, ſed & proximi ſui curare ſatagebat ſalutem. Nam & *Ruſticum*, quem prius per *Epiſtolam 10.* quod promiſſam cum uxore *Artemia* continentiam fregiſſet, ad pœnitentiam, &, ut Conjugis exemplo ſancta inviſat loca, hortatus fuerat, nunc vero jam profeſſione monachum per aliam *Epiſtolam 13.* inſtruit, qualiter vitam monacho dignam inſtituere debeat, & quanto tutius ſit in monaſterio cum aliis, quam in ſolitudine illam traducere, nihil tamen per hoc ſolitudinis laudi detrahens, imo de ſe ipſo loquens eam eximiè commendat, dum in *eadem Epiſt.* dicit: *Viderint quid alii ſentiant, unusquiſque enim ſuo ſenſu ducitur: mihi oppidum carcer, ſolitudo paradiſus eſt.* Plures ſimiles ejuſdem *S. Hieronymi* extant Epiſtolæ, in quibus fati ſancti viri cura de proximi ſalute luculenter compro-

Digitized by Google

probatur, quas hic adferre longum foret, tædiumque Lectori fortè parerent, ideo ad alia deſcendimus. Occaſione tamen præmiſſæ *S. Hieronymi Epiſt.* 13. ad *Ruſticum* ſcriptæ notandum cenſui opinionem *Petri Caniſii*, quam huic Epiſtolæ pro Argumento præmittit, inquiens: *Ex hac autem Epiſtola luce clarius omnes dicere poſſunt, cœnobitarum vitam, & profeſſionem vetuſtiſſimo, ſacroque inſtituto; non diabolico invento, ſicut blaſphemant hæretici, in Eccleſia, qualis hodie eſt, introductam.*

II. Alii porro ſocii *Innocentius*, & paulo poſt *Hyllas*, *Hieronymo* jam ſecundum annum in ſolitudine agente, vitæ munere functi ſunt. *Bonoſus* etiam, quo cum æducatus, & à pueritia honeſtis, ac liberalibus ſæculi artibus eruditus, quique in *Galliarum* peregrinatione ſocius illi fuerat, prius adhuc ab eo recedens aliam ſolitudinem, in quadam Inſula *Dalmatico* pelago circumdata, petiit, cui aſperæ cautes, & nuda ſaxa, ac ipſum deſertum terrori eſſent: Et quamvis juvenis eſſet apprime dives, ac nobilis, contempta matre, ſororibus, & chariſſimo ſibi germano fratre, cum unico tantum ſocio *Oneſimo*, in ea orationibus, ac jejuniis vacans manebat, vitamque eremiticam in patrio ſolo (ut pie ominandum eſt) propagabat. Eo tum namque in *Dalmatia* fuiſſe Eremitas, teſtatur *S. Hieronymus Epiſt.* 22. ad *Heliodorum*, qua eum ob mortem nepotis ſui *Nepotiani* triſtem conſolatur: in qua de eodem *Nepotiano*, & *Dalmatica* eremo ſic habet: *Cumque arderet (Nepotianus) quotidie, aut ad Ægypti monaſteria pergere, aut Meſopotamiæ inviſere choros, vel inſularum Dalmatiæ, quæ Altino tantum freto diſtant, ſolitudines occupare, ſed Avunculum Pontificem deſerere non audebat.* Item Epiſt. in *vet. cod.* 118. ad *Julianum*, qua eum conſolatur de filiis & uxore defunctis, eumque ad contemptum mundi exhortans, dicit: *Multus à te per inſulas Dalmatiæ Sanctorum numerus ſuſtentatur; ſed melius faceres, ſi & ipſe Sanctus inter Sanctos viveres.*

III. Sed & ipſius eremitici ſtatus *Bonoſi* meminit *S. Hieronymus* in *Epiſt.* 37. quæ eſt Reſponſoria ad *Chromatium*, *Jovinianum*, & *Euſebium Aquilejenſes* Presbyteros, atque, ut Epiſtola eadem ſonat, omnes etiam *Stridonenſes*, in qua eoſdem reſalutat, ac de *Bonoſo*, eum dilaudans, ſic diſſerit: *Bonoſus, ut ſcribitis, quaſi filius piſcis, aquoſa petit; nos priſtina contagione ſordentes, quaſi reguli, & ſcorpiones arentia quæque ſectamur. Ille jam calcat ſuper colubri caput; nos ſerpenti terram ex Divina ſententia comedenti adhuc cibus ſumus. Ille jam poteſt ſummum graduum pſalmum ſcandere; nobis adhuc in primo aſcenſu fluentibus, neſcio, an dicere aliquando contingat? Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Ille inter minaces ſæculi fluctus in tuto inſula, hoc eſt: Eccleſiæ gremio ſedens, ad exemplum Joannis, librum forte jam devorat; ego in ſcelerum meorum ſepulchro jacens, & peccatorum vinculis colligatus, Dominicum de Evangelio expecto ſermonem: Hieronyme veni foras! Bonoſus, inquam, quia ſecundum Prophetam: Omnis diaboli virtus in lumbis eſt, trans Euphratem tulit lumbare ſuum, ubi illud in foramine petræ abſcondens, & poſtea ſciſſum reperiens cecinit: Domine tu poſſediſti renes meos: dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Hic ſufficienter indicat Sanctus *Hieronymus* ſtatum *Bonoſi* eremiticum, ſed clarius in *Epiſt.* 11. qua *Ruffinum Aquilejenſem*, quem in *Ægyptum* conceſſiſſe audierat, ut ad ſe in *Syriam* veniat, invitat; aſſerens ſe, uno *Evagrio* excepto, ab omnibus derelictum eſſe, ubi de *Bonoſo* ſequentia ſcribit: *Ecce puer honeſtis ſæculi nobiſcum artibus inſtructus, cui opes affatim, dignitas apprime inter æquales erat, contempta matre, ſororibus, & chariſſimo ſibi germano, inſulam pelago circum-*

ſonante naufragam, cui aſperæ cautes, & nuda ſaxa, & ſolitudo terrori eſt, quaſi quidam novus paradiſi colonus inſedit.

IV. Cum ergo Conſodales ſibi intima amicitia junctos amiſiſſet *Hieronymus*, ſuam tamen ſervare voluit tutam conſcientiam: hinc cum nonnullum ſcrupulum forte ſenſiſſet de diſſidiis in patria cum Matertera *Caſtorina* habitis, hoc ſe extricare volens dedit ad eandem *Epiſtolam 39.* qua ad pacem, & concordiam ipſam adhortabatur, quam ſic incipit: *Joannes idem Apoſtolus, & Evangeliſta in Epiſtola ſua ait: Quicumque odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et recte; cum enim homicidium ex odio ſæpe naſcatur, quicunque odit, etiam ſi necdum gladio percuſſerit, animo tamen homicida eſt. Cur, ais, tale principium? ſcilicet ut veteri rancore depoſito mundum pectoris Deo paremus habitaculum. Iraſcimini, inquit David, & nolite peccare. Hoc, quid vult intelligi? Apoſtolus plenius interpretatur: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Et poſt plura ſancta inimicitiæ deponendæ documenta eandem Epiſtolam ſic concludit. *Precor itaque, quod & ante annum prioribus litteris rogaveram, ut pacem, quam nobis reliquit Dominus habeamus, & meum deſiderium, & tuam mentem Chriſtus intueatur. In brevi ante tribunal ejus reconciliata, ſeu ſciſſa concordia aut præmium recuperabit, aut pœnam. Quod ſi tu, quod procul abſit, nolueris, ego liber ero: Epiſtola me hæc mea, cum lecta fuerit, abſolvet.* Ex hac Epiſtola colligitur, prius etiam ſuæ Matertere *Hieronymum* ſcripſiſſe, ſed vix reſponſum obtinuiſſe, an autem ad hanc receperit? non conſtat.

V. Reſpondit quoque ex hac ſolitudine ad Litteras *Juliani* Diaconi *Stridonenſis Epiſtola* 2. excuſans ſe quod is ſuas litteras non receperit, atque promittens ſe ita ipſum faſcibus obruturum litterarum, ut è contrario rogare incipiat, ne ſcribat. Deinde gaudet ſe certiorem redditum de ſtatu ſuæ ſororis, his verbis: *Sororem meam, filiam in Chriſto tuam gaudeo, te primum nuntiante, in eo permanere, quod cœperat* (continentiæ ſcilicet propoſito) *hic enim ubi nunc ſum, non ſolum quid agatur in patria, ſed an ipſa patria perſtet? ignoro.* Concludit ex poſt de ſorore ſolicitus Epiſtolam ſequentibus; *Quapropter quæſo, ut Apoſtolici memor præcepti, quo docet, opus noſtrum permanere debere, & tibi à Domino præmium in illius ſalute pares, & me de communi in Chriſto gloria crebris reddas ſermonibus lætiorem.* Non contentus hac ſpiritualis *Hieronymi* erga ſororem ſuam amor recommendatione, aliam quoque adjunxit ad *Chromatium, Jovinianum,* & *Euſebium Aquilejenſes Epiſt.* 27. in qua his quoque iterat ſuæ ſororis recommendationem, inquiens: *Soror mea Sancti Juliani in Chriſto fructus eſt. Ille plantavit, vos rigate: Dominus incrementum dabit. Hanc mihi Jeſus pro meo vulnere, quod diabolus inflixerat, præſtitit, vivam reddendo pro mortua. Huic ego, ut ait gentilis Poëta: omnia etiam tuta timeo. Scitis ipſi lubricum adoleſcentiæ iter, in quo & ego lapſus ſum, & vos non ſine timore tranſiſtis. Hoc illa nunc maxime ingrediens, omnium eſt fulcienda præceptis, omnium eſt ſuſtentanda ſolatiis, id eſt crebris veſtræ Sanctitudinis Epiſtolis roboranda. Et quia charitas omnia ſuſtinet, obſecro, ut etiam à Papa Valeriano ad eam confortandam litteras exigatis. Noſtis puellares animos his rebus plerumque ſolidari, ſi ſe intelligant curæ eſſe majoribus. In mea enim patria, ruſticitatis vernacula, Deus venter eſt, & in diem vivitur: & ſanctior eſt ille, qui ditior eſt. Valerianus,* cujus *S. Hieronymus* in hac Epiſtola more ſibi ſæpius uſitato ut *Papæ* mentionem facit, fuit *Epiſcopus Aquilejenſis.* Quantumvis ergo *Hieronymus* ab univerſis derelictus fuerit ſociis, is tamen firmus in propoſito ſuo perſeverans, omneſque dæmo-

nis

Digitized by Google

nis inſultus, & machinamenta ſpernens, Eremum, quam intraverat, incoluit, ſpem ſuam totam in Domino reponendo, in qua non ſolum ſuam, ſed & proximorum ſalutem, ut vidimus, curare ſatagebat.

VI. Mox ſub initum Eremiticæ vitæ *S. Hieronymi*, *Ruffinus* Presbyter *Aquilejenſis* (cujus mentionem *cap.* 2. habui) *Romanam* inviſit urbem, devotionis probabiliter cauſa circa A. C. 372. (ut *Spondanus* notat) quem magni nominis virum *Gennadius* Lib. de *Viris Illuſtrib.* ſic deſcribit: *Rufinus Aquilejenſis Presbyter non minima pars Eccleſiæ Doctorum, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit; denique maximam partem Græcorum Bibliothecam habuit.* Poſt hæc enumerat Opera ab eodem ex *Græco* in *Latinum* traducta, & ab ipſomet compillata. Hic itaque *Romam* veniens, poſtquam cum illuſtrioribus *Romanæ* Urbis viris notitiam, & amicitiam contraxiſſet, inſinuavit ſe quoque apud nobiliſſimam *Romanarum* mulierum Matronam, nomine *Melaniam*, ſicut virtutibus, ita divitiis inclytam. Hæc *Marcellini* Conſulis, ſive filia (ut *S. Hieron.* & *Pallad.* in Chron.) ſive Neptis (ut *Rufinus* exprimit) in teneris adhuc annis nuptias paſſa, & brevi Mater, præter alias orbitates fætuum abortivorum, duobus filiis, & marito intra anni tempus ſiccis oculis (ut *S. Hieron. Epiſt.* 25. ſcribit) ſepultis, & unico tantum parvulo ſibi relicto, peregrinationem *Hieroſolymitanam* ſuſcepit, atteſtante *S. Hieron. Epiſt.* 5. ad *Florentium*, & *Epiſt.* 41. ad *Rufinum*, aſſumptoque ſibi in ſocium itineris *Rufino*, in *Ægyptum* primo divertit, ibidemque octo menſium (ut *Rosweidus* vitæ Patrum *lib.* 2. in *Notis ad peregrinationem Melaniæ* tradit) traxit: Ex *Ægypto* vero *Hieroſolymam*, remanente, juxta *Rosweid. loc. cit.* in *Ægypto Rufino*, ſe conferens, Monaſterium erexit, in eoque cum quinquaginta Sororibus Virginibus ad quinque luſtra, vel amplius permanſit, infinitaque pietatis, & charitatis officia exercuit. Hujus tamen bonæ Matronæ in *Ægypto* commoratio, prouti, & *Rufini* remanſio in *Ægypto* magnum plane utrique attulit detrimentum. Siquidem cum *Dydymo Alexandrino*, oculis quidem cæco, ſed intellectu perſpicaciſſime vidente, intimam conſuetudinem habentes, propinante illo ipſis ſitientibus, quem mirifice prædicabat Origenem ſuum, hauſerunt iſti una cum dulci potu venenum, quod quidem *Melania* Matrona *Hieroſolymas* veniens fovebat tantiſper ſub cineribus, & *Rufinus* poſt quinquennium aſſociatus iterum *Hieroſolymis Melaniæ* ſuſcitans, una cum *Melania* maximus fautor, protectorque *Origeniſtarum* effectus eſt, ut ſuo loco patebit.

VII. *Rufinus*, dum *Romæ* moratus fuiſſet, *Hieronymo* noſtro pro tunc ſingulari amicitia, quam *Aquilejæ* ad invicem contraxerant, junctus, reſciens eum in Deſerto *Syriæ* conſediſſe, ſcripſit ipſi plenas humanitatis litteras, poſtulans ſibi ab eo interpretari hiſtoriam ſuper jurgio duarum mulierum meretricum, *Salomonis* judicio ſapienter extricato. Quod Sanctus Vir ſicut libentiſſime, ita promptiſſime in omni humilitate, amicaque humanitate præſtitit: memoratamque hiſtoriam pro *Eccleſia* ex *Gentibus*, & *Synagoga Judæorum* congregata ſapientiſſime expoſuit, eidemque *Rufino* tranſmiſit, ut videre eſt in *Epiſt.* 9. ad *Rufinum*. Cum vero *S. Hieronymo* innotuiſſet *Melaniam* cum *Rufino* peregrinationem *Ægyptiacam* ſuſcepiſſe, præmemoratum Amicum ſuum *Rufinum* per *Epiſt.* 11. ad *Ruf.* humaniſſime, ut ad ſe in *Syriam* veniat, invitabat, aſſerens ſe, uno *Evagrio* excepto, ab omnibus ſuis derelictum eſſe, *Innocentio* ſcilicet, *Hylaque* defunctis, *Bonoſo* vero in Inſulam quandam *Dalma-*

matiæ, pœnitentiæ peragendæ cauſa, recedente. Præterea, dum iterum intellexiſſet *Hieronymus* ex *Ægypto* rediiſſe *Melaniam*, exiſtimans *Rufinum* etiam cum eadem veniſſe, mox *Hieroſolymam* ad *Florentium* ibidem degentem (nam & hic *Aquileja* devotionis cauſa Sanctam Urbem inviſerat) expedivit *Epiſtolam* 4. ad *Florent.* laudans eum, quod multorum pauperum neceſſitatibus ſubvenerit. Et quia huic Epiſtolæ alteram, quæ erat ad *Rufinum* junxerat, *Rufini* etiam laudes (ignorans probabiliter eum *Origenianæ* doctrinæ virus hauſiſſe) admiſcet his verbis: *Et quia Frater Rufinus, qui cum S. Melania ab Ægypto Hieroſolymam veniſſe narratur, individua mihi germanitatis charitate connexus eſt: quæſo ut Epiſtolam meam, huic Epiſtolæ tuæ copulatam, ei reddere non graveris. Noli nos ejus æſtimari virtutibus; in eo conſpicies expreſſa ſanctitatis veſtigia, & ego cinis, & viliſſima pars luti, & jam favilla, tum verior, ſatis habeo, ſi ſplendorem morum illius, imbecillitas oculorum meorum ferre ſuſtineat. Ille modo ſe lavit, & mundus eſt, & tanquam nix dealbatus; ego cunctis peccatorum ſordibus inquinatus diebus, ac noctibus opperior cum tremore noviſſimum quadrantem.* Ecce quanti *Rufinum* fecit *Hieronymus*! Aliam quoque ad præfatum *Florentium* dedit *Epiſt.* 5. reſponſoriam, excuſans ſe, quod *Hieroſolymas* ad videndum eum proficiſci nequeat, petensque ne naſcentes inter ſe amicitias, quæ Chriſti glutino cohæſerunt, aut temporis, aut locorum magnitudo divellat, quin potius fœderet eas reciprocis Epiſtolis. Deinde de *Rufino* ſequentia ponit: *Rufinus autem Frater, ut ſcribis, necdum venit, & ſi venerit, non multum proderit deſiderio meo, cum eum jam viſurus non ſim: ita enim & ille longo intervallo ſeparatus eſt, ut huc non poſſit excurrere, & ego arreptæ ſolitudinis terminis arceor, ut cœperit jam mihi non licere, quod volui.* Ex eadem Epiſtola colligitur, quam ingens ſtudium in antiquorum Patrum Scriptis perquirendis habuerit *S. Hieronymus*: dum eundem *Florentium* requirit, quatenus inſtaret, apud *Rufinum* dum *Hieroſolymas* venerit, ut eidem Beati *Rhetitii* Epiſcopi *Auguſtodunenſis* Commentarios in *Cantica Canticorum*: Interpretationem quoque *Pſalmorum Davidicorum*: & librum de *Synodis S. Hilarii*, & alios, quos ſe non habere edocuerit, ad deſcribendum largiatur: appromittens viciſſim de ſua Bibliotheca ſe eidem præſto futurum, dummodo jubeat, quam juſſionem nullatenus ſibi gravem futuram ſignificans his verbis: *Habeo* (inquit) *Alumnos, qui antiquariæ arti ſerviunt.*

CAPUT VI.

Sancti Hieronymi in ſolitudine Hebræi idiomatis ſtudium, Divinarum Litterarum lectio, atque cum Hæreticis concertatio.

I. NOn precibus tantum, & pœnitentiæ operibus ſeſe ad præliandum contra dæmonem (ut *præc. cap.* dictum eſt) armavit *Hieronymus*, verum & Divinarum rerum lectione, atque ſtudio Litterarum, quibus noctes, dieſque inſumebat, ne fortè deprehenſus à *Zabulo* otioſus, faciliori methodo ſuperaretur. Ut itaque is potius vinceret tentatorem, quatenusque divinas Litteras melius intelligeret, applicuit ſeſe primo condiſcendo *Hebraico* idiomati, quo Teſtamentum vetus conſcriptum fuerat. Quam ob rem cujusdam monachi, qui ex *Judæo* Chriſtianus

Digitized by Google

nus effectus fuerat, diſciplinæ ſe concredidit, uſque dum hujus opera præattactum idioma comprehendit quidem, ſed cum ingenti difficultate, ut ipſemet *Epiſt.13.* ad *Ruſticum* fatetur in hæc verba: *Dum eſſem juvenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent, incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram, quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat, ad quam edomandam Fratri, qui ex hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi; ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii alphabetum diſcerem, & ſtridentia, exhalantiaque verba meditabar. Quid ibi laboris inſumpſerim? quid ſuſtinuerim difficultatis? quoties deſperaverim? quotieſque ceſſaverim, & contentione diſcendi rurſus incœperim? teſtis eſt conſcientia mea, qui paſſus ſum, quàm eorum, qui mecum duxerunt vitam: & gratias ago Domino, quòd de amaro ſemine, dulces fructus carpo.* Hucuſque S. Doctor. Cui lingua *hebraica* operoſa valde cura, & ſollicitudine fluctuante percepta ad nectareos delibandos è ſacris Codicibus fructus plurimum facilitatis, & utilitatis protulit.

II. Aſt omnium ærumnarum, quas *Hieronymus* in ſolitudine *Syriæ* ſuſtinuit, illa maxima ei viſa eſt, graviſſimamque exiſtimavit, quam ei pariter non alter, niſi genius inflixit infernalis. Videns namque ſe nullo molimine Adoleſcentis pium animum dimovere ab arrepto propoſito poſſe, nihilque ſe carnis tentationibus proficere, ad ſecretiores artes, quibus fortiores fidelium animos quatere, ac decipere ſolet, atque ad malitiæ commenta confugit, ut quem aperta fronte, veluti manifeſtus hoſtis ſuperare nequiret, occulte, tamquam amicus, inſidians labefactaret, ac caperet. Primo namque incitavit adverſus eum *Campenſes*, & *Tarſenſes Apollinaris* ſectatores *Semiariana* hæreſi infectos, qui fidem ejus impeterent, & vel uno, vel altero modo vinctum juvenem ad ſe pertraherent. Videbant enim eum Adoleſcentem eſſe maximæ ſpei, quique doctrina, & ſanctitate *Græcos* omnes, qui eas, & remotiores etiam oras incolebant, jam ſuperaret; inſtant igitur apud eum: *An tres, vel unam potius confiteatur Hypoſtaſin?* Cautus hac in quæſtione *Hieronymus* eſſe volens, non modicas in reſolvendo ſe ad dandum reſponſum nectebat moras, uſque dum videlicet accuratius, quidnam reſpondendum foret? perpenderet. Sed cum inſtanter urgeretur, ut reſponderet, iis repoſuit: *Se fundatum eſſe in ea petra, adverſus quam portas inferi non prævalituras Chriſtus promiſerat: ſeque id credere, quod Romana credit Eccleſia, in qua baptizatus fuerat, atque ſe in ea, qua natus eſt, ſet fide mori velle conſtanter aſſeverabat.* Illi vero hoc reſponſo non contenti, ut eruditiſſimum juvenem ſuas in partes pertraherent, dicebant: *Seſe cum Romana pariter ſentire Eccleſia*, ut dicteriorum horum voce allectus ad priora quæſita de *Hipoſtaſi* celerius reſponderet. Quare iterum interrogatus: *An tres vel unam confiteretur Hypoſtaſin?* Sed quemadmodum hi ſubdole circumveniebant *Hieronymum*, ita is prudenter, & Chriſtiane reſpondit: *Si Hypoſtaſis nomine Uſiam: ſin vero Perſonam intelligant, tres confiteri Hypoſtaſes.* Reſponſum autem iſtud *Cornel. à Lap.* Comment. *in Epiſt. ad Hebr. cap. 1. v. 3.* ſic intelligendum eſſe docet: „Subſtantia græce *Poſaſis*, „*Poſaſis* autem inquit *S. Hieron. Epiſt.* „*ad Damaſ.* idem eſt quod *Huſia*, id „eſt: *Eſſentia*, & *Subſtantia*: & ſic „*Hieronymus* in Deo agnoſcit unam „*Hypoſtaſin* ſicut & unam *Eſſentiam*, „nec audet dicere in Deo eſſe tres „*Hypoſtaſes*, ne videatur dicere in „Deo eſſe tres *Subſtantias.*„ Sed neque hoc *Catholico* plane reſponſo contenti *hæretici*, ipſum *Hypoſtaſis* nomen efflagitant, ut ſimpliciter *Unamne, an tres Hypoſtaſes in Divina credat eſſe natura?* reſpondeat.

III. Quia vero eo tum univerſa Eccleſia, & Provincia *Antiochena* in trifariam diviſa fuerat, ita, ut una pars *Paulinum*, altera *Meletium*, utrumque Catholicum Epiſcopum ſequeretur, tertia vero *Apollinaris* hæreſi inquinata pro ſuo Paſtore, & Præſule *Vitalem* agnoſcebat. Quælibet pars factionum harum ad ſeſe rapere *Hieronymum* nitebatur, rata cum tantæ doctrinæ, & ſanctitatis viro, ad quamcunque partem inclinaret, plurimum authoritatis ſibi conciliaturam. Sed & hac occaſione Sanctus vir moras nectere cœpit, & cum, cui parti faveret, clare, diſſerteque edicere nollet, cœpit iisdem, uti & his, quibuscum converſabatur ſuſpectus eſſe, *hæreticusque*, & *anathema* proclamari. Verum ille latentes in omnibus his ſuſpicatus dolos, ut his labyrinthis, ac tricis ſe extricaret, ut proceloſas has undas, fluctusque enavigaret, ad Sancti Petri Cathedram, tanquam ſecuriſſimum portum, confugit; dans hujus ſui refugii rationem in *Epiſt.* 24. ad *Damaſum* ſcripta, his verbis: *Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam: inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, unde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* Scripſit itaque geminas ac admirandas ad *Damaſum*, qui tunc Eccleſiæ Romano-Catholicæ ut ſupremum caput, præerat, Epiſtolas, quibus explicuit ſuas difficultates, petiitque ſibi ſignificari, quid credere debeat? & qualiter venenum in ly *Hypoſtaſis* lateat, docuit. Quo autem animo in Sedem Apoſtolicam Sanctus hic vir ferebatur, in eadem *Epiſt.* 24. ad Damaſum, ſed magis *Comment. in Matth. cap.* 16. exprimit, dum dicit: *Cum enim nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt: Cathedræ Petri, communione conſocior; ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam tuam ſcio, quicunque extra hanc Domum Agnum comederit profanus eſt: ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio; quicunque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt: Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Atque ideo *Hieronymus* ad Summum Pontificem, quem tanti æſtimabat, recurſum faciens, ſupplicuit, conſilium ſibi dari, qualiter ſibi in materia adeo delicata, myſteriisque plena cum hæreticis loquendum eſſet? & ſimul imperari, cuinam parti ſe ex tribus ſupra relatis factionibus conjungere? & an *Paulino*, an *Meletio*, vel *Vitali* communicare debeat? Quoad primum punctum in *Epiſt.* 25. ad *Damaſum* in fine ſic loquitur: *Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi ſalutem, per Homouſion Trinitatem, ut mihi Epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum Hypoſtaſeon detur authoritas.* Et paulo poſt de altero puncto ſubjungit: *Simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, ſignifices: quia Campenſes, cum Tharſenſibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quam ut authoritate communionis veſtræ fulti tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent.* Sed cum longiori tempore nullum ad hæc à *Damaſo* Papa reſponſum obtinuiſſet *Hieronymus*, ab hæreticis autem in dies magis, & magis urgeretur in utroque puncto pro ultima reſolutione, & ſimul enormiter dicteriis inhumanis, atque contumelioſis vexaretur, iterum *Epiſt.* 26. ad Eundem pro reſponſione inſtat, ſuamque inſtantiam in fine Epiſtolæ his verbis exprimit: *Ego igitur, ante ut ſcripſi, Chriſti veſtem in urbe Romana ſuſcipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuiſſe ſententiam, quid mererer, ipſe conſtitui. Verum, ut ait gentilis Poëta: Cœlum, non animum mutat, qui trans mare currit. Ita me inceſſabilis inimicus poſt tergum ſecutus eſt, ut majora in ſolitudine bella nunc patiar. Hinc enim præſidiis fulta mundi, Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia, ad ſe rapere me feſtinat: monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit authoritas. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ*

Petri

Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt: poſſem credere, ſi hoc unus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Ideirco obteſtor Beatitudinem tuam per Crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per Paſſionem Chriſti, ut qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito. Ita in ſolio cum duodecim judicaturus ſedeas, ita te alius ſenem cum Petro cingat, ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt. An *S. Damaſus* Papa *S. Hieronymo* ad ſuas reſponderit Epiſtolas? non conſtat, cum nullibi ſimiles reperiantur. Quia tamen idem Sanctus Papa *Paulino* magis, ex eo, quod ſanioris conſilii fuerit, faviſſe legitur apud *Spondanum ad A. C. 378.* qui de hoc ſic loquitur: „*Cui quidem* (Paulino) & *Damaſum* Romanum Pontificem, *S. Athanaſii* cum eodem communione inductum, fuiſſe Formatarum communicatione junctum, certum redditur ex litteris „*S. Baſilii* ad *Terentium apud Baſil. in ult. edit. ante canon. Epiſt.* Imo & „eundem tantæ apud *Damaſum* fuiſſe „æſtimationis, ut qui ad Eccleſiam „*Antiochiæ* recipiendi eſſent, ipſe ejusdem *Paulini* arbitrio crederet: ſatis „probat *Epiſt. Tom. 1. Conc.* ipſius *Damaſi* ad eundem *Paulinum* de *Vitale* „ſcripta. „ Credibile igitur eſt, quod *Damaſus* Sanctum quoque *Hieronymum* ſive per litteras, ſive per nuntium juſſerit, ut *Paulino* communicaret, hoc ipſum namque vel ex eo etiam colligere licet: quod *S. Hieronymus* ſucceſſu temporis (ut infra exponetur) *Paulini* precibus, actionibus, & manu in Presbyterum ſe conſecrari paſſus fuerit, quod certe non feciſſet, niſi *S. Damaſus Paulini* merita, & doctrinam ſaniorem præ reliquis, eamque ſequendam eſſe, judicaſſet.

VI. Interea temporis in eremo ſua degens *Hieronymus*, cœpit ingenii ſui vela pandere, ingenteſque ſapientiæ ſuæ theſauros in lucem proferre, atque ſuis ſcriptis Orbem Chriſtianum illuſtrare. Interpretatus eſt namque *Abdiam* Prophetam, ut ipſemet fatetur *in Præfat. in Eund.* Hæc tamen Commentaria poſtmodum emendavit, quod cenſeret eſſe partus adhuc immaturos, juveniliſque nimium ingenii, quos cum intellexiſſet per *Italiam* circumferri, erubuit, hos etenim exiſtimabat oblivione eſſe deletos: annos namque natus 30. illos in ſolitudine *Calcidis* ſcripſit, & poſt alios 30. annos nempe anno ætatis ſuæ 60. correxit, ut ex ſcriptis ipſiuſmet ſatis elicitur, licet ſæpe ipſe in iiſdem, dum de prioribus illis temporibus mentionem facit, Adoleſcentem ſe, vel etiam infantem dicat, ut legere eſt in *Præfatione* ad poſteriorem interpretationem, ubi ſic loquitur: *Infans adhuc eram, necdum ſcribere noveram, titubabat manus, tremebant articuli. Nunc ut nihil aliud perfecerim, ſaltem Socraticum illud habeo: Scio, quod neſcio.* Et mox: *Libere profiteor & illud fuiſſe puerilis ingenii, & hoc maturæ ſenectutis.* Si etenim prioris expoſitionis in locutione quis Tropos conſideraverit, interdum eum & figuris, prouti & attenuatione, ac quandoque amplificatione uſum fuiſſe, adimadvertet, conſequenter ipſum in mille errores labi potuiſſe judicabit. Commentarium porro hoc, id eſt: primum ſecundo, aut tertio ſuæ ſolitudinis Anno ſe ſcripſiſſe ipſemet *Epiſt.* ad *Rufinum* ſignificat, dum ait id contigiſſe, antequam *Heliodorus* ab eo recederet, quem liquet ex ſupradictis *cap. 5.* ad *Hieronymum* in eremum conceſſiſſe, ſed neque diu in ea commoratum fuiſſe.

V. Præter interpretationem *Abdiæ* Prophetæ, *Lactantii* quoque Libros

Digitized by Google

deſcripſit, eosque Pontifici *Damaſo*, an cum Epiſtola, vel abſque ea? non conſtat, miſit, qui libri occaſionem præbuerunt & Pontifici, & *Hieronymo* frequentiorem habendi correſpondentiam, ut infra patebit. De *Lactantio* S. *Hieronymus Epiſt.* 1. ad *Magnum* Oratorem *Romanum* hæc ſcribit: *Septem Libros adverſus Gentes Arnobius, totidemque diſcipulus ejus Lactantius, qui de ira quoque & opificio Dei duo volumina condidit: quos ſi legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis epitomen reperies.* De eodem *Lanctantio* deque ejusdem libris *Bellarminus* de Scriptorib. Eccl. in Bibliotheca Patrum *Tom.* 3. *pag.* 206. hæc notat: „Lactantius Firmianus, Arnobii Auditor, floruit ſub Diocletiano, & „ad Principatum *Conſtantini* Magni „in ſenectute pervenit, teſte *S. Hieron.* in Libro *de Scriptorib. Eccl.* ubi „multa ejus opera recenſet, quæ „non extant: quæ autem extant, „hæc ſunt: *Divinarum inſtitutionum* „*lib.* 7. *de ira Dei*, 1. *de opificio Dei*, 1. „*Epitome in libros ſuos. Carmen, de* „*Phœnice. Aliud, de Paſſione Domini.* „*Tertium, de Reſurrectione ejusdem*, & „*de Paſchate.*„ Non tamen omnia opera *Lactantii* approbata ſunt, ſiquidem *Gelaſius* Papa in *Concilio Romano* gravi, maturoque judicio cenſuerit ea pro *Apocryphis* pronuntiare. Inſunt namque operibus ejus multiplices errores, & ſententiæ à puritate orthodoxæ doctrinæ diſcrepantes. Quod perpendens bene S. Hieronymus de *Lactantii* Libris *Epiſt.* 14. ad *Paulinum*, inquit: *Lactantius quaſi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* Et *Comment.* in Epiſt. ad Gal. *cap.* 4. ait: *Multi per imperitiam Scripturarum (quod & Firmianus in octavo ad Demetrianum Epiſtolarum libro facit) aſſerunt Spiritum Sanctum ſæpe Patrem, ſæpe Filium nominari.* Rurſum in *Apologia* ad *Pammachium*, & *Oceanum*, adverſus *Rufinum*, qui *Hieronymum* redarguebat, quod *Lactantii* operum lectione ſe diſtraheret, inquit: *Lactantius in libris ſuis, & maxime in Epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat ſubſtantiam, & errore judaico dicit: Eum ad Patrem referri, vel ad Filium, & ad Sanctificationem utriusque Perſonæ ſub ejus nomine demonſtrari. Quis mihi interdicere poteſt? ne legam ejus Inſtitutionum libros, quibus contra Gentes ſcripſit fortiſſime; quia ſuperior ſententia deteſtanda eſt.* Ex quo S. Hieronymi textu colligitur: Non omnia *Lactantii* opera, ſed aliqua tantum fuiſſe erronea, atque à fide orthodoxa diſcrepantia.

VI. Hæc itaque opera, an univerſa, vel aliqua tantum? non conſtat, *Hieronymus* miſit *S. Damaſo* Papæ: qua occaſione S. Pontifex ſcripſit *Hieronymo Epiſtolam* 27. quæ ſic incipit: *Dormientem te, & longo jam tempore legentem potius, quam ſcribentem, quæſtiunculis ad te miſſis excitare diſpoſui, non quod legere non debeas, hoc enim veluti quotidiano cibo aliter, & pingueſcit oratio: ſed quod lectionis ſit fructus iſte, ſi ſcribas.* Deinde poſt paucum ſubjungit: *Neque vero ullam puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quam ſi de Scripturis ſermocinemur inter nos, id eſt: ut ego interrogem, tu reſpondeas. Qua vita nihil puta in hac luce jucundius, quo animæ pabulo omnia mella ſuperantur.* Circa medium autem Epiſtolæ deſcendens ad miſſos ſibi *Lactantii* libros, de his ſic diſſerit: *Fateor quippe tibi eos, quos mihi Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego, quia & plurimæ Epiſtolæ in eis usque ad mille ſpatia verſuum tenduntur, & raro de noſtro dogmate diſputant: quo fit, ut & legenti faſtidium generet longitudo, & ſi quæ brevia ſunt, Scholaſticis magis ſint apta, quam nobis, de metris, & regionum ſitu, & Philoſophis diſputantibus.* Ac tandem ex *Libro Geneſis* quinque Quæſtiunculas Divo *Hieronymo* diſcutiendas proponit, ajens: *Accingere igitur,*

Digitized by Google

tur, & inibi, quæ ſubjecta ſunt ediſſere, ſervans utrobique moderamen, ut nec propoſita ſolutionem deſiderent, nec Epiſtola brevitatem. Percepta hac Epiſtola *Hieronymus* ſuo ſupremo capiti obtemperantiſſimus, confeſtim accito Notario, ad propoſitas Quæſtiones per capita diſtinctiſſime, ſimul & ordinatiſſime ad contentum Proponentis reſpondit, easque, quæ vel inter ſe contrariæ videbantur conciliavit, vel, quæ dubiæ erant enucleavit. Quod cum ſumme Summo placuiſſet Pontifici, deinceps etiam is, quamvis eſſet Papa, ſupremusque totius Eccleſiæ Catholicæ Magiſter, vir Sanctiſſimus, juxtaque ſapientiſſimus, & grandævus, non dedignabatur ſcribere ad *Hieronymum* tunc juvenem, eumque de dubiis, & difficilioribus Sacræ Scripturæ locis conſulere, & quidem tanta cum animi ſubmiſſione, tantaque *Hieronymi* æſtimatione, ut non verecundaretur dicere (prout ex *ſupra citata Epiſt.* 27 inſinuavi) *ut ego interrogem, tu reſpondeas.* Ex quibus verbis liquet, quanti *Damaſus* æſtimaverit *Hieronymi* virtutes, & doctrinam.

VII. Quantumvis autem ſub decurſum ſolitudinis hujus ſibimetipſi *Hieronymus*, ne otio torperet, diaboloque pulvinar per hoc ſubſterneret, aſſiduos præſcripſiſſet labores, & ſimul manu quotidie, ac proprio ſudore (ut *Epiſt.* 55. ad *Marcum* Presbyterum *Celedenſem* teſtatur) quæſiiſſet cibum, ſciens ab *Apoſtolo Act. cap.* 20. *v.* 34. ſcriptum eſſe: *Qui autem non operatur, non manducet.* Attamen iterum tam à Stygio veteratore, quam ab hæreticis plurimis inquietabatur modis. Tanta namque ab his, prouti & à Monachis *Meletianis* ingeſta fuit ei moleſtia, quod quo ſe vertere deberet, ignoraret. Dum etenim ſæpe ſæpius nunc iſti, nunc illi ipſum quid crederet? ſciſcitarentur, eumque hæreticum appellarent, *Sabellianumque* nominarent, ac de eo in vulgus calumnias mendaciſſimas ſpargerent, Virgines in Aſceterio montis *Hermon* degentes, aliique, alias eidem familiares, ab eo cœperunt abhorrere. Alii autem ſub Catholicæ fidei nomine, quamvis *Schiſmatici* eſſent, illum adeo, nonniſi dæmone inſtigante, acriter perſequebantur, omnique inhumanitatis genere afficiebant tam diu, usque dum ipſum ex eremo tandem diſcedere coegerint. Explicat hæc univerſa ipſemet *Epiſt.* 55. ad *Marcum* Presbyterum *Celedenſem*, in qua inter cætera ait:

Quod genus hoc hominum, quæve hunc
tam barbara morem,
Permittit patria? hoſpitio prohibemur
arenæ:
Bella cient, primaque vetant conſiſtere
terrâ. &c.

Quæ idcirco de gentili Poëta ſumpſimus, ut qui Chriſti pacem non ſervant, pacem ſaltem diſcant ab Ethnico. Hæreticus vocor, Homouſion prædicans Trinitatem: Sabellianæ impietatis arguor, tres ſubſiſtentes veras, integras, perfectaque Perſonas indefeſſa voce pronuntians: Si ab Arianis, merito: ſi ab Orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, orthodoxi eſſe deſierunt: aut, ſi eis placet hæreticum me cum occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt: cum Damaſo, Petroque condemnent. Et paulo infra: *Hæc Venerabilis, & Sancte Pater cum quali gemitu, cum quali dolore conſcripſerim, teſtis eſt Jeſus. Tacui, nunquid ſemper tacebo? dicit Dominus. Non mihi conceditur unus angulus eremi: quotidie expoſcor fidem, quaſi ſine fide renatus ſim. Confiteor, ut volunt, non placet: ſubſcribo, non credunt. Unum tantum placet, ut hinc recedam. Jamjam cedo: abruperunt partem à me animæ meæ, chariſſimos fratres, qui diſceſſerunt, melius eſſe, dicentes, inter feras habitare, quam cum talibus Chriſtianis: & ego ipſe, niſi me & corporis imbecillitas, & hyemis reti-neret aſperitas, jam modo fugerem. Verum-*

Digitized by Google

rumtamen dum vernum tempus adveniat, obſecro ut paucis mihi menſibus eremi concedatur hoſpitium: aut, ſi hoc tardum videtur, abſcedo. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Aſcendant ſoli cœlum; propter illos tantum Chriſtus mortuus eſt, habeant, poſſideant, glorientur. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo. Dixi ſupra: *Ad Marcum Presbyterum Celedenſem*, ita namque habet *Petrus Caniſius*, quamvis in vetuſto Codice Epiſtolarum *S. Hieronymi* legatur *Calcidenſem. Hieronymus* etenim inhabitabat, ut *cap. 4.* inſinuatum eſt Eremum *Calcedonenſem* in *Syria*, & non *Celedenſem*, ſeu *Calcidenſem*: ita habet *Baronius ad A. C. 378.* Quamvis alii libri nominent etiam *Celedenſem* Eremum, in eaque habitaſſe refertur *Annianus Celedenſis* Pſeudo-Diaconus: diſtincta igitur videtur à *Calcedonenſi*, cujus incola fuit noſter *Hieronymus*.

CAPUT VII.

Sancti Hieronymi Peregrinatio Hieroſolymitana, & in Exſtaſi vapulatio.

I. Cum quatuor, ut *Ribadeneira* refert, annis in præmemorata *Syriæ* ſolitudine incolatum tenuiſſet *Hieronymus*, ſimulque vitam rigidiſſimam duxiſſet, tamque duris à Domino rudimentis in lucta carnis, ac Spiritus exercitatus fuiſſet, glorioſam quoque ab hoſte Stygio victoriam retuliſſet, prodiit Eremo angariatus quidem ab hæreticis, ſed diſponente magis conſilio Dei, ut ſub modii anguſtia lucerna latens, ſuper candelabrum in Eccleſiæ amplitudine collocata longe, lateque ſplendoris ſui radiis effulgeret. Antequam autem alio progrederetur, voluit primo, Spiritu Sancto probabiliter ducente, humanæ ſalutis pia loca *Hieroſolymitana* inviſere, ut, & loca illa noſtri Servatoris veſtigiis conſecrata veneraretur, & ſe magis in *Hebræa* lingua perficeret. Veniens igitur *Hieroſolymam Hieronymus*, poſt viſitata, ac devotiſſimo cultu honorata ſacra loca, Monaſterio cuidam ſe incluſit, atque in eo *Hebræi* idiomatis Magiſtro uſus eſt Judæo, cui nomen erat *Barabanus*, vel, ut aliqui volunt, *Barinina*, qui timens alios *Judæos* noctu Monaſterium, in quo *S. Hieronymus* degebat, ingrediebatur, Sanctumque virum in mentionata *Hebræa* lingua fideliter, & ſolerter inſtruebat, iſque pro ſui laboris prœmio liberali didactro à *S. Hieronymo* honorabatur. *Cornel. à Lap.* Comment. in *Gen. cap. 11. v. 7.* dicit *Hebraicam* linguam, ab *Heber* filio *Sale*, qui fuit *Cainan*, qui fuit *Arphaxad*, qui fuit *Sem*, qui fuit *Noë*, ſic dictam, eſſe omnino matricem qua omnes homines ante Diluvium, & poſt Diluvium, usque ad confuſionem linguarum in ædificio turris *Babel* à Deo mirabiliter inſtitutam, utebantur; poſt confuſionem autem idiomatum, hoc in unica familia *Heberi* perſeveraſſe, atque in omnes ejus poſteros *Hebræos*, *Iſraëlitas*, & *Judæos* transfuſam extitiſſe. Verum quemadmodum ex aliis matricibus linguis variæ aliæ tanquam filiæ generatæ fuere, ita & ex *hebræa* progenitæ ſunt *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, *Samaritana*, & *Ægyptiaca*, è quibus principaliores fuere, *Hebraica*, utpote Matrix, deinde *Chaldaica*, & *Syriaca*: quibus etiam Sacri Codices conſcripti fuiſſe dicuntur, apud *Hebræos* videlicet idiomate *Hebraico*, apud *Chaldæos*, *Chaldaico*,

co, apud *Syros*, *Syriaco*. Ut igitur *S. Hieronymus*, Sacros Codices his tribus linguis conſcriptos facilius intelligeret, in omnibus quoque tribus his linguis ſe inſtrui volebat, prouti & inſtruebatur, ut ipſemet *Epiſt.* 58. juxta *Vetuſt. Cod.* ad *Damaſum* Papam aſſerit, dicens: *Eſt vir quidam, à quo ego plura me dediciſſe gaudeo: & qui hebræum ſermonem ita eliminaverit, ut inter ſcribas eorum Chaldæus æſtimetur.*

II. Sanctum porro *Hieronymum* occaſione ſui ex *Syriaca* Eremo receſſus *Hieroſolymam* petiiſſe, antequam *Romam* veniret ad *Damaſum*, ex ipſiusmet poſtea aſſertione probatur, dum ait ſe *Româ* recedentem poſt obitum *Damaſi*, poſtliminio reverſum *Hieroſolymam*. Scribit namque *Epiſt.* 45. ad *Aſellam* dum *Romam* relinquens navim pro diſceſſu paratam conſcendit, hæc verba: *Ora autem, ut de Babylone Hieroſolymam regrediar.* Ubi ly *regrediar* ſupponit prius etiam *Hieroſolymis Hieronymum* extitiſſe. Clarius hoc exprimit *Epiſt.* in *vetuſt. Cod.* 47. ad *Paulinum*, dum dicit: *Cum in Babylone* (*Romæ*) *verſarer, & purpuratæ meretricis eſſem colonus, & jure Quiritum viverem, volui aliquid garrire de Spiritu Sancto, & cœptum opuſculum ejusdem Urbis Pontifici dedicare.* Et poſt explicatas injurias, quas *Romæ* pati cogebatur, ſubjungit: *Illico ego velut poſtliminio Hieroſolymam ſum reverſus.* Ergo *Hieronymus* antecedenter etiam *Solymis* fuiſſe concluditur. Ubi eo tum manentem Sanctum virum *Damaſus* crebris Divinæ Scripturæ Quæſtionibus pulſavit, ut plures ejus ad ipſum *Hieronymum* datæ Epiſtolæ docent, in *Vetuſto* Epiſtolarum *Hieronymi volumine* reperibiles. Et quidem præter illas quinque Quæſtiones ex Libro *Geneſis*, quarum *cap. præc.* memini, petiit ſibi *Damaſus* ab *Hieronymo* reſolvi, & explicari Viſionem *Iſaiæ*, qui viderat Dominum ſuper ſolium excelſum: An hoc de Deo Patre, vel vero de Deo Filio intelligendum veniat. Item: De *Seraphin*, & calculo; de quo habetur in capite 6. *Iſaiæ*. De filio prodigo, de *Hoſanna* ſanctificante, & pluribus ſimilibus. Petiit quoque eundem, ut *Pſalterium Davidicum* ſecundum LXX. Interpretum editionem in *Latinum* transferat idioma, & ſi quid in eo emendandum foret, corrigat. Quemadmodum autem Sanctus vir ad omnes Quæſtiones accuratiſſime Pontifici *Damaſo* reſpondendo ſatisfecit, ita & *Pſalterium* pro deſiderio ejusdem Papæ *Latinizatum*, & emendatum *Romam* transmiſit, cum *Epiſt.* ut in *vetuſt. Cod.* notatur 41. ad eundem *Damaſum* ſcripta, ſequentis tenoris: *Legi litteras Apoſtolatus veſtri poſcentes, ut ſecundum ſimplicitatem LXX. Interpretum canens Pſalmographum interpretari feſtinem propter faſtidium Romanorum, ut ubi obſcuritas impedit, apertius & Latine trahatur ſenſus. Precatur ergo cliens tuus, ut vox iſta Pſallentium in Sede Romana die, noctuque canatur; & ut in fine cujuslibet Pſalmi, ſive matutinis horis, ſive veſpertinis conjungi præcipiat Apoſtolatus tui ordo: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. * Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula, ſæculorum, Amen. Iſtud carmen omni Pſalmo conjungi præcipias, ut fides 318. Epiſcoporum Nicæni Concilii etiam Veſtri oris conſortio declaretur.* Ex hac Epiſtola clarum fit, jam à *Concilio Nicæno*, vel etiam prius, ut *Spondanus ad A.C.* 325. inſinuat, quasdam Eccleſias in more habuiſſe, ut ſupradictus *Glorificationis* Verſus poſt *Pſalmos* concinatur, quia tamen mos iſte necdum in *Romana* Eccleſia introductus fuiſſet, *S. Hieronymus* inſtitit apud *S. Damaſum*, ut eundem Glorificationis Verſum in Eccleſia quoque *Romana* decantari, ut ſupradictum eſt, poſt quemlibet Pſalmum ſtatuat.

III. Verum enim vero, quantumvis *S. Hieronymus* quodam inſatiabili ſciendi deſiderio teneretur, ſitique my-

Digitized by Google

myſteriorum Divinorum *Sacro Codici* incluſorum torreretur, non tamen ei deerant impedimenta, difficultatésque, quas in hoc ſacro ſtudio ſuperandas non habuiſſet. Cum etenim ſummopere addictus fuiſſet *Eloquentiæ*, nitorique verborum, neque in *Sacris ſcripturis* ſimilem dictionis elegantiam, reperiſſet; ſubinde *Prophetarum* quempiam in manus ſumebat, moxque abjiciebat offenſus dictionis humilitate, quâ *Spiritus ſanctus* ad confundendos ſuperbos, erudiendosque modeſto ſtylo *Divinos Libros* conſcriptos habere voluit. Quia vero Deus *Hieronymum* elegiſſet pro interprete *Divinorum Codicum*, ſeverius eum punivit, quòd eos negligentius, quam *Ciceronem* legerit. Qualiter porro punitio hæc acciderit, operæ pretium erit ipſius ſancti viri verbis referre, qui hac de re *Epiſt.* 67. in *Vetuſto Cod.* ad *Euſtochium*, quæ incipit: *Audi filia*, ſic poſt medium ejusdem ſcribit.

IV. *Referam tibi meæ hiſtoriam infelicitatis: Cum ante annos plurimos domo, parentibus, ſorore, cognatis &c. & quod his difficilius eſt, conſuetudine lautioris cibi propter Regnum cœlorum me caſtraſſem, & Hieroſolymam militaturus pergerem; Bibliothecâ, quam mihi Romæ ſummo ſtudio, ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miſer ego lecturus Tullium jejunabam, poſt noctium crebras vigilias, poſt lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. Si quando in memet reverſus Prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus. Et quia lumen cœcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam, ſed Solis. Dum ita me antiquus ſerpens illuderet, in media Quadrageſima medulis infuſa febris corpus invaſit exhauſtum, & ſine ulla requie (quod dictu etiam incredibile ſit) ſic infelicia membra depaſta eſt, ut oſſibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto jam frigeſcente corpore, in ſolo tantum tepente pectuſculo palpitabat: cum ſubito raptus in ſpiritu, ante Tribunal judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi: & ille, qui præſidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus, ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cœdi me juſſerat) conſcientiæ igne magis torquebar, illum meum verſiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? clamare autem cœpi, & ejulans dicere: Miſerere mei Domine, miſerere mei; hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad Præſidentis genua provoluti, qui adſtiterant, precabantur, ut veniam tribueret adoleſcenti, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus dein cruciatum, ſi Gentilium libros aliquando legiſſem. Ego, qui in tanto conſtrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, & nomen ejus obteſtans, dicere: Domine! ſi unquam habuero codices, ſæculares, ſi legero, fidem negavi. In hæc ſacramenti verba dimiſſus revertor ad Superos: & mirantibus cunctis oculos aperio tanto lacrymarum imbre perfuſos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui, teſtis judicium triſte, quod timui. Ita mihi nunquam contingat incidere in talem quæſtionem, liventes habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum.* Tanto deinde ſtudioſe legiſſe Divina, ipſemet *citata Epiſt.* fatetur, quanto antea mortalia non legerat. Atque ideo latentium ſub velamento myſteriorum dulcore plenius hauſto exclamavit, ut in *Ead. Epiſt.* legitur: *Quæ pars fideli, cum infideli? quæ communicatio luci ad tenebras? quis conſenſus Chriſto cum Belial? quid facit cum Pſalterio Horatius? cum Evangelio Maro? cum Apoſtolo Cicero?* Ac tandem hanc ſuæ ſeriæ vapulationis confeſſionem concludens,

in-

Digitized by Google

inquit: *Eadem ſentire, ſi quem non movet admonentis autboritas, moveant ſaltem patientis flagella, quæ ille expertus, cum & vibices in corpore apparent, & diſcedente ſomno dolor non diſcederet, intellexit non ſoporis fuiſſe, ſed punitionis.*

V. De hujus Hieronymianæ caſtigationis veritate dubitari nequit, niſi quis præſumptuoſus ſanctum virum falſitatis inſimulare vellet: attamen inventi fuere quidam loquaculi, pluſque ex cerebro, quam ratione differentes, ſéque *Ciceronianos* jactitantes, & relationem hanc punitionis riſui exponentes, dictitantéſque: non fuiſſe cauſam cædendi *S. Hieronymum*, quod fuiſſet *Ciceronianus*, ſiquidem ipſum in ſtylo non ſit ſecutus: non conſiderantes autem eum non vapulâſſe, quod habuerit *Stylum Ciceronianum*, ſed propter affectum ad ipſum, cujus lectioni nimium fuiſſet addictus, ipſumque legendo occupatus, lectionem *Divinorum Codicum* omitteret, quos Deus ab ipſo legi volebat: quodque magis mortua *Tullii* verba deperiret, magiſque oblectaretur fucatæ dictionis vanitate, quam viva Divinarum ſententiarum veritate. Neque perpendentes eſſe *Ciceronianum* non ex eo tantum modo quòd quis dictione *Ciceronis* utatur, quam quod in rerum gravitate, verborumque emphaſi, diſpoſitione, & ordine *Ciceronem* imitetur in eo, quod quis ſcribat ad docendum, delectandum, & perſvadendum. Quo in genere adeo *S. Hieronymus* excelluit, ut nulli Scriptorum ſecundus eſſe videretur. Quis enim Oratorum inter *Græcos*, & *Latinos* reperitur: qui clarius doceat, ſuavius oblectet, efficacius moveat? Quis invenitur: qui ſincerius laudet, vehementius reſpondeat, ferventius exhortetur? qui ſic res augeat, minuatve, quas vel attollere vult, vel deprimere intendit? Quis Doctorum Eccleſiæ res ſacras tanta majeſtate tractat, res faciles tanta doctrina comit, res ſcabras tanta facundia exaggerat, res obſcuras tanta luce colluſtrat? qui divinas, humanáſque ſcientias adeo commode adhibet? qui religionis Catholicæ ſacra myſteria naturalius exhibet, ut *Hieronymus?* In eo namque eſt ſummum *Rhetorem* eſſe, in eo *Ciceronem*, & *Tullium* imitari; in quo *Hieronymus* utpote ſummus, & perfectiſſimus Orator eminuit, & ob quod *Romanæ facundiæ Princeps* audiit. Omnes enim ſcientiæ humanæ ſunt tanquam *famulæ*, quæ debent ancillari *Dominæ*, *Reginæque* ſuæ, ſacræ nimirum *Theologiæ*; & *Ægyptiorum theſauri* ſerviant opportet *populo Dei*.

CAPUT VIII.

Sancti Hieronymi Peregrinatio Conſtantinopolitana, Sacerdotium, & Divinarum Litterarum ſtudium.

I. UT ergo *S. Hieronymus* tanto rigore ſenſit ſe cogi ad convertenda *Ciceronis*, humanarumque ſcientiarum ſtudia in *Divina*, ſepoſitis omnibus, à quibus impediri poterat, totus cœleſti incubuit ſapientiæ, nervóſque omnes diu, noctuque ad *ſacras Litteras* intelligendas intendit. Hinc ſibi quoque conquiſivit viros undequaque illuſtriſſimos, à quibus harum cognitione litterarum quàm diligentiſſime imbueretur, neque, ut ſui compos efficeretur voti, ulli labori, ſumptuique pepercit, neque ulla viarum, vel itinerum diſcrimina refugit. Eapropter movens *Hieroſolymis* iter ſuum *Conſtantinopolim* verſus, ubi viros in

Digitized by Google

omni ſcientiarum genere illuſtres habitare noverat, dilexit: ac *Antiochiam* divertens, adhæſit ex tribus illis, qui tunc illam Eccleſiam divexabant, Epiſcopis *Paulino*, quod ita à *Damaſo* Papa, ad quem de ſciſſione horum Epiſcoporum ſcripſerat, juſſus fuerat. Neque tamen ibi conſiſtens monachi, aut ſolitarii nomen amiſit: nam eſto loca vel diſcendi, vel ſilentio, aut quieti vacandi cauſa ſæpius mutaret, ipſum tamen monachi animum nunquam innovavit, verum litteris, & precibus ſemper intentus, familiares hominum congreſſus, quoad fieri potuit, continuò devitavit.

II. *Antiochia* ſimiliter modeſtiſſime, & ſimul ſanctiſſime ad ingens cunctorum exemplum viventem, *Paulinus* Epiſcopus, perſpecta triginta plus, minus annorum vitæ ſanctimonia, & præclariſſima eruditione hodie, cras toti Eccleſiæ utiliſſima futura, ad Presbyteri dignitatem eum, licet invitum, evexit; ſuſcepit quidem vir ſanctus ſacrum hunc Ordinem in omni humilitate, ea tamen conditione, ut nulli adſtrictus eſſet Eccleſiæ; quippe, qui ſic conſentiret in ſui clerizationem, ut tamen nollet deſerere *monachiſmum*, ſed pro animi arbitrio liber, quo vellet, pergeret: neque ullo modo adduci potuit, ut ad ſerviendum alicui Eccleſiæ alligaretur, quatenus eò liberius, commodiusque ſua peccata deflere, atque *Divinarum ſcientiarum* ſtudio incumbere valeat. Id ipſemet teſtatus eſt *Epiſt.* in *Vetuſto Codico* 22. ad *Pammachium* contra *Joannem* Epiſcopum *Hieroſolymitanum* (qui eum Eccleſiæ ſuæ ſubjicere tentabat, *Paulinianumque* ejus Fratrem ab *Epiphanio* illegitime ordinatum contendebat) ſcribens: *Fac à te ordinatum* (*Paulinianum*) *idem ab eo audies, quod à me miſello homine ſanctæ memoriæ Epiſcopus Paulinus audivit: Num rogavi te, ut ordinarer? Si ſic Presbyteratum tribuis: ut monachatum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Si autem ſub nomine Presbyterii tollis id, propter quod ſæculum dereliqui, ego habeo, quod ſemper habui, nullumque tu diſpendium in ordinatione paſſus es.* Ex quibus *Hieronymi* verbis colligitur, eum non multum curaſſe exercitium ſacri Ordinis *Presbyteratûs*, reſervato ſibi jure *monachatûs*, cum aliunde nunquam ab eo impetrari poterat, ut ex poſt in Monaſterio, inter monachos conſtitutus publice *Sacerdotii* officio fungeretur: atteſtante *Epiphanio Epiſt.* ad *Joannem* Epiſcopum *Hieroſolymitanum*, in vetuſto Cod. Epiſtolarum *Hieronymiarum* 21. ubi agit de cauſa cur *Paulinianum* ordinaverit; inquiens: *Cum enim vidiſſem, quod multitudo fratrum ſanctorum in monaſterio conſiſteret, & ſancti Presbyteri Hieronymus, & Vincentius propter verecundiam, & humilitatem nollent debita nomini ſuo exercere ſacrificia.* Ex hoc autem eodem capite *Brietius* Annalium Mundi Sæculi Chriſti *Lib. 4. cap. 8. ad A. C.* 379. conſentiens *Spondano Hieronymum* à *Paulino* Antiocheno Presbyterum, eâ omnino lege, ut ſupra relatum eſt, ordinatum eſſe notat, additque hæc verba: *Eos ergo, qui illum Cardinalem Romanæ Eccleſiæ fuiſſe volunt, amandamus ad Pictores, à quibus tantum Sanctus ille purpuram accepit: ſicut & comitem leonem, quem ereptum Hieroſymo monacho eidem affinxerunt propter nominis ſimilitudinem.* Sed de dignitate *Cardinalitia* Sancti hujus pluribus differendum concluſi *cap. 10. & 11.* Prouti etiam de *Leone Hieronymiano cap. 14.*

III. Sacerdotio itaque (ut paulo ante dictum eſt) initiatus *Hieronymus* una cum collega ſuo *Vincentio Antiochia* ſe *Conſtantinopolim* contulit, ut *Gregorii Nazianzeni*, qui propter ſingularem ſapientiam, & doctrinam Theologus fuerat cognominatus, eſſe mereretur in Sacris Scripturis auditor, quo poſtea ſemper Magiſtro glo-

Digitized by Google

glorïatus eſt, ſignanter *Epiſt.* 12. ad *Nepotianum.* Item in *Libro de viris Illuſtrib.* his verbis: *Gregorius Nazianzenus vir eloquentiſſimus, præceptor meus, à quo Scripturas explanante didici.* Ex quo liquet eximia *S. Hieronymi* modeſtia, humanitas, atque humilitas, qui quamvis jam paſſim Doctor ab omnibus appellaretur, & in rei veritate talis eſſet, quem, velut oraculum conſulerent *Occidentales Epiſcopi*, & ipſe etiam *Romanus Pontifex*: & quem *Orientales Prælati* tanto ſtudio lucrari, ſuasque in partes pertrahere, ut *cap.* 6. inſinuatum eſt, conarentur, quatenus eos propugnaret, & authoritate ſuæ doctrinæ tueretur, nihilominus vir Sanctus maluit eſſe Sancti *Gregorii* diſcipulus, quam diſcipulorum Magiſter: res certo admiratione digniſſima, videmus etenim quod ſæpius diſcipuli ſe ſupra magiſtros extollere nitantur. „Sed „quod gloria patris (inquit *Spondanus ad A. C.* 379.) ſit filius ſapiens, „diſcipulusque excellens doctrinâ „decori ſit præceptori; ſi conferas „*Hieronymum* cum *Gregorio*, veram „judices *Ennodii Ticinenſis* Sententiam; „nempe: *Hieronymum, niſi præceptorem ſuum diceret Gregorium, illo meliorem cenſeri: ſed illi applicanda eſſe bona „nominatim, à quo ſumpſiſſe videntur „originem.* Certe namque in his, quæ „pertinent ad multiplicium linguarum peritiam (quam in *Divinis* explicandis *Scripturis*, & Scriptoribus „antiquis conſulendis, magni momenti eſſe nemo negarit) abſque „controverſia *Gregorium* primas dare „*Hieronymo* certum eſt, utpote qui „profiteatur *Epiſt.* 71. ad *Poſthum.* „etiam *Latinam* linguam toto orbe „diffuſam penitus ignoraſſe.

IV. *Conſtantinopoli* ſubſtitit *Hieronymus*, ut vult *Baronius To.* 4. *pag.* 411. quaſi triennium publicus *S. Gregorii* docentis auditor, ut patet ex ejusdem Libro *de Scriptorib. Eccl. in Gregorio Niſſeno.* Ubi ait, ſe *Conſtantinopoli* eundem *Gregorium Niſſenum* cognoviſſe, quem conſtat A. C. 381. ad *Concilium Conſtantinopolitanum* veniſſe, *Hieronymum* autem A. C. 379. Scholam *Gregorianam Conſtantinopoli* frequentare cœpiſſe, inde vero A. C. 382. *Romam* receſſiſſe. Per triennium igitur, an integrum, vel non? diſputare non vacat, Sanctus Magiſter *Gregorius* cum Sancto diſcipulo *Hieronymo* familiariter (ut vir doctus cum alio viro docto, vel amicus cum amico agere conſuevit) diſſerens de difficilioribus *Sacræ Scripturæ* locis, converſabatur, diſcipulus à Magiſtro, & è contra magiſter à diſcipulo fructus veræ ſanctitatis & doctrinæ, quæ, nonniſi ad Dei majorem gloriam, animæque conducat ſalutem, decerpens. Eadem occaſione *Hieronymus* quemadmodum notitiam, ita & amicitiam contraxit cum ſupramemorato *S. Gregorio Niſſeno*, *S. Baſilii* fratre ejusdem germano, de quo *Libro de Viris Illuſtrib.* agens ita loquitur: *Gregorius Epiſcopus Niſſenus, Frater Baſilii Cæſarienſis, ante paucos annos mibi, & Gregorio Nazianzeno Libros contra Eunomium prælegit*, ex quibus verbis patet, quam avidus fuerit virorum Sanctorum *Hieronymus*, vel maximè eorum, à quibus aliquid vel virtutis, vel doctrinæ capere potuit. Medio tempore, quo *Hieronymus Conſtantinopoli* morabatur, A. C. videlicet 381. celebrata fuit authoritate *Damaſi* Papæ *Synodus Oecumenica* Epiſcoporum *Theodoſii* Imperatoris Litteris convocatorum, tum ut *Gregorium* ejusdem *Conſtantinopolitanæ* ſedis Epiſcopum ſtabilirent, tum ut fidem *Concilii Nicæni* confirmarent. Quod autem pertinet ad res in hac Synodo geſtas, *Maximus* Philoſophus Cynicus variis dolis, atque hypocriſi ſua, contra legitimam *Gregorii* electionem, ſedis *Conſtantinopolitanæ* invaſor, declaratus eſt nec eſſe, neque unquam fuiſſe Epiſcopus, ideoque ordinationes, atque alia omnia, quæ ab eo in Epiſcopatu geſta fuiſſent, improbata

Digitized by Google

ſunt, atque reſciſſa: ac deinde communi Patrum calculo probata eſt electio *Gregorii Nazianzeni*, facta ab Imperatore, & populo, ſolo ipſo *Gregorio* mœrente tunc, ut ait ipſemet *in Carmine de vita ſua*, atque hanc confirmationem lugente. Qua in re *Hieronymus* ſicut promptiſſime, ita potentiſſime adjuvit Magiſtrum ſuum *Gregorium*, ſcriptaque informatoria ad *Damaſum* Papam Epiſtola, obtinuit Decretum pro conſervando in ſede Epiſcopali Magiſtro ſuo, *Maximo* vero Philoſopho ex Urbe *Conſtantinopolitana* pellendo; cui decreto ſatisfactum fuiſſe, mox ſubſecuta in utroque executio docuit. Quamvis & *Gregorius* ob diſſenſiones, quas Epiſcopi hac in Synodo concitârant, ceſſerit volens Epiſcopatu, & ægrè impetrata ab Imperatore licentia ſeceſſit in ſuam *Cappadociam* poſt triennii in hac urbe moram, Synodos quoad vixit averſatus, in quibus tot, tantoſque tumultus deprehendiſſet. Occaſione moræ *Conſtantinopolitanæ Hieronymus* confecit Commentarium *De Viſione Iſaiæ Prophetæ*, illudque *S. Damaſo* Papæ, qui id munus ei injunxerat, ex ſuaſu amicorum dedicavit.

CAPUT IX.

Sancti Hieronymi ſecundaria Romana peregrinatio, Romæ aſſiduus labor, & exemplaris converſatio.

I. QUandoquidem Orientis Eccleſiæ ob exortas multifarias hæreſes nonnihil turbatæ fuiſſent, atque nonnullæ in his diſcordiæ fidei Catholicæ pernicioſæ promanatæ Synodo *Conſtantinopolitana* conſopiri nequiviſſent, viſum fuit *Damaſo* Papæ, & *Theodoſio* Imperatori, utrique natione *Hiſpano* celebrare *Romæ* Concilium orientalium, & occidentalium Epiſcoporum, quo controverſia tam fidei, quam Schismatis componeretur, Eccleſiæque univerſalis pax conciliaretur. Hanc ob cauſam evocati Pontificia, & Imperatoria authoritate totius Orbis Epiſcopi, inter hos comparuere etiam *Epiphanius Salaminæ* in *Cypro*, & *Paulinus Antiochenus* Epiſcopi, ſicut ambo notæ ſanctitatis viri, ita ſancto viro *Hieronymo* amici, & arctiſſimo Spiritûs Sancti vinculo copulati. Hi duo, quilibet à ſua Eccleſia proficiſcentes, in Urbe *Conſtantinopolitana* convenere, initaque pro continuando *Romano* itinere ſocietate *Hieronymum* quoque ſecum aſſumpſere; noverant enim hunc magni nominis virum *S. Damaſo* Papæ multis ex cauſis acceptiſſimum, & de Orientalium Eccleſiarum, ſignanter *Antiochenæ*, diſſidiis optime inſtructum. Sanctus *Hieronymus* vel horum Sanctorum Epiſcoporum ſuaſu, & rogatu, vel ipſius Summi Pontificis *Damaſi* (quod credibilius apparet) ut ejus opera in concilio uteretur, juſſu, ſe præmemoratis Sanctis Epiſcopis aſſociavit, & cum eiſdem *Romam*, licet renitens, feliciter pervenit. Ubi à Summo Pontifice ingenti, ac urbana benevolentia, ſinceraque charitate exceptus fuit, & honeſto diverſorio accommodatus. Sed & populus omnis eum adveniſſe intelligens ſingulari reverentia, & admiratione eſt proſecutus

II. Romam adveniens *Hieronymus Paulinianum* fratrem ſuum Germanum, quem adoleſcentem per litteras ad ſe, ut eum ſacratioribus ſtudiis applicatum erudiret, placidioribusque moribus imbueret, evocaverat,

Digitized by Google

rat, invenit: qui vel cum *Amenio Sirmienſi*, vel cum *Valeriano*, quod probabilius eſt, *Aquilejenſi* Epiſcopis, vel vero cum utroque ſimul (quos ambos *Baronius* huic *Concilio Romano* interfuiſſe notat) ſe ad evocationem ſui Fratris Senioris ſtitit. *Pammachium* quoque antiquum ſuum Condiſcipulum, alioſque reperit amicos vel antea notos, vel ab olim familiari converſatione, aut correſpondentia, prouti etiam fama Sanctitatis, doctrinæque ſibi conciliatos. Hi itaque, ſed non ſolum, verum & alii, ignoti quoque ad eum certatim confluebant, & quivis eum ſibi demereri conabatur. Iſti laudabant ejus modeſtiam, & pietatem, illi prædicabant comitatem, nonnulli doctrinam ſtupebant, morumque ſuavitatem, & affabilitatem commendabant: denique univerſi eum ſuſpiciebant veluti omnis virtutis exemplum, pœnitentiæ ſpeculum, ſapientiæ oraculum, adeo ut cunctorum ſententia dignus ſummo Sacerdotio cenſeretur.

III. Cum autem diuturniori tempore moraretur *Romæ Hieronymus*, totius Urbis ſtudiis conſonantibus à diverſis in diverſis interrogabatur, conſulebaturque Sacræ Scripturæ quæſtionibus, ac præcipue à compluribus illuſtribus *Romanis* matronis, & virginibus diſcendi cupidiſſimis; quarum habitacula aut ipſe adire, aut illæ ipſius ſolebant ſumma pietate, & modeſtia, ut Scripturas eis diſſereret: ad quas etiam extant plurimæ ejuſdem de variis quæſtionibus, aliiſque piis rebus Epiſtolæ. Quæ vero inter illas præcipue enituere, imprimis *Marcella* fuit vidua, quæ, ut ipſemet *Epiſt.* 4. ad *Principiam* ejus filiam ait; *Quidquid nobis longo fuit ſtudio congregatum, & meditatione diurnâ, quaſi in naturam verſum, hoc illa liberavit, didicit, atque poſſedit: ita ut, poſt profectionem noſtram, ſi in aliquo teſtimonio ſcripturarum eſſet orta contentio, ad illam judicem pergeretur.* Quam & inſuper monaſticæ vitæ inſtitutum imitatam fuiſſe, atque in alias propagaſſe in *Epiſt. ead.* tradit. Ejus quoque Mater *Albina*, ut *Hieronymus Præfat. in Epiſt. ad Gal.* notat, ita audire hunc S. virum conſueverat, ut tamen examinaret omnia, & ſagaci mente univerſa penſaret, *Ut*, quod ipſe *loco cit.* inquit; *non tam ſe ſentiret habere diſcipulam, quam judicem.* *Paula* (de hac ſcribit in *Epiſt.* 8. ad *Euſtochium*) porro maternum genus ex antiquis *Gracchorum*, & *Scipionum* familiis, paternum vero ex regio *Agamemnonis* ducens, quinque liberorum mater, quatuor fœminarum, & unius maſculi, plus cæteris viſa eſt eruditione proficere: ſiquidem non ipſa tantum, ſed & liberi, & cognati ejus uſu perfectiſſimi redditi ſunt Chriſtiani, & domus ejus velut in Eccleſiam commutata. Cujus filius *Toxatius*, cum uxorem duxiſſet *Lætam*, *Albini* gentilitiæ ſuperſtitionis Pontificis filiam, tanta cum conjuge vixit pietate, ut *Albinus* ex eorum converſatione, admirante urbe, evaſerit *Chriſtianus*. Ex filiabus vero *Paulæ Bleſilla* primogenita, viginti annorum vidua à viro, quo cum ſeptem tantum menſibus vixerat, relicta, magis ipſam deploravit virginitatem, quam mariti obitu doluerit: fuitque adeo exculta *Græcis*, ac *Latinis* litteris, ut ſi *Græcè* loquentem audiiſſes, *Latinè* eam neſcire putares; & ſi in *Romanum* idioma ſe lingua verteret, nihil omnino peregrini ſermo redoleret: eademque paucis non dicam menſibus, ſed diebus *Hebrææ* linguæ vicit difficultates. Sed & *Euſtochium Bleſillæ* ſoror virginitatem Deo conſecrans, *nobilitatis portas* (inquit *S. Hieronymus Ep. in vet. cod.* 26.) *& arrogantiam generis conſularis virginali propoſito fregit, & in Urbe prima primum genus ſubjugavit pudicitiæ.* Cujus cum aliquando prætextata jubente *Hymetio*, qui patruus erat *Euſtochii*, habitum, cultumque mu-

Digitized by Google

mutaſſet, & neglectum crinem mundano more texuiſſet, eadem nocte ab Angelo terribiliter in ſomno ea de re correpta, prædictionem accepit fore, ut manus ejus, quæ caput virginis Dei ſacrilegè attrectare præſumpſiſſent, areſcerent, & finito menſe quinto ipſa duceretur ad inferna; ſin autem perſeveraret in ſcelere (*Hymetii* uxor) & marito ſimul orbatam iri, & filiis, quæ omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignavit interitus. Fuere quoque inter ſtudioſas *Hieronymi* fœminas *Paulina*, & *Rufina*, prædictorum *Bleſillæ*, & *Euſtochii* ſorores: nec non & *Felicitas Aſella*, & *Lea* clariſſimæ genere, & ſanctitate, de quibus extant egregia ejuſdem S. Patris in *plurib. Epiſt.* Elogia, ſed his, aliiſque ejusmodi rebus dimiſſis, res geſtas S. *Hieronymi* enarrare pergo.

IV. Hoc feciſſe S. *Hieronymum* ad exemplum S. *Joannis* Apoſtoli, & Evangeliſtæ arbitratur *Cornel. à Lap.* Comment. *in Epiſt. S. Joan. cap. II.* ℣. *1.* Ubi exponens illud Epiſtolæ ſy *Electæ*, dicit fuiſſe fœminam aliquam ſingularis virtutis *Electam* nominatam, æque ac nunc vocatur aliqua e. g. *Marthö, Thereſia &c.* Sed hanc eandem *Lucius Dexter in Chron.* proprio nomine vocatam fuiſſe aſſerit *Druſiam*, vel, ut *Eſpencæus* dicit: *Druſianam.* Ad hanc, licet fœminam, præter morem ſcripſit S. *Joannes*, ut eam, & per eam cæteros in fide confirmet, ne ab *Ebione*, *Cherinto*, & *Gnoſticis*, ſeducatur *hæreticis.* Videntur enim hi *hæretici* ſe in Dominæ hujus domum, & animum inſinuaſſe, ut eam, & per eam cæteros ſua *hæreſi* inficerent: ſicut reliquos *hæreticos* ſuas hæreſes per fœminas propagaſſe docet *S. Hieronymus Epiſt. in vet. cod. 15.* ad *Cteſiphontem.* Hoc inſinuat & *S. Joannes v. 10.* ubi ſevere *Electam* jubet, ne *Ave* eis dicat, nec in domum recipiat. Erat autem hæc fœmina quaſi Mater, & refugium fidelium, mira charitate, & largitate florens, *Electa* dicta ob eximiam virtutem, & probitatem, quia filias inſtruebat in cultu virginitatis, & familiam habebat religioſam: atque ideo electa fuit in Præſidem, & Præfectam cæterarum mulierum *Chriſtianarum*, præſertim pauperum, ut eas in fide, & *Chriſtianiſmo* inſtrueret, inſtructas confirmaret, & earum neceſſitati Eleemoſynas procurando ſubveniret. Simili itaque modo S. *Hieronymus* nobiles Matronas *Romanas*, & verbis præſens, & ſcriptis abſens erudiendo, non illas ſolum, ſed & per illas magnam partem nobilitatis *Romanæ* ad perfectionem *Chriſtianam* inſtruxit, inque ſuam *Bethlehem* ad Monaſterium ſuum, & *S. Paulæ* pertraxit. Id ipſe reſpondet pium hoc ſuum cum fœminabus commercium calumniantibus *Epiſt. in vet. cod. 140.* ad *Principiam* his verbis: *Si viri de ſcripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluiſſet, Debora devictis hoſtibus non triumphaſſet. Jeremias carcere clauditur, & quia periturus Iſraël virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier ſuſcitatur. Sacerdotes, & Phariſæi crucifigunt filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad Crucem, unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoſcit, pergit ad Apoſtolos, repertum nuntiat: illi dubitant, iſta confidit. Vere turris candoris ac libani, quæ proſpicit ad faciem Damaſci, ſanguinem videlicet Salvatoris ad facti pœnitentiam provocantem. Defecerant Sacræ muliebria, & ideo Abraham ei ſubjicitur, & dicitur ad eam: Omnia, quæ tibi dicit Sara, audi vocem ejus.* Verum, de conſilio *Cornelii à Lap. loc. cit.* idipſum non cuilibet eſt imitandum, ac plane junioribus fugiendum, ne pro charitate ſupponat ſe carnalitas, aut certe ejus ſuſpicio, & periculum, ut ex fumo flamma ſequatur.

V.

Digitized by Google

V. Quod attinet publicas *Romanas Hieronymi* functiones, *Damaſum* Papam ejus operâ unum eſſe in conſcribendis Epiſtolis ad conſultationes ex diverſis Eccleſiarum tam *Orientis*, quam *Occidentis Conciliis* ad Sedem Apoſtolicam perlatas ipſemet teſtatus *Hieronymus Epiſt.* in *vetuſt. cod.* 61. Erat namque jam eo tum *Catholico-Chriſtiana* religio in omnes Orbis oras diffuſa, adeoque tanto gravius, difficiliusque reſpondendi onus ad propoſitas tot, & tanti momenti Quæſtiones. Commiſſa quoque fuerat *S. Hieronymo* cura proponendi confeſſionem *Fidei Nicanæ* illis, quibus emittenda erat: & erudiendi *Neophitos* ad *fidem Catholicam* converſos, quive reconciliandi ſeſe *Romanæ Eccleſiæ* cauſa fidem Apoſtolicam appellabant. Præterea in aliis quoque ad regimen *Eccleſiæ Catholicæ* pertinentibus rebus *S. Hieronymus* maximam oneris partem humili ſolertia ſubibat, Sanctumque *Damaſum* Papam ſolerti ſtudio ſublevabat; Indeque tantæ apud omnes, etiam *Concilii* Patres, fuiſſe æſtimationis, ut omnium pene judicio dignus etiam ſummo Sacerdotio decerneretur, ipſomet *Epiſt.* 45. ad *Aſellam* atteſtante; ſequentibus. *Antequam domum S. Paulæ noſſem, totius urbis in me ſtudia conſonabant: omnium pene judicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar.* Hoc quoque tempore, quo *Romæ Hieronymus* morabatur, quod dudum medio Epiſtolarum *Damaſus* Papa ab eo flagitabat in effectum deduxit, dum *Pſalterii* à ſe juxta LXX. interpretum verſionem emendati in *Eccleſia Romana* concentum, ad normam eam, quam *Græcos* ſequi docuerat, inſtituit; atque ut cuilibet *Pſalmo* Verſus *glorificationis* Dei unius, & trini conjungatur, induxit. Ipſe quoque Lectiones in Officio Divino recitandas compoſuit, diſpoſuitque Epiſtolas, & Evangelia, quæ hodiedum in Sacris Miſſarum ſolemniis per Eccleſiam catholicam dicuntur, & cantantur. Quæ omnia probantur ex ejusdem *Epiſt. in vet. cod.* 40. 41. 42. & 43. Ipſe primus omnium fuit (ut *Caſſiodorus Inſtit.* 5. *Lect.* 32. *Uſuardus, Ado Vienen. Ep. Victorius* in vita *cap.* 23. & *Baronius Tom.* 4. *pag.* 504. teſtantur) qui *ſanctorum Martyrum* martyria compendio conſcripſit. *Novum* quoque *Teſtamentum*, quod eo tum adhuc erat valde mendoſum, juſſu *Damaſi* correxit. Scribit quoque *Gregorius Papa cap.* 63. *in Joan.* Ex *Hieroſolymitana Eccleſia* ſuaſu ejusdem *Hieronymi Damaſum* accepiſſe, ut *Romana Eccleſia* in Officiis Divinis concineret *Alleluja*. Sed hoc non ſic accipiendum eſſe cenſet *Spondanus ad A. C.* 384. ut tempore *Damaſi* cani cœptum ſit *Romæ*, ſed ut caneretur extra *Paſchale tempus*, excepta *ſeptuageſima* usque ad *Paſcha*. „ Nam hujus voci uſum (inquit *Spondan. loc. cit.*) *Romæ* perantiquum fuiſſe vel „ex Auguſtini *Comment. in Pſal.* 106. „intelligi poteſt, dum ait: *Antiqua* „*traditione ab Eccleſia Catholica toto* „*orbe diffuſa Alleluja cantari ſolitum.* „ „ Cæterum (ulterius differit *Spondan.* „*loc. eod.*) peculiarem quendam ejus „vocis uſum ab *Eccleſia Hieroſolymitana Romanam* mutuatam eſſe, poſſumus ex *Gregorii* verbis intelligere. „Siquidem ejusdem uſus diverſas „fuiſſe conſuetudines, idem Auguſtinus *Epiſt.* 119. tradit, docetque „(*Comment. in Pſal.* 106.) certis tantum diebus moris fuiſſe ſolemniter „decantari, tempore vero *Quadrageſimali* (*Comment. in Pſal.* 110.) ab eo „ceſſari ſolitum. „ Et hæc fuere, *Hieronymi Romana* geſta publica.

VI. Quantumvis autem tantis diſtinebatur vir ſanctus negotiis, nihilominus in viſitandis *Romæ* Sanctuariis frequentius occupabatur; quæ eſto Juvenis *Romæ* baptizatus viſitâſſet, hac tamen occaſione ferventiori pietate id factitabat, Miſſarumque officia multis irroratus lacrymis, miroque devotionis affectu.

Digitized by Google

celebrare non omittebat. Hodieque (ut tradit *Ribadeneira*) *Romæ* calix ſacer, & caſula, quibus Sacrificans uſus fuit, aſſervatur; populoque, ſignanter extraneo devotionis cauſa advenienti pro pia raritate, in tanti viri memoriam, reverenter remonſtratur. Ad hæc amantiſſimus fuit, & maxime ſollicitus nitoris Eccleſiarum, Altarium, & Ornamentorum, ad hæc pertinentium; atque ideo *Nepotianum* jam demortuum nitoris ſimilis ſtudioſum laudabat in *Epiſt.* 22. ad *Heliodorum* ejus Avunculum tenore ſequenti: *Erat* (*Nepotianus*) *ſollicitus, ſi niteret Altare: ſi pariter absque fuligine: ſi pavimenta terſa: ſi janitor creber in porta: vela ſemper in oſtiis: ſi ſacrarium mundum: ſi vaſa luculenta? & in omnes ceremonias pia ſollicitudo diſpoſita: non minus, non majus negligebat officium. Ubicunque eum quæreres, in Eccleſia invenires.* Erat præterea *Hieronymus*, familiaris toti Nobilitati, etiam virili, Curiæque *Romanæ*, conatus omnium animos ad amorem, timoremque Divinum provocare. Et quia cernebant *Romani* in Sancto hoc viro perfectum mundi contemptum, advertebant cœleſtem adeo vultum, audiebantque ſæpius verba vivæ, conſilia tam ſecura, ſuperebantque profundæ ſapientiæ puteum, ita, ut rebus in omnibus homo potius *Divinus*, ac *immortalis*, quam *humanus* ac *mortalis* æſtimaretur. Atque ideo multi exemplo ejus, & ſuaſu vitiis ſeſe, illecebrisque abdicabant, ſerioque virtutes amplectebantur.

VII. Eodem tempore, quô Romæ ſubſtitit *Hieronymus*, per ſolidum videlicet triennium plurima opera, prorſusque admiranda conſcripſit. Nam cum *Helvidius* hæreticus aſſerens ejusdem eſſe gloriæ Virgines, ac maritatos eo prolapſus fuiſſet, ut ſacrilego ore *Beatiſſimæ* quoque Virginis *Mariæ* intemeratam virginitatem appetere non fuiſſet veritus: ei ſe vir ſanctus fortiter oppoſuit, potenterque adeò convicit, ut ſimul hoc monſtrum comparuit, etiam evanuerit. Succeſſit *Helvidio* monſtrum aliud, *Jovinianus* Pſeudomonachus, in Monaſterio *Mediolanenſi*, quod *S. Ambroſius* fundaverat, religioſam profeſſus vitam (cujus meminit etiam *S. Auguſtinus* in ſuo *Confeſſionum Libro*) *Romamque* profectus docebat, uti prior, Matrimonium Virginitati par eſſe dignitate: negabat etiam jejunandum, atque id genus plures errores, qui potius quempiam *Epicurum* de grege porcorum, quam *Chriſtianum Philoſophum*, multo minus *Monachum* decerent, ſeminabat: poſtquam autem impurus hic homo aliquas etiam Sanctimoniales (ut *Auguſtinus lib.* 2. Retractationem *cap.* 22. tradit) ad nuptias dejeciſſet, *Saram*, *Suſannam*, *Annam*, aliasque commendatiſſimas commemorando fœminas, quæ in ſacris Codicibus nuptæ reperiuntur, quibus ſe illæ meliores, vel etiam pares cogitare non poſſent: eodem quoque modo cœlibatum etiam ſanctorum virorum, commemoratione Patrum conjugatorum fregiſſet; niſi adverſus hunc perniciosiſſimum hæreticum *S. Hieronymus* duos illos admirandos ſane libros humanæ, divinæque eruditionis plenos, qui quosvis Lectores, Auditoresque moveant ad ſtuporem, conſcripſiſſet. Scripſit & *Dialogos* adverſus *Luciferianos hæreticos*: aliaque opera miriſſima, ſimul & utiliſſima condidit: quin & in explicanda *Scriptura ſacra* diligenter occupabatur, à perſonis quibusdam religioſis vel apprime devotis, immo & ſanctis cum audiendi perſtudioſis, variarum quæſtionum elucubrationem ab ipſo poſtulantibus inſtigatus, & quaſi compulſus.

VIII. Sed qui iſti abſurdi, monſtroſique *hæretici* fuerint, qualemve exitum habuerint? non abs re erit

ad

ad intelligentiam hiſtoricæ narrationis, & eruditionis brevibus declarare. De Helvidio *Gennadius Lib. de viris illuſtrib.* hæc habet: *Helvidius Auxentii diſcipulus Symmachi imitator, ſcripſit religionis quidem ſtudio, ſed non ſecundum ſcientiam, librum, neque ſermone, neque oratione nitidum: quo opere ita Sacrarum Scripturarum ſenſum ad ſuam perverſitatem flectere conatus eſt, ut earum teſtimoniis aſſerere voluerit sanctam Mariam poſt nativitatem Domini, quem Virgo peperit, Joſeph Sponſo ſuo junctam, & ex ejus conſortio filios ſuſcepiſſe, qui fratres Domini appellati ſunt.* De eodem Helvidio *S. Auguſtinus lib. de Hæreſib.* ſic ſcribit: *Helvidiani exorti ab Helvidio. Iſti virginitati beatæ Mariæ contradicunt, ut eam poſt Chriſtum alios etiam filios de viro ſuo Joſeph peperiſſe contendant. Sed nimirum iſtos, prætermiſſo Helvidii nomine, Antimaritas Epiphanius appellavit.* Eundem Helvidium *Spondanus ad A. C.* 382. oblatrantem *canem*, & hominem imperitum, ſed blaſphemiis pollentem, hoſtemque virginitatis acerrimum nominat: notatque hunc à *S. Hieronymo* Libro *de perpetua beatæ Mariæ virginitate*, qui in *vetuſt. cod.* habetur ſub nomine *Epiſt.* 11. Item alio Tractatu *de Cuſtodia Virginitatis* ſub titulo *Epiſt.* 17. ad *Euſtochium* dati, plene confutatum fuiſſe, ſimulque adjungit ex *S. Hieronymi Epiſt. in vet. cod.* 22. *Damaſum* Papam eodem argumento, carmine, & proſa ſcripſiſſe libellos; uti & *S. Ambroſium* alios: idque *S. Baſilium*, & *S. Gregorium Nazianzenum* paulo ante præſtitiſſe, & paulo poſt *S. Joannem Chryſoſtomum*. Qui Sanctiſſimi, & doctiſſimi Patres nonniſi inſtinctu Divino in eadem correſpondebant materia, cum diabolus ſua monſtra in medio eſſet producturus.

IX. *Helvidium*, ut diximus prius, ſecutus eſt *Jovinianus*. De hoc *S. Auguſtinus Lib. de Hæreſib.* hæc notat: *Jovinianus hæreſiarcha de monacho clericus, docebat ſicut Stoici presbyteri, omnia peccata paria eſſe, nec poſſe hominem peccare lavacro regenerationis accepto: nec prodeſſe jejunia: vel cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem viduitati, conjugatóſque fornicatoribus etiam poſt pœnitentiam æquabat: adeo ut Sacræ Virgines provectæ ætatis quædam in urbe Romana, ubi hoc docebat, nupſerint. Unius quoque meriti, præmii, retributionis, ordinisque omnes juſtos eſſe apud Deum. Cito tamen Secta hæc oppreſſa, extincta, & ad nihilum caſſata eſt, revelante beato Hieronymo, nec ad aliquorum Sacerdotum deceptionem pervenit Damaſo Papa, Valentiniano Auguſto, Arcadio, & Bautone Conſulibus.* Hæc *S. Auguſt.* quo atteſtante impietas hujus delicatuli, & incontinentis Pſeudomonachi à *S. Hieronymo* duobus Satyricis libris 49. capita continentibus (qui in *vet. cod.* videri poſſunt ſub Tit. *Epiſt.* 9. *&* 10.) repreſſa eſt, atque, ut *Spondanus A. C.* 390. aſſerit, *Siricio* Papa damnata, prouti & in *Concilio Mediolanenſi* authoritate ejusdem *Siricii* Pontificis celebrato ab *Ambroſio* ejusdem Eccleſiæ Antiſtite, ac tandem Sectatores ejusdem hæreſis à *Theodoſio* magno proſcripti, ipſe vero hæreſiarcha ad inſulam *Boam* in litore *Dalmatiæ* poſitam relegatus. Qui poſtquam huc deportatus fuiſſet, nusquam amplius auditus fuit, ubi & ad A. C. 412. inter luxurioſas epulas libidinum, & voluptatum magnus fautor turpem effudit animam.

X. Luciferiani porrò hæretici, ſic à Lucifero *Calaguritano*, Epiſcopo *Sardiniæ* dicti. De hoc *S. Hieronymus lib. de Scriptorib. Eccl.* ſic diſſerit: *Lucifer Calaguritanus, Epiſcopus, cum Pancratio, & Hilario Romanæ Eccleſiæ clericis, ad Conſtantium Imperatorem à Liberio Epiſcopo pro fide Legatus miſſus, cum nollet ſub nomine Athanaſii Nicænam damnare fidem, in Palæſtinam relegatus, miræ conſtantiæ, & præparati animi ad Martyrium, contra Conſtantium Impe-*

Imperatorem ſcripſit, *librumque ei legendum miſit: Ac non multo poſt ſub Juliano principe Caralis reverſus eſt.* De hoc eodem *S. Iſidorus* Eytmologiarum *lib. 8.* ſequentia notat: *Luciferiani à Lucifero Syvina Epiſcopo orti, qui Epiſcopos Catholicos, qui Conſtantii perſecutione perfidiæ Arianorum conſiſtentes erant, & poſtea correcti in Catholicam Eccleſiam redire delegerunt, damnantes, ſive quod crediderunt, ſive quod ſe credere ſimulaverunt; quos Catholica Eccleſia materno recepit ſinu, tanquam Petrum poſt fletum negationis. Hanc illi Matris charitatem ſuperbe accipientes, eosque recipere nolentes ab Eccleſia communione receſſerunt, & cum ipſo Lucifero ſuo authore, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.* Caſus autem hujus occaſionem deſcribit *Spondanus ad A. C. 362. Lucifer* Epiſcopus redux ex exilio à *Liberio* Papa conſtitutus fuerat Legatus ad componendas *Orientis Eccleſias* in *Concilio Alexandrino* authoritate Pontificia celebrando: cui pro ſocio adjunctus *Euſebius* Epiſcopus *Vercellenſis*, vir & doctrinæ, & ſanctitatis eximiæ; dum ergo *Antiochiæ*, ubi diſſidentibus partibus orthodoxorum *Euſtathianorum*, & *Meletianorum*, ſed in unum poſſe revocari ſperantibus, ſi utrisque gratus eligeretur Antiſtes, *Paulinumque* crearet Epiſcopum, Sanctum quidem, & dignum eo munere virum, ſed tamen in quem acquieſcere plebs utraque non poſſet, moratur; hic cum duobus Diaconis *Luciferianis Alexandriam* ad Synodum perrexit. Ubi cum ſtatutum fuiſſet, ut Epiſcopis, & Sacerdotibus olim *Catholicis*, qui vel ignorantia, vel vi adhibita, aliqua hæretica communionis contagione ſe maculaſſent, ſi ſincere pœnituerint, aditus Eccleſiæ Catholicæ pateat, atque in eodem honoris gradu, quo antea inſigniti fuerant, recipiantur. Porro cum *Euſebius Alexandria Antiochiam* rediiſſet, ibique populum in duas factiones partitum offendiſſet, quod non omnes *Paulini* electioni à *Lucifero* factæ acquieviſſent, *Luciferi* factum improbavit. Qua improbatione irritatus *Lucifer*, reprobans aliunde lapſos Epiſcopos cum dignitate recipi, *Schisma* conflavit, in eo ſitum: Quod neque cum lapſis, neque cum iis, qui eos admiſerant, communicaret. At nihil eum, ut *Theodoretus lib. 3. cap. 5.* ſcribit, contra doctrinam egiſſe, præter *ſchisma*, quod conflavit, teſtatur *S. Ambroſius orat. in funere fratr.* Qui rediens in ſuam *Sardiniam*, ibidem A. C. 371. mortuus eſt. *Baronius* quidem aſſerit eum in ſchismate mortuum, *Spondanus* autem negat, multisque argumentis probat ipſum pænitentiam egiſſe, & palinodiam ceciniſſe. Poſt obitum vero ejus, ſectatores ipſius, quorum exiguus fuit numerus, ſe in *Hiſpaniam* receperunt: ibique ut ſolos ſanctos, & puros, à reliquis omnibus Orthodoxis diviſos conſediſſe, docet *S. Hieronymus Libro adverſus Luciferianos*, quo & eosdem, dum ejus tempore *Romæ* turbas excitabant, acerrime confutavit: habeturque in *vet. Cod.* ſub Tit. *Epiſt. 14.* in qua dum ulcus ſchismatis *Luciferi* tangit, vocat etiam ipſum poſt obitum *beatum*, quod vix apud eum reperias de quoquam *non Catholice* mortuo uſurpatum. Sectatores porro ejus ſub *Theodoſio* Imperatore eo ipſo, quo oborti ſunt ſæculo, extinctos penitus eſſe tradit *Spondanus* ad A. C. 362.

XI. Sed quemadmodum *S. Hieronymus* pro tuenda fide Catolica *hæreticos* ſapientiſſimis ſuis ſcriptis nervoſiſſime coarguebat, & explodebat, ita etiam inventi fuêre adverſarii, qui ejusdem ſanctiſſima, ſimul & doctiſſima ſcripta calumniari præſumebant. Cum etenim *Joviniani* inſanam doctrinam contra virginitatem vulgatam confutâſſet, ipſam deinde virginitatem ex *Bethlehem Epiſt. 17.* ad *Euſtochium*, item *Epiſt. 18.* ad *Demetriadem*, ſuper omnia commen-

daſ-

Digitized by Google

daſſet, non leviter impugnari cœpit à pleriſque, ſignanter à quodam Monacho, quod cum totus eſſet in commendatione virginitatis, quam *Jovinianus* deprimebat, viſus eſſet cum *Manichæis* nuptias deſpexiſſe. Qua de re admonitus ab amicis *Domnione*, & *Pammachio Hieronymus*, coactus eſt, cum jam amplius eadem tam in citatis Epiſtolis, quam in Libro contra *Jovinianum* contenta pro virginitate ſcripta revocari nequirent, pro eorundem roboratione *Apologias* binas concinnare. Quarum prima in *vet. cod.* ſub Tit. *Epiſt.* 47. ad *Pammachium*, docet ſe non damnâſſe nuptias, ſed illis virginitatem prætuliſſe: & Apoſtoli capitulum benignius à ſe, quam à cæteris interpretatum fuiſſe. Altera autem in *vet. cod.* ſub Tit. *Epiſt.* 48. ad *Domnionem*, invehitur contra garulum Monachum detractorem ſuum, qui ſcripta ejus contra *Jovinianum* carpebat, monetque eum, ut ſcriptis agat, ſi audeat detractare, non maledictis. Meminit ipſemet *S. Hieronymus* libelli, ſeu Epiſtolæ in laudem virginitatis ſcriptæ in *Epiſt.* 18. ad *Demetriadem* his verbis: *Ante annos circiter 30. de virginitate ſervanda edidi librum: in quo neceſſe mihi fuit ire contra vitia, & propter inſtructionem virginis, quam monebam, diaboli inſidias patefacere. Qui ſermo offendit plurimos, dum unuſquiſque in ſe intelligens quid dicebatur, non quaſi monitorem libenter audivit, ſed quaſi criminatorem ſui operis adverſatus eſt. Verumtamen quid profuit armâſſe exercitum reclamantium, & vulnus conſcientiæ dolore monſtrâſſe: liber manet, homines præterierunt.*

XII. Ratio calumniarum in *S. Hieronymum* occaſione dicti libelli de Virginitate vibratarum fuit hæreſis *Manichæorum*, quæ etiam hoc tempore vexabat Eccleſiam; hinc *Manichæorum* cauſam eos agere, qui virginitatem nuptiis præferebant, jactare ſolitum fuiſſe *Jovinianum S. Auguſt.* De nuptiis, & Concup. *lib.* 2. *cap.* 23. tradit. Atque ideo hic ſanctus Præſul, & Doctor, quod ſciret *Hieronymum* inde paſſum calumniam (quantumlibet pie ſancteque ſcripſiſſet, conteſtatusque eodem ipſo in *Jovinianum* ſcripto fuiſſet, ſe & *Marcionis*, & *Manichæi*, atque *Encratitarum* dogmata deteſtari) ipſe cautior adverſus eundem *Jovinianum* alia via ſibi agendum propoſuit, ut teſtatur *lib.* 2. Retractat. *cap.* 22. nempe, ut quantum liceret nuptias laudibus celebraret, ac ſimul præconia virginitatis extolleret. Taliterque elaboravit Commentarium illud *de Bono Conjugali* adverſus *Jovinianum. Severus Sulpitius Hieronymi* coëvus *Dialogum* ſcribens *de monachis*, & *anachoretis orientalibus*, de ſupracitato libello *S. Hieronymi* pro conſervanda virginitate edito, quendam introducit ita loquentem: *Ante hoc quinquennium quendam ipſius libellum legi, in quo tota noſtra natio monachorum ab eo vehementiſſime vexatur, & carpitur.* Et poſt pauca: *Nihil*, inquit, *penitus omiſit, quod non carperet, laceraret, exponeret: præcipue avaritiam, nec minus vanitatem inſectatus eſt: multa de ſuperbia, non pauca de ſuperſtitione diſſeruit. Vere fateor, mihi pinxiſſe videtur vitia multorum. Cæterum de familiaritatibus virginum, & monachorum, atque clericorum, quam vera, quam fortia diſputavit. Unde à quibuſdam, quos nominare nolo, dicitur non amari, quin & fremere dicuntur, cum in illo opuſculo ſcriptum legunt: Cælibem ſpernit virgo germanum.* Ex quibus apparet, eos *Hieronymi* Scripta laudaſſe, & approbaſſe, qui ſe tactos non ſentiebant, & è contra, quos conſcientia mordebat, vituperaſſe, & carpſiſſe. Cæterum, quod ſordida hujusmodi *Joviniani* hæreſis deformes in Urbem omnis generis libidines invexiſſet, *Theodoſius* Imperator lege ad A. C. 390. lata graviter puniri, nefandum autem Sodomiticum peccatum flammis vindicibus expiari ſancivit.

Digitized by Google

CAPUT X.

Sancti Hieronymi Cardinalitia dignitas.

I. INgens quantumvis inter Scriptores vitæ S. Hieronymi habeatur diſceptatio: *An idem vir Sanctus fuerit Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis?* nihilominus præſens Caput pro ejuſdem Cardinalitia dignitate ſub diſſertatione problematica apponendum cenſui, affirmativam non negando, ſed neque negativæ adhærendo. Sunt namque plures, iique gravioris authoritatis Scriptores, qui *S. Hieronymum* ad hunc dignitatis honorem à *Damaſo* Papa ob ſupra allatas Sancti viri virtutes, ejuſdemque in memorato *Concilio* pro Eccleſia Dei exantlatos labores ſublimatum fuiſſe aſſerunt. E quibus unus eſt *Joannes de Turre Cremata Cardinalis* in Quæſtionibus Evangeliorum. Alter, *Cornelius Schultingius* in Diſputatione de hac re edita. Tertius, *P. Alphonſus Ciacconius* in ſpeciali Opuſculo de Cardinalatu *S. Hieronymi*. Quartus, *P. Joſephus de Sequenza* in ejuſdem Sancti Doctoris vita. Ac tandem, præter alios, graviſſimæ authoritatis vir, & ſcriptor *S. Auguſtinus Ep. Hipponen. & Eccl. Doctor.* in ſuis Sermonibus ad Fratres. Quibus merito ſubſcribendum cenſerem, niſi me Authores contrarium ſentientes deterrerent, meque neque affirmativam, neque negativam opinionem propugnaturum ſpopondiſſem; quandoquidem id ipſum approbent & Icones vetuſtiſſimæ ejuſdem Sancti viri in Cardinalitio apparatu effigiatæ (ut videre eſt in imagine huic opuſculo præpoſita) item continua Eccleſiæ opinio, quantumvis necdum deciſa; ac tandem, quod eo tum jam Cardinalitia dignitas, eſto fors non in tali authoritate, tantoque ſplendore, honore, ac numero, quali modernis temporibus viſitur, ad An. videlicet Chriſti 325. in Concilio Romano ſub *Sylveſtro* Pontifice habito viguerit.

II. Negativam propugnant Cardinales *Baronius*, & *Bellarminus*, habentque pro fundamento ſui argumenti quandam ipſiuſmet *S. Hieronymi* Epiſtolam, in qua ſcribens ad *Pammachium* clare, diſſerteque profitetur, ſe, cum in Sacerdotem à *Paulino* Epiſcopo ordinaretur, conſenſiſſe quidem ad ſuſcipiendum *Presbyteratum*, ea tamen conditione, ne cui Eccleſiæ (ut *cap. 8.* inſinuavi) ſua libertas obligaretur. *Voluit namque* (dicunt præcitati Authores *S. Hieronymo* dignitatem *Cardinalitiam* adimentes) *fieri Clericus, ita tamen, ut non deſineret eſſe Monachus, neque ei libertas migrandi, quemcunque in locum voluiſſet, adimeretur.* Nullum tamen horum *S. Hieronymum* ab honore *Cardinalatûs* impedire poterat, quemadmodum neque modernâ tempeſtate impediuntur *Cardinales* cum titulo ad certum locum alicujus Eccleſiæ in Urbe alligati, ad adminiſtrandos extra Urbem Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus. Utut ſit, benevolus Lector adhærebit ſententiæ ſive huic, ſive illi, pro placito ſuo: Ego verò cum *Ribadeneira* neque eos, qui *S. Hieronymum* probare contendunt fuiſſe *Cardinalem*, multum dignitatis, vel honoris eidem deferre; ſed neque eos, qui contrarium ſentiunt, auferre exiſtimo: quandoquidem glorioſus hic Eccleſiæ Doctor per ſe tantus fuerit, & ſit, ut neque hac, neque alia quacunque dignitate major, aut illuſtrior fieri potuiſſet: neque ejus honori, aut exiſtimationi quidquam derogari poſſit, quamvis ea caruiſſet.

III.

III. Non abs re tamen ſubnectendam recentiorum, & vetuſtiorum Scriptorum judicabam opinionem in affirmativam potius, quam negativam propendentem. Et primo quidem: *Proſperi Cardinalis de Lambertini*, primum *Anconitanæ*, deinde *Bononienſis*, nunc vero univerſalis Eccleſiæ Pontificis *Benedicti XIV*, qui Operis ſui ante Pontificatum compoſiti *Lib. 3. cap. 33. num. 2.* de Cardinalatu *S. Hieronymi* hæc habet: „ Ma-
„ ximum quidem decus eſſet Car-
„ dinalium collegii, ſi de Cardinala-
„ tu *S. Hieronymi* quæſtio eſſet reſo-
„ luta. *In Sermone* 24. S. Auguſtini
„ *ad Fratres de Eremo* leguntur hæc
„ verba: *Legimus enim fratres charif-*
„ *ſimi, Sanctum Fratrem Hieronymum,*
„ *Cardinalem fuiſſe in Eccleſia S. Lau-*
„ *rentii Martyris.* At licet *Joannes*
„ *Marquez* in Libro de Origine *fra-*
„ *trum Eremitarum S. Auguſtini cap. 8.*
„ §. 4. probare conetur prædictos
„ Sermones eſſe *Auguſtini*, concors
„ tamen eſt Eruditorum ſententia,
„ eos eſſe apocryphos, & *S. Auguſti-*
„ *no* falſo adſcriptos. Cardinalis *Ba-*
„ *ronius Tom. 4. Annal.* eum exclu-
„ dit à Cardinalitia dignitate validis
„ profecto argumentis. Concordat
„ Cardinalis *Bellarminus*. Ciacco-
„ nius *Opuſculum* edidit *de Cardinala-*
„ *tu S. Hieronymi*, in quo plura de
„ eo refert teſtimonia. Andreas Vi-
„ ctorellus in *Notis ad vitam S. Damaſi*
„ *relatam in Tom. 1. Ciacconii*, & *Au-*
„ *guſtinus Oldoinus eodem pariter loco*
„ referunt, quæ hinc, atque inde de-
„ ducuntur. Quare ad eos Lecto-
„ res remittimus. „ Hucusque præcitatus *Proſper Cardinalis de Lambertinis*, nunc feliciter Eccleſiam Romano-Catholicam gubernans SS. Pater, qui pariter, ut ex contextu patet, contra morem ſuum nihil concludens, adeoque neque in affirmativam, neque in negativam declinans, Lectores benevolos ad citatos pro affirmativa Authores relegat, plus probabiliter his authoritatis, & credulitatis attribuendo.

IV. Opuſculum *Alphonſi Ciacconii* de Cardinalatu *S. Hieronymi* quemadmodum dudum habere deſiderabam, ita illud variis in Bibliothecis inquirebam, neque tamen reperire valebam: coactus exinde fui recurſum facere Romam, ad A. R. Patrem *Franciſcum Kovachich*, Ordinis noſtri in Curia Romana Procuratorem Generalem, eum inſtantiſſime requirendo, quatenus præattactum Opuſculum inquireret, eoque reperto, ea, quæ pro probanda Cardinalitia *S. Hieronymi* dignitate momentoſiora forent, excerpere, mihique transmittere dignaretur. Fecit vir humaniſſimus, & eruditionis ſtudioſiſſimus quod poſtulabatur, & quidem (ut in Epiſtola ſua ad me data ſignificabat) in Bibliotheca *Caſſinatenſi*, alias omnium Urbis, poſt *Vaticanam*, opulentiſſima, hoc tamen nullatenus invenire, conſequenter neque me in deſiderio meo conſolari poterat. Ne tamen totaliter voto fruſtrarer meo, idem optimus Religioſus innato ſibi erga publicum bonum zelo, ex alio Opere ejusdem *Alphonſi Ciacconii* de vita, & Rebus geſtis *Pontificum Romanorum*, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinalium*: Item ex Notis *Andreæ Victorelli*: atque ex Additionibus *Auguſtini Oldoini*, ad præmemoratum *Ciacconium*: quæ ad Cardinalatum *S. Hieronymi* pertinere viro prudentiſſimo videbantur, fideliſſime proprio pugno deſcripſit, mihique transmiſit. Sunt autem ſequentia.

ALPHONSUS CIACCONIUS

Ex Ordine Prædicatorum, in vita, & rebus geſtis Pontificum Romanorum, ac Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ad A. C. 367. ſcribens de Damaſo Papa hæc habet.

V. Hoc eodem tempore (Anno videlicet 382. nam de hoc Anno *Ciacconius* in contextu hiſtoriæ loquitur, licet prior, nempe 367. in margine ponatur) *Sanctus Hieronymus* à *Damaſo* Papa Presbyter *Cardinalis* creatur, Titulo *S. Anaſtaſiæ* ad Palatinas, deinde *S. Laurentii* in *Damaſo*, novæ à ſe Baſilicæ conditæ juxta Theatrum *Pompejanum*. Quod autem fuerit Cardinalis, *Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus*, ſcribens ad *Auguſtinum* de vita Beati *Hieronymi*, & *Euſebius Cremonenſis*, Diſcipulus Beati *Hieronymi*, ſcribens ad *Theodonium* Senatorem *Romanum* & ad *Damaſum* Epiſcopum *Portuenſem*. *Sanctus* item *Petronius Epiſcopus Bononienſis*, qui floruit A. C. 440. in *Tractatu Apophtegmatum Selectorum Sanctorum Patrum*. Qui Coëvus *S. Hieronymo* fuit, utpote, qui ex hac vita migravit A. C. 472. *Sanctus* etiam *Auguſtinus in ſermone* 25. *ad Eremitas*, vel cujuscunque Authoris antiqui ille ſit. Et omnes fere recentiores idem teſtantur, quos longum eſſet recenſere. Inter quos eſt *Nicolaus IV. Pontifex Romanus*, qui *S. Hieronymum* habitu *Cardinalitio*, qualis erat ſua ætate, opere vermiculato fecit exprimi ad *Paulam*, & *Euſtochium* ſermonem facientem. Accedit, quod à *Paulino* Epiſcopo Presbyter trigeſimo anno *Antiochiæ*, trigeſimo nono *Romæ* creatus itidem Presbyter nequivit fieri, niſi *Romæ* Presbyter *Cardinalis* crearetur, nam non poteſt idem creari *Romæ*, & *Antiochiæ* Presbyter, niſi alter titulus *Presbyterii* fuiſſet *ordinis*, alter *dignitatis*, cujus rei argumentum nos peculiari libello edito, latiſſime, & copioſe tractavimus, & comprobavimus *Hieronymi Cardinalitium Presbyteratum*. Hucusque *Ciacconius*.

ANDREAS VICTORELLUS

In Notis ad Ciacconium loco citato ita ſcribit.

VI. Cardinales *Baronius*, & *Bellarminus* negant *S. Hieronymum* fuiſſe Sacræ Romanæ Eccleſiæ *Cardinalem*: affirmant alii: *Cardinalis de Turre Cremata in cap.* Quamquam 2. *qu.* 7. Ex Hiſtoria, & Chronicis; Ex priſcis Scripturis; Ex *cap.* Eccleſia 16. *qu.* 1. Et quia communis ſententia eſt, probat *S. Hieronymum* Eccleſiæ Romanæ (*Antiochenæ* dixit *Cardinalis Bellarminus*) Presbyterum fuiſſe. Pro *Cardinalatus* dignitate *Hieronymi* afferri poſſunt: *Gloſſa in cap.* Quamquam 2. *qu.* 6. *S. Antoninus part.* 2. Hiſt. *Tit.* 10. *cap.* 6. *Petrus Maturus ibid. Micrologus cap.* 21. *lib.* de Eccleſ. Obſervat. Author Sermonum ad Fratres in Eremo. *Ado* in Martyrologio, *S. Notkerus*, itidem in Martyrologio, apud *Henricum Caniſium Tom.* 6. Antiqu. Lect. 2. *Kalend. Octobr. in Breviario manuſcripto* Bibliothecæ *S. Sylveſtri* in *Quirinali*, ſecundum ritum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Sanctus *Hieronymus Romanæ Eccleſiæ Presbyter* appellatur. Idem fere habes in Breviario à Paulo III. promulgato editionis Pariſienſis A. C. 1543. Denique Sanctiſſimi hujus viri *Cardinalatum* tuentur multi. *Volaterranus lib.* 22. Antropologiæ. *Andreas Barbatia. Quæſt.* 1. *Baſilius lib.* de Præſtantia Cardinalium, ad Cardinalem *Beſſarionem*, ex verbis ejusdem *S. Hieronymi*: *Et nos Senatum habemus*. Item *Jacobus Philippus Bergomas* Supplementi Chronicorum *lib.* 9. *Vincentius* in Speculo Hiſt. *lib.* 15. *cap.* 18. *Nauclerus par.* 2. Chronographiæ, *Generat.* 15. *Sabellicus par.* 2. Raſp. Hiſt. *Enead.* 7. *lib.* 9. *Paulus Borgaſius*, de irregularitate *par.* 6. *Jo. Viguer*,

Digitized by Google

guer, in Inſtitut. Theol. *Jacobus de Varagine*, & *Petrus de Natalibus* in ejus vita, §. 1. *num. 8. Cornelius Schultingius Canonicus SS. Apoſtolorum apud Colonienſes*, in Confeſſione Hieroſolymitana. *Lancellotus Corradus lib. 2. cap. 2.* Templi omnium Judicum. Et alii plures. In *Vaticana* Bibliotheca vidi olim duos Codices manuſcriptos: *Alterum* ab *Antonio* Cardinali *Caraffa* eidem Bibliothecæ teſtamento donatum. Alterum, qui fuerat *Angeli Maſſarelli* Epiſcopi *Theleſſini*. In utroque erant varia. *In illo*: Tractatio *Anonymi*, oſtendentis *S. Hieronymum* fuiſſe Sacræ Eccleſiæ Romanæ *Presbyterum Cardinalem*. *In hoc*: Libellus, in quo diſputat Author: An is fuerit Romanæ Eccleſiæ Cardinalis? & affirmantem ſententiam ſequitur. Hæc *Victorellus*.

AUGUSTINUS OLDOINUS

In Additionibus ad Eundem Ciacconium hæc ponit.

VII. *Baronius*, *Ciacconium* affirmantem *S. Hieronymum* à *Damaſo* Papa *Cardinalem* renuntiatum titulo *S. Anaſtaſiæ*, oppugnat, his verbis: „ Placuit autem Paulino eundem ordinare Presbyterum: cui tamen ſic ipſi aſſenſit, ut nihilominus conteſtaretur ſe nolle alicui Eccleſiæ adſcribi: quippe, qui nolens deſerere monachatum, liberum ſibi eſſe vellet, quo luberet pergere. Id enim ipſemet teſtatus eſt ad Pammachium Epiſt. 61. ſcribens, cum à Joanne Hieroſolymitano ei Eccleſiæ ſubjici tentaretur. Aitque de illo Epiphanius apud eundem Epiſt. 60. ad Joan. Nec precibus adduci unquam potuiſſe, ut vel ſaltem in monaſterio ſacerdotis muneri alligaretur. At ſi, quod plerique dicunt, is à *Damaſo* factus eſt *Cardinalis* tituli *S. Anaſtaſiæ*; cur eum redigi tentaretur à *Joanne* ſub Eccleſia *Hieroſolymitana*, non æque excepit, ſicut de ordinatione à *Paulino* facta, ita de Cardinalatu Eccleſiæ Romanæ? Vel, cur ex illa primitus à ſe facta conteſtatione *Paulino*, ſe omnino liberum declaravit, ſi interim in titulum Cardinalis à *Damaſo* cooptatus eſt? Neque enim Cardinalis quis unquam ſine titulo Eccleſiæ particularis eſſe potuit. Nec eſt, quod fingere quis poſſit, *Hieronymum* poſtquam recuſavit adſcribi Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ*, venientem *Romam* id accepiſſe à *Damaſo*: nam illa, qua hæc refert, ad *Pammachium* Epiſtola (ut ibi teſtatur) ſcripta eſt decimo tertio anno poſt ſuum *Româ* reditum *Hieroſolymam*, totidemque, & amplius poſt obitum *Damaſi*. Sed quid eſt, quod eam dignitatem conſecutum volunt, quod intime *Damaſo* inhæreret? Quaſi vero neceſſe fuerit; omnem, qui ab Epiſtolis eſſet Summo Pontifici, (hoc enim munere poſtea functum *Hieronymum* apud *Damaſum*, ſuo loco dicetur) fuiſſe Cardinalem: cum de *S. Proſpero* certum ſit ex *Gennadio* de viris illuſtrib. *cap. 84.* in eodem miniſterio uſui fuiſſe *S. Leoni*, nec tamen Cardinalem extiſſe. Cæterum Authores illi, apud *Auguſtinum Serm. 24. ad Fratres in Eremo*, qui hanc dignitatem in *Hieronymo* adſtruere conantur, præter, quod incerti ſunt, & plerumque recentiores, multis præterea ſcatent mendaciis, ut nulla iis fides tuto adhiberi poſſit. „ Hæc ſunt verba *Baronii* contra Cardinalatum *S. Hieronymi* quæ etiam apud *Spondanum* ejuſdem Compendiatorem *pag. 386.* leguntur. Quibus ſubjungit *Oldoinus*. His omnibus validis Argumentis *Baronius Hieronymum* à *Cardinalitia* dignitate excludit. Tanti viri authoritas cùm multum apud me valeat, in eandem me traduceret ſententiam, niſi imo-

Digitized by Google

morarer teſtimonio doctiſſimorum virorum, *Cyrilli* ſcilicet Epiſcopi *Hieroſolymitani*, *Euſebii Cremonenſis* Diſcipuli ejusdem, & *Petronii* Epiſcopi *Bononienſis*, qui floruit circa annum noſtræ ſalutis 440. Hi enim omnes coëvi Divi *Hieronymi*, *Hieronymum* inter *Purpuratos Patres* admiſſum à *Damaſo* affirmant, ut refert *Ciacconius* in Opuſculo, quod edidit de Cardinalatu *S. Hieronymi*. Neque dubitare quis poterit hos omnes, qui *Hieronymum* noverunt, ſecumque horum aliqui familiariter egerunt, erraſſe, vel mentitos in re cæteroquin illis temporibus, quando ſcripſerant, notiſſima; dum omnes, qui vitam tunc temporis ducebant, illos objurgare de errore perſpicuo, vel aperto mendacio potuiſſent. Legat, quisquis veritatem indagare in hac re percupidus vivit, præter *Ciacconii* Opuſculum ſupra laudatum, & *Joannis Marquess*, viri eruditiſſimi, Librum de Origine Fratrum Eremitarum *S. Auguſtini*, qui contra Cardinalem *Robertum Bellarminum*, *S. Auguſtinum* Authorem facit *Sermonum ad Fratres in Eremo*. Item: *Cornelium Schultingium*, Colonienſem in Diſputatione ſuper hac re. Ac *Molanum*, de Hiſtoria ſacrarum imaginum *lib. 3. cap. 42.* Ita, & hucusque *Oldoinus*.

VIII. His tribus à Cardinali *Proſpero de Lambertinis*, ut ſupra dictum, citatis adjungo ego *Spondanum* ſæpefati *Baronii* Epitomatorem, qui relatis ejusdem contra Cardinalatum *S. Hieronymi* argumentis *pag. 386.* hanc apponit *Notam*: „ (Egit etiam de „ his *Baronius* Anno 382. Num. 25. „ Sane tamen *Pelagius* Papa ſecundus „ in Epiſtola ad *Eliam Aquilejenſem* „ (ſeu potius *Gregorius* magnus eam „ *Pelagii* nomine, ut putatur, ſcripſerit) quam longè poſt hæc à ſe „ *Baronius* acceptam à *Nicolao Fabro* „ edidit in Appendice *Tomo 9.* inſerendam Anno 586. diſerte paulo „ ante finem vocat *Hieronymum*: *Noſtræ Eccleſiæ Presbyterum*, hoc eſt: „ *Romanæ*. An, quia diu *Romæ* vi„ xit Presbyter inſerviens Pontifici, „ etſi non in ejus Eccleſiæ clerum „ cooptatus? An vero potius, quia „ cum Patria *Dalmata*, ſive *Illyricus* „ eſſet, eo nomine pertineret ad ſpe„ cialem *Romano Pontificis Patriarchatum*)„ Hæc habentur apud *Spondanum*. Ex quibus itaque hucusque adductis Benevolus Lector aſſumat tuendam ſententiam, quæ ſibi præplacuerit, nihil exinde, ut jam inſinuatum eſt, Sancto noſtro *Hieronymo* honoris, aut gloriæ detracturus, nihilque adjuncturus. Quia tamen ſæpecitati *Schultingii* diſputationem de eadem materia editam, ac operi ſuo *Confeſſionis Hieronymianæ* inſertam, qua *Purpurati Dalmatæ* dignitatem Cardinalitiam acriter propugnat, præ manibus haberem, Opuſculo huic ſpeciali capite adnectendam jure merito exiſtimabam. Adeoque ſit

CAPUT XI.

Sancti Hieronymi Cardinalatus à Cornelio Schultingio propugnatus.

I. Conſtanter pernegant Adverſarii, usquam ante tempora beati *Hieronymi* auditum fuiſſe nomen Cardinalium. Verum hanc falſam opinionem funditus evertere mihi tam facile eſt, & in promptu, quam quod facillimum. Nam tempore *Hieronymi* fuiſſe Cardinales docet *Volaterranus lib. 22.* Antropologiæ. *Invenio* (ait) *in antiquis tabulis, apud*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam Aretinam, *Originale Donationis cujusdam Zenobii Senatoris Romani, eidem Eccleſiæ usque ad tempora Damaſi Pontificis facta*, *ubi hujusmodi eſt ſubſcriptio: Et Ego Jo. S. R. E. Diaconus Cardinalis, ex parte Damaſi Pontificis laudo, & confirmo.* Non mirum itaque, quod *Damaſus* Pontifex beatum *Hieronymum* Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem (utpote cui ab Epiſtolis erat Eccleſiaſticis) tam paterno affectu fuerit proſecutus. Fateor, quod non magnis redditibus abundabat, neque Eccleſiam immoderatis ſumptibus onerabat, ſed, quod ad ſplendorem, & majeſtatem hujus ampliſſimi ordinis facit maxime, tam profundæ fuit eruditionis, ut cum eo ex hoc ordine nemo unquam fuerit comparandus. Falluntur autem, quotquot ſcriptis ſuis mandârunt, nomen, & dignitatem Cardinalitiam fuiſſe conditam à *Benedicto VIII.* ſub A. C. 1093. Nam & Divus *Gregorius Cardinalem Sacerdotem* commemorat, qui & Epiſcopus eſſe non deſinit, *Lib.* 2. *Epiſt.* 25. & 52. Huic dans & uſum *Pallii Lib.* 7. *Epiſt.* 5. Inſignia Cardinalium eſſe recentiora, & A. D. 1033. illis addita, & deinde circa A. C. 1250. ab *Innocentio IV.* amplificata non invitus conceſſero: ſed Cardinalium nomen veteribus fuiſſe plane ante ætatem *Benedicti VIII.* incognitum, plane pernego. In publico officio, quod Eccleſia (forte *Colonienſis*) de *S. Hieronymo* ſolemniter celebrat, bis *S. Hieronymus Cardinalis* fuiſſe perhibetur. Nec mirum profecto: Nam ſi, ut ipſe locuples ſatis teſtis eſt, in *Apologia contra Rufinum*, totius Urbis ſtudia in ipſum conſonabant, ut omnium pene judicio, dignus *ſummo Sacerdotio* decernebatur: quid abſurdi continet, ſi *Cardinalem*, quæ dignitas *Pontificia* ſecunda, & proxima eſt, fuiſſe aſſeramus? Neque ſane arrogantiæ vitio id adſcribendum eſt, quod ipſemet ſe faſtigio, & culmine Pontificiæ majeſtatis dignum fuiſſe ob ſanctitatem, humilitatem, & diſſertitudinem profiteatur: nam veritatis hanc vocem *Rufini* invidi Sycophantæ, & æmuli Sanctiſſimi viri, malitia, & improbitas ab invito, tanquam teſtimonium integritatis extorſerat.

II. Audiamus quæſo magnum, & perdiligentem antiquitatum inveſtigatorem *Carolum Molinæum*, bonum *JurisConſultum*, malum *chriſtianum* ſi ſola ſine ratione, vel teſtibus ejus valeret authoritas. *Notandum obiter* (ait de *Cardinalium* origine) *non fuiſſe inventum unius ſolius Papæ, ſed Symmiſtarum quoque ſuorum, videlicet Parochorum Romæ (quos vulgo Curatos appellant) non totius Diœceſis Romanæ, ſed ſolius Urbis, & ſuburbiorum. Cum enim hi eſſent Papæ (utpote proprio Epiſcopo) non minus aſſidui, quam in eadem Urbe vicini, videntes favore, judicioque Imperatorum, Officialium, & ſubjectorum Imperialium plus ſuo Epiſcopo, quam reliquis Epiſcopis Provincialibus tribui (utpote in loco, quod eſſet caput Imperii ſedentis) cœperunt & ipſi cum ſuo Epiſcopo, & ejus Archi-Presbyteris, & Diaconis hunc mundanum favorem pro jure arreptum, quacunque occaſione augere, propriumque, & Papæ, velut commune negotium collatis operibus urgere: atque ſe tanquam aſſiduos, familiares, conſiliarios, & laterales Papæ, è numero reliquorum Parochorum in altiorem ordinem, nonnunquam prærogata dignitatis collegium erigere, novo, & ſplendido in id confecto vocabulo, ſeſe Cardinales appellarunt.* Hæc *Molinæus*. *Joannes* vero *Calvinus lib.* 4. *cap.* 7. *ꝟ.* 30. Non Inſtitutionum, ſed Deſtructionum Chriſtianæ fidei: Originem Cardinalium ad tempora *Gregorii I.* tantum extendit, nihilque Cardinales ab Epiſcopis differre exiſtimat, immo Epiſcopis fuiſſe longe inferiores, nihilque præter fucum, & inanem larvam retinere Cardinales noſtros mentitur. *Remundus Rufus*, Jurium Doctor diſſertiſſimus, & in ſupremo *Pariſiorum* ſenatu Advocatus,

Digitized by Google

tus, in doctiſſima ſua defenſione pro Pontifice Maximo, Cardinalibus, Epiſcopis, totoque Ordine Sacro in *Molinæum* graviſſime, ſolidiſſimeque invectus, ejuſdem calumniam refellit, & tria Capitalium Cardinalium: munus videlicet, originem nominis, & inſignia diligenter explicat. Cujus graviſſimi Scriptoris ſubjecta verba ſic habent: „ Munus quidem „ ipſum ortu ſuo æquale eſt Presby„ terio, & Diaconatui, quod intelle„ ximus jam dudum ex Ignatio, qui „ vixit Apoſtolorum temporibus; „ in *Epiſt. ad Trallianos. Quid eſt* (in„ quit) *Presbyterium, niſi inſtituto Con„ ſiliarii, & Confeſſoris Epiſcopi? Quid „ Diaconi, niſi imitatores Chriſti mini„ ſtrantes Epiſcopo?* Iſtud autem eſt „ munus Cardinalium, quod nemo „ negarit, & *Molinæus* nunc fatetur. „ Quare *Hieronymus ad Ruſticum* Cœ„ tum Presbyterorum, *Senatum* ap„ pellat, apud *Gratianum Diſt.* 16. „ *qu.* 1. *Senatum* (inquit) *Romani ba„ bebant, cujus concilio cuncta agebant; „ & nos habemus Senatum noſtrum, cæ„ tum Presbyterorum.* Antea oſtendi„ mus Presbyteros inſtitutos, ut ju„ varent Epiſcopos: & ita *Concilium „ Carthaginenſe* 4. *can.* 25. Quod eſt „ apud *Gratianum Diſt.* 95. tranſum„ ptum: *Epiſcopus* (inquit) *in Eccle„ ſia in ſeſſu Presbyterorum ſublimior ſe„ deat, intra domum vero collegam Pres„ byterorum ſe eſſe cognoſcat.* Et hæc „ quidem de munere. De *Origine „ nominis* vero iſta comperta habe„ mus ex *S. Auguſtino lib.* 1. de *Baptiſ„ mo* contra *Donatiſtas, cap.* 6. Ubi „ *Auguſtinus* Cardinales *Donatiſtarum* „ vocat: *Grandioris partis Presbyteros,* „ quæ pars *Carthagine* erat, ejuſque „ *Epiſcopus Primianus Carthaginenſem* „ enim ſæpenumero intelleximus „ *Afrorum Primatum Primatem* eſſe, & „ vulgo dici ſolet. Ex *Auguſtino* er„ go diſcimus *Cardinales Presbyteros,* „ vel *Diaconos* eſſe, non omnium „ quidem *Epiſcoporum*, ſed primæ, „ & majoris partis, ſeu Sedis. Di„ ſtinguebantur ergo magnitudine „ *Epiſcoporum* ſuorum iſti *Presbyteri,* „ ab aliis aliorum *Epiſcoporum*: genere „ quidem omnes *Presbyteri, Conſilia„ rii,* & *Confeſſores Epiſcopi*, eſt com„ mune iſtud munus omnium, at „ non omnes *Cardinales*, ut nec om„ nes *majores Epiſcopi. Cardinalis* e„ nim nil niſi *Presbyter* erit, vel *Dia„ conus* primarum ſedium, præſer„ tim *Primates Primatum.* Et ante „ *Auguſtinum* nomen iſtud fuiſſe ex „ *Concilio Romano* à *Sylveſtro* A. C. 325. „ habito intelligitur *Can.* 6. *Diaconi „* (ait) *Cardinales Urbis Romæ ſint ſep„ tem.* Non eſt itaque novum, & „ recens *Cardinalium* vocabulum, ut „ jam milleſimam centeſimam ætatem „ ab *Auguſtino*, qui illa ſcripſit, ſu„ peret: & à *Sylveſtro* milleſimam du„ centeſimam. Nec tunc primum „ inditum probabile eſt. „ Plura de Etymologia, & vi Nominis, atque *Cardinalium* inſignibus apud eundem *Ruffum* reperies, quæ, brevitati conſulens, prætereo.

III. *Paulus Bargoſius, Feltrenſis* Epiſcopus, *Nemoſienſis* Gubernator Generalis, ac Prolegatus in *Turcia*, Juriſconſultus acutiſſimus; in *Tractatu* de Irregularitatib. Ordinum, Officior. ac Beneficior. Eccleſiaſticor. *part.* 6. De origine prima *Cardinalium* prolixè varias diverſorum commemorat opiniones: Ubi primum ortum *Cardinalium* refert ad tempora *Pontiani* Papæ, qui floruit A. C 237. & fuit decimus nonus Papa poſt *Petrum.* Vel vero ad *Marcelli* Papæ ætatem, qui vixit A. D. 294. ſummus hic Canoniſta, doctiſſimusque Epiſcopus non veretur beatum *Hieronymum* bis *Cardinalem Presbyterum* appellare. His *Remundi Ruffi*, & *Pauli Bargoſi* verbis diligenter inſpectis, attenteque conſideratis, non modo *Caroli Molinæi*, ſed & *Joannis Calvini* atque *Polydori Virgilii* commentum in fumos evaneſcit.

IV.

Digitized by Google

IV. *Polydorus Virgilius*, de inventione rerum *Lib. 4. cap. 4.* ad *Evariſtum*, ſeu *Eucbariſtum* natione *Græcum*, à Patre *Bethlehemita Bethlehemiten* cognominatum, qui floruit A. C. 112. primam *Cardinalium* originem refert: *Is enim* (ſcribit) *Pontifex primus omnium Titulos ipſis Presbyteris diviſit, ſeptemque Diaconos inſtituit, imitatione Apoſtolorum. Hunc Dionyſius circa Annum ſalutis* 267. *& Marcellus circa Annum Redemptionis noſtræ* 294. *Pontificis ſecuti, Titulos dilatârunt, atque amplificârunt: ut Damaſus, & Platina teſtificantur; à quibus Guido Archidiaconus in Commentariis in ſextum Juris Pontificii Librum, & Franciſcus Zabarellus Cardinalis, ex teſtimonio Martini Ciſtercienſis Hiſtorici non diſcrepant.* Hæc quidem veritati conſentaneè, nec inepte ab eo prodita arbitror. Sed in ſequentibus priora manifeſte oppugnare, &, ſibi contradicere videtur. Quam enim ineptum, & falſum ſit illud, quod in ſubſequentibus affirmat: Per id videlicet tempus, quo *Hieronymus* vixit, ne nomen quidem tam ſublime Cardinalis fuiſſe auditum: cujus oppoſitum ante ex *Volaterrano*, *Auguſtino*, & *Concilio Romano* ſub *Sylveſtro* habito eſt demonſtratum. Quam plane hæreticum, quod in *eod. cap.* aſſerit: *Bonifacium III.* ab Imperatore *Phoca* impetraſſe; ut in omnes Epiſcopos prærogativam haberet, omniumque caput perpetuo foret; quaſi vero non Jure Divino, & mandatu Chriſti ſemper in omnes, & ſuper omnes alios Epiſcopos habuiſſent Pontifices eminentem poteſtatem, quod à noſtris evidentiſſime eſt comprobatum. Deinde quid referret, ſi maxime vocabulum Cardinalis eo tempore in uſu non fuiſſet? cum Romanæ Eccleſiæ Conſiliarii, & Papæ Coadjutores in executione Pontificialis Officii ſemper extiterint. Quid litigamus per inanem Logomachiam de verborum apicibus? cum de re ipſa liquidiſſime conſtat.

V. Inter Parenthesim. Cùm in præcedentibus ſæpius acta fuerit mentio *De Origine Cardinalium*, & alias frequentius etiam in dubio habita, atque acriter diſputata extiterit; placet hanc à *Ciacconio* conſcriptam, mihique à ſupra memorato A. R. P. Ordinis noſtri ad Curiam Romanam Procuratore Generali ſubmiſſam de verbo ad verbum hic loci apponere, ac tandem pro complemento utriuſque diſceptationis iterum ad *Schultingianæ* propugnationis concluſionem regredi.

ORIGO S. R. E. CARDINALIUM.

Ex Ciacconio, ad A. C. 150. poſt Vitam S. *Hygini* Papæ.

VI. Nomen Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ *Cardinalium*, licet non ſtatim à principio fuerit *Romanæ Eccleſiæ*, ſed progreſſu temporis ortum, munus tamen ipſorum ſemper extitit cum *Pontificia ſede* conjunctum. *Pontificatus* namque citra opem, ſubſidium, & conſilium multorum adminiſtrari nequivit unquam. Unus etenim haud poterat tantam ſolus molem, & pondus ſuſtinere, quin in partem miniſterii nonnullos idoneos adſciſceret, quibuscum ardua negotia Eccleſiæ, pro tempore occurrentia tractaret, ac penſum cuique laboris impertiretur. Tales fuerunt apud *Petrum*, Apoſtolorum Principem *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Anacletus*, & *Marcus* Evangeliſta, atque alii permulti, qui *Pontificatus* ejus munia, & onus ſubiêrunt, & Coadjutores, ac Conſiliarii in re gerenda, & adminiſtranda fuêre. Qui licet nomen *Cardinalium*, tunc inſuetum, haud habuerint, munus tamen, & officium genuinum, quod nunc *Cardinales* exercent, procul dubio præſtiterunt.

Digitized by Google

VII. Non multo autem poſt *Evariſtus* Titulos in Urbe Presbyteris diviſit, ut unusquisque ſuæ Parœciæ terminis, certisque limitibus diſtingueretur. Deinde *Hyginus*, tradente *Damaſo*, clerum compoſuit, & gradus diſtinxit. Hinc creditur gradus ita diſtinxiſſe, ut alii ſuperiores, alii inferiores *Presbyteri*, & *Diaconi* haberentur; alii præeſſent, ſubeſſent alii; & quidem *Cardinarii*, aut *Cardinales* cognomento *Præſidum Aſiæ*, honoris gratia, illis adjecto, reliqui autem ſimplices *Presbyteri*, & *Diaconi* Eccleſiæ *Romanæ*, non tamen *Cardinarii*, aut *Cardinales* dicerentur. Erant autem tunc *Romæ* Curatores Urbis, ſub Præfecto Urbis conſtituti, qui, quæ Regionis cujusque eſſent commoda, civiliter adminiſtrabant; hos noſtra ætas *Capita Regionum* vocat. Horum imitatione ad promovendam *Religionem Chriſtianam* Prædicationem, Baptismum, & Euchariſtiam miniſtrandam, ſeptem primum *Diaconi* ſeptem Regionibus præfecti, quæ ſolæ ex quatuordecim ab incendio *Neroniano* ſalvæ, & incolumes evaſerant, atteſtante *Tacito*, qui ait: *In Regiones quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integre manebant, tres ſolotenus dejectæ, ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera, & ſemiuſta.*

VIII. Primis ergo temporibus, non multo poſt *Neronis* Imperium, ſicut ſeptem Curatores, aut Capita erant Regionum Urbis, Civilia tractantia; ita totidem iisdem Regionibus Curatores inſtituti ſeptem primores *Diaconi*, qui Sacram Religionem Chriſtianam promoverent, & vita, ſi opus eſſet, expoſita pietatem tuerentur. Quod ex *Decretis Symmachi, Hormisdæ, Gelaſii*, ac *Gregorii Magni* Pontificum maximorum eluſceſcit. Floruit autem *Symmachus* A. D. 499. in cujus *Decretis* ita *Diaconi* Regionarii ſubſcribunt: *Cyprianus Diaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Regionis ſeptimæ bis ſubſcripſi, & conſenſi Synodalibus conſtitutis, atque in hac me profiteor manere ſententia.* Et rurſus: *Anaſtaſius Diaconus Regionis primæ ſubſcripſi. Citonatus Diaconus Regionis quintæ ſubſcripſi. Joannes Diaconus Regionis ſecundæ ſubſcripſi. Tertullus Regionis quarta ſubſcripſi.* Sed ante *Symmachum S. Sylveſter* primus Beatiſſimus Pontifex, in Concilio Romano, inter Thermas *Domitianas* celebrato, ſeptem Regiones feciſſe traditur, easque diviſiſſe Septem *Diaconibus*, *Fabiano*, *Marco*, *Liberio*, *Arcidamo*, & *Julio*, & aliis duobus *Priſco*, & *Theodoro* ad hanc ſarciendum numerum ordinatis. Origo igitur vera Cardinalium ex antiquis Curatoribus, ſeu Capitibus Regionum Urbis *Romæ* primitus deſumpta, & ab *Evariſto*, & *Hygino* Sanctiſſimis Pontificibus inchoata, & a Beato *Sylveſtro* non tam inſtituta, quam renovata.

IX. Cæterum factum eſt, ſuadentibus aliis poſt *Evariſtum*, & *Hyginum* temporibus, ut ſe non amplius à Regionibus, quibus præerant, ſed paſſim ab ædificiis, & Patrimoniis Eccleſiæ, à piis viris, & matronis potentioribus in ſubſidium Presbyterorum, & Diaconorum legatis, diſcriminis ſe cauſa nuncuparent. Ex collationibus namque & Legatis virorum, ac piarum, & potentium matronarum non ſolum comperimus Eccleſiam Romanam fuiſſe ditatam, ut & *Ammianus Marcellinus* licet Ethnicus *lib.* 27. atteſtatur, verum etiam Presbyteros, & Diaconos Cardinales ſuos titulos adeptos, ut quisque in talibus domibus donatis habitaret, vel prædiis, aut aliis facultatibus relictis frueretur. Hinc Tituli orti; *Equitii*, *Veſtinæ*, *Pammachii*, *Lucinæ*, *Julii*, & *Calliſti*, *Damaſi Papæ*, *Paſtoris*, *Eudoxiæ*, *Æmilianæ*, *Creſcentiæ*, *Faſciolæ*, *Tigridæ*, &c. Tituli autem ejusmodi nihil aliud erant, quam redditus, vel proventus ex villis, prædiis, fundis, aut agris à piis

piis, ſive viris, ſive fœminis ad alendos Eccleſiæ miniſtros relicti, in qua ſignificatione dicitur quempiam ad titulum ſive Beneficii, ſive Patrimonii ordinari, hoc eſt: ad redditus, qui vel ex Beneficio, vel ex Patrimonio percipiuntur, in ſuſtentationem ordinandi.

X. Quando autem proventus Legatorum copioſi erant, & opulenti, tunc non unus Cardinalis, ſed duo, vel tres Titulis præficiebantur: titulo namque Julii unico tres ſe Cardinales ſubſcripſerunt: *Paulus, Marcellinus*, & *Septimius*. Titulo *Equitii* totidem: *Felix, Sebaſtianus*, & *Adeodatus*. Titulo *Marcelli* duo: *Timotheus*, & *Venantius*. Titulo *Vizanthii* duo: *Agatho*, & *Aſellus*. Hujusmodi autem forma tam diu obſervata, quamdiu Chriſtiani intra Cœmeteria, & occulta loca ſe abdebant Sacramenta miniſtraturi, & percepturi Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ob metum Principum, & Sacerdotum gentilium, qui eos inquirebant, & morte etiam mulctabant.

XI. Poſtquam autem Eccleſia ſub Principibus Chriſtianis cœpit libertate frui, & Templa publica in ſuis Titulis, vel Domibus legatis ædificari, tunc primum Cardinales, Titulis etiam Sanctorum Martyrum & Confeſſorum nomina adjecerunt, ita ſe ſubſcribentes: *Laurentius Presbyter Cardinalis S. Sylveſtri in Exquiliis titulo Equitii. Joannes Presbyter Cardinalis SS. Vitalis, Gervaſii, & Prothaſii, titulo Veſtinæ. Deusdedit Presbyter Cardinalis SS. Joannis, & Pauli, Titulo Pammachii. Petrus Presbyter Cardinalis S. Mariæ trans Tiberim, Titulo Julii, & Calliſti. Specioſus Presbyter Cardinalis S. Laurentii in titulo Damaſi Papæ. Baſſus Presbyter Cardinalis SS. Pudentis, & Pudentianæ, in Titulo Paſtoris. Andromachus Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, in Titulo Eudoxiæ.* Qui ordo deinceps ſervatus eſt. Hæc autem vera eſt Origo, & Progreſſus Cardinalium, qui ad tantum ſplendorem, & authoritatem pervenerunt, ut prima dignitas poſt Pontificiam habeatur, utpote qui ſoli nunc Papam creent, & ex illorum ferme Collegio eligendus aſſumatur. Hucusque laudatus *Ciacconius*. Quia autem hujus præmiſſam de Origine Cardinalium diſſertationem *Andreas Victorellus* non contemnendis *Notis* illuſtravit, non abs re erit, ſi eas oculis Lectoris benevoli ſubjecero.

NOTÆ ANDREÆ VICTORELLI

Super præmiſſa Ciacconii de Origine Cardinalium deſcriptione.

XII. 1ma. (Nomen) *Eugenius IV. par. 1. Bullarii* Litteris: *Non mediocri &c.* in quibus de Dignitate Cardinalium. Vide etiam *Cardinalem de Turrecremata lib. 1.* Summæ de Eccleſia, *cap. 83. S. Sylveſter* in Concilio Romano Coadjutores ſuos Cardinales appellavit. Vide *Eugenium loc. cit.* de Cardinalium origine etiam *Panvinus*, in interpretatione vocum obſcurarum.

2da. (Munus tamen ipſorum) *Eugenius Pontifex* ſcriptum reliquit: *Officium tamen ipſum à beato Petro, ejusque ſucceſſoribus inſtitutum evidenter invenies.* Et *Stephani III.* Synodus: *Oportebat, ut hæc Sacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia (juxta quod à beato Petro, & ejus ſucceſſoribus inſtitutum eſt) rite ordinaretur, & in Apoſtolatûs culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur.* Cardinalis *de Turrecremata cap. 80. loc. cit.* Et in *cap.* quanquam *q. 7.* Cardinalium ſtatum à ſolo Chriſto originaliter, & primordialiter (ſic ille loquitur) inſtitutum fatetur. *Joannes Paulus Donatus cap. 8.* de jure eligendi

Digitized by Google

Miniſtros Eccleſiæ: Cardinales à Divo *Petro* inſtitutos tradidit. *Innocentius III.* ab *Eugenio IV.* relatus: Dei præcepto ex Veteri Teſtamento Cardinalium ſtatum duxiſſe opinatus eſt. Cardinalis *de Turre Cremata*, Argumenta ajentium Cardinales humano jure inſtitutos fuiſſe, refutat. De hac re etiam *Thomas Waldenſis lib.* 2. Doctr. antiqu. fidei *cap.* 54. *Art.* 3.

3tia. (Creditur gradus ita dixinxiſſe) Conſule Cardinalem *Baronium* in Annalib. ad A. C. 158. Et *Panvinum loc. cit.* Et *Libro* de ſeptem Urbis Eccleſiis. Ubi de origine Presbyterorum Cardinalium cenſet hic, ſingulis Titulis, ſingulos præfuiſſe Presbyteros; plures autem in unoquoque titulo ab *Hygino* collocatos, eumque Presbyterum Cardinalem appellatum, qui aliis præeſſet. Et nomen Cardinalis ante *Sylveſtri* ævum in Romana Eccleſia uſurpatum. Cardinalis *Bellarminus*, nomen Cardinalis loco primum impoſitum, deinde à loco ad perſonas translatum fuiſſe opinatur: nam in Concilio Romano ſub *Gregorio* Magno duo erant *Cardinales S. Marcelli*, duo *S. Sylveſtri*, duo *S. Damaſi*, duo *SS. Apoſtolorum*, tres *S. Balbinæ*. *Vasquez in 3. par. S. Thom. Tom. 3. Diſp. 141. cap. 1. Panvino* favet. Hucusque Illuſtrator *Ciacconii Andreas Victorellus*.

XIII. Quæ, prouti & alia promiſſa, à citatis eruditiſſimis Authoribus pro Cardinalatu *S. Hieronymi* producta, ſi bene in trutinam ſumantur, non videtur ratio, cur hac dignitate hic Sanctus vir, & Eccleſiæ Doctor à *S. Damaſo* nequiviſſet honorari? Sed de hoc, memor propoſiti, nolo ulterius differere, adeoque & longior quidem, ſed neceſſaria Parentheſis CLAUDATUR, ſequaturque Concluſio propugnationis *Schultingianæ*.

XIV. Sanè in Generali *Concilio* ſub *Sylveſtro* jam conſtat fuiſſe *Cardinales*, ut eſt Textus in *Can.* Præſul. 2. *qu.* 4. Et in *Can.* A Subdiacono *Diſt.* 93. Cum autem *Damaſus* Pontifex in omnibus cauſis, & graviſſimis negotiis Eccleſiaſticis decidendis, Epiſtolisque ſacris ſcribendis, adeoque ipſis ſcripturis explicandis, conſilio, & opera beati *Hieronymi* aſſiduo ſit uſus, quis dubitabit beatum *Hieronymum* Catalogo Cardinalium adſcriptum fuiſſe? quod autem Pictores inſignia Cardinalium, quæ poſterioribus temporibus ab *Innocentio IV* circa Annum 1550. inventa ſunt, & à *Polydoro Vergilio*, omnium autem eruditiſſimo *Remundo Ruffo* & *Lazaro Boyſio* explicantur, divo *Hieronymo* attributa, atque impertita ſint, quibus etiam nunc ejus Imago paſſim in ſacris ædibus ornata viſitur, id eorum imperitiæ, licentiæ, libertati nimiæ adſcribendum eſt:

> Pictoribus etenim, fictoribus, atque Poëtis,
> Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Pictores quoque imperiti ſe præſenti potius tempori, & habitui, atque moribus, quam præteritis, vel antiquis accommodare, & ex uſitatis hodiernis *Cardinalium* inſignibus vetuſtum habitum pro errore æſtimare ſolent. Ita, & plauſibiliter quidem, *Schultingius* pro ſancto Patriota noſtro diſceptare dignabatur: Quamvis id ad nos, utpote tam eximii ſancti Viri, & Eccleſiæ Doctoris Connationaliſtas magis pertinuiſſet. Interim cum propugnatio hæc ab Alienigena edita firmior evadere videatur, nos merito gloriari poſſumus, habere nos Conterraneum ejusmodi, qui ſicut prudentiâ, litteris, & ſanctitate clariſſimus, ita etiam tanquam Eccleſiæ Catholicæ lux fulgentiſſima, omniumque *Illyriorum* decus

decus ampliſſimum ab exteræ etiam nationis Viris illuſtribus propugnetur, & honoretur. Ut autem ulterius, & uberius honoris, gloriæque titulis colatur, ad ejus ulteriorem quoque transactæ vitæ ſeriem deſcribendam, à qua prolixiore diſſertatione, ſed non abſque ratione digreſſus fuerat, reditum expoſcit calamus *S. Hieronymo* ex aſſe dicatus.

CAPUT XII.

Sancti Hieronymi Integritas contumeliis appetita.

I. LOngum nimis foret univerſa ſingillatim referre, quæ toto triennio, quo *Romæ* Sanctum *Hieronymum* morari contigit, ad decorem, & utilitatem totius Eccleſiæ fecit, ordinavit, atque conſcripſit. Quibus omnibus à *S. Damaſo* Papa injunctis, ad deſideratum terminum deductis, ſicut ſolicitudine ingenti, ita & ſolida authoritate in id incubuit, ut vitiorum radices hominum cordibus evelleret, effrenemque, cui *Romani* multi nimium indulgebant, frenaret libertatem, ac clericorum mores reformaret, quatenus hac ex reformatione unica ſanctitas in Urbe ſancta perpetuis temporibus floreret.

II. Cum itaque *S. Hieronymus* fuiſſet vir religioſiſſimus, graviſſimus, rigidiſſimusque vitiorum cenſor, neque hominum reſpiceret perſonas, verum omnia ſola virtute, Deique gloria metiretur, non potuerunt oculi ejus tantam ferre vitiorum duritatem, quin & ſæcularium, & clericorum, ſignanter imperitiam (ut videre eſt in *Præfat.* adverſus *Didymum* de Spiritu S.) ac pravos mores, de quibus *Epiſt.* 17. ad *Euſtochium*, agit, Scriptis ſuis ſugillaret, laſciviamque reprehenderet. Diſſipuit reprehenſis cibus hic, eſto ſapidiſſimus, quibus palatus jam fuerat corruptus. Illi ipſi itaque, qui prius illius veſtigiis inſiſtebant, qui veſtes, manusque ejus exóſculabantur, qui ab eo benedici poſtulabant, multis eum ſub communi nomine *Monachorum* petebant conviciis, &, ut *Impoſtorem*, ac *Græcum* jactabant, quaſi urbe pellendus, lapidibus obruendus, & in fluctus præcipitandus. Majores autem ſibi ſumpſerunt animos ex morte *S. Damaſii* Papæ (qui A. C. 384. deceſſerat) rati, jam virum ſanctum præſidio nudatum, omnique defenſore deſtitutum. Eapropter, ut ſua mendacia aliquo fuco tingerent, oculosque hominum aliqua veritatis larva faſcinarent, muſſitabant imprimis, nefas eſſe *monachum* adeo familiariter cum fœminis converſari, quamvis & principes Matronæ eſſent, & ſanctæ apparerent. Hoc autem ea de cauſa dictitabant, quod aliquæ nobiles Matronæ Romanæ viro Sancto vel imprimis devotæ, omnisque omnino perfectionis ſtudioſæ, Sanctum *Hieronymum* tanquam Patrem, Magiſtrumque conveniebant, ut ab eo erudirentur, & quemadmodum Deo placere poſſent, inſtituerentur. Inter has præcipuæ fuere (ut *cap.* 9. inſinuavi) *S. Paula* vidua, ejusque filiæ *Paulina*, *Euſtochium*, *Bleſilla*, & *Rufina*: *S. Marcella*, *Albina*, *Aſella*, aliæque quamplures optimæ notæ, & famæ mulieres: E quibus maximæ eminuit *S. Paula*, quæ, quo perfectius Deo ſerviret, domum, filios, cognatos, amicos, ipſamque adeo *Romam* deſerere decreverat, atque *Hieroſolymam* pergere, quo *S. Hieronymus*, mortuo jam *Damaſo* Papa navigare deſtinabat.

III. Quia vero mundus pro ſtultitia habet Chriſti ſapientiam, putatque id omne perire, quod Domini ſervitio impenditur; opinatus etiam eſt nimium eſſe rigorem, qui divinæ legi conſonat: illi ergo qui ſe ab *Hieronymo* rigorem vitæ ſuadente, laxitatem vero increpante reprehenſos ſentiebant, ut ipſum aliqua nota, non modo hypocriſeos, & falſitatis, ſed & laſciviæ, ac mulieroſitatis inſignirent, uſi ſunt hac occaſione. Cum Sanctum (ſed adverſariis non ſanctum, verum hypocriticum virum, & impoſtorem, ac fucatæ virtutis hominem) *Hieronymum* ad matutinas ſolito more ſurgere, & veſtes induere noſſent, iniqui hi veſtem mulieris Sanctæ *Paulæ* furto ſublatam juxta lectum illius clam collocarunt, quam Sanctus vir expergefactus, & in tenebris, lumine carens, ſuam eſſe credens induit, atque in Eccleſiam ſic proceſſit. Hoc autem detractores, illi ideo faciebant, ut mulierem in thalamo habere crederetur continentiſſimus *Hieronymus*; atque ut plauſibilius hæc, & alia ſua mendacia venditarent, uſi ſunt falſo cujusdam ære conducti teſtimonio adverſus virum Sanctum, Sanctamque *Paulam* prolato. Pſeudoteſtis tamen à viris timoratis in vincula conjectus, examinatus, tortusque negavit, quod antea jureſjurando affirmaverat, ſuumque mendax teſtimonium faſſus, totam rei actæ ſeriem veracem, Sanctique *Hieronymi* integritatem, ac *S. Paulæ* innocentiam publice detexit.

IV. Agricolæ aſperam amant hyemem, quo enim magis eſt frigus, eo ſegetes magis radicantur in terra, magisque ſugunt terræ ſuccum, indeque in æſtate majorem expectant meſſem. Ita Sancti generoſi amant aſpera, inde etiam lætiores fructus patientiæ, aliarumque virtutum in hac vita, & gloriæ in æterna metunt. Novit quam optime hoc *Hieronymus*; hinc quemadmodum poſtea Comment. *in Ezech. cap. 3. v. 8.* docuit, dicens: *Dedi tibi vultum duriſſimum, & frontem, quæ nullo pudore ſuperetur. Ex quo diſcimus, interdum gratiæ Dei eſſe, impudentiæ reſiſtere, & cum res popoſcerit, frontem fronte concutere.* Sic idipſum antecedenter omni animi libertate, facieque imperterrita arguebat, increpabat, carpebatque vitia obſtinatorum hominum, & ſignanter clericorum *Romanorum*, parvi pendens eorum odium, quod ſe incurſurum prævidebat, prouti &, ut ex actis ſupra relatis patet, incurrit. Quapropter ſcribens ad *Aſellam Epiſt. 45.* ait: *Gratias ago Deo, quod dignus ſim, quem mundus oderit. Quotam partem anguſtiarum perpeſſus ſum, qui Cruci milito? infamiam falſi criminis imputarunt, ſed ſcio per bonam, & malam famam perveniri ad Regna Cœlorum.* Deinde *Epiſt. 19.* ad *Furiam*, oſtendens quantis maledictis, titulisque calumnioſis, à maledicis laceſſeretur, inquit: *Addant, ſi volunt, ſamaritanum, ut Domini mei titulum recognoſcam.* Item *Epiſt.* in *vet. cod. 119.* ad *Pammachium*, laudans eum, quod ex Conſule *Monachum* induerit, vulgique ſermones contempſerit, ajens: *Quis crederet hoc, quod Conſulum Pronepos, & Furiani germinis decus inter purpuras Senatorum furva tunica pullatus incederet? & non erubeſceret oculos ſodalium, ut deridentes ſe derideret? Prima virtus eſt monachi contemnere hominum judicia, & ſemper Apoſtoli recordari dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas: Quod poſuerit faciem eorum quaſi urbem æcam, & lapidem adamantinum, & columnam ferream, ne paverent ad injurias populi, ſed impudentiam ſubſanantium frontis rigore contererent.*

V. Harum ſuarum contumeliarum meminit *Hieronymus*, dum cum ſtomacho Urbem relinquens *Hieroſolymam* navigatus in portu *Romano* ſub-

Digitized by Google

ſubſiſteret, tempuſque navigationis expectaret, atque ad *Aſellam Epiſt.* 45. ſcriberet, & hujuſmodi obtrectatorum obloquiis excitata bile reſponderet, ac hominum malevolentiam deploraret, dicens: *Ego probroſus, ego verſipellis, & lubricus, ego mendax, & ſathanæ arte decipiens. Quid enim eſt tutius, hæc vel credidiſſe, vel finxiſſe de inſontibus, an etiam de noxiis credere noluiſſe? Oſculabantur mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant: & dolebant labiis, corde gaudebant. Videbat Dominus, & ſubſannabat eos, & miſerum me, ſervum ſuum, futuro cum eis judicio reſervabat. Alius inceſſum meum calumniabatur, & riſum, & ille vultui detrahebat, hic ſimplicitate aliud ſuſpicabatur. Pene certe triennium cum eis vixi. Multa me virginum crebro turba circumdedit. Divinos Libros, ut potui nonnullis ſæpe diſſerui: lectio aſſiduitatem, aſſiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant, quid unquam in me aliter ſenſerint, quam Chriſtianum decebat? Pecuniam cujuſquam accepi? munera vel parva, vel magna non ſprevi, in manu mea æs alicujus inſonuit? obliquus ſermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud objicitur, niſi ſexus meus; & hoc nunquam objicitur, niſi cum Jeroſolymam Paula, & Melania proficiſcuntur. Eſto: crediderunt mentienti: cur non credunt neganti? Idem eſt homo ipſe, qui fuerat: fatetur inſontem, qui dudum noxium loquebatur: & certe veritatem magis exprimunt tormenta, quam riſus: niſi quod facilius creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, ut fingatur, impellitur. Antequam domum Sanctæ Paulæ noſſem, totius urbis in me ſtudia conſonabant: omnium pœne judicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damaſus meus ſermo erat, dicebar ſanctus, dicebar humilis, & diſertus. Nunquid domum alicujus laſcivioris ingreſſus ſum? nunquid me veſtes ſericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam poſſet edomare mentem, niſi lugens, atque jejunans, ſqualens ſordibus, fletibus pæne cæcata, quam continuis noctibus miſericordiam Domini deprecantem ſol ſæpe deprehendit: cujus canticum Pſalmi, ſermo Evangelium, deliciæ continentia, vita jejunium? nulla me potuit alia delectare, niſi illa, quam manducantem nunquam vidi? ſed poſtquam eam pro ſuæ merito caſtitatis venerari, colere, ſuſpicere cœpi, omnes me illico deſeruere virtutes. O invidia primum mordax tuis! O ſathanæ calliditas, ſemper ſancta perſequens!* Hactenus *Hieronymus* eo tum, dum Romano in portu *Hieroſolimitanam* navigationem expectabat raptim, flens, dolenſque, ut *ead. Epiſt.* teſtatur. Ubi convenerant eum *S. Paula*, *Euſtochium*, multæque aliæ piæ virgines, quæ magis Domini invitantis, quam retrahentis mundi vocibus attendentes, inhæſere.

VI. Gravia certo, atque injurioſa fuere hæc convitia in tam Sanctum, & eruditum virum linguis maledicis jactatæ, quæ cum ne ferendo quidem potuiſſet reprimere, ceſſit ut dictum eſt, *Româ*: manſueti enim, placidique hominis proprium eſt dare locum improbitatibus aliorum, neque ad pertinaciam malignitate contendere. Sed quis æquo animo ferat impoſtorum abſurda mendacia, quibus quidam tradiderunt eundem muliebri veſte ab Urbe expulſum? Ad quam impoſturam refellendam, illud ſufficiens eſſe dignoſcitur argumentum, quod *Spondanus* ad A. C. 385. notavit de *Rufino*, qui *Hieronymi* adverſarius maximus leviora quæquæ in *Hieronymum* unquam jactata diligenter collegit, iſtud non invexit in eum, quod in fronte fuerat collocandum: cum præſertim res tanta, in tantum virum, locoque tali admiſſa nec angulum Orbis præterire potuerit, ubi non ſciretur.

VII. Cum igitur *Hieronymus*, tantis exagitatus calumniis, privato con-

O ſilio

Digitized by Google

ſilio ab Urbe diſceſſum decreviſſet, illud Evangelii conſilium ſecutus, *ſi vos perſecuti fuerint in civitate iſta, fugite in aliam*, ac in *Palæſtinam* perveniſſet, dum Librum *Dydimi* latinitate donaret, in *Præfatione* ejusdem *Romanam* Urbem *Babylonem*, & *Purpuratam meretricem* appellabat, atque in adverſarios inſurgens, poſt pauca ſubdit; *Ecce Phariſæorum conclamavit ſenatus*, & *nullus ſcriba vel fictus, ſed omnis quaſi indicto ſibi prælio doctrinarum, adverſum me imperitiæ conjuravit*. Liberiorem hunc loquendi morem *Rufinus* exprobrat *Hieronymo*, ac miratur, inquiens: *Quomodo de Urbe Roma, Deo favente, Capite Chriſtianorum ea dicat, quæ dicebantur tunc, cum Gentiles in ea populi, & perſecutores Principes morabantur.* Sed poſt oſculum ſacrorum pedum flexis auſcultemus genibus æquum, & juſtiſſimum Hieronymi defenſorem, modernum Sanctiſſimum Dominum noſtrum *Benedictum XIV.* in quo ſicut Vicarium Chriſti dignitatem profundiſſimo cultu venerari obligamur, ita ab hoc ad aliud, præter ipſiusmet Chriſti Domini tribunal appellare prohibemur. Hunc inquam in Littera Apoſtolica de Nova Martyrologii Romani editione ad *Joannem V.* Regem Portugalliæ A. D. 1748. ſcripta audiamus pro *Hieronymo* contra *Rufinum num. 64.* ſic diſſerentem; „ Æquior Baronius, rigidiora illa S. Doctoris verba ex juſto dolore potius, „ quam ex furore, odiove prolata „ explicat, ſimulque excuſat ad A. C. „ 385. ita ſcribens: *At hic lector attende, hæc à S. Hieronymo ſcripta de inſcitia Romanæ Eccleſiæ miniſtrorum, „ non ſic quidem accipienda eſſe, prout „ hyperbolicus ſonat ſermo, omnes Romanæ Eccleſiæ Clericos fuiſſe doctrina expertes, cum dicit: Quod nullus ibi ſcriba vel fictus, nempe Doctor, ſed Phariſæi omnes, nempe ſceleſti, cautela vero, & hypocriſi ſcelera contegentes, „ Concedendum aliquid Hieronymo juſtiſſima cauſa indignanti, qui oculos in eos „ tantum converſos habens, à quibus contumeliis, & calumniis impeteretur, omnes illos pravos dixerit, & imperitos. „ Certe quidem, qui tempora hæc exacte „ conſiderat, intelliget plane hoc tempore „ coaluiſſe in Eccleſia Romana Clericos doctrina, atque ſcientia claros.* Si quid „ ergo vehementiori ſtylo *Hieronymus* aliquando protulerit, venia dignus; non enim in probos, atque „ innoxios ſed in eos, quorum vitia „ damnaverat, ſermonem convertit. „ Enim vero ſuis Epiſtolis Monachos „ inſectatus fuerat, qui ſuæ profeſſionis obliti, vitio gulæ ſe dederant, divitum domus frequentabant, efferebantur ſuperbia, ſuperſtitione tenebantur; Virgines quoque, quæ nimia familiaritate cum „ viris verſabantur, acrius reprehenderat. Hinc odia, obtrectationes, „ ac maledicta pravorum hominum, „ qui inſaniebant in Medicum, à quo „ ſanabantur. „

VIII. Cum iterato ſacrorum pedum oſculo humillimas Beatiſſimo Patri, & Domino meo, potentiſſimo, ac ſimul invictiſſimo *Hieronymianorum* ſcriptorum defenſori ago gratias, & cum pauper religioſus non habeam, quo tantis protectionis favoribus correſpondeam, precibus longævam eidem vitam, feliciſſimumque Eccleſiæ gubernium, ac tandem cœleſtis vitæ præmium ab Altiſſimo exorare connitar; ne tamen ingratus exiſtimer, illud, quod ſuum eſt, ac in citata Littera *num. 8.* de eodem *S. Hieronymo* appoſitum univerſis legendum repræſento. „ Si arcana Divinæ providentiæ conſilia ſcrutari liceret, duce *Gennadio Maſſilienſi*, vel „ alio, quisquis ille fuerit, Scriptore „ vitæ *S. Hieronymi*, quam in citato „ *Tom. 2. Vallarſius* edidit, haud dubitaremus aſſerere: Deum, qui ſatius „ duxit de malis bona facere, quam „ mala nulla eſſe permittere, maximum ex conſpiratione in *Hieronymum Romæ* facta, ejusque ab Urbe

re-

„receſſu elicuiſſe bonum; ut nimi„rum *S. Doctor* à publicis negotiis, „& Urbis ſtrepitu remotiſſimus, Sa„crarum Scripturarum ſtudio totus „vacaret, ſuasque vigilias, ac curas „omnes, nullo prohibente, in præ„clarum illud opus, utiliſſimum, „æque ac commendatiſſimum con„ferret. *Verum enim vero* (ita loqui„tur Scriptor vitæ apud *Vallarſium* „*pag.* 243.) *hunc ego felicem dixerim,* „*hujus fugæ eventum corrigentis Chriſti* „*judicio diſpenſatum, quem pravorum* „*hominum perſecutionibus paratum fore* „*exiſtimo: ſcilicet ut Romana Eccleſia,* „*Petri inſtituta regimine, omniumque* „*veteris Teſtamenti Librorum edocta ve*„*ritate Chriſto Deo volente, & Hiero*„*nymo ſpeciali ſtudio deſudante, hebrai*„*cam quoque habeat veritatem, & Græ*„*corum quorundam levitas, quæ ſibi Ro*„*manos à ſe omnes Scripturas divinitus* „*inſpiratas accepiſſe plaudebat, eos ha*„*bere, quod non habet, recognoſcat.* „

IX. Adjungo huic doctiſſimam plane pro tuenda *Siricii Papæ* ſanctitate, ac *Hieronymi* fama Apologiam Ejusdem *SS. Dom. noſtri*, quam in ſæpè citata Littera *num.* 73. duobusque ſequentib. hiſce exprimit verbis: „Quo tempore gravior illa „de *Hieronymi* doctrina contra *Jovi*„*nianum* fervebat in Urbe diſceptatio (cujus ego ſupra *par.* 2. *cap.* 9. *num.* 11. memini) *S. Doctor* ſuam ad *Pam*„*chium* ſcripſit Epiſtolam, quæ in „*Tom.* 1. editionis *Veronenſis* eſt 49. in „quæ poſtquam meritas reddidit a„mico grates, quod Exemplaria *Ro*„*mæ* ſuſpecta prudens ſubtraxerit. „*De Opuſculis meis contra Jovinianum,* „*quod & prudenter, & amanter feceris* „*exemplaria ſubtrahendo, optime novi.* „Subdit poſt pauca: *Audio totius in* „*te Urbis ſtudia concitata: Audio Pon*„*tificis, & populi voluntatem pari men*„*te congruere. Minus eſt tenere Sacer*„*dotium, quam mereri.* Hiſce verbis „expendendis intentus *Florentinius* in „relata *Exercitatione pag.* 1003. ſic fa„tur: *Verum ea occaſione Siricium com*„*motum in Pammachium, nedum in* „*Hieronymum, ex omnibus fere clamo*„*ribus ita idem Hieronymus affirmat:* „*Audio totius in te Urbis ſtudia concita*„*ta: Audio Pontificis, & populi volun*„*tatem pari mente congruere. An vero* „*amarulentum illud, quod ſequitur, in* „*Siricium jactatum ſit? hæreo: Minus* „*eſt tenere Sacerdotium, quam mereri.* „Hæret ergo *Florentinius*, nec audet „hæc verba ad *Siricium* transferre. „Quod ſi quis præſidentior, ea de „*Siricio* intelligenda eſſe obfirmato „animo contendat, tandem id dabi„mus, ita tamen ut nullo pacto *Si*„*ricium* ex *Hieronymi* teſtimonio Pon„tificatus honore indignum fuiſſe „concedamus. Quidquid enim hac „in re S. Doctor ex aliena potius, „quam ex propria ſententia protu„lerit, ut infra explicabimus, profe„cto privata unius, vel alterius au„thoritas, publico totius Romani „Cleri, Populique judicio non eſt „anteponenda. Cumque ſplendi„dum, atque inconcuſſum ex *Valen*„*tiniani* Imperatoris Epiſtola petatur „argumentum de provida *Siricii* ele„ctione, ejusque innocentia ac pro„bitate, ſileat oportet quicunque „obtrectator, hujuſce Elogii, quod „pro *Siricio Valentinianus* attexuit, „authoritate convictus: *Magnum* „*innocentiæ, & probitatis exemplum eſt,* „*in una acclamatione & ipſum (Siri*„*cium) eligi, & cæteros improbari.* Sed „neque lividam obtrectationis ma„culam *Hieronymo* inurendam cenſe„mus; quidquid enim hac in parte „illi excidit, quod *Siricii* ſanctitati „injurium videatur, inani potius il„lius credulitati, quam infenſo in „optimum Pontificem animo tri„buendum. Potuit ſane S. Doctori „contigiſſe, quod iis paſſim uſuvenit, „qui remotiſſimas regiones inhabi„tant, ut nimirum ex falſo quopiam „rumore *Jeroſolymam* perlato, in er„rorem inductus, minus æquam de „*Siricii* virtutibus, regimine, ac pro-

„ bitate conceperit opinionem. Quod „ animo imbiberat privatis ad amicum *Pammachium* litteris aperuit, atque ob eam, quæ inter amicos, obtinet, familiaritatem, fortaſſe minus „ cautus, de iis facile locutus eſt, quæ „ ex incerto, atque inani rumore in „ vulgus diſſeminabantur. Accedit, „ quod litteras ad *Pammachium Hieronymus* dederit, quo tempore diſceptatio contra *Jovinianum* adhuc „ fervebat, & *Siricius* populari Urbis „ opinione deceptus, adverſariis *Hieronymi* liberius fortaſſe, quam oportebat, favere videbatur. Hinc „ nova *Hieronymum* inceſſit ſuſpicio, „ novus timor, qui tandem in voces, „ quæ *Siricii* integritati adverſari videntur, erupit. Quo ferme pacto „ inter collitigantes occurrunt aliqui, „ qui cùm bonam foveant cauſam, ſi „ Judicem, in adverſam partem propendere ſuſpicantur, in Judicem „ ipſum inſurgunt, obloquuntur, „ ejus laudibus obtrectant, munere, „ quo fungitur, indignum affirmant, „ donec judicium, de quo ſibi metuunt, definiatur. Ubi vero juri „ conſonam Judex ſententiam tulit, „ verſis vicibus, ſermonem corrigunt, ſuſpicionem execrantur, palinodiam recinunt, ſummamque „ Prætoris ſententiam, atque integritatem commendant. Hæc eadem „ facile *Hieronymo* poſſunt accommodari. Cum enim pendulo adhuc judicio anceps hæret, ac dubius, de „ *Siricio* conqueritur; at contra, re „ integra, & quavis ſuſpicione remota, *Siricium* veneratur, ac multa „ cum laude commemorat, ut infra „ patebit. „ (apud me Operis hujus *par. 2. cap. 16. num. 6.*) „ Haſce conjecturas amplectimur, quæ & *Siricii* „ Sanctitati, & *Hieronymi* famæ ac dignitati bene conſulunt. Eos namque averſamur, qui de celeberrimi „ Eccleſiæ Doctoris honore tuendo „ nihil plane ſolliciti, ut *Siricium* „ vindicent, damnant *Hieronymum*: „ in quem idcirco nedum maledicentiæ, ſed & invidiæ, ac ambitus crimina congerunt. Ferunt enim, „ illum ſecunda populi acclamatione „ in *Damaſi* ſucceſſorem propoſitum, „ ſed mox in Electione *Siricio* poſthabitum, verba illa in æmulum immerito ſibi præpoſitum protuliſſe; „ *Minus eſt tenere Sacerdotium, quam mereri.* Præpoſteram hanc verborum *D. Hieronymi* interpretationem „ refert *Florentinius*, quamvis eam omnino non approbet. At Nobis „ nullo modo ferenda videtur; non „ enim citra ſummam injuriam, illud „ de *Hieronymo* aut ſentire, aut etiam „ ſuſpicari poſſumus, tantum Virum „ usque adeo ambitus crimine abreptum fuiſſe, ut & futurum Pontificatum concupierit, & deperditum „ ingemuerit. „ Ita Sanctiſſimus Pater *Benedictus PP. XIV.* pro Sanctis, quorum meritis ut ſanctificetur adhuc, Deum exoraturus, ad reſidua *S. Hieronymi* pro Dei gloria, & Eccleſiæ ejus emolumento Acta tranſeo.

CAPUT XIII.

Sancti Hieronymi repetita Hieroſolymitana peregrinatio: item Alexandrina, & Ægyptiaca: ac iteratum linguæ hebraicæ ſtudium.

I. Præmiſſis his, & ſimilibus, iisque quam plurimis *Hieronymus* laceſſitus injuriis, non ille vindictam ſpirabat, non ille lædentes ſe infeſtabat, non ſe in iram non in choleram agitabat, verum omnia in patientia pro Deo ſuſtinebat: tanto enim Sanctiſſimi nominis JESU flagrabat amo-

amore, ex ſimplici, puraque fide derivato, quod omnem ſæcularem deſpexerit vanitatem, ac Deo duntaxat vivere, ſuæque militiæ finem, ut ipſe loquitur, non terræ, & temporis, ſed Cœli, & æternitatis regnum eſſe voluerit, immo nihil amplius præferendum duxerit ei, qui verus eſt Dominus, & verus Pater, æternusque Imperator. Quo facilius autem, & expeditius ſeſe totum ſacro huic dicaret ſtudio, de ſeceſſu iterato apprimè cogitavit, ſuosque *Romæ* tumultus relinquere, inque piam ſeſe abdere ſolitudinem decrevit; nimirum ut ibi ab hominum frequentia remotus, cum ſolo Chriſto, cumque ſuis libris habeat commercium, Chriſtianæque pietatis exemplar egregium ibidem abſolvat.

II. Quapropter, poſtquam demortuo *S. Damaſo* Papæ ſubrogatus fuiſſet *Syricius*, qui *S. Hieronymum* non adeo, ex informatione (ut creditur) invidorum æſtimabat, factaque ejus, & ſcripta, quamvis excellentia vilipendebat, neque amplius ad conſilia admittebat: *Hieronymus Roma* ſe A. C. 385. (ut *Baronius* notat) menſe Auguſto cum *Pauliniano* Fratre ſuo germano natu minore, & *Vincentio* Presbytero, aliisque monachis *Hieroſolymam* uſque ipſum comitaturis, & illic habitaturis abſtraxit. Cum his itaque ſolvens à portu *Romano* navigavit *Cyprum*, ubi magna cum benevolentia, & amore fuit à *s. Epiphanio* loci hujus Epiſcopo exceptus. Ab hoc vero iterum navigans *Antiochiam* conceſſit, ubi *Paulinus* Epiſcopus eum hoſpitio ſuſcepit, & perhumaniter habuit: à quo digrediens abſoluta navigatione in ſumma hyeme, & frigore graviſſimo intravit *Hieroſolymam*. Hujus itineris ipſemet meminit in *Epiſt.* in *vet. cod.* 41. ad *Rufinum* ſcribens, his verbis: *Vis noſſe profectionis meæ de urbe ordinem? narrabo breviter. Menſe Auguſto flantibus Etheſiis cum ſancto Vincentio Presbytero, & adoleſcente fratre, & aliis monachis, qui nunc Hieroſolymis commorantur, navim in Romano portu ſecurus aſcendi: maxima me Sanctorum frequentia proſequente. Veni Rhegium, in Scyllæo litore parum ſteti, ubi veteres didici fabulas, & præcipitem fallacis Ulyſſis curſum, & Syrenarum cantica, & inſatiabilem charybdis voraginem. Cúmque mihi accolæ illius loci multa narrarent, darentque conſilium: ut non ad Protbei columnas, ſed Jonæ portum navigarem, illum enim fugientium, & turbatorum, hunc ſecuri hominis eſſe curſum, malui per Maleas, & Cycladas Cyprum pergere. Ubi ſuſceptus à Venerabili Epiſcopo Epiphanio, cujus tu teſtimonio gloriaris, veni Antiochiam; ubi fruitus ſum communione Pontificis, Confeſſoriſque Paulini: & deductus media hyeme, & frigore graviſſimo intravi Hieroſolymam. Vidi multa miracula, & quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi.*

III. Ne autem hic cui ſuſpicio oriatur, quod *Hieronymus* mira quædam ſe hac vice *Hieroſolymis* vidiſſe ſcribat, quaſi is prima nunc vice Urbem hanc ſanctam ingreſſus fuiſſet, notandum cenſui, *Hieronymum* hac vice jam ſecundo *Hieroſolymam* perveniſſe, idque patet ex ipſiusmet aſſertionibus ſupra *cap.* 7. productis. Quæ porro fuerint illa mira, quæ tum primum *Hieroſolymis* ſe vidiſſe *Hieronymus* tradit? Reſpondet *Baronius* apud *Spondanum* ad A. C. 385. his verbis: „ Fortaſſe ejusmodi intelligit, qualia ad ſepulchra Sanctorum „ alibi fieri ſolita ſcribit in Epitaphio „ *Paulæ Epiſt.* 8. ajens: *Cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra ſanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibillare ſerpentum, mugire taurorum: alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſque pede fœminis, veſtes defluere in faciem.* His ſimilia narrat, „ *Hilarius lib.* de Synodis, nec non *Paulinus*

„*linus Nolanus* Natali 7. *S. Felicis*: *&* „*Severus* Dialogor. *Lib.* 3. qui de fœminis arreptitiis illud addunt: „quod licet pedibus ſuſpenſæ eſſent „deorſum capite, nihilominus veſtes „inhærerent Divino miraculo pedibus, quo fœminino pudori eſſet „conſultum."

IV. *Hieroſolymis* conſtitutus *Hieronymus* pietati, ac devotioni vacans, ſenſit ſe adeo à pompis, & vanitatibus ſæculi, atque ab aulæ, curiæque *Romanæ* murmuribus fatigatum, tantiſper abſolutum. Non diu tamen morabatur *Hieroſolymis*, mox etenim anno ſequenti diſcendi adhuc cupidus profectus eſt in *Ægyptum*, & quamvis eſſet vivum omnis ſanctitatis exemplum, virque ſemiſenex, & omnium ſcientiarum peritiſſimus, erat tamen adeo humilis, atque modeſtus, ut ab omnibus virtutes, & litteras condiſcere non dedignaretur. Hinc veniens *Alexandriam* concredidit ſe in Diſcipulum *Didymo* cæco, omnibus eruditis ſæculi ejus viris oculatiori, olim *Athanaſio*, & *Antonio* charo, atque ob doctrinæ magnitudinem celeberrimo, qua de cauſa maximo ſuo ingenio *Viri ſapientiſſimi* nomen fuerat conſecutus; eumque *S. Hieronymus Proœmio in Epiſt. ad Gal.* virum *Videntem* appellare conſuevit, oculosque eum habuiſſe columbæ, quæ laudatur in *Canticis Canticor.* in Sponſa ſcribit *Præfat. in Didym. de Spiritu S.* Item; idem *S. Hieronymus* de *Didymo Libro de Scriptorib. Eccl.* hæc habet. *Didymus Alexandrinus captus à parva ætate oculis: & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum ſui omnibus præbuit, ut Dialecticam quoque, & Geometriam, quæ vel maxime viſu indiget, usque ad perfectum didicerit. Is plura opera nobilia conſcripſit: Commentarios in Pſalmos omnes: Commentarium in Evangelium Matthæi, & Joannis: Et de Dogmatibus, & contra Arianos Libros duos: Et de Spiritu Sancto Librum unum, quem ego in Latinum verti. In Iſaiam tomos decem: In Oſee octo ad me ſcribens Commentariorum Libros tres. Et in Zachariam meo rogatu Libros quinque: Et infinita alia, quæ dirigere proprii judicii eſt. Vivit atque hodie, & 83. ætatis ſuæ exceſſit annum.*

V. Apud hunc itaque Cæco-Videntem, eruditiſſimum virum *S. Hieronymus*, qui tempore *Damaſi* Papæ fuerat totius *Orbis* Magiſter, univerſæque Eccleſiæ ſubtiliſſimus, & clariſſimus Doctor, quemque *S. Damaſus*, quamvis & ipſe inſignis eruditionis vir, plurimi æſtimabat, conſiliisque ejus acquieſcebat, in humilitate ſua multa jam canitie venerandus (ut ipſemet *Epiſt in vet. cod.* 33. ad *Pammachium* fatetur) diſcere maluit, quam docere, dum dicit: *Dum eſſem juvenis miro diſcendi ferebar ardore, nec unquam, juxta quorundam præſumptionem, ipſe me docui.* Et paulo poſt: *Jam canis ſpargebar caput, & Magiſtrum potius, quam diſcipulum decebat. Perrexi Alexandriam, audivi Didymum: in multis ei gratias ago. Quod neſcivi didici, quod ſciebam, illo docente non perdidi.* Alibi quoque ad eundem *Pammachium* ſic loquitur: *Interim dum fuiſſem Alexandriæ, videram Didymum viſitans ipſum ſæpe, quia illo tempore vir doctiſſimus erat: adiveram ipſum ideo, ut intermiſſa Origenis mihi explanaret; & explicet ſupra Oſeam Prophetam aliqua, & ad meam petitionem dictaverat, & compoſuerat tres Libros ſupra Prophetam Oſeam: Et iterum alios quinque ſupra Zachariam Prophetam.* Item *Epiſt. ad Paulam* inquit: *Ultimum veneram ex hac ratione Alexandriam, ut Didymum videre poſſim, & ut me illuminet in diverſis dubiis Sacræ Scripturæ.* Sed & *Cornel. à Lap.* Comment. in *Eccleſiaſtici cap.* 3. ℣. 2. Dum plura producit exempla Studentium Libris priſcis, inter reliqua de *S. Hieronymo* ſcribit ſequentia: „Audi S. Hieronymum *Præf. in Epiſt.* „*ad Gal.* ſic differentem: *Numquid*

„*ab*

„*ab Adoleſcentia aut legere, aut doctos* „*viros, quæ neſciebam, interrogare ceſ-* „*ſavi, aut me ipſum habui Magiſtrum?* „*Denique nuper ob hanc maximam cau-* „*ſam Alexandriam perrexi, ut viderem* „*Didymum, & ab eo in Scripturis om-* „*nibus, quæ habebam dubia, ſciſci-* „*tarer.* „

VI. Noverat bene *Hieronymus Didymum* erroribus *Origenis* inquinatum eſſe, ſed vir ſanctus hos aut fateri noluit, aut ſi detexit, illos reprobavit. Quemadmodum enim apis argumentoſa, atque prudens ſic rorem, floriſque ſuccum colligebat, quatenus ſuos favos elaboraret, atque ſuo illos dulci nectare repleret, ſimulque venenatas herbas, à quibus infici potuiſſent, vitaret. Nonnulli tamen, vel maxime adverſarii, ſuſpectum habere cœperunt *Hieronymum*, eo quod *Didymum* frequentaret, eumque ſuum Magiſtrum nominaret, ſuſpicionem hanc ipſemet exponit in *Epiſt. in vet. cod. 33.* ad *Pammachium*, & *Oceanum* his verbis: *Putabant me homines finem feciſſe diſcendi, poſtquam Didymum audiviſſem.* Et poſt aliquot lineolas: *Certe Apollinaris, & Didymi inter ſe dogma contrarium eſt. Rapiat me ergo utraque turma diverſum altrinſecus, quia magiſtrum utrumque confiteor: Si expedit odiſſe homines, & gentes aliquas deteſtari, miro odio averſor conciſionem, usque hodie enim perſequuntur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in Synagogis ſathanæ. Objiciat mihi quiſpiam cur hominem Judæum habuerim Præceptorem: & auderem quidem proferre litteras meas ad Didymum quaſi magiſtrum?: grande crimen diſcipuli, ſi hominem eruditum, & ſenem Magiſtrum dixerim.* Quòd vero *Didymus Hieronymum Origenis* erroribus non imbuerit, quemadmodum *Rufinum* (de quo poſtea agetur) „id accidiſſe puto.„) ait *Baronius* apud *Spondanum* ad A. C. 386. („vel „quod non auſus fuerit viro adeo „perſpicaci propinare venenum, vel „ſi tentavit, expertus eum renitentem mox abſtinuerit, ne apud magni nominis virum concepta ſemel „caderet æſtimatione.„ Laudavit omnino *Hieronymus Didymum*, ita tamen ut poſtea Origeniſtam compertum, ea ex parte damnaverit, ut videre eſt in *Apologia* adverſus *Rufinum*, quæ habetur in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 41.* Ubi ſic legitur: *In Tertulliano laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſim: In Origene miramur ſcientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falſitatem: In Didymo vero & memoriam prædicamus, & ſuper Trinitate fidei puritatem, ſed in cæteris, quia Origeni male credidit nos ab eo retrahimus; Magiſtrorum enim non vitia imitanda ſunt, ſed virtutes.*

VII. Cœterum quoque *Hieronymus Didymum* auditurus aliquantiſper *Alexandriæ* conſedit, cœpit vitæ monaſticæ deſiderio flagrare, & perfectionis religioſæ cupidus effici: ea propter A. C. (juxta *Baronium*) 388. Monaſteria monachorum Ægypti, Religioſoſque, ac Aſceticos viros in iis degentes, & Altiſſimo jugi pſalmodia, rerumque cœleſtium contemplatione famulatum exhibentes inviſit, atque ut novas, ſolidaſque ab ipſis virtutes, quibus magis, magiſque Deo placere poſſet, condiſceret, precabatur. Hujus ſuæ Ægyptiacæ peregrinationis mentionem facit ipſemet, in citata *Apologia* adverſus *Rufinum*, dum inquit: *Inde (Hieroſolymis) contendi Ægyptum, & luſtravi monaſteria Nitriæ, ubi poſitus eram inter choros Angelorum.* Intelligit: *Eremitarum, Anachoretarum, & Monachorum*; quos *Angelis* aſſimilabat; ex eo, quod hi precando, & meditando omnibus Acherontis inſidiis altiſſime ſupervolent, & ipſum ſublime Angelorum officium attingant, ipſomet *S. Hieronymo* Comment. *in Pſal. 115.* atteſtante, & dicente: *Anachoretas hoc ipſum laudandi Deum munus perſolvere in terris, quo Angeli*

Digitized by Google

ſine intermiſſione funguntur in cœlis. Quid porro viderit, quidve in Monaſteriis Ægypti, ac Aſceteriis adverterit *Hieronymus* ſcribit *Epiſt.* 22. ad *Euſtochium*, ajens: *Inveni ſanè multos apud Ægyptum, & alios in Palaſtina, ac Meſopotamia, quorum admiratus ſum, tum in ſervata dieta obſervantiam, tum in obeundis laboribus tollerantiam, ad quorum obſtupui precandi rigorem, & conſtantiam, cum obſervarem, quo pacto ſomno victi, nec aliqua neceſſitate deflexi ſublimem ſemper, & invictum animi ſenſum in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate ſervarent, nec corporis rationem habentes, ipſi, nec ab aliis eidem corpori aliquid curæ impendi ſuſtinentes, ſed quaſi in aliena carne degerent, ipſo opere oſtendentes, quid ſit in rebus hujus vitæ cum Paulo peregrinum eſſe, & converſationem in cœlo cum Chriſto habere.* Eodem quoque tempore juxta *Baronium*, & *Brietium*, Sancta *Paula* fœmina Conſularis, ſuaſu *S. Hieronymi*, contemptis divitiis, chariſque pignoribus *Hieroſolymam* navigavit, viſitatiſque, & exoſculatis Sacris Chriſti veſtigiis, per *Ægyptum* (an ipſamet, vel in ſocietate *S. Hieronymi*? notatum non reperitur) peregrinabatur, atque ex Sanctorum Monachorum, & Eremitarum colloquiis pietatem unam, eamque eximiam hauriebat: quam ita reſervavit ſibi, ut eam quoque in filias transfunderet.

VIII. Ingentia Monachorum examina temporibus *S. Hieronymi* fuiſſe conſtat ex ejusdem *Epiſt.* 14. ad *Paulinum*, poſtea *Nolæ* Epiſcopum, qui, cum ſæculo renuntiaſſet, monachus effectus, ſcripſit ad *S. Hieronymum*, petens ut modum aliquem peragendæ ſibi vitæ præfigeret. Huic vir Sanctus in reſponſoria ſua, neque ſuaſit, neque diſſuaſit monachatum Hieroſolymitanum, quem pius juvenis deſiderare videbatur, verum in hæc verba reſpondit: *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt.* Et poſt pauxillum: *Singuli quippe credentium non locorum diverſitatibus, ſed fidei merito ponderantur.* Atque hoc exemplo probat, dicens: *Antonius, & cuncta Ægypti, & Meſopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina monachorum non vidêre Hieroſolymam, & patet illis absque hac Urbe paradiſus.* Idipſum *Paula*, & *Euſtochium Epiſt.* 8. ad *Marcellam* repetunt, ſed diverſis verbis, ex quibus colligitur magna certo fuiſſe agmina monachorum. Beatum Hilarionem caput fuiſſe magnæ multitudinis monachorum in Syria, prouti & S. Macarium, diſcipulum S. Antonii, & Hilarionis coëtaneum, ducem extitiſſe eorum, qui *Thebaidis* ſolitudinem incolebant, refert *Ludov. Gottofred.* in Archantolog. Coſmica *Lib.* 3. *Diſſert.* de Origine Ordinum *pag.* 29. Apud eundem *loc. cit. Heraclides* tradit: Abbatem *Apollonium* in eadem *Thebaide* circa fines *Hermipolis* Urbis habitantem quinque millibus monachorum imperitaſſe: item *Iſidorum* Abbatem in *Thebaide* monaſterium condidiſſe mœnibus cinctum, in quo plus quam mille monachi habitabant. Præterea in monte *Nitrio*, qui quadraginta paſſuum millibus *Alexandriâ* diſtat, plusquam quingenta monaſteria, eodem Authore teſte, ſibi finitima erant, quæ ab uno Patre regebantur, quod plane admirandum videtur. Idem *Heraclides* ait: ſe in illis monaſteriis, quæ non procul *Alexandria* aberant plus quam duo millia monachorum, & in monte *Nitrio* plus quam quinque millia inveniſſe.

IX. Monachi tamen iſti non erant certi ordinis, neque profeſſionis, ut ſcribit citatus *Ludov. Gottofred. p.* 28. Hiſce namque temporibus mos erat, ut, qui vellet mundo renuntiare, in quandam ſolitudinem ſe reciperet, ubi ab hominum conſortio remotus, pœnitentiam, qualis ipſi convenire videbatur, ageret: & quisque eum habitum aſſumebat, quem ſibi aptiſ-

aptiſſimum judicabat: neque ulla tunc erat forma, aut regula vitæ, nec quisquam voto ſe obligabat; ſed liberum erat unicuique ſe conferre, quo lubebat: & ſi quis, mutata voluntate, alio ſe reciperet, levitatis non inſimulabatur, ſicut hodie fieri videmus. *Philo Judæus* dicit: Domicilia horum fuiſſe nominata *Monaſteria*, id eſt: *Loca ſolitaria*, à Græco *Monos*, id eſt: ut *S. Hieronymus Epiſt. 6. ad Heliodorum* explicat, unus, ſeu ſolus, conſequenter Monachus idem eſt, ac *Solitarius*, domicilium vero hujus Monaſterium, ſeu Solitarius locus. Univerſos hos Monachos *S. Antonius* Abbas, quamvis non fuerit primus author vitæ monachalis, minus eorum Superior, ex officio charitatis tantum viſitare in animum induxit, & omnes ipſum quaſi Patrem reverebantur, nam ipſius exemplum, & celebritas Sanctitatis (qua adeo excelluit, ut Imperatores, Reges, & Principes datis ad ipſum litteris, eum ſæpe conſulere, & precibus ipſius ſe commendare non erubuerint) deſerta *Ægypti* monachis replevit, atque ideo dictus fuit *Pater Monachorum*. Hoc tamen non impedit, quo minus jam fuerint monachi non modo in illis deſertis, ſed etiam in ſolitudinibus *Thebaidis*, *Lybiæ*, *Palæſtinæ*, & *Arabiæ*, reperitque ex iſtis ipſe *Antonius* (ut S. Athanaſius ſcribit) cum deſertum petens ab uno illorum prima rudimenta monachalis, ſeu ſolitariæ vitæ accepit. Quia vero & ex his, & ex ſæculo (ut notat *Baronius* ad A. C. 328.) *Antonium* plurimi viſitarent, atque ab eo ad perfectionis vitæ ſtudium invitati, idem vivendi genus, & inſtitutum capeſſerent; complura condidit monaſteria, Cœnobiticæque vitæ primus jecit in eremo fundamenta, adeo, ut Cœnobitarum monachorum idem Inſtitutor ſit habitus. Horum itaque Cœnobitarum unicum votum erat ſe obtemperaturos omnibus, quæ ab *Abbate*, ſeu *Patre* præciperentur. Diviſi erant (ut S. Hieronymus *Epiſt.* in *vet. cod. 67.* ad Euſtochium ſcribit) in decurias, & centurias, ita ut decimus curam habuerit cæterorum novem, & centurio reliquis, qui in ipſius centuria erant, imperaret. Vitam omnino auſteram, eodem *S. Hieronymo ibidem* teſtante, in vigiliis, & jejuniis, in diſciplinis, & mortificationibus, in jugi pſalmodia, meditatione, & contemplatione ducebant, in eo tamen ſe potiſſimum exercebant, ut propriæ voluntati renuntiarent, humilesque ac patientes eſſent. Quidam deinde eorum, quando ſe omni virtute inſtructos ſentiebant, ad exemplum *S. Pauli Thebæi* in ſolitudinem ibant, ut pœnitentiam agerent, locis interdum tam remotis ab hominum conſortio, ut proximi ipſorum ſeptem dierum itinere ab illis disjuncti eſſent, atque hi *Anachoretæ* vocitabantur, quorum Author, & Patriarcha genuinus eſt *S. Paulus Thebæus*, atteſtante *Divo Hieronymo Epiſt. ſupra citata* ad *Euſtochium*, in qua ſic ait: *Anachoretæ exeunt de Cœnobio, & excepto pane, & ſale ad deſertum nihil proferunt amplius; ipſorum vitæ Author Paulus, Illuſtrator Antonius.* Item *Epiſt. 14.* ad *Paulinum*, in qua, dum prædictus S. Vir variarum inſtitutionum anteſignanos Principes commemoraſſet, ſubjecit. *Nos autem habemus propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios.* Ubi dum primo loco *Paulum* nominat, inſimul & Authorem vitæ eremiticæ indicare videtur: quod ipſemet in Prologo vitæ ejusdem S. Pauli à ſe conſcriptæ uberius fatetur, dicens: *Amathas vero, & Macarius diſcipuli Antonii, quorum & ſuperior corpus Magiſtri ſepelivit, etiam nunc affirmant: Paulum quendam Thebæum Principem iſtius rei fuiſſe. Quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus.* Converſati huc

uſque cum monachis Ægypti tranſeamus ad *Hieroſolymitanum* Monachum *Hieronymum*.

X. Hic peragrata Ægypto reverſus Hieroſolymam magno iterum labore, ac ſtudio Barrabanum, ſeu verius *Barhaninam Hebræum* pro perfecte condiſcendo idiomate Hebraico, non exiguo pretio conductum noctu tantum audiebat; timebat namque *Barbuninas Judæos*, atque ideo inſtar *Nicodemi* (qui in tenebris Chriſtum adierat) ne à Judæis factum reſciretur, de nocte ſolum veniens *Hieronymum* erudiebat, ipſique omnes linguæ hebraicæ apices explicabat, usque dum idiomate hoc exactiſſime loqui quiret. Huic ſtudio acriter intento *Hieronymo*, *Rufinus Libro Invectivorum* 2. adverſus *Hieronymum*, qui habetur inter Epiſtolas *Hieronymi* in *vet. ed.* ſub tit. *Epiſt.* 37. non minus inepte, quam impie objiciebat, quod Barabbam dimiſſo Chriſto ſequeretur, & Judaicis incumberet lectionibus, pulchrum ſibi ex Evangelio luſum accepiſſe exiſtimans, ſi cum Judæorum populo clamaret: Non hunc ſed Barabbam. Ipſa *Rufini* verba pius ſi cupit audire Lector, hæc ſunt, ſed quam impie erga S. prolata virum? conſiderandum erit, & dum de *Rufino* actum fuerit, diſcutiendum: *Non propter iſtos dicit, quia nos doctimus, ſed quod Barabbam ejus de Synagoga Magiſtrum non ſuſcepimus, & per Iſagogen Prophyrii ad Logicam non ſumus introducti. Ignoſce mihi pro hoc, quod malui ante imperitus, & indoctus videri, quam Barabbæ diſcipulus dici, propoſito enim Chriſto ſimul & Barabba, ego quaſi imperitus Chriſtum elegi. Ita tu, ut video, cum illis clamas, qui dicunt: Non hunc, ſed Barabbam. Nam Porphyrius tuus, dic quæſo, quid te docuit, qui adverſus Chriſtianos, & adverſus religionem noſtram blaſphemiæ volumina conſcripſit? Quid te iſti, in quibus tantum te jactas, unus ab idolis dæmonum, & alius de Synagogã, ut dicis, Sathanæ, magiſtri docuerunt boni? Nihil video niſi hoc, quod & ipſi noverant. Nam Porphyrius te docuit de Chriſtianis male loqui, concidere virgines, continentes, diaconos, presbyteros, & omnem prorſus Chriſtianorum gradum, & ordinem libellis, editis infamare. Ille vero de Synagoga Barabbas tuus pro Chriſto electus docuit te reſurrectionem carnis, non in virtute, ſed in fragilitate ſperare; litteræ occidentis amicum fieri, & inimicum ſpiritûs vivificantis.* Quam inepte hæc *Rufinus*, qui velut inter olores anſer obſtreperet, & ſemet Sanctorum, doctorumque hominum numero immiſcere auderet, contra Sanctum *Hieronymum* effutierit, patebit poſtea. Sed vir Sanctus nihil hac *Rufini* motus calumnia, ut Eccleſia, ejus linguæ adjumento, genuinas Sacrorum Librorum relinqueret verſiones ſtudium ſuum ſolidiſſime continuavit.

XI. Poſtquam autem in præmemorato idiomate linguam, & ingenium ſuum, quàm optime excoluiſſet, cœpit etiam cum *Hebræorum* eruditiſſimis converſari, atque ex ipſis ambiguarum rerum in ſacris Codicibus contentarum declarationem expiſcari, neque hoc peritiſſimo ſufſecit viro, verum omnem adhibuit curam, ut cum quibusdam ſcientificis *Judæis* univerſam *Palæſtinæ* terram circuiret, & cuncta illius loca, ſitus, ac regiones, quorum ſcriptura ſacra meminit, propriis colluſtraret oculis, & quod abſens audierat, præſens videret; nunquam enim in *Divinorum Voluminum* rebus propriis viribus credidit, minusque ſuæ opinioni inhæſit, ſed ea etiam, de quibus ſe ſcire arbitrabatur, multo magis ſuper quibus dubium habebat, interrogare haud verecundabatur, uti ipſemet *Epiſt.* 13. ad *Domnionem*, & *Rogatianum* fatetur, ubi etiam de luſtratiõne *Palæſtinæ* ſic loquitur: *Quomodo Græcorum hiſtorias magis*

Digitized by Google

gis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Trojade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad oſtia Tiberis navigaverint: ita Sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde & nobis curæ fuit, cum eruditiſſimis Hebræorum hunc laborem ſubire, ut circumiremus provinciam, quam univerſæ Chriſti Eccleſiæ ſonant. Et poſt pauculum, ait: *De Tiberiade quendam Legis Doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, aſſumpſi, & contuli cum eo à vertice, ut ajunt, usque ad extremum unguem.* Atque ea de ratione edidit Sanctus vir Librum de Hebraicis locis, & locorum diſtantiis, imitatus in hoc *Euſebium* à beato *Pamphylo* Martyre ſic cognominatum, qui juxta eundem *S. Hieronymum Lib. de Scriptorib. Eccleſ.* poſt decem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros, poſt temporum Canones, à beato *Hieronymo* in Latina lingua editos, poſt diverſa nationum vocabula, quæ quomodo apud hebræos olim dicta ſint, & nunc dicantur, poſt Coſmographiam terræ Judææ, & diſtinctas tribuum ſortes, ipſius quoque *Hieruſalem*, templique in ea cum breviſſima expoſitione picturam, in hoc opuſculo laboravit, ut congregaret de Scriptura omnium pene urbium, montium, fluminum, viculorum, & diverſorum locorum vocabula, quæ vel eadem manent, vel immutata ſunt poſtea, vel aliqua ex parte corrupta. *Unde & nos* (inquit *S. Hieronymus* in *Prologo* ad *Epiſt. in vet. cod.* 25.) *admirabilis viri ſequentes ſtudium ſecundum Ordinem litterarum, ut ſunt in Græco poſita transtulimus relinquentes ea, quæ digna memoria videntur, & pleraque mutantes. Semel enim, & in temporum libro præfatus ſumme vel interpretem eſſe, vel novi operis conditorem, maxime cum quidam vix primis imbutus litteris hunc eundem librum auſus ſit in latinam linguam vertere, cujus imperitiam ex comparatione eorum, quæ transtulimus prudens ſtatim Lector inveniet. Ut enim excelſa mihi non vendico, ita terræ inhærentia me ſupergredi poſſe credo.* Præter hunc librum, de Sacris *Palæſtinæ* locis, ſcripſit etiam in variis Epiſtolis de iisdem. Et quidem primo in *Epiſt. 8. Paulæ*, & *Euſtochii* ad *Marcellam*, in cujus fine cuncta Sancta peregrinationis loca per Judæam breviter exponit, quæ ex ſtyli elegantia beati *Hieronymi* eſſe conjicitur. Item in Tractatu de decem tentationibus populi Iſraëlitici, quibus Dominum irritavit in deſerto: ubi tempora illarum, & loca deſignat. Habeturque in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt.* 27. Præterea *Epiſt.* in *vet. cod.* 64. ad *Dardanum*, in qua exponit terram Repromiſſionis ſecundum anagogicum ſenſum ſuperiorem terram eſſe viventium. Ac tandem *Epiſt. 8.* ad *Euſtochium*.

XII. Et quamvis *S. Hieronymus* juxta ſtudium ſuum linguæ hebraicæ occupatiſſimus eſſet in ſuſcipiendis (ut ipſe in *Proœm. lib. 7. in Ezechiel.* fatetur) fovendisque omnis nationis, & utriusque ſexus peregrinis de toto Orbe Hieroſolymam ad viſitanda ſacra loca concurrentibus, ac ſpecimina diverſarum virtutum oſtendentibus: attamen aggreſſus eſt (ut ipſemet in *Præfat. in Epiſt. ad Gal.* teſtatur) interpretari Epiſtolas *S. Pauli Apoſtoli*. Ex quibus hactenus dictis colligitur, nunquam ſanctum virum ſibi quietem indulſiſſe, quin aliquid pro *gloria Dei*, atque *Eccleſiæ Romano-Catholicæ* dictis, factis, & ſcriptis operaretur. Peregrinationem porro *Hieroſolymitanam* in primitiva Eccleſia, & temporibus quoque *S. Hieronymi*, immo & ex poſt omnibus nationibus ex univerſis mundi partibus devotionis cauſa uſitatam fuiſſe ſcribit *Spondanus* ad A. C. 199. 318. 353. 386. 399. 401. 418. & *alibi ſæpiſſimè*. Sed ut hæc clarius eluceſcat, produco verba *S. Hieronymi Epiſt. 8.* nomine *Pau-*

Digitized by Google

læ, & *Euſtochii* ad *Marcellam* datæ, in qua de memorata peregrinatione ita loquitur: *Longum eſt nunc ab Aſcenſu Domini usque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum venerint Jeroſolymam, putantes minus ſe religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruſcaverat.* Et paulo infra: *Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat. Diviſus ab orbe noſtro Britannus ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum fama ſibi tantum, & ſcripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Perſas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipſamque juxta Ægyptum, fertilem monachorum Pontum, & Cappadociam, Syriam, Ceen, & Meſopotamiam, cunctaque orientis examina, quæ juxta Salvatoris oraculum, dicentis: Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ: concurrunt ad hæc loca, & diverſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt?* Ex quibus patet, quam frequens, quamque multiplex, ex diverſis nationibus conſtans, peregrinatio *Hieroſolymas* olim inſtituebatur, unice veſtigiorum Redemptoris noſtri adorandorum cauſa.

CAPUT XIV.

Sancti Hieronymi vita Religioſo-Monaſtica, & Hoſpitalitas.

I. DUm *Hieroſolymis Hieronymus* in aſſiduo labore, jugique Divinarum rerum contemplatione agebat, de deligendo quoque habitationis ſuæ loco deliberabat. Meminerat vero *Bethlehemi*, ubi & prima ſua *Hieroſolymitana* peregrinatione, & ſecundaria totius *Palæſtinæ* luſtratione Præſepe Domini adoraverat. Speluncam itaque illam inopinata reſolutione pro perenni ſua, ſuorumque habitatione delegit, ut ipſemet *Epiſt. in vet. cod. 41.* ad *Rufinum* fatetur. *Protinus concito gradu Bethlehem meam reverſus ſum, ubi adoravi Præſepe, & Incunabula Salvatoris, nec me inerti tradidi ocio, ſed multa didici, quæ prius neſciebam.* Veniens igitur cum ſuis univerſis ad incunabula Redemptoris noſtri, crediderim ipſum locum illum ſanctum iis, vel ſimilibus adſalutaſſe verbis, quibus ipſe *Paulam Epiſt. 8.* ad *Euſtochium*, reveritam ſcribit; videlicet: *Salve Bethlehem, domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cœlo deſcendit. Salve Ephrata regio uberrima, atque carpophora, cujus fertilitas DEUS eſt. Salve terra, de qua Michaas vaticinatus eſt: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Juda; Ex te mihi egredietur, qui ſit princeps Iſraël, & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hic, hic *Hieronymus* noſter meditatione, præſentiaque illius pauperis Caſæ, ex qua Verbum æternum noſtræ carnis mortalitate veſtitum prodiit, oblectabatur; ut ibi ad Chriſti Præſepe Jeſum naſcentem, vagientem, lactentem aſſidue contemplando vitam cum Chriſto jucundiſſime & Sanctiſſime tranſigeret. *Cornel. à Lap.* Comment. *in Epiſt. Pauli* ad Timoth. *cap. 2. ℣. 8.* Dum ex *S. Chryſoſtomo Hom. 3.* de incomprehenſibili DEI natura: proponit efficaciorem eſſe orationem, quæ funditur in Eccleſia, quam quæ domi fit, addit: *Locus ipſe ſæpe devotionem cordis ad orandum excitat, & propter Sanctos, qui ibidem vixerunt, vel requieſcunt miraculis, aliiſque donis, & beneficiis celebratur.*

Poſt

Digitized by Google

Poſt quæ verba concludit citatus *Cornel.* dicens: „ Ea de cauſa *S. Hieronymum* tantopere ad Bethlehem „anhellaſſe, eoque *Marcellam*, *Paulum*, & alios plures viros, & mulieres invitaſſe: ut ipſemet in Epiſtolis ad eas datis profitetur; Inter quas illa ad Euſtochium data ſic ſonat: *Amemus nos Chriſtum, ejusque ſemper quæramus amplexum & facile videbitur omne difficile: brevia putabimus univerſa, quæ longa ſunt; & jaculo ejus vulnerati per horarum momenta dicemus: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata eſt.* Euſtochium „ergo Paula, Melania, & nobiliſſimarum Virginum chorus *S. Hieronymum* in Bethlehem ſecutus eſt. „Audi quibus verbis Paula, & Euſtochium eandem Marcellam *Epiſt. 8.* „invitent: *Cum comitante Chriſto per Silo, & Betbel, & cætera loca, in quibus Eccleſiæ, quaſi quædam victoriarum Domini erecta ſunt vexilla, ad noſtram ſpeluncam* (Chriſti naſcentis in „Bethlehem) *redierimus, canemus jugiter, crebro flebimus, indeficienter orabimus, & vulneratæ jaculo Salvatoris dicemus: Inveni, quem quæſivit anima mea, tenebo eum, & non dimittam illum.* „

II. In Bethlehem itaque collocatus *Hieronymus* cogitabat de ædificando Monaſterio, ſibi, ſuisque aſſeclis perneceſſario, quod cum inchoaſſet, ac magnis de toto orbe confluentibus turbis monachorum obrueretur, ut nec cœptum opus deſerere, nec ſupra vires ferre valeret, metueretque, ne ſibi illud de Evangelio contingeret, quod futuræ turris non antea computandi expenſas accidit, compulsus eſt Fratrem ſuum *Paulinianum* mittere in Patriam jam à *Gotthis* vaſtatam, ut ſemidirutas villas, & prædia, quæ barbarorum effugerant manus, divendat pecuniamque pro his acceptam in *Bethlehem* reportet: quod dum pius, religioſæque vitæ percupidus juvenis fideliter præſtitiſſet, *Hieronymus*, ne, cœptum ſanctum opus deſerens, maledicis, & æmulis riſum præbeat, monaſteriolum, & juxta illud hoſpitium pro peregrinis percommodum ædificavit. Hæc ita acta fuiſſe teſtatur ejusdem *S. Hieronymi Epiſt.* in *vet. cod.* 119. ad *Pammachium*. Superveniente autem ex peregrinatione *Ægyptiaca*, ac totius *Palæſtinæ S. Paula* divitiis inclyta (ad cujus *Nicopolis* etiam in *Actiaco* litore poſita, veluti ab *Agamemnonis* proſopia deſcendentis; poſſeſſionem pertinebat) Monaſterium ab *Hieronymo* inchoatum, & ex parte perfectum, pluribus cellulis erectis, ampliatum eſt ſumptibus ejusdem Sanctæ Matronæ: quæ, cum & ipſa cum filia ſua *Euſtochio* ſacrum *Bethlehemiticum* locum adamaſſet, in eodemque conſediſſet, duo etiam Virginum Cœnobia erexit, iisdemque qua Mater, & Superior annis viginti ſanctiſſimè præfuit, ut in ejusdem Epitaphio à *S. Hieronymo* ſub tit. *Epiſt. 8.* conſcripto legitur.

III. In neo-ædificato hoc virorum monaſterio *S. Hieronymus* novam rurſus inchoans vitam, & veluti novus quidam miles ad certamina, laboresque conſurgens, pauperem *JEſum* in paupertate imitatus, deliteſcebat, ſuæ cellulæ ſolitudinem cuſtodiebat, ac magis eſſe, quam bonus audire cupiebat. Pecunias nullas habebat, multum jejunabat, Deumque orabat: durus ei lectulus erat, & aſper, non audiebantur ex ore ejus niſi ſancta, & cœleſtia; cum verò ſileret, piiſſime Deo colloquebatur: corpus ſuum diſciplinis, & ciliciis domabat, pectusque duriſſima petra quatiendo propitium ſibi Deum facere ſatagebat. Modeſtiam, & humilitatem non tantum externa ſpecie præſeferebat, verum etiam easdem virtutes devotiſſimo animo colebat. Supremum illum univerſorum mortalium Decretorium diem frequentiſſime pia mente revolven-

Digitized by Google

do adeo timebat, ut abſque metu illius nunquam ſe ſenſerit liberum, ut ipſemet his verbis teſtatum reliquit: *Quoties diem illum conſidero, toto tempore, & corpore contremiſco, ſive enim comedo, ſive bibo, ſive aliquid aliud facio, ſemper videtur tuba illa terribilis ſonare in auribus meis: Surgite mortui venite ad judicium.* Modicus ei cibus, & temperatus ex oleribus, & leguminibus conſtans, panisque ſale conditus pro deliciis fuit, nunquam ad ſaturitatem ſumptus. Deficiens in oratione, vel meditatione lectionem librorum, vel ſcriptionem inchoabat, hac terminata denuo orationem vocalem, aut mentalem repetebat. Denique pſalmodiæ diurnæ, & nocturnæ ſemper præſens Deum omnipotentem laudare non ceſſabat, juxta id, quod *Euſtochium Epiſt.* 17. inſtruebat, dicens: *Quanquam Apoſtolus orare nos ſemper jubeat, & Sanctis etiam ipſe ſit ſomnus oratio, tamen diviſas orandi horas debemus habere: ut ſi forte aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat. Horam Tertiam, Sextam, Nonam, Diluculum quoque, ac Veſperam nemo eſt, qui neſciat. Nec cibi ſumantur niſi oratione præmiſſa, nec recedatur à menſa niſi referatur Creatori gratia. Noctibus bis, terque ſurgendum, revolvenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hoſpitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam ſeſſio, nec prius corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat Crucem.* Univerſa hæc Sanctus Vir ſicut fideliter, ita ferventer, ac devotiſſime exequebatur, & tamen ſæpe ſæpius flens fateri ſolebat: *Se non eſſe tum in Cœnobio, qui fuerat in eremo.* Adeo ſibi melius in ſolitudine fuiſſe exiſtimavit.

IV. Sed quantumvis his enumeratis ſedulo *S. Hieronymus* incumberet, quantumvis animi ſanctitati, & corporis puritati, quibus veluti præclara lux quædam mundo irradiabat, conſervandæ ſtuderet, attamen & continuo ſtudio nunc aliquid vertendo, nunc commentando, variasque ad varios Epiſtolas conſcribendo. Sermones quoque concinnando, animum intendebat: ſumma contentione in eo laborans, ut extirpatis cunctis hæreſibus Eccleſiam à perfidorum inſidiis liberaret. Ut autem ſui quoque monachi, prouti & mulieres quoque, ac virgines nobilis, medii, & infimi generis, quas S. Paula è diverſis provinciis congregarat, inque tres turmas, monaſteriaque diviſerat, atque una ſecum Spirituali *S. Hieronymi* directioni concrediderat) perfectioni aſſidue ſtuderent, omnes, diſtributo ad hoc tempore, quo frequentioribus, eo ferventioribus exhortationibus, conſilia ſaluberrima dando, modosque facillimos indigitando adhortari non ceſſabat, utque hos, & has promptiores ad ſequenda conſilia, doctrinamque propoſitam practicandam efficeret, cunctis in operationibus tam ſpiritualibus, quam temporalibus, & vel maxime in exercitio omnigenarum virtutum exemplo præibat. Hac vitæ Monaſticæ occaſione *S. Hieronymus* Regulam S. Pachomio Abbati (ut ipſe S. Hieronymus *Præfat. in eand. Regul.* Item *Gennadius Lib. de viris illuſtrib.* Et *Bellarminus de Scriptorib. Eccl.* teſtantur) ab Angelo pro Monachis datam ex Græco idiomate in Latinum vertit, habeturque in *Bibliotheca Patrum Tom.* 4. *pag.* 31. Et in Appendice apud Caſſianum. Verſionem hanc *Spondanus* ad A. C. 404. accidiſſe notat, adeoque poſt obitum *S. Paulæ*, ut *S. Hieronymus* in *cit. Præfat.* fatetur. Hanc itaque Regulam, ex Oreſieſis pariter monachi, & S. Pachomii collegæ Libro divino condito ſale, totiusque monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructo auctam, S. Hieronymus ſibi, ſuisque aſſeclis ſequendam, probabiliter aſſumpſit, idque colligitur, ex ver-

Digitized by Google

verbis Præfationis citatæ ubi ſic loquitur: *Ut Venerabilis Virgo Chriſti Euſtochium haberet, quod Sororibus legendum tribueret, noſtrique Fratres Ægyptiorum monachorum exempla ſequerentur.* Quamvis idem Vir Sanctus in grandævo jam ſenio ad inſtantiam Venerabilis virginis Euſtochii aliam pro mulieribus, & virginibus Regulam in 41. cap. diſtinctam compilaverit, eamque Euſtochio, utpote poſt obitum Paulæ matris monaſteriorum ſexus ſui ſuperiori, ſibique ſubjectis obſervandam commendaverit. Quæ habetur in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 65.*

V. Memini me in quodam opuſculo (cujus duo priora folia avulſa Authoris nomen, editionisque locum, & annum repræſentare nequibant) legiſſe: Non tantum *S. Hieronymum*, verum etiam alios, immo omnes quaſi SS. Patres Eremitas, uti *Antonium*, *Macarium*, *Hilarionem* &c. fuiſſe Monachos Montis Carmeli, habitatione S. Prophetæ Eliæ olim egregie nobilitati. Sed quemadmodum *Baronius* apud *Spondanum* ad A. C. 444. Opinionem pariformem de *Cyrillo Alexandrino*, & *Joanne Hieroſolymitano* Epiſcopis reprobat, ex eo: quòd univerſos ſcriptores, his iisdem Præſulibus coëvos, eorumque, & aliorum res celebres geſtas conſcribentes, iſte eorundem Religioſus vitæ ſtatus latuerit; Et inſuper, quod apud nullum hujus temporis ſcriptorem, quamvis de monachis in Palæſtina, & Ægypto degentibus frequentiſſimam mentionem faciant, fiat aliqua memoria de culto Carmelo monte à vitæ monaſticæ Profeſſoribus; Ita eadem promptitudine convincuntur illi, qui *S. Hieronymum* ſacri Carmelitici Ordinis religioſum fuiſſe aſſerunt; ſiquidem idem ſanctus Doctor Eccleſiæ utrique præmemorato Antiſtiti, *Cyrillo*, & *Joanni* coævus (ut ſæpius ſubſequentibus apparebit) extiterit. Abſit tamen, ut ego omnium ſacrarum Religioſarum familiarum amantiſſimus, per hoc originem religioſiſſimi, mihique gratioſiſſimi Ordinis Carmelitici, qui ſuum principium à S. Elia Propheta ſumpſiſſe, denominationem vero à Monte Carmelo, quem idem S. Propheta inhabitabat, accepiſſe ſcribitur, diſputem; ſed purè, ut *S. Hieronymum* hujus ſacri, ac celebris Ordinis Religioſum non fuiſſe (non mea, ſed citati celebris Authoris *Baronii* authoritate) demonſtrem. Quod ſi verò quis urgeat *S. Hieronymum* verè ex Eremita factum fuiſſe *monachum cœnobitam*, omnino aſſentior: Monachum videlicet, vel Religioſum talem, de qualibus *cap. præc.* diſſerui, vel vero cum *Barboſa Baſilitam*. Sanctus Baſilius namque ad A. C. 300. florens, primus *Monachos* à ſe in unum collectos, & *Cœnobitas* effectos (non tamen ut primus *Cœnobitarum Inſtitutor*, ipſomet *Epiſt.* 63. *ad Neo-Cæſarienſes* atteſtante, ſed S. Antonii magni imitator) obſtrinxiſſe ſcribitur, ut votum nuncuparent poſt annum probationis, ſe in monaſterio uſque ad mortem permanſuros, Superioribus plenam obedientiam præſtituros, nec ſtatuta ipſorum transgreſſuros; ad hæc voluit, ut continentiam, & paupertatem voverent. Quam legem poſtmodum Eccleſia tanquam bonam, & ſanctam, atque ab omnibus religioſis ſervandam approbavit. Sed cum *S. Hieronymus* in nullo penitus ſuo ſcripto ſui ſtatus Religioſi *Carmelitani*, vel *Baſilitani* (alias minimorum ſuorum actorum memor) mentionem faciat, ſignum eſt nulli harum Religioni obſtrictum fuiſſe, ſed *monachum cœnobitam* ſimpliciter, quales *cap. præc.* deſcripſi, extitiſſe; idque ipſum ipſemet *S. Hieronymus* atteſtari videtur, dum *Epiſt.* 27. ad *Euſtochium*, in qua variarum inſtitutionum Anteſignanos commorat, tandem ſubjicit, dicens: *Nos autem habemus propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios.*

Atqui hi fuere vel monachi *Eremitæ*, vel monachi *Cœnobitæ* in eremo, nulli Regulæ ſubjecti, ut *cap. præc.* inſinuatum eſt; Ergo. Neque obſtat, quod filii Prophetarum *Lib. 4. Reg. cap. 6.* quaſi monachi ædificaverint ſibi caſulas prope fluenta *Jordanis*, & turbis urbium derelictis, polenta, & herbis agreſtibus victitaverint, atque hinc quidam ab *Elia*, & *Joanne* ſumptam fuiſſe originem monachorum notaverint. *Sanctus* namque *Hieronymus* in *Proœmio vitæ S. Pauli Thebæi* hoc ipſum in conſiderationem ſumens, attamen *Primatum* vitæ Eremitico-monaſticæ eidem *S. Paulo Thebæo* attribuit, Eliamque plus Prophetam fuiſſe, quam monachum, ac Joannem ante prophetare cœpiſſe, quam natum fuiſſe, notavit.

VI. Circa A. C. 392. (ut Brietius notat) S. Hieronymus ad inſtantiam Dextri Præfecti Prætorii abſolvit Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſeu (ut aliis placet, & ab ipſomet *S. Hieronymo* ſæpius nominantur (*de Viris Illuſtribus*, eidem Dextro, Fratri Paciani Epiſcopi Barcinonenſis dedicatum, qui ſicut ab offerente, ita & à recipiente non modicam traxit commendationem. Placet hic de hoc Volumine ipſius *S. Hieronymi* faſſionem *Epiſt.* in *vet. cod. 35.* ad Deſiderium contentam, qua etiam ingens ejuſdem S. Doctoris pateat humilitas apponere; ſic enim in fine *cit. Epiſt.* inquit: *Scripſi Librum de Illuſtribus viris ab Apoſtolis uſque ad noſtram ætatem: imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium. Et poſt catalogum plurimorum me quoque in calce voluminis quaſi abortivum, & minimum omnium Chriſtianorum poſui, ubi mihi neceſſe fuit uſque ad quartum decimum annum Theodoſii Principis, quæ ſcripſerim, breviter annotare.*

VII. Hujus ſancti viri innocentem vitam Altiſſimus ſequenti caſu declaratam habere voluit; ut ſcribit *Jacobus de Voragine* in Legenda Sanctor. & *P. Henricus Engelgrave* ſermone pro feſto *S. Martini*, ex *Fulgoſo*: quibus accedit *Bonifacius Bagatta* id admirandis Orbis Chriſtiani *Tom. 1. lib. 7. cap. 1. num. 11.* citans in teſtem *Marcum Marulum lib. 4. cap. 5.* Quadam die, dum *Hieronymus* cum Fratribus ad ſacram lectionem audiendam ſederet, ſubito Leo ex nemoribus claudicans ingreſſus eſt monaſterium; quo viſo, cum Fratres cæteri fugerent, *Hieronymus* ei, quaſi hoſpiti obviavit; Leo autem pedem ſibi læſum oſtendit. Vocatis autem Fratribus pedes Leoni præcepit ablui, & diligenter ejus plagam inquiri, inveneruntque plantam Leonis à ſentibus vulneratam. Adhibita igitur diligenti cura Leo convaluit, & omni feritate depoſita inter eos, quaſi domeſticum animal, habitavit; feroci-re nempe non potuit, ubi hoſpitis benignitatem experiri cœpit, nec ab eo prorſus diſcedere, cujus beneficio ſe noverat convaluiſſe. Tunc *Hieronymus* (cui homines adverſabantur, terræ autem beſtiæ ſervitium exhibebant) videns, quod non tam pro ſanitate ſui pedis, quam pro eorum utilitate Dominus Leonem ſubmiſiſſet, eapropter de Fratrum conſilio eidem injunxit officium, ut Aſinum quem habebant, opeque ejus ligna de nemore deferebant, ad paſcua duceret, ductumque ibidem cuſtodiret, quod ille quotidie fideliter exequebatur, ibat namque cum Aſino ad rura, & in paſcendo defenſor illius erat tutiſſimus; verum ut ſe cibaret, & Aſinus ſolitum peragerer opus, conſuetis ſemper horis cum Aſino domum redibat. Quadam vero vice paſcendo Aſino, & Leone graviter ſoporato, Mercatores cum Camellis ibidem tranſeuntes, Aſinum ſolum conſpexerunt, eumque quanto citius rapuerunt, atque abduxerunt. Expergefactus Leo, cum ſocium non inveniret, rugiens huc, atque illuc diſcurrens, nec inveniens tri-

triſtis ad portam monaſterii adiit, ſed Conventum ingredi, ut ſolitus erat, præ verecundia non præſumpſit. Videntes Fratres, quod tardius more ſolito, & ſine Aſino Leo comparuiſſet, exiſtimabant, quod fame compulſus Aſinum devoraſſet, noluerunt propterea ei conſuetam tribuere anonam, dicentes: vaderet, & reliquam Aſelli partem devoraret, ſuamque repleret ingluviem. Hæſitantes tamen, utrum hoc malum perpetraſſet, exierunt undique in paſcuis inquirentes, ut ſaltem indicium aliquod occiſi Aſelli invenire poſſent, ſed cum nihil ſimilis deprehendiſſent, *Hieronymo* retulerunt. Tunc monitis Sancti viri officium Aſini Leoni injungunt, & ligna cedentes Leoni deportanda ad monaſterium imponunt. Ecce bruta animalia Seniorum juſſis obſequuntur, & homo rationis capax audet ſuperioritati refragari? Certe quiſquis eorum imperio parere recuſat, hoc exemplo feris beluis aſperior, & irationabilior eſſe convincitur. Quod onus cum Leo patienter ferret, quadam die expleto opere ad agrum exivit, viditque cum onuſtis camellis, præcedente Aſino illo, Negotiatores venientes (mos enim Regionis illius fuit, qui forte hodiedum viget, ut quando qui cum camellis longius proficiſcuntur, camelli ut directius pergant, præcedentem, & è collo funiculum geſtantem Aſinum ſubſequantur) tunc Leo viſo, & recognito Aſino, ſuo quondam charo ſocio, cum ingenti rugitu contra Negotiatores irruit, omneſque in fugam coëgit, caudaque fortiter percutiens terram camellos perterritos cum univerſis oneribus ad cœnobium venire compulit. Quo intellecto Hieronymus, in ſpiritu futura prævidens, juſſit camellis pedes lavari, & venturis hoſpitibus neceſſaria præparari: Leo vero lætus diſcurrebat per Conventum ſingulorum Fratrum veſtigiis ſe proſternens, quaſi victoriam de recuperato Aſino enarraret. Interim Mercatores adveniunt, & coram *Hieronymo* provoluti culpam ſuam fatentur, veniamque petunt: quos ille benigne ſuſcipiens commonuit, ut ſua reciperent, neque deinceps aliena ſibi uſurparent: deinde frugali, ac religioſa refectione eoſdem charitative pavit; qui poſtquam ſatiati cibo tam ſpirituali, quam corporali, fuiſſent, atque pro receptis beneficiis gratias egiſſent, obtulerunt Hieronymo olei (hoc namque in camellis portabatur) medietatem quod cum Sanctus vir habere renuiſſet, coactus à Negotiatoribus acceptare debuit; qui ſimul appromiſerunt ſe quot annis in futurum eandem menſuram olei Cœnobio daturos, & ad hoc fideliter præſtandum ſuos hæredes obligaturos, atque ita hilares viam ſuam continuaverunt. Hinc Sanctiſſimo huic viro pia antiquitas Leonem adpinxit. Quamvis hoc neget *Baronius* apud *Spondanum* ad A. C. 420. dicitque id ejus Hieroglyphicum eſſe, quo illius in hæreticis inſectandis infractum robur, vehemenſque in eos, inſtar Leonis rugitus, clamor ſignificatur: curationem autem Leonis non Hieronymo, ſed Geraſimo Abbati, viro pariter Sanctiſſimo adſcribendum eſſe juxta *Sophronium* in Prato Spirituali *cap.* 107. dictat. *Jacobus Cavacius* pariter curationi Leonis ab *Hieronymo* factæ contrariatur in Notis in vitam *S. Hieronymi* dicens: *Ex Symbolo Leonis, qui Hieronymo appingitur, ingenium illius accipe magnanimum, & imperterritum, quô præ foribus Eccleſiæ excubans, irruentes hæreticos dicto, ſcriptoque laceravit.* Et circa finem Notarum inquit: *Vulgatum Leonis miraculum non Hieronymo, ſed Geraſimo Anachoretæ contigiſſe in confeſſo eſt, ſed apud ſæcula minus erudita ex nominis propinquitate alteri uſurpatum.* Ego bona pace, reverentialique æſtimatione Baronii, Sophronii, & Cavacii, pluribus ad initium hujus Parapraphi citatis Scriptoribus fultus

tus Leonem S. Hieronymo, & Phyſicum curatum, & Hieroglyphicum in veritate, & rationabiliter applicandum cenſeo. Si etenim id uni, cur non alteri accidere potuit Sancto? ſiquidem legamus diverſiſſimos Sanctos in diverſiſſimis regionibus habitantes æqualibus ab Altiſſimo honoratos fuiſſe gratiis, æqualia quoque patraſſe miracula; atque idipſum, quod *S. Hieronymo* circa Leonem, accidiſſe beato Sabbæ Abbati ſcribat Surius in vita ejusdem pro die 5. Dec. Præterea non legitur de Leone *Hieronymi*, quod is à quodam Militari viro, ex commiſeratione tam illuſtris animalis, data pro emendo alio Aſino pecunia, ob hoc liberatus fuerit jugo: neque, quod poſt obitum *Hieronymi* Leo ob mœrorem amiſſi curatoris ſupra tumulum ejus crepuerit. De Leone autem Geraſimi idipſum ſcribit Ribadeneira ex Moſcho ad diem 4. Martii. Diverſus igitur & caſus, & Leo, & homo Sanctus, quamvis in re æqualis caſus, & animal æquale, ſed Vir Dei, & locus diſtinctus ſit, conſequenter non male Leo & *S. Hieronymo* etiam Phyſicus attribuitur. Quod ex vetuſtiſſimo etiam Ordinis noſtri Breviario probatur: Ubi in Reſponſorio 8. Officii de eodem Sancto Doctore ad diem 30. Septembris olim recitari ſolito hæc leguntur.

℟. *Leo ſervit cum aſello*
Comes datus pecudi:
Et obſervat ſecum vadens
Cuſtodia vigili.
Quo amiſſo munus obit
Terga præbens oneri.
℣. *Raptores petunt veniam,*
Et præbent olei copiam.

VIII. Caſus hic cum Leone apud præmemoratos Sanctos *Hieronymum*, *Geraſimum*, & *Sabbam* nonniſi divina diſpoſitione contingens, pro miraculo certe ubique habitus fuit; & merito: nam Leo animal ferociſſimum, aliis animalibus ſilveſtribus, & domeſticis, immo & homini infenſiſſimum; nulla naturali propenſione ad cicurationem inclinatum, qualiter quiviſſet & ſuum vulneratum pedem homini tanquam Chyrurgo demonſtrare, & curato vulnere non ſua antra repetere, ſed ſub obedientia aſinum paſcere, hoc deperdito, onera deportandorum lignorum ſubire, aſinum dein recognoſcere (quod ipſi rationali homini difficile eſt) eum una cum camellis ad Conventum adducere? niſi ſpecialis divina providentia ad ſuam demonſtrandam omnipotentiam, ſibique ſanctè & jugiter ſervientium piorum virorum manifeſtandam vitæ innocentiam, & ſanctitatem tali feroci, & irrationali animali lumen indidiſſet, ut mandatis curatoris ſui obtemperet, eidemque fidele exhibeat in omnibus ſervitium. Poſtquam ergo miraculi hujus fama non ſolum in *Bethlehemitico* rure, verum etiam per univerſam *Palæſtinam*, *Syriam*, & *Ægyptum* omnium ſermone percrebuiſſet, & aliunde inſignis *S. Hieronymi* doctrina, clariſſimaque eruditionis peritia ubique innotuiſſet, turmatim Sanctum virum omnis ſtatus homines ſpiritualis alicujus profectus cauſa, prouti & eruditionis gratia conveniebant, quos univerſos perhumaniter excipiebat, habebat, eorumque, uti & camellorum ad eos pertinentium pedes, & per ſe, & per ſibi ſubjectos monachos lavabat, frugalique pro poſſibilitate inopis cœnobii victu in hilaritate vultus recreabat: quo abſoluto animas quoque ipſorum ſalutaris doctrinæ pabulo nutriebat, ac quemlibet pro ſuo ſtatu, & neceſſitate inſtructum cum conſolatione dimittebat. De hac ſuæ perſonæ viſitatione *Epiſt.* 22. ad *Auguſtinum*, ſic ſcribit: *Nos in Monaſterio conſtituti, variis hinc inde fluctibus quatimur, & peregrinationis moleſtias ſuſtinemus: ſed credimus in eo, qui dixit: Confidite, ego vici mundum; quod ipſo tribuente,*

&

Digitized by Google

& præſule, contra hoſtem diabolum victoriam conſequemur. De confluentium vero multitudine *Epiſt.* 33. ad *Euſtochium* mittens ei Commentarios in *Ezechielem*, ſic loquitur: *Fateor me explanationes in Ezechielmulto ante tempore promiſiſſe, & occupatione de toto huc orbe venientium implere non poſſe, dum nulla hora, nullumque momentum eſt, in quo non fratrum occurramus turbis, & monaſterii ſolitudinem hoſpitum frequentia commutemus: in tantum, & claudendum ſit nobis oſtium, aut ſcripturarum, per quas aperiendæ ſunt fores, ſtudia relinquenda.* Utrique tamen vir perſpicaciſſimus ex aſſe ſatisfacere conabatur, prouti & ſatisfecit. Sanctam hanc hoſpitalitatem carpebat deinde *Rufinus*, juxta illud *Eccleſiaſtici cap.* 31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam.* Sed S. Hieronymus nihili obtrectationem Rufini pendens, in *Apologia*, quæ habetur in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt.* 41. ad *Rufinum*, profitetur ſe omnes advenas in Bethlehem excipere, præſertim cum Romani, Roma à Gotthis capta, turmatim in Palæſtinam profugiſſent, his verbis: *Nobis in monaſterio hoſpitalitas cordi eſt, omneſque ad nos venientes læta humanitatis fronte ſuſcipimus. Veremur enim ne Maria cum Joſeph locum non inveniant in diverſorio: ne nobis dicat Jeſus excluſus: Hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. Solos hæreticos non recipimus, quos vos ſolos recipitis. Propoſitum quippe nobis eſt pedes lavare venientium, non merita diſcutere. Recordare frater confeſſionis ejus, & pectoris, quod flagella ſecuerunt. Memento carceris, tenebrarum, exilii metallorum, & non indignaberis hoſpitio tranſeuntem eſſe ſuſceptum. An ideo tibi rebelles videmur, quod calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli Chriſti ſitientibus porrigimus?* Sanctum Hieronymum in hoſpitalitate imitatum fuiſſe *Loth* Patriarcham, qui non examinabat, quos hoſpites reciperet, inquit *Cornel. à Lap.* Commentario in *Ezech. cap. cit.* Hinc ſanctus vir aliis quoque hoſpitalitatem exercendam ſuadebat. Ut *Epiſt.* 12. ad *Nepotianum*, dicens: *Menſulam tuam pauperes, & peregrini noverint, & cum illis Chriſtum convivam noveris.* Item *Epiſt.* in *vet. cod.* 59. ad *Oceanum* de vita Clericorum ſic habet: *Hoſpitalem præcepit Apoſtolus clericum ordinandum. Hoc præcepto Pater Abraham, & Loth Angelos ſuſceperunt, quia hoſpitalitatem inter cæteras dilexerunt virtutes. Sic & Oneſiphorus Paulum doctrinæ fontem ſuſcepit. Hæ imitatores ſint veſtræ, & ne ſinatis incolam præterire, qui apud vos panem non comedat.* „ Denique S. „ *Hieronymus* (inquit *Cornel. à Lap.* „ *loc. cit.*) laudat Chriſtianos, quod „ in foro tranſeuntes cogebant ad „ hoſpitium ſed malo, proh dolor! „ plurimi ſunt, qui hoſpites vitare „ ſatagunt.

CAPUT XV.

Sancti Hieronymi certamen cum Joanne Epiſcopo Hieroſolymitano.

I. SEd neque in Monaſterio defuere Sancto viro difficultates, & afflictiones, quas ab Origenis Sectatoribus, ſignanter à Joanne Epiſcopo Hieroſolymitano ſuſtinere coactus eſt. Dum enim Sanctus Doctor fidem Romano-Catholicam pleno ore loquendo, ſincera manu ſcribendo propugnaret (ob quod Malleus hæreticorum, & Antidotum errorum, elogiari meruit) præattactus Joannes, antea Monachus, & hæreticus Macedonianus, qui pollicitatione Epiſcopatus hæreſim ejurarat,

Digitized by Google

hoc vero, & quidem Hieroſolymitano obtento, mox acerrimum egit Origenis defenſorem, cujus eo tum errores (qui, ut cancer, longe, lateque ſerpebant, paſſimque Chriſtianos inficiebant) inter Doctores ventilabantur. Huic ſeſe *Hieronymus* fortiſſime oppoſuit, pluris faciens veritatem, quam Epiſcopi dignitatem, eundem ſub Prætextati nomine ſugillans, & in aliena perſona vapulans, quia ſic ejus vitia poſtulabant.

II. Quod ſi benevolus Lector pro ſua eruditione quærat, quis fuerit Origenes ſæpius jam hoc in opuſculo nominatus, frequentiusque adhuc nominandus? dicam breviter ex *Euſebii Cæſarienſis Lib.* 6. Hiſt. *cap.* 1. Origenes (ob indefeſſum, ac infractum in ſtudiis religionis cauſa laborem Adamantius dictus) Alexandriæ natus eſt A. C. 186. Patre Leonida viro Chriſtianæ fidei cultore peroptimo. Hujus cura omnigenam Sacrarum Scripturarum cognitionem, à teneris annis edoctus fuit, erat namque eminentiſſimi in ipſa etiam pueritia reſpectu omnium ſcientiarum ingenii, & ſimul ardentiſſimi deſiderii Martyrium pro fide Chriſti ſubeundi, adeo ut cum Genitorem ſuum Leonidam captum ob fidem Catholicam cognoviſſet, vix à matre, non quidem precibus, ſed veſtium ſubtractione, potuerit retineri, ne ſe ipſum perſecutoribus offerret: cum autem taliter ſe deſiderio ſuo fruſtratum advertiſſet, ne ſaltem Patri ſuo in aliquo defuiſſe videatur, eum in carcere detentum per litteras ad fortiter ſubeundum Martyrium cohortatus eſt ætatis ſuæ anno decimoſeptimo. Fervente autem Tyrannorum contra Chriſti religionem perſecutione paternis ob proſcriptionem Chriſtianorum exutus bonis primum matronæ cujusdam locupletis opera ſuſtentatus, ſucceſſive ludum aperuit, in quo Grammaticam pueros docuit. Tum hujus operæ, laborisque pertæſus vendidit humaniorum litterarum libros ea lege, ut in dies ſingulos quatuor obolos ad victum ab emptore acciperet: atque ſic magna continentia, & frugalitate vitam tranſigens, cum vidiſſet metu acerbiſſimæ perſecutionis omnes quaſi Doctores, & Magiſtros Chriſtianos Alexandria ad ſecuriora loca ſe recepiſſe, facta ſibi à Demetrio loci Epiſcopo licentia Litterarum Sacrarum interpretationem aggreſſus eſt annos natus duo deviginti, quando & multos ex diſcipulis ſuis tam Chriſtianis, quam gentilibus utriusque ſexus, quos ad Chriſtum converterat, ad fundendum pro Chriſto ſanguinem incitavit, eosque omnibus pietatis officiis publice inter ipſa ſupplicia affecit; quamvis & ipſe ſubinde latebras captare, & domicilium mutare coactus fuerit, ne à perſecutoribus ei magna ſollicitudine inſidiantibus comprehenderetur. Caſtitatis cuſtos adeo tenax fuit, ut timens, ne ex mulierum ad ſe ſtudii cauſa confluentium converſatione, aliquod ei periculum immineret, illam Chriſti Domini Sententiam *Matth. cap.* 19. de caſtratione propter regnum cœlorum ſimplicius interpretatus, ſeſe eviraverit. In ſtudiis indefeſſus longævam conſumpſit ætatem ſemper ſcribens, adeo, ut ſena librorum millia edidiſſe feratur apud Epiphanium *Hæreſi* 62. (quod tamen haud facile Hieronymus *Epiſt.* 62 & *Apolog. contra Rufinum lib.* 2. credidit. Librorumque nomine Homilias intelligendas eſſe arbitratur *Vincent. Gotti*, Theologiæ Scholaſticæ *Tom.* 5. *in* 1. *par. Quæſt.* 9. *Dub.* 5. §. 1. *num.* 4.) Græci, atque Hebraici ſermonis peritus Translationes Sacræ ſcripturæ, quæcunque extarent, magno labore exquirens, collegit: eam nimirum, quam LXX. Interpretes ante Chriſtum ediderant; deinde eorum, qui poſt Chriſtum natum, ſcilicet *Aquilæ Judæi*, qui eam *græce* verterat; aliam Symmachi,

chi, quam Cæſareæ Cappadociæ repererat: aliam denique *Theodotionis.* Quibus habitus Demetrium Epiſcopum Alexandrinum ſibi offenſum fugiens, atque ſeceſſum *Tyri* in Palæſtina petens primo *Tetrapla* in veteris Teſtamenti ſcripturam compilavit. Ideo autem hoc opus *Tetrapla* nomine intitulavit, quia quatuor columnis per ſingulas paginas diſtinxit; prima exhibebat verſionem LXX. Interpretum, altera Tranſlationem Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis. Hoc labore minus contentus Hexapla poſtmodum elaboravit: in quibus videlicet ſingulæ paginæ ſex columnis diſtinguebantur; Quarum prima contineret textum Hebraicum hebraice ſcriptum, ſecunda eundem textum Hebraicum, ſed Græco charactere exaratum; tertia Aquilæ verſionem, quarta Symmachi, quinta LXX. Interpretum, ſexta *Theodotionis.* Repertis vero poſtea quinta, & ſexta editionibus (& quidem una harum in dolio occultata Nicopoli apud Actium in Græcia) ab Hebræis, ſeu, ut putat *S. Hieronymus*, piis hominibus elaboratis, easdem Origenes Hexaplis addens, Octapla compoſuit, quæ octo columnas complectebantur, claudentes ſex præfatas verſiones, & ulterius has duas ultimo inventas. Hæc fuſius Epiphanius, qui, licet Origeni infenſiſſimus, ejusmodi ab eo navatam operam non ſemel laudavit. Reddit & ipſe *Origenes Epiſt. ad Afric. de Suſanna, & Tract. 8. in Matth.* inſtituti ſui rationem, ejusdemque meminit *Euſebius lib. 6.* Hiſt. *cap. 16.* & alii recentiores quam plures. Quod vero antiquam LXX. Interpretum tranſlationem ita concinnaſſet, ut ubicumque LXX. plus dixiſſent, quam haberetur in Hebræo, obelos apponeret; ubi vero minus, ex Theodotione adderet, præfixis aſteriſcis. Hanc ejus operam non ſolum commendavit ſæpius *S. Hieronymus Præfat. in Pentateuchum, & Epiſt.* 104. Item *Epiſt.* 89. ad *Auguſtinum.* Uti & in Apolog. adverſus *Rufinum*, & *Comment. in Epiſt.* ad *Titum.* Sed & ipſe ſecutus eſt exemplum, dum eandem LXX. Editionem vertit in Latinum. Ex quibus colligitur, quam perperam ab aliquo (*Gales de 70. Interpret.*) *Hieronymus* dicatur quæſtus de Origene: quod eo tempore non tam correxerit, quam corruperit LXX. Interpretum tranſlationem. Dialecticam quoque atteſtante *S. Hieronymo Lib. de viris Illuſtrib.*) & Geometriam, Arithmeticam, Muſicam, Grammaticam, Rhetoricam, omniumque Philoſophorum ſectas ita didicit, ut ſtudioſos quoque Sæcularium litterarum ſectatores quam plurimos haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurſusque ſingulis diebus ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, ut ſub occaſione Sæcularis litteraturæ in fide Chriſti eos inſtitueret.

III. Hiſce tum pietatis, tum doctrinæ monumentis celebre ſuum nomen poſteris reliquiſſet, ni ingenio plus æquo indulgens, volensque plus ſapere, quam oportet ſapere, ſenſum ſuum multis erroribus contaminaſſet, eosque edito Libro Periarchon, ſeu de Principiis intitulato, qui præ cæteris omnibus deterioribus, majoribusque refertus fuit erroribus, divulgaſſet. Hos *S. Auguſtinus Lib. de Hæreſib.* exponit ſequentibus. *Sed ſunt hujus Origenis alia dogmata, quæ Catholica Eccleſia omnino non recipit. In quibus nec ipſum falſo arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus falli, maxime de purgatione, & liberatione: & rurſus poſt longum tempus ab eodem malam revolutionem rationalis univerſæ creaturæ. Quis enim Catholicus Chriſtianus vel doctus, vel indoctus non vehementer exhorreat, eam, quam dicit purgationem malorum, id eſt: etiam eos, qui hanc vitam flagitiis, & facinoribus, & ſacrilegiis atque impietatibus maximis finierunt, ipſum etiam poſtre-*

mo Diabolum, atque Angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora purgatos, atque liberatos regno Dei, lucique reſtitui? Et rurſus poſt longiſſima tempora omnes, qui liberati ſunt, ad hæc mala denuo delabi, & reverti: & has vices alternantes beatitudinum, & miſeriarum rationabilis creaturæ ſemper fore, ſemper fuiſſe. De qua vaniſſima impietate adverſus Philoſophos, à quibus iſta didicit Origenes, in Libris de Civitate Dei diligentiſſime diſputavi. Idem *S. Auguſtinus Lib.* 17. de Civit. Dei *cap.* 3. de erroribus Origenis ſequentia ſcribit: *Multum mihi audere videntur, qui in Scripturis omnia prorſus ſignificationibus allegoricis involuta eſſe contendunt: uti in hoc extremum devius fuit Origenes, dum hiſtoricam fugiens, immo elidens veritatem pro ea ſæpe quidpiam Symbolicum ſupponit: Dum Eva ex Adami coſta formationem ſpiritualiter accipiendam putat; arbores paradyſi Angelicam fortitudinem; tunicas pelliceas corpora humana; & plura ſimilia myſtice interpretatur, atque ingenium ſuum nimis utique præcellens apud S. Hieronymum in Iſaia cap.* 5. *Eccleſiæ facit Sacramenta.* Uberius eoſdem pluresque alios, eosque enormes Origenis errores S. Hieronymus *Epiſt.* in *vet. cod.* 20. *ad Avitum* exponit, atque declarat, propter quos (ut S. Hieronymus *lib.* 2. adverſus Rufinum teſtatur) prolata fuit in eum à Demetrio Epiſcopo Alexandrino Excommunicationis ſententia, quam cæteræ quoque Eccleſiæ ratam habuerunt. Porrò ejus rei gratia mox Origenes pro ſui defenſione litteras circulares ſcripſit, quibus (ut *S. Hieronymus loc. cit.* inquit) & ipſum Demetrium laceraret, & in totius Orbis Epiſcopos, ac Clericos inveheretur, fruſtraque ac Eccleſiis excommunicatum ſe eſſe diceret, quod quæ in ſuis ſcriptis arguerentur, ea ab aliis hæreticis fuiſſent depravata. Quæ quidem videri potuiſſent ad ejus excuſationem ſatis idonea, quantumlibet fuiſſet ejusmodi errorum aſſertor, dum eos non modo non defendit, ſed nec ſuos eſſe aſſeruit. At in eo minus fuit excuſatione dignus, quod cum ſciret ſua ab omnibus impugnari, retractatorum nullum ediderit commentarium. Demortuo Demetrio Epiſcopo Alexandrino ſucceſſit Heracla Origeni favens, quare Origenes è ſeceſſu ſuo Tyro prodiens Alexandriam reverſus eſt, ubi tantiſper ab impugnationibus quievit. Sed cum poſt paucum temporis ſpatium Heraclas quoque obiiſſet, eidemque ſucceſſiſſet Dionyſius, qui licet Origenis olim fuiſſet diſcipulus, omnia tamen veritati poſtponens, Demetrii Sententiam ſecutus Origenem rurſum ob ſuos errores exagitare cœpit, qui, ut ſe defenderet, tum ad *Fabianum* Pontificem Romanum, tum ad alios Epiſcopos rectæ fidei Profeſſionem ſcripſit, quam tamen Fabianus non admiſit, verum, ut Romam ſe oretenus purgaturus compareat, evocavit. Stitit ſe omnino Romæ Origenes, eumque ibi in magna æſtimatione fuiſſe notat *Euſebius lib.* 6. Hiſt. *cap.* 28. & 29. Sed an ſe purgaverit? nihil ſignificat. Spondanus exiſtimat Euſebium dolo reticuiſſe, quæ in reprehenſionem Origenis, cujus erat ſtudioſiſſimus, fuiſſent. Dum autem Româ Alexandriam rediiſſet, circa A. C. 253. ſuſcitata fuit Decii, & Valeriani Imperatorum edictis horribilis Chriſtianorum perſecutio, quæ Alexandrinam, cæterasque Ægypti Eccleſias dirè vexabat. Hanc egregie deſcripſit inſignis tunc eruditione, ac pietate ejusdem Alexandrinæ urbis Epiſcopus (qui & ipſe Divino ſecedens monitu, ac nihilominus in manus perſecutorum incidens, mirabiliter evaſit) *Dionyſius* apud *Euſeb. lib.* 6. Hiſt. *cap.* 33. & 34. recenſétque multos, qui ejusdem perſecutionis occaſione Alexandriæ Martyrium ſubière, multos etiam, qui relicta patria ad exteras, longinquasque regiones abière, concludens cum S. Paulo primo Eremita, quem

eo

eo tum in ſolitudinem migraſſe notat. Sed ut ad Origenem redeam, narrat *Euſeb. lib. 6.* Hiſt. *cap.* 32. ejus egregium pro fide Chiſtiana certamen, ſuperata tormenta, fortiterque tolerata crudeliſſima vincula; quæ quidem apud Alexandriam ei contigiſſe *Epiphanius Hæreſi 64.* aſſerit, dum & eum per urbem tractum, probris affectum, & cruciatibus immanibus applicatum tradit. An autem ceſſante perſecutione, ſicut alii plures, vinculis ſolutus fuerit? an, quod (ut plerique ſcribunt) thus obtulerit? haud ſatis compertum habetur. Apud Epiphanium certe negationis ejus turpiſſima illa affertur cauſa, quod abuſum corporis ab Æthiope pati, aut Idolis ſacrificare juſſus, hoc ultimo potius electo, non tamen id ſponte egerit, ſed tantum permiſerit, ut injecto in manu thure ad Aras rogum adduceretur. Atque ea propter ab Eccleſia Alexandrina rejectus, Hieroſolymam ſe recepiſſe traditur, ibique multum rogatus docere, aperto libro in eam ſententiam *Pſal.* 49. incidiſſe: *Peccatori dixit DEUS, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* eaque lecta librum depoſuiſſe, & cum fletu, ac lachrymis conſediſſe, omnibus ſimul cum ipſo plorantibus. Hæc apud Epiphanium. At in Libello, qui Lamentationes, ſeu Pœnitentia Origenis inſcribitur, alia adumbratur potius, quam deſcribitur cauſa lapſus ejus; nec quodnam crimen fuerit, quod tanta amaritudine deploraſſe repræſentatur, nec ſi ab hæreticis, an gentilibus ſeductus ſit? haud ſatis intelligi poteſt. „Verum ſicut ille Libellus (inquit *Spondanus* ad A. C. 253.) à Gelaſio Papa velut adulterinus reſpuitur, ita etiam ea, quæ ex Epiphanio recitata ſunt, falſa eſſe multa perſuadent: etſi non ignoramus ea confirmari à poſterioribus Scriptoribus *Leontio de Sect. Act.* 10. Svida verbo Origenes. *Zonara Annal. lib. 2. Nicephoro cap. 24.* & aliis recentioribus Græcis, & Latinis. Non enim antiquiores illi rerum Eccleſiaſticarum Tractatores, ſive qui Origenis errores oppugnarunt, ut *Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, Vincentius Lirinenſis*; vel alii, qui de eo pluribus egerunt: nec non, qui ſub Juſtiniano Imperatore ejus rurſum damnationem operati ſunt: ſive qui pro illo Apologias ſcripſerunt, ut Pamphylus, (ſeu potius *Euſebius* ejus nomine) atque *Rufinus*: ſive denique Ethnici, qui de eo ſcripſerunt, ut Porphyrius, licet Eccleſiæ gloriæ invidus Ammonium Origenis contemporaneum, & in ſchola Alexandrina ſocium, à Chriſti fide ad Ethnicos diſciviſſe, non erubuerit mendaciſſime litteris prodere. Nullus inquam horum, vel aliorum eorundem temporum Scriptorum, ejuſmodi Origenis lapſus vel nutu tantum meminit. Ut prorſus veriſimile ſit, quæ de eo apud Epiphanium leguntur, addita eſſe ab aliquo fabularum concinnatore, cum *S. Auguſtinus de Hæreſib. ad Quodvultd.* de duplicibus Origenianis hæreticis agens, eaque omnia ſe ab Epiphanio mutuatum eſſe teſtatus, nihil penitus de Origenis negatione habeat, quam vel obiter attigiſſet, ſi eam apud Epiphanium reperiſſet, facile adducimur, ut credamus. Et ipſe *Epiphanius de Menſur.* de eodem Origene verba faciens, id tantum dicit, eum in perſecutione Deciana multa paſſum, ad finem tamen Martyrii non perveniſſe. Id namque ipſum & *Euſebius* tradit, qui licet Origenis laudes qualibet captata occaſione, parum ſincere interdum fuerit proſecutus, tamen in iis, quæ de ejus confeſſione ſcribit, haud putandus eſt fuiſſe mentitus, cum antiquorum neminem habuerit repugnantem. Sed hæc ſatis pro hiſtoria.

„elucidatione, cum alioqui in Dogmatibus Origeni minime faveamus. „ Hæc *Spondanus.*

IV. Non diu poſt vixit Origenes, nam A. C. 256. ætatis vero ſuæ 69. ipſum extremum clauſiſſe diem notat *Euſeb. lib. 7.* Hiſt. *cap. 1.* Qui autem vivens in ſcribendo ſæpe redarguitus eſt erroris, multo amplius poſt mortem & hæreſis infamatus. Quamobrem pluribus opus habuit Apologiis. Quarum primam à Pamphylo Martyre conſcriptam credidit *S. Hieronymus Lib. de Scriptorib. Eccleſiaſticis in Pamphilo*: Sed poſtea *Epiſt.* 62. ad *Pammachium de Erroribus Origenis.* & in *Apolog.* contra *Rufinum* retractans, Euſebii, non Pamphyli eſſe affirmavit. Sane quidem ſuam eſſe teſtatur ipſe *Euſebius lib. 6.* Hiſt. *cap.* 26. & 29. quam tamen ſcripſerit adjutus à *Pamphylo.* Vulgata quoque extat pro eodem *Origene Rufini Apologia*, ſed à *S. Hieronymo* multis reprehenſa. Duos porro aliqui conſtituunt Origenes, quorum alter Adamantius, de quo hic ſermo eſt, dictus ſit: alter plane ignotus, ex quo Origeniſtæ Turpes ſint cognominati, qui cum matrimonium damnarent, in omnium libidinum cœno velut ſus volutarentur, quorum meminerunt *Epiphanius Hæreſi* 63. & *Auguſtinus de Hæreſi cap.* 43.

„Verum exiſtimamus (dicit *Spondanus ad A.C.*256.) nonniſi unum Adamantium extitiſſe aliquando Origenem, qui vero alium effinxerunt, ideo feciſſe, ut de Origene labes aſperſas in illum egererent, vel, quod Origenis Sectatores in deterius prolapſi, etiam Gnoſticorum ſordibus ſint infecti, & ad differentiam aliorum Origeniſtarum, Turpes, à dogmate, non ab Authore Origeniſtæ ſint dicti. „ Reperi ego apud *Jacobum Cavacium pag.* 97. unum Anachoretam nomine Origenem Magni Antonii diſcipulum optimum Catholicum, de quo in *Notis* idem *Cavacius* hæc habet: *Nos Origeniſtam hæreticum damnatum explodimus, Sed noſtri hujus Origenis laus ſit apud Catholicos, ut pote diſcipuli Magni illius Antonii, qui hæreticorum omnium familiaritatem ex teſtamento ſuis ſectatoribus interdixit.* Non videtur proinde hic Origenes fuiſſe ille, quem quidam pro altero ab Adamantio extitiſſe exiſtimabant.

V. His inter Parentheſim de Origene notatis, tempus eſt ut ad certamen *Hieronymi* cum *Joanne* Epiſcopo Hieroſolymitano tranſitum faciamus. Certaminis hujus cauſa fuit contentio inter Epiphanium Salaminæ in Cypro, & eundem Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopos. Hic Rufini, Palladii, Iſidori, & aliorum Origeniſtarum amicus, quos cavendos eſſe monuerat Epiphanius, adverſantibus ſibi Theophilo Alexandrino, Hieronymo, & aliis, Epiphanio quoque inimicus fuit, cum eis litium occaſionem quærebat. Cum autem Epiphanius Paulinianum S. Hieronymi Fratrem Diaconum primo, dein & Presbyterum, etſi non ſub Joannis Parochia, in Palæſtina tamen in quodam Monaſterio Eleutheropolitani territorii, ubi tunc agebat, ordinaſſet, inſurrexit in eum, quaſi in aliena Diœceſi aliquid contra canones præſtitiſſet: cui aliam quoque iracundiæ ſuæ cauſam afferebat Joannes, quod nimirum ſacrificium incruentum offerens ſic oraret Epiphanius: *Domine, da Joanni, ut recte credat.* Huic ergo per nobilem illam Epiſtolam (quæ habetur in cod. ſub *num.* 21.) quam in latinum idioma vertit *Hieronymus*, reſpondit Epiphanius, & mente ſua de ultimo capite explicata, ad primum reſpondit, ſe ex neceſſitate ſibi bene perſpecta Paulinianum in Presbyterum ordinaſſe, idque jure optimo feciſſe, tum quod id eſſet in uſu poſitum apud *Cyprios*, tum quod ejus non eſſet de hac ordinatione conqueri, ſed Epiſcopi Cæſareæ, cui Hieroſolyma etiam

etiam ex Nicæna Synodo ſubdita eſſet: denuoque Joannem commonuit, ne Origenis erroribus, quos ex ordine detegebat in Epiſtola, implicetur: atque ideo ſe orare affirmabat, non tamen, ut quidam ſuſurrones, ultro citroque portantes rumuſculos, ut rixas inter fratres concitent, ajebant: *Domine, da Joanni, ut recte credat*, verum ſecundum ritum myſteriorum in completione orationis ſicut pro omnibus, ita & pro eodem dicendo; *Tu præſta Domine, & cuſtodi, ut ille verbum prædicet veritatis, ſicut occaſio ſermonis ſecum tulerit, & habuerit oratio conſequentiam.* Idque nunquam aperte, ut in alienas perveniret aures, verum in corde duntaxat ſuo.

VI. Hoc reſponſo Joannes non contentus ingentis origo fuit Controverſiæ de facili quidem excitatæ, ſed cum maxima difficultate terminatæ. Mox namque Hieronymum, Fratremque ipſius Paulinianum, omneſque monachos Hieronymo ſubjectos excommunicavit. Deinde Epiſtolas Enciclycas adverſus ipſum Epiphanium tum ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, tum ad alios ſignanter occidentales miſit, quibus oſtendit ſe Origenis ingenium, non fidem ſecutum, atque inter alia calumniam ei Hæreſis Anthropomorphytarum impingere non verebatur: Sed S. Hieronymo magis credendum eſt, qui zelo fidei *Epiſt.* in *vet. cod.* 22. ad *Pammachium* ſub forma pariter Enciclyca pro defenſione Epiphanii hinc inde expedita, eum ab omni contumelia vindicavit, erroreſque Joannis ex Origenis Libro *Periarchon* deſumptos acriter, abundeque refutavit, eumque hæreſis redarguit. Non modicum hoc diſplicuit Joanni, quamobrem *Hieronymum* perſequi, omnibuſque modis, quibus poſſet, affligere decrevit, atque ideo eum ingreſſu Sepulchri Domini, ad quod tamen & Hæretici admittebantur prohibuit, & è Bethlehem pellere meditabatur, quod tamen attentare per ſe auſus non eſt, S. Paulam veritus, cui tanquam nobili, diviti, potentique Matronæ Romanæ nemo non obſequi geſtiebat, id ergo apud Theophilum Alexandrinum per litteras efficere conabatur, quaſi non ipſius, ſed alieno, eoque Patriarchali juſſu è monaſterio exulare cogeretur. Bethlehem juxta *Severum Sulpitium* Dialog. *Lib.* 1. *cap.* 4. ab Hieruſalem ſex milliaribus diſtat, conſequenter & Eccleſia cum Monaſterio, quod *S. Hieronymus* inhabitabat, & regebat, Parochia autem ejusdem loci ſpectabat ad Epiſcopum, qui ſuam ſedem Epiſcopalem habebat in Hieruſalem, qui cum aliis quoque Epiſcopis, adeoque univerſis Eccleſiis Epiſcopalibus, Parochialibus, & Clauſtralibus ſubjiciebatur Patriarchatui Alexandrino.

VII. Intelligens S. Hieronymus Joannem à Theophilo excluſionem ſuam, & ſuorum petiiſſe, mox *Epiſt.* in *vet. cod.* 23. ad Theophilum ſcripta calumnias Joannis refellit, eumque Origenis Sectatorem oſtendit: in qua de petita quoque ſui, ſuorumque de Monaſterio ejectione ſic loquitur: *Nuper nobis poſtulavit, & impetravit exilium, atque utinam implere potuiſſet, ut ſicut illi voluntas imputatur pro opere, ita & nos non ſolum voluntate, ſed & effectu coronam haberemus exilii. Fundendo magis ſanguinem, & patiendo, quam faciendo contumelias. Chriſti fundata eſt Eccleſia, perſecutoribus crevit, martyriis coronata eſt. Aut ſi iſti ſoli juxta quos legimus, amant rigorem, & non noverunt perſecutionem ſuſtinere, ſed facere: Sunt & hic judæi, ſunt variorum dogmatum hæretici, & maxime impuriſſimi Manichæi, cur eorum ne verbo quidem quempiam audent lædere? nos ſolos expellere cupiunt. Nos ſoli, qui Eccleſiæ communicamus, Eccleſiam ſcindere dicimur. Oro te, nonne*

Digitized by Google

æqua iſta eſt poſtulatio? Ut aut illos nobiſcum expellant, aut nos cum illis teneant: niſi quia in eo magis bonorant, quos ſaltem ab hæreticis exilio ſeparant. Monachus, proh dolor! Monachis minatur, & importat exilium: & hoc monachus Apoſtolicam cathedram habere ſe jactans, non novit tyrocinatio iſta ſuccumbere, & impendenti gladio magis cervices, quam manus ſubjicit: quis enim monachorum non exul patriæ, non exul eſt mundi? Quid neceſſe eſt authoritate publica, & Reſcripti impendiis, & toto orbe diſcurſibus? tangat ſaltem digitulo, & ultro exibimus. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Chriſtus loco non tenetur incluſus.

VIII. Theophilus volens diſſidia inter Joannem, Epiphanium, & Hieronymum componere, miſit Legatum Hieroſolymam Iſidorum Presbyterum, ac monachum Alexandrinum, occultum Origeniſtam, adeoquo Joanni Epiſcopo faventem, Hieronymo autem, tamquam Origeniſtarum adverſario, contrariantem, eapropter neque litteras Hieronymo à Theophilo exaratas reddentem: qua de re Hieronymus apud Theophilum conquerebatur, & ſimul adverſus Joannem expoſtulabat, quod ſuis mandaſſet clericis, ut ſi quis Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum Presbyterum diceret, Eccleſiæ prohiberetur ingreſſu. Hac eadem occaſione, cum ſciret Hieronymus Theophilum Joannis litteris male perſuaſum, exiſtimare ob rem frivolam, nempe ordinationis Pauliniani cauſa, non autem tuendæ catholicæ fidei eos inter ſe fuiſſe altercatos, his eisdem litteris eidem rerum geſtarum veritatem ſignificavit, ſeque pacem, quam Theophilus per legatam obtulerat, optare, modo veram pacem, quæ ſcilicet compendio, non autem diſpendio fidei Catholicæ eſſet, compararetur. Quibus Theophilus intellectis, poſt hæc *Epiphanio*, & *Hieronymo* adverſus *Joannem*, & *Origeniſtas* favit. Immo, quemadmodum hucusque ſuper nefaria Origenis hæreſi multam gerebat patientiam, putabatque Eccleſiæ viribus inſidiantes ſua poſſe corrigi lenitate: ita, excitante ipſum *S. Hieronymo*, erecto zelo fidei Alexandriæ vexillo Crucis, exaltavit manum, ut diu ſuſpenſam plagam fortius, ſeveriusque exereret. Miſſis namque in Palæſtinam Sanctis Fratribus Pluſculo, Priſco, & Subulo: in Monaſteria vero Nytriæ, in quibus Origenis hæreſim quidam nefarii plantare ſatagebant, Sancto Agathone Epiſcopo, Anaſtaſio Diacono, & Theodoro monacho, qui raptim luſtratis regionibus, & cœnobiis dogmatum horum regulas ad latebras usque ſuas perſecuti ſunt: atque taliter fugatis Origenis dogmatum propagatoribus, & ſectatoribus, victoria glorioſe potita pacem Eccleſiis Alexandrini Patriarchatus reddidit; quam victoriam tamen *Epiphanius Epiſt. in vet. cod.* 29. ad *Hieronymum*, eidem Sancto Doctori, utpote quo inſtigante parta eſt, adſcribit. Cum autem intellexiſſet Theophilus, quod Calumniatores veræ fidei *Ammonius*, *Euſebius*, & *Euthymius* novo pro hæreſi Origeniana furore debachantes Conſtantinopolim navigaſſent, ut, & quibusdam veteribus ſuæ impietatis ſociis ibidem exiſtentibus conjugerentur, & plures alios ſuis fallaciis deceptos temerario ſuo dogmati copulent: ſcripſit Epiſtolam ad Epiphanium, committendo eidem, quatenus cunctis Epiſcopis per Iſauriam, atque Pamphyliam, cæterasque vicinas provincias, rerum ſeriem ſincere exponendo intimet Synodum, in qua ab omnibus uno ſpiritu congregatis in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ipſe Origenes nominatim, & ejus hæreſis nefaria condemnetur, hujusque ſectatores omnium conſenſu tradantur Sathanæ in interitum impietatis. Idipſum per litteras Theophilus ſignificavit etiam Epiſcopo Conſtan-

Digitized by Google

ſtantinopolitano, requirens eum, ut & is cum ſuis Coëpiſcopis Eccleſiæ ſuæ invigilare ſtudeat, ne à ſupranominatis Origenis ſectatoribus depravetur; miſitque ſimul cum Epiſtola quosdam de Nytriæ monaſteriis monachorum Patres, cum aliis ſanctis, & continentiſſimis viris, qui & Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & alios univerſos poſſint in præſentia docere, quæ circa Origeniſtas Alexandriæ, inque ſubjectis Eccleſiis geſta ſunt. Hæc omnia colliguntur ex *Epiſtolis Theophili*, *Epiphanii*, & *Hieronymi* ultro, citroque ſcriptis: ſuntque in *vet. cod.* ſub *Num.* 24. 25. 26. 27. 28. & 29.

CAPUT XVI.

Sancti Hieronymi diſſidium, & diſputatio cum Rufino Presbytero Aquilejenſi.

I. *Rufinus* Presbyter Aquilejenſis, quem *cap.* 5. cum *Melania* Matrona Romana Româ peregre profectum in Ægyptum retuli, poſtquam audito Alexandriæ de dogmatibus Origenis Didymo ſe Hieroſolymas ad *Melaniam*, quo illa præceſſerat, contuliſſet, Joannisque Epiſcopo Hieroſolymitano familiaritate intima junctus fuiſſet, eumque, ac ſuos collaterales hauſtu veneni hæreſis Origenianæ inebriaſſet, plura in *S. Hieronymum*, olim ſibi amiciſſimum, ac familiariſſimum præſumpſit. Primo namque dum *Epiphanius*, & *Hieronymus* cum *Joanne* Epiſcopo Hieroſolymitano altercarentur, ſubrepta fuit à quodam Pſeudo monacho adverſariorum arte ſubmiſſo Epiſtola *Epiphanii* ad *Joannem* ſcripta (cujus *cap. præc.* mentionem feci) atque ab *Hieronymo* in Latinum tranſlata, propter quam *Hieronymum* calumniam falſarii paſſum eſſe, quaſi non recte quædam verba tranſtuliſſet, ipſemet pluribus declarat, ac ridet *Epiſt.* in *vet. cod.* 38, quam ea occaſione *de optimo interpretandi genere ad Pammachium* ſcripſit: qua cum imprimis ſe purgat ab illata calumnia, invehiturque in chartarum ſubreptores, & quam acres, & ſeveras leges vindices haberet, pluribus demonſtrat exemplis, deinde aperte inſinuat ejus architectos fuiſſe *Rufinum*, & *Melaniam*, qui ob hæreſes *Origenis*, quarum præcipuos Patronos ſe exhibuerant, ab ejusdem *Hieronymi* amicitia ſejunxerant, ac tandem docet, non ſolum gentilium, ſed & Apoſtolorum, ſimulque Evangeliſtarum, ac LXX. Interpretum exemplo non verbum de verbo, ſed ſenſum de ſenſu transferri debere. Accidit ſecundo eorundem adverſariorum dolo (ut *S. Hieronymus Apolog.* adverſus *Rufinum* non obſcure indicat) ut nec *S. Auguſtini* Litteræ (de quibus *ſequ. cap.* agetur) ad *Hieronymum* perlatæ fuerint, ſed exſcripta ex eis exemplaria in Italiam miſſa, ſparſaque non ſine gravi *Hieronymi* nota: quorum unum nactus *Siſinnius* Diaconus (*ut S. Hieron. Epiſt.* in *vet. cod. 108.* notat) primo poſt annos duodecim à priorum litterarum ſcriptione Hieroſolymam alia occaſione peregrinatus ad eundem *Hieronymum* attulit: quapropter binis iis litteris acceptis, *Hieronymus* nonnihil ſtomachatus aliis binis & ipſe ad *Auguſtinum* miſſis de injuria accepta conqueſtus eſt. Sed de his plura *cap. ſequ.*

II. Medio tempore *Rufinus Apologiam* pro *Origene* ab *Euſebio Cæſarienſi* ſcriptam, nomine tamen Pamphyli Martyris vulgatam, à ſe vero Latinitate donatam edidit (ut teſtatur

S. Hieron. Apologia adverſus *Rufinum*) addiditque pro eodem *Origene* recens à ſe volumen elaboratum *de adulteratione Librorum Origenis*: quibus præmiſſis defenſoribus, ſic Librum *Periarchon Origenis* hæreſibus refertiſſimum à ſe tranſlatum voluit edi, ut Præfationi ei affixæ nomen ſuum (*ut Hieron. Epiſt. in vet. cod. 38.* innuit) ſilentio prætermitteret, quo & nomen interpretis haberetur incognitum. Ut autem ſuſpectum *Origenis* nomen teſtificatione *S. Hieronymi* venerandum faceret, idem prædicta ſua præfatione (habetur in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 31.*) quæcunque ab *Hieronymo*, utpote celebri, & Sancto viro, aliæ ejusdem *Origenis* lucubrationes eſſent hactenus latinitate donatæ, recenſuit, ejusque de ſe ipſo elogia recitavit, ac demum profeſſus eſt, ejus ſe in interpretando, atque ab erroribus expurgando *Origene* affectatum eſſe veſtigia. Ex quibus alterutrum de duobus eventurum perſentiret: vel, ut ita *Origenis Periochon* avidius acceptum ab omnibus probaretur: vel, ſi contingeret ob blasphemias reſpui, in *Hieronymum* antiquiorem *Origenis* interpretem, ac laudatorem infamia verteretur. Atque hinc primum inter *Hieronymum* & *Rufinum* publica exorta fuit, nunquam amplius ſopita gravis contentio.

III. His itaque in ordinem redactis, dum *Melania* matrona ad A. C. 397. repatriare ſtatuiſſet, adjunxit ſe eidem individuus comes Rufinus, & cum Romam perveniſſent, mox omnium animos præ admiratione in ſe converterunt, cum viderent eosdem ab Urbe diu abſentes, Hieroſolymis, tanquam ex ſpirituali quadam *Academia*, ut veram excolerent ſapientiam, reduces, eosdem *Stoica* indolentia, quam ex Origenis libris didicerant, perfectiſſimæ, & ad omnes numeros abſolutæ vitæ Chriſtianæ ſpecimen edere, in tantum, quod etiam ab ipſo ſanctiſſimo viro *Paulino*, ad quem *Nolæ* in Campania diverterant, immenſis præconiis *Epiſt 9. & 10.* ad *Severum* celebrati fuerint. Quapropter hac opportuna arrepta occaſione, qui ad hoc venerant, ut, ſi poſſent, Origenis errores ipſi etiam Romanæ ſedis Antiſtiti (cui Rufinus ſuam *Apologiam* pro Origenis libro *Periarchon* dedicare intenderat) ac per eum univerſæ perſuaderent Eccleſiæ, confeſtim, ut Romam appulerunt, ac ſe ingenti æſtimatione apud omnes eſſe cognoverunt, iisdem impietate referta allata ſecum ſcrinia reſerantes, depromſerunt inde peſtiferas merces, ſed ita fallaciis obvolutas, ut etiam prudentiſſimos decipere potuiſſent. Quapropter *Rufinus* mali operis pejor interpres, peſſimusque præfator adeo profecit, ut permulti ſe clerici imprudentes in Origenis errores præcipitaverint: potuiſſetque jure timeri Romanæ Eccleſiæ caſus, niſi, qui pro ea continuo vigilat *Deus*, dormientibus eis, quorum muneris erat ſtare pro muro *Iſraël* excitaſſet ſpiritum fœminæ, novæ *Deboræ*, per quam phalanges everteret *Chananæorum*.

IV. Fuit ea *S. Marcella*, ſpectata ſcientia, & virtutibus matrona Romana, *S. Hieronymi* olim diſcipula. Hæc cum Pammachio, & Oceano viris illuſtribus recurrit per Epiſtolas ad Magiſtrum ſuum *Hieronymum*, ſignificans eidem, quid rei Romæ gereretur, & ſimul ipſum humillime requirens, ut reſponderet quo citius, quid ſibi credendum, faciendumque foret? & ſemetipſum, cujus nomine quædam Origenis interpretationes vulgarentur, defenſaret. Epiſtola hæc eſt Pammachii, & Oceani inſtinctu Marcellæ ſcripta, haberturque in *vet. cod.* ſub *num. 32.* ad *Hieronymum*. Fecit vir ſanctus, quod rogabatur, fideliterque *Origenis* Librum Periarchon, quem *Rufinus* non bona fide ex Græco in latinum converterat, interpretatus eſt, eundemque

Digitized by Google

Romam una cum Præfatione in ſuam verſionem facta transmiſit Amicis, ſignanter Pammachio, & Oceano clariſſimis atque doctiſſimis viris. Huic interpretationi adjunxit *Apologiam* in *vet. cod.* ſub *tit. Epiſt.* 33. ad *Pammachium*, & *Oceanum*, qua docet ſe Origenis doctrinam, non dogma ſectatum, illiusque opera ita legenda, ut, exceptis bonis, contraria fidei reſpuantur: & præterea omnes, qui in *Rufini* interpretatione ſparſi fuerant *Origenis* errores, reddidit toti Romæ manifeſtos, ac dolum pariter ejus, qui male verſum *Periarchon* ediderat, aperuit, præfationemque *Rufini* in eundem Librum eximie carpſit; hæcque eo conſilio ſe elaboraſſe *Hieronymus* profeſſus eſt, ut qui in ſuſpicionem criminis à *Rufino* vocatus fuerat, ea ſe labe purgaret.

V. Accepto à ſuo Præceptore reſponſo cum adjunctis *Marcella Vidua*, cum diu ſe cohibuiſſet, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, ſenſiſſet tamen fidem Catholicam, Apoſtolico ore laudatam, in plerisque magis, & magis violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos monachorum, vel maxime autem Sæculares in aſſenſum ſui traheret *Rufinus*, ac ſimplicitati illuderet Romani Pontificis Siricii, qui de ſuo ingenio cæteros æſtimabat, prima contra eundem erexit vexillum, eidemque publice reſtitit, atque damnationis hæreticorum Origeniſtarum origo fuit. Adduxit namque teſtes, qui prius ab eis eruditi, & poſtea ab hæretico errore correpti, oſtenditque multitudinem deceptorum, atque impia Libri *Periarchon* ingeſſit, volumina, quæ emendata manuſcorpii demonſtrabantur. Denique eo negotium provexit, ut ipſi hæretici negare coacti fuerint *Periarchon* ſua ipſorum opera in Latinum eſſe converſum, ſeque cum Origene ſentire; ac præferentes Catholicam diſciplinam, quæſierint à Romano Pontifice communicatorias Litteras, ut communicantes Eccleſiæ diſceſſiſſe Roma viderentur. Hæc *Spondanus* ad A. C. 397. ex *Hieronymo*. Ex quibus luculentum evadit, quam egregie divino judicii divini pondere certamen fuerit æqua lance penſatum, dum per fœminam *Marcellam* diſſipari delegit, quod duce fœmina *Melaniâ* per ſuos diabolus fuerat machinatus.

VI. His *Marcellæ* hæroicis plane pro fide Catholica geſtis confuſus *Rufinus* repetere ſtatuit patrium ſolum Aquilejam; eapropter petiit, & impetravit à Siricio Papa Communicatorias litteras Catholicis tantum impertiri ſolitas. Fecit hoc Pontifex ex eo, quod ipſa hæretica interpretatio Libri *Periarchon* nomine careret Authoris, neque à quo, præfatio illi præmiſſa, ſcripta fuiſſet, liqueret, *Rufinus* porro nondum hæreticus detectus ſe Catholicum optimum proclamaret, conſequenter à communione Eccleſiæ rejici non poſſet. Sugillat tamen *S. Hieronymus* *Siricii* Papæ ſimplicitatem, quod minime adduci potuerit, ut crederet in Chriſtianis, maxime fama conſpicuis, hæreſis occultari venenum, ex probitate animi ſui neſciens (ut ait *Epiſt. 4.* ad *Principiam*) male exiſtimare de aliis. Hic tamen advertendum, quod *S. Hieronymus* (ut *Baronius* ad A. C. 397. inquit: non ſugillet *Siricii Papæ* dolum, ſed ſimplicitatem, de qua *Petrus Conſtant.* Epiſtolar. Romanor. Pont. *pag.* 706. ſic diſſerit: *In ſiniſtram ſuſpicionem non facile abit Chriſtiana ſimplicitas, nec malè de quoquam judicare amat; præſertim de illo, de quo nihil ſe menti offert, unde non recte de illo ſentiat.* Quæ verba conſiderans modernus Sanctiſſimus Dominus noſter *Benedictus XIV.* in Epiſtola ſua Apoſtolica de nova Martyrologii Romani editione ad *Joannem V.* Regem Portugalliæ ſcripta *num.* 77. concludit, dicens: *Culpanda igitur ſimplicitas, quæ à fatuitate, nimiave credulitate*

Digitized by Google

proficiſcitur, excuſanda vero, quæ ortum ducit à Chriſtiana charitate, cui illud peculiare eſt, ut de alieno malo, quod ignorat, non cogitet. Charitativa ergo ſimplicitate *Siricium* erga *Rufinum* præditum fuiſſe, hancque quodammodo *S. Hieronymum* ſugillaſſe cenſendum eſt: *Rufinus* namque ubi à *Siricio* Litteras Communicatorias obtinuit, vir fuit multæ ſcientiæ, ac integræ famæ prærogativa commendatus, necdum enim, quod in imo pectore ſervabat, virus evomuerat, per conſequens neque à *Siricio*, qui nihil mali de eo intellexerat, poſtulatis privari poterat. In rem hanc teſtem producit ſupra cum filiali reverentia citatus Sanctiſſimus Dominus noſter in citata Epiſt. *num. 86.* ipſum *S. Hieronymum* his verbis: „Qui „(*Hieronymus*) cauſam inquirens, „cur *Origeniſtæ*, atque omnium loco „*Rufinus*, Communicatorias Litteras „à *Siricio* poſtulaverint? hanc pro„ducit in *Epiſt. 127. ad Principiam* in „nova *Veronenſi* editione *Tom. 1. pag.* „952. *num. 10*, ut hæreſi nondum e„vulgata, Catholicæ communionis „pallio obtecti ſecurius ex Urbe di„ſcederent. *Cernentes hæretici* (in„quit *S. Doctor*) *de parva ſcintilla ma„xima incendia concitari, & ſuppoſitum „dudum flammam jam ad culmina per„veniſſe; nec poſſe latere, quod multos „deceperat, petunt, & impetrant Eccle„ſiaſticas Epiſtolas, ut communicati Ec„cleſiæ diſceſſiſſe videantur.* „ Textum hunc *Card. Noriſius* Diſſert. de *Siricio* PP. *pag.* 725. enucleans, duo advertit. Primo: Rufinum abiiſſe Roma, ne, detectis erroribus, à Siricio puniretur. Secundo: Errores Rufini ætate Siricii impervios deliituiſſe, conſequenter eruditiſſime concludit citatus Sanctiſſimus Dominus noſter, non fuiſſe Siricium ſimplicem ſimplicitate fatua, nimiumve credula, ſed ſimplicitate ſancta, & erga proximum charitativa, quam & *S. Hieronymus* ſugillaſſe videtur, optime alias de Siricio ſentiens. Hoc autem colligitur ex ſermone, quo Rufinum objurgat, & *Siricium* commendat, dicens: *Siricii jam in Domino morientis profers Epiſtolam, & viventis Anaſtaſii verba contemnis.* Cujus textus priora verba *Oſtendunt* (ut inquit *Pagius* in vita *Siricii pag. 77.*) *Hieronymum credidiſſe Siricium ſomno Sanctorum in Domino obdormiviſſe.* Hinc ruit etiam ſententia illorum, qui ex opinione *Baronii*, pia ſane, ſed minus ſolida, ſcribunt: altiſſima Dei providentia Siricium clerius ex hac vita raptum eſſe, ne Origenis hæreſis invaleſceret; atque Anaſtaſium ſuffectum, qui Origeniſtas proſterneret. Quam ſententiam rejiciunt *Florentius*, *Noriſius*, *Pagius*, aliique Scriptores quam plurimi. *Siricium* namque, ſi Pontificatus tempora metiantur, in ſupremo Eccleſiæ gubernio 14, ſive ex veriori calculo 15. annis egiſſe: ſi vero ætas conſideretur, plus quam ſeptuagenarium obiiſſe referunt. Deinde ſi accuratiori temporis ſupputationi, quam Noriſius producit, & probat, inhæreatur, ultimo *Siricii* vitæ anno *Rufinus* Librum *Origenis*, *Periarchon* nuncupatum in Latinum transtulit, per conſequens Siricio, qui nonniſi aliquot tantum menſes ſuperſtes fuit, tarditas in contemnando Rufino objici non poteſt, minus, quod propter non condemnatum celeri morte à DEO punitus fuiſſet. Quemadmodum neque Prædeceſſores ſui *Damaſus* ab hæretico deceptus, & Julius abſolvens Ancyræ Epiſcopum Marcellum, poſtea à Liberio damnatum, ſtatim è vivis ſublati fuere: ſed neque ſucceſſor Anaſtaſius, qui poſt triennii primo ſui Pontificatus ſpatium Rufinum, cum reſiduis Origeniſtis condemnavit. Ex quibus legitime inferri poteſt: quod ſicut triennalis mora Anaſtaſii ſanctitati nihil nocuit, ita pauciſſimi menſes Siricii probitati minime obſint. Nec deſunt Scriptores, iique vetuſtiſſimi, ut Hordoinus, Vitalis, Luithprandus, &c. qui inſignia de Sancti-

tate

tate Siricii documenta reliquêre, eumque ſummo Pontificatus honori multa, ac ſplendida virtutum, religionis, ac paſtoralis vigilantiæ exempla quam optime ſociaſſe teſtimonio firmantes. Hinc illud *Petri de Natal.* de eodem legitur elogium: *Et poſtquam ſedem Apoſtolicam feliciter gubernaſſet, dormivit cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt ad S. Petrum plenus ſanctitate.* Longiuſcule ad avertendam à *S. Hieronymo* ſugillationis contra Siricium Papam culpam, & ad defendendam ipſiusmet Siricii innocentem ſimplicitatem immoratus, redeo ad Rufini, & Hieronymi altercationem ſub Anaſtaſio Pontifice, Siricii ſucceſſore, in publicum productam.

VII. Poſt obitum igitur Siricii Papæ, qui ſub initium A. C. 398. accidit, erectus ſupra Cathedram Petri fuit, acerrimus Origeniſtarum oppugnator Anaſtaſius, quem *S. Hieronymus Epiſt. 8. ad Demetriad.* nominat *ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſollicitudinis virum.* Apud hunc Rufinus jam Aquilejæ conſtitutus tum ex *Apologia* ad Pamachium ab Hieronymo ſcripta, tum publica accuſatione Origenianæ hœreſis incuſatus ſcripſit *Apologiam*, in *vet. cod.* ſub *tit. Epiſt.* 34. eidem Papæ Anaſtaſio, fidem ſuam exponens, de interpretatione *Periarchon* ſe purgans, & proteſtans de origine animæ ſe nihil velle definire. Hoc tamen non obſtante gravi ſtimulo agitatus ſcriptis ſuis adverſus *Hieronymum* obſtrepere non eſt veritus, duos namque invectivorum libros in *vet. cod.* ſub *Tit. Epiſt.* 36, & 37. contra eundem ſanctum virum elucubravit, quorum primo fidem ſuam de carnis reſurrectione conteſtans, magis *Hieronymum* in eo ipſo ſuis Commentariis erraſſe dicit; & ſuæ interpretationis cauſas juſtiſſimas adſtruens, quia non gloriæ cupidus, ſed Dei timore Eccleſiæ profutura traduxerit. Altero vero libro ſub *Apologiæ* ſpecie in *S. Hieronymum* maledicta congerit, dicens: cum libellis ſuis, eo maxime, qui de virginitate ſcriptus eſt, omnem ordinem Eccleſiæ lacerare: Sanctum Ambroſium carpere: omnes ſcriptores ineptiæ, aut imperitiæ accuſare: perjurium quoque deteſtabile committere, qui contra abjurationem non ſolum libros ſæculares legat, ſed illis ſe jactet, & efferat impio Porphyrio, & Barraba præceptore glorietur, & in Deum blaſphemus fuerit: item, quem ſocium habere dixerit Origenem nunc improbatum, olim decem præfatiunculis in cœlum extulerit, & Apoſtolis coëquarit: & *Vetus Teſtamentum*, quod Apoſtoli commendarunt, nova translatione ſubverterit.

VIII. Inaudiens tantas, tamque fœdas, & iniquas in Sanctum virum effutitas à Rufino calumnias Anaſtaſius Papa, cum Scriptis publicis Litteris cauſam dicturum Romam A. C. 401. citavit; ſed cum ille male ſibi conſcius evocationem ſuam diſſimularet, prætexeretque, quaſi non eſſent Anaſtaſii litteræ, ſed ab ipſo Hieronymo, aut aliquo alieno nomine Anaſtaſii confictæ; neceſſitatem item obtenderet Aquilejæ commorandi parentum, & conſanguineorum gratia, quibus poſt triginta annorum intervallum redditus eſſet, durumque, atque inhumanum æſtimaretur, ſi eos tam cito desereret, quos tarde reviſerat, Romam venire neglexit. Ut tamen aliqualiter Summo Pontifici ſatisfeciſſe videatur, ſcripſit denuo ad eum Epiſtolam, cui fidei ſuæ profeſſionem adjunxit, qua ſe Catholicum eſſe monſtraret: ſed cum in ea nulla fieret mentio de Origenis erroribus, quorum vehementer accuſabatur, haud eſt recepta. Quæ quidem ita geſta eſſe docent, tum Litteræ ab eodem Pontifice A. C. 402. ad Joannem Hieroſolymitanum datæ, tum ternæ Apologiæ à *S. Hieronymo* adverſus eundem Rufinum

Digitized by Google

conſcriptæ, quæ habentur in *vet. cod.* ſub *tit. Epiſt.* 39. 40. & 41. Quarum prima primo callide ſe laudatum à Rufino docet; deinde oſtendit, cur Librum *Periarchon* ipſe ex integro tranſtulerit; arguit etiam quod Pamphylo Martyri Librum defenſionis Origenis ab Euſebio dictatum inſcripſerit; demonſtratque ſe in Epiſtola ad Pammachium illum non læſiſſe, ſed hæreſis ſuſpiciones repuliſſe; tueturque tandem Commentarios ſuos, & expoſitiones, & ſententiam de Baptiſmo, quem ille damnabat; ultimo de perjurio pro lectione gentilium ſe purgat. Altera autem Apologia Rufini Apologiam ad Anaſtaſium Papam ſcriptam, & Librum Defenſionis Origenis ab eo editum, vel tranſlatum arguit, dicens: non ſententiarum tantum ſed etiam quæ verborum vitiis ſcatere ſcripſit, arguit falſitatis pro Epiſtola pœnitentiæ, ſub ejus nomine ſcripta: & calumniam ſugillationis LXX. Interpretum confutat, oſtendens ex inſertis præfatiunculis eorum ſtudio nusquam detraxiſſe. Ac tandem Apologia tertia ſingula Rufini maledicta refellit, eumque Origenianæ hæreſis ſectatorem, maledicumque detractorem oſtendit.

IX. Porro cum *S. Hieronymus* præinſinuatis Apologiis Rufinum exagitaſſet, omnia in ſe jactata jacula, retorſit in adverſarium, erectaque, ac plane inflexibili ſtetit cervice (ſicut & quandocunque adverſus hæreticos agendum fuit, magnis ſemper, atque vehementibus ſpiritibus inſurrexit: quem alioquin, præ cæteris virtutibus, ſumma præditum fuiſſe animi demiſſione: quam uſitatiori vocabulo dicimus humilitatem: tum res ab eo geſtæ, tum alia ſcripta manifeſte declarant; quem utinam imitati fuiſſent; qui eum faſtus, & ſuperbiæ ſumma arrogantia, & immenſa temeritate redarguebant) eximia cum eloquentiæ vi exagitando, deprimendo, deridendo interdum, & accommodatis ad mores hominis nominibus appellando: veluti cum illum ſæpe Grunnium vocat, quod res nullius pretii ſcriberet, alludens nimirum (in Procemio *lib.* 11. *in Iſaiam*) ad illum Grunnium Corocottam, cujus teſtamentum Porcelli ſolerent cachinnantes pueri in ſcholis ludibrio proſequi: vel cum eundem *Alecto* nominat (in *Aggæi cap.* 3.) ob furorem: *Luciumque Lavinium*, & *Aſinium Pollionem* compellat, ob æmulationem, quod alter ipſorum Terentium, Ciceronem alter fuerit æmulatus: itidem aliquando (*Apologia* 1. & 2. contra eundem) Calphurnium Lanarium, ob dolos, & fraudes. Porro non detegendi, ſed potius contegendi cauſa hominum crimina conſueviſſe *Hieronymum* alieno nomine ſæpe eos appellare, ipſemet *Præfatione in Hierem. lib.* 4. declarat. Ly Calphurinus non multum diſſonat ab Illyrico, ſeu Slavonico Klafura, quod idem ſignificat ac latinum *Blatero*: niſi humilitatis *S. Hieronymi* reminiſcerer, dicerem Sanctum Doctorem medio ſui Illyrici idiomatis in Rufino per Calphurnium intellexiſſe Blateronem, qui aliunde contra eundem Sanctum virum, in ſuis ſcriptis nihil ſolidi, nihilque fundamentalis proponens, nonniſi blaterabat.

X. Antequam tamen *Hieronymus* ad retorquenda jactata in ſe Rufini jacula armaſſet, modeſte, atque amice eundem per *Epiſt. in vet. cod.* 38. convenire voluit, qua de callida ſui laudatione in Præfatione Libri *Periarchon* conqueſtus, & veteri amicitiæ, quam cum eodem contraxerat, officioque charitatis faceret ſatis, benevole monuit virum, ut offendiculum, quod *Catholicis* præbuerat, amoveret, eandem Epiſtolam his concludit verbis: *Hæc apud te amice potius expoſtulare volui, quam læceſſitus publice deſævire, ut animadvertas me reconciliatas amicitias pure colere,*

re,

re, & non juxta Plautinam ſententiam altera manu lapidem tenere, panem offerre altera. Et poſt paucas lineolas ſubjungit: *Cæteriſque amicis eadem ſignificamus, ne mordentes invicem, conſumamini ab invicem. Jam tuæ moderationis eſt, & tuorum, nullam occaſionem impatientibus dare, ne non omnes ſimiles mei invenies, qui poſſint figuratis laudibus delectari.* Quod vero attinet Rufinum, tantum abfuit ut parato ejuſmodi antidoto curaretur, ut etiam immenſo furore percitus, cum accepiſſet in ſe editos ab Hieronymo duos prioris Apologiæ libros, miſerit ad eum Litteras, qua niſi taceret, mortem ipſi minitatus fuerit, ſimulque tribunal ſæcularium judicum, acturus ſaltem in eum actione injuriarum. Sed neque his terriculamentis fractus eſt invictus Hieronymi animus, prolixiori namque *Epiſt.* in *vet. cod. 41.* reſpondit Rufino, qua audacter increpat eundem hæreſis, ſeque ab illatis ſibi calumniis purgat, atque ſub finem ejuſdem ſequentibus eum de attentata comminatione mortis redarguit: *Quis unquam catholicorum in diſputatione ſectarum turpitudinem ei, adverſum quam diſputat, objecerit? ſic te docuerunt Magiſtri tui? talibus inſtitutus es diſciplinis, ut cui reſpondere non potueris, caput auferas? & linguam, quæ tacere non poteſt, ſeces? Nec magnopere glorieris, ſi facias, quod ſcorpiones poſſunt facere, & cantharides. Fecerunt hæc & Fulvia in Cicerone, & Herodias in Joanne; quæ veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confodiebant. Canes latrant pro Dominis ſuis, & tu non vis me latrare pro Chriſto.* Deinde poſt paucum ſubdit: *Non neceſſe eſt, ut cum periculo tui capitis accuſes, uno percuſſore conducto, ſatis potes facere deſiderio. Et ſcandalum timere te ſimulas, qui dudum fratrem nunc accuſatum, ſemper inimicum es paratus occidere. Et tamen miror quomodo homo prudens furore præventus velis mihi beneficium tribuere, ut educas de carcere animam meam, & non patiaris tecum in tenebris hujus ſæculi commorari? Vis ergo me tacere, ne accuſem? depone gladium, & ego ſcutum abjiciam. In uno tibi conſentire non potero, ut parcam hæreticis, ut me catholicum non probem. Si iſta eſt cauſa diſcordiæ, mori poſſum, tacere non poſſum.* Ac tandem ad ipſum Epiſtolæ finem addit: *In extrema epiſtola ſcribis manu tua: opto te pacem diligere, ad quod breviter reſpondeo: Si pacem deſideras, arma depone: blandienti poſſum acquieſcere, non timeo comminantem. Sit intra nos una fides, & illico pax ſequetur.*

XI. Neque his tamen emendatus Rufinus, eo tandem prolapſus eſt, ut poſt Origenis errores, quos fovit, Pelagianæ hæreſis aſpides ex eis obortas, percharam ſibi ſobolem, enutrierit, quod proprium eſt hæreticorum ſemper in deterius ferri, quouſque in imum impietatis prolabantur juſto Dei judicio condemnati, ut ipſi ſibi malum inferant, quod nec ab hoſtibus paſſuri eſſent. Interea namque temporis dum Anaſtaſius Papa Origenis errores à Theophilo Alexandrino in oriente damnatos intellexiſſet, omneſque eorum ſtudioſos diligenter perquiſitos Ægypto pulſos eſſe: præterea cum jam pluribus, ac manifeſtis probationibus, potiſſimum autem *S. Hieronymi* ſcriptis Romam miſſis, ejuſdem Origenis Libri Periarchon ſinguli errores cunctis innotuiſſent: Et ipſe habito gravi de eo judicio, ſignanter, quod Romam citatus, venire renuerit, quodque de objectis criminibus minime ſatisfecerit, tantaque maledicta in *S. Hieronymum* effutierit, noxium percuſſit caput, ac ſibilantis hydræ ora compeſcuit, dum Apoſtolica authoritate eandem Origenis hæreſim condemnavit, condemnationemque ad A. C. 400. per univerſum mundum promulgari curavit. Docet hoc *S. Hieronymus Epiſt.* in *vet. cod. 39.* ad Pammachium, & Marcellam data. Cujus etiam teſtimonio ex *Apologia* 1.

Digitized by Google

& 2. adverſus Rufinum deſumpto conſtat, ea de re conſcriptas eſſe per orbem catholicum ab Anaſtaſio Literas, iisdemque factum eſſe, ut collectis ubique Epiſcoporum tam in oriente, quem in occidente Synodis, atque inter alios à *Venerio Mediolani*, & à *Chromatio Aquilejæ*, pari omnium ſententia Origenes declaratus fuerit hæreticus, ac denique poſt Epiſcoporum judicium, Sanctionem Imperatorum de ſectatoribus ejus pellendis ſubſecutam fuiſſe. Atque ita innocentia Sancti Hieronymi ipſaque veritas triumphavit, ejus è contra antagoniſtæ Rufinus, & Joannes Hieroſolymitanus humiliati inque ruborem acti fuere. Ex his patet, qualiter Anaſtaſius judicium contra Rufinum protraxerit, non quia ſocors, ſed quia cautus, ut nimirum quæ neceſſario præmittenda erant, neutiquam negligerentur. *In qua procraſtinatione* (inquit *Noriſius*) *nullum ſocordiæ vitium vituperari poteſt, ſed exactius totius cauſæ examen commendandum venit.* „ Abſurdum igitur videtur (loquitur Sanctiſſimus Dominus noſter in ſupracitata Epiſt. „*num.* 93.) *Siricii* Pontificis obitum, „etiamſi celerem, atque feſtinatum „fuiſſe haud inviti daremus, Divinæ „ultioni adſcribere, cum teſte *Hieronymo* in *Epiſt.* 127. *ad Principiam* „breviores Anaſtaſiii Pontificatus „anni ſingulari Divinæ providentiæ „beneficio tribuuntur, ne ſcilicet „Orbis Caput ſub tali Epiſcopo truncaretur; *imo idcirco raptus, atque* „*tranſlatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur.* „

XII. *Rufinus* quidem, poſtquam *Alaricus* Gothorum Rex ad A. C. 408. Italiam armis infeſtare cœpiſſet, & Aquilejenſibus non exiguam cladem intuliſſet, in Siciliam profugit, atque ita profugus extra patriam ex hac vita deceſſit A. C. 410. agit de ejus obitu *S. Hieronymus in Præfatione Libri* 1. Commentarii *in Ezechielem.* Sed Scorpii eum nomine notat, quod ad mortem uſque perſeveraſſet in perfidia. Agit quoque *Spondanus* de Obitu *Rufini* ad A. C. 410. ſequentibus verbis: „ Hoc eodem Anno „Rufinus Presbyter Aquilejenſis in „Sicilia profugus, extra patriam ob „cladem Aquilejenſibus ab Alarico „illatam, ex hac vita deceſſit. Perveniſſe quidem illum ad Alarici „tempora, ejus Præfatio ad Chromatium Epiſcopum Aquilejenſem, „quam præfixit ſuæ Translationi Hiſtoriæ Euſebii Cæſarienſis, plene „demonſtrat. Agit itaque de ejus „obitu *S. Hieronymus*, in *Præfatione* „*Libri* 1. Commentariorum in *Ezechielem*, quos hoc anno elaboravit, „ſed Scorpii nomine eum notans, „ſicut & alias *Epiſt.* 16. & 59. ſæpe, „quod perſeveraſſet hactenus in perfidia, ob quam meruerat ab Anaſtaſio Papa condemnari. Quem „& in *Præfat. Lib.* 1. in *Hieremiam* „conſueto Grunnii nomine deſignans, Præcurſorem Pelagii, nempe ſtolidiſſimi, ut vocant, *Scotorum* „*pultibus prægravati*, quippe qui progeniem (in *Præfat. lib.* 3. in *Hierem.*) „haberet Scoticæ gentis, idemque „(ut docet Epiſtola ad ipſum ſcripta „*Iſidori Peluſiotæ* 314.) voluptuoſus „eſſet Monachus. Qua etiam ratione ſcripturus idem Hieronymus in „eundem Pelagium, in ejuſdem Operis Præfatione, ex Pelagii Præcurſoribus primum ponit Grunnium, „hoc eſt: Rufinum, ut qui ex Origenis cænoſo fonte in Eccleſiam „ejuſmodi derivaſſet ſpurcitias. Denique Cœleſtius ipſe, Pelagii collega, publice in Concilio Carthaginenſi poſt ſequentem annum habito profeſſus eſt, ſe didiciſſe à Rufino negare Peccatum Originale, „Eundemque inſuper Rufinum de „Libro arbitrio male ſcripſiſſe, & „ſenſiſſe, hocque à *S. Hieronymo* jure „reprehenſum, Gelaſius Papa in „Concilio Romano Decreto de Libris Apocryphis haud obſcure de-

„mon-

Digitized by Google

„ monſtrat. „ *Joannes* autem Epiſcopus Hieroſolymitanus poſtquam Anaſtaſium Papam de Rufino, deque ejuſdem Origenis translatione conſuluiſſet, informationemque de actis circa Rufinum, ac Origenis hæreſi plenariam accepiſſet, an in ſua perſeveraverit ſententia, vel verò receſſerit Catholicam amplexando fidem plene non conſtat. Eum tamen circa A. C. 402. ab erroribus Origenis reſipuiſſe ſcribit Spondanus, vel fide Catholica ſaltem exterius nituiſſe, quod etiam confirmatur authoritate *S. Auguſtini* contra litteras *Petiliani lib. 2. cap. 51.* ſcribentis, ubi Orthodoxos cum ipſa Catholica unitate connexos eſſe dicit: immo & ipſius *S. Hieronymi*, qui *Epiſt. in vet. cod. 26.* reſpondens ad Epiſtolam *Theophili Alexandrini Joannem* excuſat de communicatione cum Origeniſtis antea habita, his verbis: *Super ſuſceptione cujuſdam non debes contra urbis hujus* (*Hieroſolymitanæ*) *dolere Pontificem, qui ei nihil tuis litteris peperciſti, & temerarium fuit de eo, quod neſciebat, ferre ſententiam, tamen reor illum nec audere, nec velle te in aliquo lædere:* quem tamen olim *Hieronymus* acriter propter Origeniſmum exagitabat. Sed & *Melania*, quam ſupra cum Rufino Hieroſolymas peregrinatam, & inde Romam rediiſſe retuli, antiqui vaticinii ante annos quadringentos (ut ait *Palladius* in *Lauſiaco cap. 33. & 47.*) editi memor, diſtractis prædiis, una cum *Melania* nepte, *Pinianoque* ejuſdem *Melaniæ* junioris viro, & *Albina* ejuſdem Matre, evaſura cum illis imminentem Urbis cladem Roma recedens, Hieroſolymam ſe iterum contulit. Cum autem hæc à ſanctis *Auguſtino Hipponenſi*, & *Paulino Nolano*, Epiſcopis præconiis laudata reperiatur, argumentum eſt, ipſam maculas, quæ ei ex patrocinio errorum Origenis inhæſiſſent, penitus diluiſſe, poſtquam illos Romæ ab Anaſtaſio Papa damnatos comperiſſet. Eam poſt dies quadraginta ab adventu Hieroſolymam pie obiiſſe tradit *Palladius*.

XIII. Cæterum Origenis Adamantii Operum Lectio non eſt penitus improbata, quamvis Origeniſtarum fautores ad invidiam commovendam in eorundem adverſarios, uno ore prædicent: Epiphanium tam antea in Synodo Cypria, tum poſtea in Litteris ad Chryſoſtomum ſcriptis, tum denique Conſtantinopoli A. C. 402. convocatis aliis Epiſcopis, qui ibi reperiri potuerunt, contendiſſe, ut damnarentur Libri Origenis: quodque apud Severum Dialogor. *lib. 1.* æque traditur, Synodo Alexandrina vetitum, ne quis legeret Origenis libros, vel eos penes ſe haberet. Hæc omnia, quam procul à veritate abhorrent, ſatis apparet, ex ejuſdem Epiphanii litteris ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum ſcriptis, quas magna ex parte *S. Hieronymus Epiſt. 61.* ad Pammachium adverſus errores ejuſdem Joannis inſeruit: ubi declaratur magno ſtudio Epiphanium curaſſe, ut Joannem avocaret ab erroribus Origenis, non autem à Lectione librorum ejuſdem: quemadmodum & in *Epiſt. 67. & ſequent.* ultro, citroque datis inter ipſum, atque Theophilum, ſimulque Hieronymum nihil præterea actum eſt, niſi ut Origenis errores, & qui eis adhærerent, damnarentur. Nec aliud quidem accepit à *Theophilo Epiphanius*, niſi errores *Origenis* cum Authore, & Sectatoribus condemnaret, de libris autem, ne verbum quidem. Nec, iterum Hieronymus de iisdem frequenter agens, de damnatione Librorum omnium Origenis, ſermonem aliquando miſcuit, imo *Epiſt. 76.* ad Tranquillum ſcribens, eos abſque crimine legi poſſe, dummodo vitentur errores, ſignificavit. Ac denique, ut quis Libros Origenis omnino damnandos eſſe ſenſerit, nemo præter *Fauſtinum* reperitur, cujus *loc. cit. S. Hieron.* meminit, quam-

Digitized by Google

vis non hæreſes tantum Origenis, ſed & ipſarum Authorem Origenem, tanquam hæreticum ab Eccleſia explodendum idem *S. Hieronymus Apologia* adverſus *Rufinum*, ex Sententia *Epiphanii*, absque ulla dubitatione cenſuerit. De Scriptis porro Origenis invaluit, non modo apud antiquos, ſed & apud recentiores Sententia illa à *Caſſiodoro* Inſtitutionum Divinarum *Lect. 1.* recitata: *Ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus.*

XIV. Quod vero in *Epiſt.* in *vet. cod. 35.* Anaſtaſii Papæ ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum habetur, damnatam fuiſſe Imperatorum reſcripto Origenis lectionem, ea utique intelligenda eſt Libri *Periarchon*, de quo totus eſt ille ſermo Anaſtaſii cum Joanne: cujus operis editionem latine redditam à Rufino, Romæque magno fidelium detrimento vulgatam idem Anaſtaſius proſcripſit, una cum ipſius authore Rufino. Deque eodem Origenis opere, errorum fonte, intelligendum putatur, quod reperitur in rebus geſtis *S. Pachomii*, ipſum execratum eſſe monachos legentes libros Origenis. Nam & Papa *Gelaſius* in Concilio Romano de *Libris Apocryphis Can.* 1. Origenis opera, quæ Hieronymus non repudiaſſet, legi poſſe decrevit, cæteris una cum authore rejectis. Ac denique his conſentaneam fuiſſe Græcorum Patrum, qui Origenem impugnabant, ſententiam nimirum, ut præter errores, cætera ejusdem Authoris ſcripta retinerentur, teſtatur *Socrates lib. 6. cap. 12.* Sed illud perperam, dum eos ſugillat, quaſi ambitioſe captare conatos laudem ex Origenis vituperatione; ſicut & illud omnino falſum, quod de *S. Methodio* ſubdit; eum antea quidem vituperaſſe Originem, ſed poſtea, palinodia recantata, ſummis laudibus extuliſſe: cum è contra Authore ipſo *Euſebio* Epiſcopo Cæſarienſi, ejusdem Origenis patrono, apud *Hieronymum Apologia 1. in Rufinum* conſtet, accidiſſe, ut cum Methodius Origenem antea laudâſſet, poſtea contra ipſum Commentarium elaboraverit; cujus lucubrationis meminit quoque *S. Hieronymus libro* de Scriptorib. Eccleſiaſticis *in Methodio*, citatque plurima ex ea *S. Epiphanius Hæreſi 64.* dum errores confutat *Origenis*. Ex quibus evidenter patet *Socratem Novatianum* æque fuiſſe Origeniſtam, & quidem audaciſſimum, utpote novæ inventorem *Apologiæ*, Methodii nomine exornatæ, quam omnes Origenis defenſores Euſebius, Rufinus, & alii penitus ignorarunt.

XV. Sed cum multæ turbæ occaſione errorum Origenis in Eccleſia inter ſanctiſſimos, & doctiſſimos viros exortæ fuiſſent, eæque non pauco tempore duraſſent, damnatus eſt ipſe cum ſuis ſcriptis, & *hæreticus* declaratus eſt. Et primo quidem (ut ſupra dictum eſt) ab Anaſtaſio Papa A. C. 400. qua damnatione etiam ita ſopita fuit Origeniſtarum ſecta, ut centum circiter annis delituerit; ſed A. C. 532. à quibusdam Pſeudo-Monachis in Palæſtina reſuſcitata, & inde longe lateque ſe extendens ingentem univerſæ Catholicæ Eccleſiæ intulit cladem, uſque ad quintam *Synodum Oecumenicam*, quæ A. C. 553. Conſtantinopoli eſt celebrata: in qua iterum Origenes una cum ſuis erroribus decem *Anathematismis* condemnatus eſt; idque ſectæ hujus reſuſcitatores profecerunt, ut qui hactenus toleratus fuiſſet in Eccleſia Origenes, cum errores in ejus Scriptis repertis tantummodo à majoribus damnarentur, poſthæc nomen quoque ipſius execrabile ſit redditum. De cujus etiam ad inferos, una cum aliis hæreſiarchis damnatione oſtenſa traditur in Prato Spirituali *cap. 26.* circa A. C. 532. divinitus viſio. Exordia porro, atque progreſſum motuum ab ejusmodi Pſeudo-monachis excitatorum fuſe de-

Digitized by Google

deſcripſit *Cyrillus* apud *Surium* 5. *Decembr.* & 29. *Septembr.* in rebus geſtis SS. Sabbæ, & Quiriaci, qui ambo, una cum aliis Sanctiſſimis Monachis egregiam navavere operam in iisdem hæreticis confundendis, & à Monaſteriis, quæ corrumpere ſatagabant, procul pellendis. Anathematiſmos autem contra errores, ipſummet eorum authorem Origenem notavit *Nicephorus lib.* 17. *cap.* 27. & 28. De quorum errorum multitudine videatur, ſi placet, Edictum Juſtiniani Imperatoris, & alia ejusdem Epiſtola ad ſupracitatam *Quintam Synodum Oecumenicam*: item *S. Hieronymus Apologia* adverſus *Rufinum*, *Cyrillus monachus* in vita *S. Sabbæ*, & *Quiriaci loco citato.* Ac denique *Baronius* Annalium *Tom.* 2. 5. & 7. Tot enim fuerunt, ut vix in unum colligi poſſint, inquit *Spondanus* ad A. C. 538.

CAPUT XVII.

Sancti Hieronymi cum Sancto Auguſtino primò diſſenſio, dein amica, & familiaris correſpondentia.

Quis fuerit *Auguſtinus*, quo cum *S. Hieronymus* primo diſſentiebat, familiarem dein, & amicam habebat correſpondentiam? quantumvis minime dubitem Benevolum Lectorem ex lectione plurimorum Authorum vitam ejusdem deſcribentium quam optime noſſe, attamen, antequam ad deſcribendam *S. Hieronymi* cum eodem *S. Auguſtino* habitam primo diſſenſionem, & familiarem dein correſpondentiam calamum appoſuero, exiſtimavi me non abs re acturum, ſi brevibus memorati S. Auguſtini ex Poſſidonio (qui eidem Sancto viro quadraginta ferme annis familiariter convixit) ortum, & progreſſum ob oculos benevoli Lectoris propoſuero, & quaſi priora lecta in memoriam revocavero. Hic itaque Auguſtinus Tagaſtæ in Africa nobilibus parentibus Patritio patre ſuperſtitione pagano, Monica matre matrona Chriſtiana (atque adeo devota, ut ſuis precibus, ac lachrymis maritum ad fidem Catholicam converterit, filium autem hæreticum effectum ad gremium Eccleſiæ Catholicæ reduxerit) natus A. C. 355. Qui ætatem litteris idoneam attingens in ſcholam ductus, ingenii felicitate brevi tempore litteras, ſignanter Latinas, perfecte combibit. Rhetorices dein auditor tantus orator evaſit, ut hujus ſcientiæ laudatiſſimus doctor extiterit. Cæteras quoque ſcientias aggreſſus, easdem ſine Magiſtro quaſi didicit, adeoque perfecte comprehendit, ut easdem alios quoque docere potuerit. Hoc tamen non obſtante, quanto fuit ejus ingenium in comprehendendis ſcientiis facilius, & admirabilius, tanto fuit invicem proclivius ad vitia, corporisque illecebras, ad quas à cæco, igneoque cupidine, velut œſtro percitus rapiebatur, ita, ut, prava effrontium quorundam juvenum ſocietate abreptus, ruerit in vanos, illicitosque amores, conſequenter in vitia turpiſſima.

II. Plangebat ejus mater, patre jam demortuo, vitioſam filii vitam, eique ſe opponebat, ſecretoque, ut ab amoribus illicitis ſe temperaret, commonebat: ſed cum piam matrem audire renueret, corruptioribus voluptatibus inhærens, intellectu quoque calligare cœpit, ita, ut ſtupendum alias ejus ingenium cœcis hæreticorum Manichæorum tenebris obſcuratum fuerit. Crevere ex hinc piæ matris dolores, quæ

Digitized by Google

cum prius filium defleſſet vanum, & vitioſum, multo magis poſtea planxit deceptum, ac hæreticorum falſitatibus involutum; decrevitque cum filio, utpote hæretico, nulla vel domo, vel menſa uti. Eapropter *Auguſtinus* deſerens matrem, & Rhetorices cathedram, quam Carthagine tenebat, Romam petiit, ubi denuo Rhetoricam non ſine laude diſſertiſſimi eloquii, & acutiſſimi ingenii tradidit, quibus ſibi tantam mox nominis famam comparavit, ut Imperatore volente, & Symmacho Urbis Præfecto ſuadente ſe Auguſtinus Roma Mediolanum pro Rhetorices Magiſtro transtulerit.

III. Reperit Mediolani *S. Ambroſium* ejusdem Urbis Epiſcopum, pium DEI cultorem, virum ſicut virtutibus, ita doctrina clariſſimum; cujus tunc eloquia ſtrenue miniſtrabant divini adipem frumenti, & lætitiam olei, ſobriamque veni ebrietatem populo DEI. Hunc Auguſtinus ſæpius frequentabat, audiebatque non tanquam doctorem veri, ſed tanquam hominem in ſe benignum: auſcultabat diſputantem non intentione, qua debuit, ſed curioſius tantum ejus explorans facundiam: delectabatur ſuavitate ſermonis, non autem eruditionis; neque ſatagebat diſcere, ſed tantum audire. Veniebant tamen in ejus animum cum verbis, quæ diligebat, res etiam, quas negligebat, & dum cor aperiebat ad excipiendum, quam diſerte diceret, pariter intrabat, quàm vere diceret. Hinc cœpit nonnihil Manichæorum hæreſim faſtidire, ratus multo probabiliora pleroſque ſenſiſſe Philoſophos: atque ita Academicorum more hæſit dubitans de omnibus, & inter omnia fluctuans exiſtimavit Manichæos quidem relinquendos eſſe, nondum tamen ſeſe Chriſtianum Catholicum profeſſus.

IV. Interea Auguſtini Mater Monica filium per maris diſcrimina veſtigatum venit Mediolanum, nec enim materna pietas, qua filii ſalutem ardebat, eam requieſcere ſinebat, quamobrem præter continuos lachrymarum imbres, & denſiores preces, quas pro eo die, noctéque ad DEUM fundebat, ſingulariter ipſum Sancto Ambroſio (cui ſe humiliter inſinuaverat) commendabat. Auguſtinus porro S. Ambroſium in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebat, & magis, magisque ſibi confirmabat omnes verſutarum calumniarum nodos, quos deceptores hæretici adverſus Divinos Libros innectebant, poſſe diſſolvi. Sic paulatim nebulæ, quas hæreſis ejus intellectui offunderat, evaneſcebant.

V. Poſt aliquod autem tempus occaſione orationis publicæ, quam A. C. 385. (ut notat *Baronius*) coram Valentiniano Imperatore habuit Auguſtinus, ſtatum præſentis temporis ſuæ ærumnoſæ animæ (ut ipſe *lib.* 6. Confeſſ. *cap.* 6. fatetur) deplorabat: cum (ut ait) inhiaret honoribus, lucris, conjugio, & quamvis liber à Manichæorum delitiis, & Mathematicorum vanitatibus, quibus antea inhæſerat, totus eſſet in perſcrutandis Academicis quæſtionibus, duceret tamen vitam peccatis obnoxiam: periiſſeque ſe, *pluribus ſcriptorum ſuorum locis* confitetur, in illis, niſi Dominus præſto fuiſſet, à quo & didicit veritatem, quam per Apoſtolum *Paulum* (*lib.* 7. Confeſſ. *cap.* 2.) in cor ejus Spiritus Sanctus inſtillavit: atque ut perficeretur, ſuaſit (*Lib.* 8. Confeſſ. *cap.* 1.) *Simplicianum* ſanctum, & eruditum Sacerdotem accedere (ipſum enim Ambroſium frequenter adire, & prolixius cum eo agere ob ingruentia ipſius negotia, impoſſibile videbatur) à quo cum multa alia, tum Victorini nobiliſſimi Oratoris converſionem audiſſet, mox ſe animo ad eum imitandum exarſiſſe perhibet.

Digitized by Google

hibet. Cumque poſt hæc à *Potitiano Afro* in curia militante didiciſſet vitam *S. Antonii* magni, perfecte ad Chriſtum converſus eſt: atque illud exaudiens in horto; *Tolle, lege: tolle, lege.* Lectione *S. Pauli* Apoſtoli, quid ſibi agendum eſſet, plane didicit. Atque eo tum de ſuſcipiendo baptiſmo, relinquendaque ſchola, & agenda vita caſta, atque à negotiis ſæculi remota certum, firmumque conſilium iniit, ut ipſe *lib. 9.* Confeſſ. *cap. 1.* fatetur, quod & poſt paucum temporis opere complevit.

VI. Secedens deinde in rus amici cujusdam, indeque *Mediolanum* rediens, ſcripſit his in locis (ut ipſe *Retractat. lib. 1.* inſinuat) tres Libros contra *Academicos:* Commentarium *de Vita beata*: Librum *de Ordine*: *Soliloquia:* Lucubrationem *de Immortalitate animæ:* Aliam *de Diſciplinis.* Et hæc quidem omnia ante baptiſmum, quem A. C. 388. ætatis vero ſuæ 34. (quemadmodum *Baronius* in Notis Martyrologii Romani *citat. 2.* aſſerit) ſuſcepit Sabbatho Sancto à *S. Ambroſio* Epiſcopo Mediolanenſi, habens ſalutaris lavacri ſocios Alipium amicum, & Adeodatum filium naturalem, alioſque quam plures. Incredibile memoratu eſt, quanta *S. Ambroſius*, & *Simplicianus* fuerint lætitia perfuſi, quod *Auguſtinum* jam viderent ad Chriſtum converſum, eumque ex maximo Eccleſiæ inimico in fortiſſimum ejusdem propugnatorem ſurrexiſſe. Quis autem explicet gaudia piæ matris Monicæ? quando vidit filium doloris, filium tot lachrymarum jam tutiſſimo Eccleſiæ gremio receptum, prius efferum Leonem, modo mitem prorſus agnum, caſtum, modeſtum, ſubmiſſum, & pium: quantas illa DEO reddiderit gratias, à quo tam liberaliter fuerat exaudita?

VII. Baptizatus jam Auguſtinus, inque alium transformatus hominem, cum matre, & nonnullis amicorum Mediolano, accepta à S. Ambroſio benedictione, & liberaliſſimo commeatu, in Africam remeans, Romam venit, atque hic hyeme transacta, ad Oſtia Tyberina deſcendens, inde ſoluturus Carthaginem, navim conducebat: quam dum expectaret, pia mater ejus Monica infirmitate preſſa, & oppreſſa ſancte in Domino obiit, ætatis ſuæ anno quinquageſimo ſexto. Cui poſtquam pietate filiali religioſa funeris obſequia perſolviſſet Auguſtinus, ſecunda navigatione Carthaginem appulit, anno ætatis ſuæ trigeſimo quinto: ut hæc omnia pluribus ipſemet *Lib. 9.* Confeſſ. *cap. 8. & ſeq.* deſcribit. Redux ergo in patriam, cum ſociis ſuis Alipio, & Evodio, ac filio Adeodato præſtantiſſimi ingenii juvene, ſed paulo poſt defuncto, vitæ ſtatum, quem adhuc in Italia condixerant, renunciatis omnibus, quæ poſſidebant, perfectionique Chriſtianæ ſtudentes, ut facerent ſibi ſacculos, pro cœleſti, & nunquam deficiente theſauro comportando, non veteraſcentes, exercere cœperunt. Rus etenim ſecedentes triennium juxta Poſſidonium in vita *S. Auguſtini cap. 3.* ibi permanſere jejuniis, orationibus, bonisque operibus dediti, ac Legem Domini die, ac nocte meditantes: ubi *Auguſtinus* multos Libros conſcripſit, antequam Presbyter fieret, quos ipſe iterum *Retractat. lib. 1.* enumerat.

VIII. Anno tertio poſt reditum in Africam Auguſtinus ob virtutem, & doctrinam omnibus commendatus, à populo, ut moris erat, apprehenſus, ac Valerio Epiſcopo Hipponenſi præſentatus, in Presbyterum, licet invitus, ordinatus eſt, ut ipſemet *ſerm. 49.* de diverſis, & *Epiſt. 225.* ad *Alipium:* item *Poſſidonius* in vita *cap. 4.* expreſſe notat. Eundem vero Presbyterum creatum idem S. Valerius juſſit præſente ſe Evangelium

Digitized by Google

prædicare, quod ad hæc uſque tempora nulli unquam Presbyterorum in Africa conceſſum fuerat. Non contentus Valerius Auguſtinum creaſſe Presbyterum, ſed ſe curis, annisque fractum ſentiens; ejus autem pietatem, doctrinam, honeſtosque mores ſibi perſpectos habens, eundem etiam gregi ſuo Paſtorem præficere cupiens, ſibique ſucceſſorem creare deſiderans, veritus ne forte pro alia quopiam Eccleſia ſubduceretur, ſupplicuit Metropolitano Carthaginenſi pro facultate, ut ſibi etiam viventi liceret eum, velut Adjutorem functionis Epiſcopalis, & mortuo ſucceſſorem creare. Impetrata deſiderata licentia, ac paulo poſt ad viſitandam Eccleſiam Hipponenſem Primate Numidiæ, & Calaminæ Archi-Epiſcopo Megalio, Valerius Epiſcopis, qui forte tunc cum Primate plures aderant, & univerſæ plebi ſuam inſinuavit intentionem, productaque Metropolitani in patentibus facultate Auguſtinum nihil penitus de hoc cogitantem ſuum in vivis coadjutorem, & poſt obitum Succeſſorem declaravit; adeoque factum eſt, ut congratulantibus univerſis, idque in effectum deduci ingenti deſiderio conclamitantibus, ipſe diu reluctans, ſed ultimatim diſpoſitus, Divinæ ſe committens diſpoſitioni, à ſupramemorato Primate, & Archi-Epiſcopo Megalio in Epiſcopum ordinatus fuit, atque conſecratus.

IX. Factus Epiſcopus *Auguſtinus* ad A. C. 395. Monaſterium monachorum ſuo in Epiſcopio mox inſtituit, atque Monachiſmum per Africam mediò ſanctæ, & obſervantis vitæ monachorum propagari fecit, conſtruendo Monaſteria virorum, atque mulierum, quibus & Sanctiſſimam Regulam (à plurimis dein Sacris Religioſorum Ordinibus, in quorum numero noſter quoque cœtus, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ recenſetur, aſſumptam) præſcripſit. Atque ideo à Donatiſtis hæreticis (ut ipſe *Tract.* 97. in *Joan* tradit) vel ipſum Monachi nomen execrantibus, Auguſtinus monaſticæ vitæ per Africam propagationis inſimulatus fuit, quaſi ejus generis vitæ Author, & Fundator: qui tamen eos refellens, docuit illud toto jam tunc in orbe receptiſſimum fuiſſe. Quam porro ſanctam, continentem, ac laudabilem vitam à ſua converſione duxerit; quamque zeloſa cura in paupertate religioſà, & charitate erga proximum impoſitum ſibi Epiſcopale munus adminiſtraverit; quæve ſcripta contra *Manichæos*, *Pelagianos*, & *Donatiſtas* hæreticos confecerit, hisque eorum errores confutaverit, quotque ex his ſua verbi DEI prædicatione in gremium Eccleſiæ Catholicæ reduxerit; ac qualia Commentaria in Sacrorum Codicum libros ediderit; præterquam quod hæc ab ejusdem vitæ Scriptoribus paſſim longo enumerentur catalogo, vel ex ipſis illuſtribus Elogiis, eidem pro honore, & prœconio apum *Ribadeneiram*, à magnæ authoritatis, & ſanctitatis viris (ut ſunt Hieronymus, Paulinus Epiſcopus Nolanus, Severus Sulpitius, Proſper Aquitanicus, Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, Venerabilis Beda, & Alii quam plurimi: Item Concilium Toletanum octavum, Sacroſanctum quoque & Oecumenicum Conciſium) attributis abunde patet. Vocitatur enim ab his: *Illimis ſapientiæ fons: Theologiæ Magiſter: Flor ingeniorum: Scholarum decus: Templorum Religio: Eccleſiæ columen: Prædicatorum lumen: Catholicæ fidei ſcutum: Hæreticorum malleus: Bonorum Prælatorum exemplum: Magnorum Doctorum Doctor: Deodidactos*, qui ſuam ſapientiam hauſerit ex ipſomet fonte Divinitatis: *Eruditorum Sanctiſſimus*, & *Sanctorum eruditiſſimus: Illuſtriſſimus inter Latinos Doctor*; & plura ſimilia encomia, quibus Sancti (ut dictum eſt) graviſſimique Eccleſiæ Doctores, Sacra Concilia, Summique Pontifi-

ces

Digitized by Google

ces hunc glorioſum Sanctum virum auxerunt, & augent. Atque hæc ſunt, quæ de S. Auguſtini vita ſynopſi (quamvis præter intentionem fuſior ſim) uſus benevolo Lectori repræſentare volui, quatenus intelligere de faciliori queat, quali cum viro S. Hieronymus ſanctam primo altercationem, dein autem & in correſpondendo coluerit familiaritatem?

X. Huic itaque S. viro Auguſtino poſtquam A. C. 394. (ut habet Baronius) adeoque necdum Epiſcopo (ut ipſemet in Epiſt ad *S. Hieronymum* ſcripta fatetur, ſequenti namque A. C. 395. juxta eundem *Baronium* Epiſcopus creatus eſt) Hieronymi ſtatus, perſona, ſtudium, vita, moreſque per Alipium Tagaſtenſem, ejuſdem *Auguſtini* in vitæ inſtituto collegam (qui A. C. 393. Hieroſolymam peregrinatus, *Hieronymum* quoque in Bethlehem viſitaverat, atque ſequeſter extiterat, ut inter Auguſtinum, & Hieronymum amicitiæ vinculum necteretur) innotuiſſet, ſimulque ab eodem Alipio Expoſitionem S. Hieronymi Epiſtolæ ad Galatas accepiſſet, eamque legiſſet, ſcripſit Litteras medio cujusdam *Profuturi* ad Hieronymum familiares quidem, ſalibus tamen acrioris correctionis aſperſas, quæ in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 104.* legi poſſunt. Nam unde Auguſtino ſuppetere poterat haud mediocre Argumentum Hieronymum commendandi, quod ſolus, ac primus inter Latinos potuiſſet reſerare fontes Hebraicos, inde eum ſugillandi arripiens occaſionem, quaſi otioſe in traducendis *Canonicis ſcripturis* à LXX. Interpretibus tranſlatis, quorum concors editio majorem, quam unius hominis, authoritatem haberet, verſaretur: atque ideo eum ab hoc ſtudio divellere conabatur, fructuoſiusque eum laboraturum exiſtimabat in vertendis Græcis Eccleſiaſticis ſcriptoribus in Latinum ſermonem, ad quod ipſum nomine totius Eccleſiæ Africanæ hortabatur; ac deinde incuſavit de perperam facta ab Hieronymo interpretatione loci illius in *Epiſtola ad Galat. cap. 2.* quo Apoſtolum Paulum in reprehenſione Petri ſimulate locutum, & ad leniendos tumultuantium animos dixerit eſſe mentitum: quoniam ſi aliquod mendacium in Scripturis admittitur, omnem eorum vacillaturam authoritatem. In hac eadem quoque Littera circa finem ſequentia ponit: *Multa alia cum ſinceriſſimo corde tuo loqui cuperem, & de Chriſtiano ſtudio conferre, ſed huic deſiderio meo nulla Epiſtola ſatis eſt.* Quam poſt pauca ſic concludit: *Sane idem Frater (Profuturus) aliqua ſcripta noſtra fert ſecum, quibus legendis ſi dignationem adhibueris, etiam ſinceram, atque fraternam ſeveritatem adhibeas, quæſo. Non enim aliter intelligo quod ſcriptum eſt: emendabit me juſtus in miſericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: niſi quia magis amat objurgator ſanans, quam adulator ungens caput. Ego autem difficillime bonus judex lego quod ſcripſerim, ſed aut timidior recto, aut cupidior. Video etiam interdum vitia mea, ſed hæc malo audire à melioribus, ne, cum me recte fortaſſe reprehendero, rurſus mihi blandiar, & meticuloſam potius mihi videar in me quam juſtam tuliſſe ſententiam.*

XI. Accidit autem, ut hæc prima Auguſtini Epiſtola ad Hieronymum ſcripta in Africa, ob promotionem *Profuturi* in Epiſcopalem dignitatem eo ipſo tempore, quo Hieroſolymam petere decreverat, detenta, poſt aliquam vero moram occaſione quadam miſſa, ſed Rufini, & Melaniæ Hieronymi adverſariorum dolo intercepta, ac per *Italiam* vulgata (ut *cap. præc.* memini) vix poſt annos duodecim ad Hieronymum, & nonniſi copiata pervenerit. Antequam ergo iſta ad manus Hieronymi dela-

Digitized by Google

ta fuiſſet, Hieronymus hujus penitus ignarus, ab Alipio ſe in Bethlehem inviſente de Auguſtini vita, moribus, inſtituto, ac doctrinæ qualitate informatus, ad eundem jam Epiſcopum dedit Epiſtolam, alias officioſam (quæ licet non extet, agit tamen de illa Auguſtinus in ſua reſponſoria *Epiſt.* in *vet. cod.* 105. his verbis: *Habeo gratiam, quod pro ſalutatione* (medio Alipii probabiliter facta) *mihi plenam Epiſtolam reddidiſti, ſed breviorem multum, quam ex te vellem ſumere tali viro, à quo tempora quantalibet occupet, nullus ſermo prolixus eſt.* Epiſtola porro ſua Hieronymus (ut ex reſponſoria Auguſtini colligitur, utque *Spondanus* ad A. C. 394. refert) inter alia commonebat Auguſtinum de cavendis in Librorum *Origenis* lectione ejusdem erroribus. „Quam „quidem admonitionem „(ait Spondanus) „non alia de cauſa factam „puto, niſi quod, cum Alipii Hieroſolymam adventus tunc contigiſſet, cum excitata nuper controverſiæ de Origenis erroribus, „certior redditus, adverſariæ partis „defenſor inſurgeret. Certe quidem ſubodorari mihi videor, tantos viros, penes quos ſumma rerum Hieroſolymis eſſet, quorumque prætenſa ſanctitas videbatur „toto jam orbe ſpectata, nempe „Joannem, Rufinum, Melaniam, „aliosque Origenis fautores, adverſus Hieronymum aliqua falſa Alipii „auribus inſuſurraſſe; eademque ipſum, adverſariorum ignorantem „dolos, in Africam redeuntem Auguſtino narraſſe; qui eis nonnihil „permotus bona fide, rectoque animo paulo licentior, primis illis litteris à reprehenſione ſcriptorum „Hieronymi aggreſſus ſit. Accepta „vero, quam Hieronymus ſcripſerat, Epiſtola, alias ipſe rurſum binas ad eundem dedit, ejusdem quaſi „argumenti. „ Habentur hæ Epiſtolæ in *vet. cod.* ſub *Num.* 105. & 106.

XII. In priori harum, quæ incipit: *Habeo gratiam.* Librum virorum illuſtrium ab Hieronymo conſcriptum, ſibique à quodam Monacho Africano communicatum commendat, ſed incongrue putat Epitaphium appellari, cum etiam viventium in eodem inſcribantur opuſcula. Monet deinde Hieronymum iterum, ut expoſitionem ſuam in Apoſtolum ad Galatas ingenua ſeveritate emendet: ne committendo officioſa mendacia, ſcripturarum abrogetur authoritas: ſuamque de ea re ſententiam aperit, putans inſtituta legalia ſicut converſis ex gentibus pernicioſa, ſic natura judæis fuiſſe permiſſa, dummodo in illis non ponerent ſpem ſalutis. Præterea hortatur illum, ut prodat Origenis, & ſingulorum hæreticorum errores his verbis: *De Origine autem quod ſcribere dignatus es, jam ſcribam, non tantum in Eccleſiaſticis litteris, ſed in omnibus recta, & vera, quæ invenerimus approbare, atque laudare: falſa autem, & prava improbare, atque reprehendere. Sed illud de prudentia tua, doctrinaque deſiderabam, & adhuc deſidero, ut nota nobis faciat ea ipſa ejus errata, quibus à fide veritatis ille vir tantus receſſiſſe convincitur.* Deinde ad finem Epiſtolæ. *Quæſo, ne grave ſit litterario labori tuo, quo non mediocriter per Domini DEI noſtri gratiam in lingua latina Sanctorum ſtudia accendiſti, & adjuviſti, id quod tibi per humilitatem meam charitas indicit: ut ſi occupationes tuæ ſinunt, omnium hæreticorum perverſa dogmata, qui rectitudinem fidei Chriſtianæ usque ad hoc tempus vel imprudentia, vel pervicacia depravare conati ſunt, uno libello breviter digeſta edas in notitiam eorum, quibus aut non vacat propter alia negotia, aut non valent, propter alienam linguam, tam multa legere, atque cognoſcere. Diu te rogarem, niſi hoc ſoleret eſſe minus præſumentis de charitate.* Altera porro Epiſtola medio Cypriani Diaconi miſſa ad duas priores reſponſa petit, miraturque, quod no-

Digitized by Google

va ejus editio Libri Job ex Hebræo à veteri ſecundum LXX. Interpretes diſſonaret: eapropter hortatur, ut potius veterem editionem Græcam ſecundum LXX. Interpretes Latinæ veritati reddat propter eorum authoritatem, etiam ab Apoſtolis approbatam; qua novam texat ex Hebræo ab Eccleſia haud facile recipiendam.

XIII. Sed iterum dolo adverſariorum Hieronymi, ſignanter Rufini (ut non obſcure ipſemet *Apologia* 2. adverſus eundem indicat) accidit, ut nec iſtæ Auguſtini litteræ ad Hieronymum perlatæ fuerint, ſed exſcripta ex eis exemplaria in Italiam miſſa, ſparſaque non ſine gravi Hieronymi nota. Hi namque rixas inter Auguſtinum, & Hieronymum ſeminare conati ſunt, ignemque non modicum ex ſcintilla excitaverant, quod ſe hi bini Sancti viri pluribus mordacibus Epiſtolis, ad invicem ſcriptis, proſciderint, contumeliiſque non modicis affecerint. Exemplar autem earum, quæ per Italiam ſparſa fuerant, unum nactus Syſinnius Diaconus, tandem poſt annos (ut ſupra inſinuavi) duodecim à primarum litterarum ſcriptione computando, Hieroſolymam peregrinatus ad eundem Hieronymum attulit. Acceptis dein & poſterioribus binis, pariter copiatis duntaxat, Auguſtini litteris Hieronymus nonnihil ſtomachatus, aliis & ipſe ad Auguſtinum ſcriptis, de illata ſibi injuria conqueſtus eſt. Succenſuit deinde tribus Epiſtolis ſub titulo quæſtionum ſua opuſcula eſſe reprehenſa, & ad ſingula quæque reſpondit. Librum quoque *de Eccleſiaſticis Scriptoribus* non Epitaphium, ut ille opinabatur, ſed *de Illuſtribus Viris* aſſeruit prænotatum. Suam deinde expoſitionem Epiſtolæ *de reprehenſione Petri* in Epiſtola ad Galatas, & authoritate Veterum, & ex Apoſtolicis actibus confirmavit: Contra vero Auguſtini ſententiam inter eos, qui ex gentibus, vel ex circumciſione crediderant improbavit, dicens: illam *Cherinti*, & *Ebionis hæreſi* convenire. Ac tandem ſuam interpretationem ex *Hebræo*, tanquam *Eccleſiæ* fructuoſam tuitus eſt, cuncta refellens objecta, pluribuſque in locis hujus Epiſtolæ *Auguſtinum* amare carpens, ſed mox ea, quæ Sanctum virum decebant, ſubjungens, his verbis: *Quæſo igitur te, & iterum, atque iterum deprecor, ut ignoſcas diſputatiunculæ meæ, & quod modum meum egreſſus ſim, tibi imputes, qui coëgiſti ut ſcriberem, & mihi cum Steſichoro oculos abſtuliſti. Nec me putes magiſtrum eſſe mendacii, qui ſequor Chriſtum dicentem: Ego ſum via, veritas, & vita. Nec poteſt fieri, ut veritatis cultor mendacio colla ſubmittam. Neque mihi imperitorum plebeculam concites, qui te venerantur ut Epiſcopum, & in Eccleſia declamantem Sacerdotii honore ſuſcipiunt, me autem ætatis ultimæ, & pœne decrepitum, ac Monaſterii, & ruris ſecreta ſectantem parvi pendunt; & quæras tibi quos doceas, ſive reprehendas. Ad nos enim tantis maris, & terrarum à te diviſos ſpatiis, vix vocis tuæ ſonus pervenit. Et ſi forſitan litteras ſcripſeris, ante eas Italia ac Roma ſuſcipient, quam ad me, cui mittendæ ſunt, deferantur. Quod autem in aliis quæris Epiſtolis, cur mea prior in libris Canonicis interpretatio aſteriſcos habeat, ac virgulas prænotatas, & poſtea aliam tranſlationem abſque his ſignis ediderim? pace tua dixerim, videris mihi non intelligere, quod quæſiſti.* Deinde in Epiſtola eadem poſt citatos plures *Græcos*, & *Latinos* Interpretes hæc habet: *Reſpondeas mihi prudentia tua, quare tu poſt tantos, & tales Interpretes in explanatione Pſalmorum diverſa ſenſeris? ſi enim obſcuri ſunt Pſalmi, te quoque in eis falli potuiſſe credendum eſt. Si manifeſti, illos in eis falli potuiſſe non creditur: & hac lege poſt priores nullus loqui audebit, & quodcunque alius occupaverit, alius de eo ſcribendi non habebit licentiam: quin potius humanitatis tuæ eſt, in quo veniam tibi*

tribuis, indulgeas & cæteris. Quam tandem concludit ſequenti tenore: *Peto in fine Epiſtolæ, ut quieſcentem ſenem, olimque veteranum militare non cogas, & rurſum de vita periclitari: tu qui Juvenis es, & in Pontificali culmine conſtitutus, doceto populos, & navis Africæ frugibus Romana tecta locupleta; mihi ſufficit cum auditore, & lectore pauperculo in angulo monaſterii ſuſurrare.*

XIV. Antequam præinſinuata Hieronymi Epiſtola ad manus perveniſſet Auguſtini, intellexit Sanctus Epiſcopus Hieronymum ſuas percepiſſe litteras, atque eidem à quibusdam malevolis ſuggeſtum eſſe, quod Librum contra ipſum ſcripſiſſet, Romamque miſiſſet. Liber autem hic non fuit alius, quam Epiſtola Auguſtini, qua Hieronymum in expoſitione Epiſtolæ ad Galatas redargueratt, & priusquam ad eum perveniret, Romæ, & per Italiam odio Rufini diſſeminata fuerat: quod Hieronymus callide factum ab Auguſtino ſuſpicabatur ad ſui æmulationem, & populi gloriam requirendam: Eapropter Auguſtinus ſe, alia Epiſtola in *vet. cod.* 108. ad Hieronymum data, purgat, non contendendi ſtudio, ſed inquirendæ veritatis gratia diſſenſiſſe ſcribens, & petens ſimiliter ſua ſcripta, quæ eum percepiſſe noverat, corrigi: & ſimul excuſans ſe, Dominum JESUM in teſtem provocando, contra eum nunquam Librum ſcripſiſſe, minus Romam miſiſſe. In eadem Epiſtola, ad calcem deſiderium ſuum cum eodem converſandi exponit ſequentibus: *O ſi licuiſſet, etſi non cohabitante, ſaltem vicino te in Domino perfrui ad crebrum, & dulce colloquium: ſed quia id non eſt datum, peto ut hoc ipſum, quod in Chriſto qua poſſumus ſimul ſimus, conſervari, & augeri, ac perfici ſtudeas, & reſcripta, quamvis rara, non ſpernere. Saluta obſequio meo ſanctum Fratrem Paulinianum, & omnes Fratres, qui tecum, ac de te in Domino gaudent: memor noſtri exaudiaris in omni ſancto deſiderio tuo, Domine chariſſime, & deſideratiſſime, & honorande in Chriſto frater.*

XV. Hieronymus vero magis tentari, ac provocari ſe credens, duabus Epiſtolis in *vet. cod.* ſub *Num.* 109. & 110. acrius, duriusque reſpondet, ſeque omnino exemplar unum Epiſtolæ ſuæ, contra ſe ſcriptæ per fratrem Syſinnium Diaconum accepiſſe fatetur: non reſpondiſſe autem, tum quia ſuam, ex eo quod non fuerit ſubſcripta, non crediderit; tum quia Paulæ dormitione impeditus fuerit, polliciens ſe reſponſurum, ſi ſuam eſſe aperte ſcribat. Cæterum unumquemque in ſuo ſenſu abundare, & Entelli exemplo, ſi ad pugnam provocetur, victoriam ſibi promittit. Deinde exhortans illum ad mutuum amorem, nuntiat ſe adverſus Rufinum, quem Calphurnium, cognomento Lanarium nominat, breviter ex parte reſpondiſſe. In prima harum Epiſtola de ſcriptis Auguſtini, & ſuis ſic loquitur: *Abſit autem à me, ut quidquam de libris Beatitudinis tuæ attingere audeam, ſufficit enim mihi probare mea, & aliena non carpere.* Et paulo poſt: *Nec tam ſtultus ſum, ut diverſitate explanationum tuarum me lædi putem, quia nec tu læderis, ſi nos contraria ſcribimus. Sed illa eſt vera inter amicos reprehenſio, ſi noſtram peram non videntes, aliorum juxta Perſium manticam conſideremus. Supereſt, ut diligas diligentem, & in Scripturarum campo juvenis ſenem non provoces. Nos noſtra habuimus tempora, & cucurrimus, quantum potuimus: nunc te currente, & longa ſpatia transmeante nobis debetur otium; ſimulque, ut cum venia, & honore tuo dixerim, ne ſolus mihi de Poëtis aliquid propoſuiſſe videaris, memento Daretis, & Entelli, & vulgaris proverbii: Quod bos laſſus fortius figat pedem, quam juvencus. Triſtes hæc dictavimus. Utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutua vel doceremus aliqua, vel diſceremus.* Deinde

de

de poſt paucas lineas finit Epiſtolam ſequenti periodo: *Memento mei Sancte, ac Venerabilis Papa. Vide quantum te diligam, ut, ne provocatus quidem, voluerim reſpondere, nec credam tuum eſſe, quod in altero forte reprehenderem.*

XVI. Epiſtolæ huic Hieronymus habita ad Auguſtinum alia occaſione non expectans ad priorem reſponſum, addidit alteram in *vet. cod.* ſub *Num. cit.* expoſtulans de Epiſtola, ſeu Libro ipſius per Italiam adverſariorum dolo ſparſo, quo taxabatur locus ille non recte expoſitus in Epiſtolam ad Galatas, hortans iterum Auguſtinum, ut, ſi pruriat amore gloriæ, juvenes juvenis potius ad certamen provocet, ſenem emeritum ſinat quieſcere. Hac in Epiſtola reſpectu memoratorum ſic ſcribit: *Sin autem tuam vis vel exercere, vel oſtendere doctrinam, quære juvenes, & diſertos, & nobiles, quorum Romæ dicuntur eſſe quam plurimi, qui poſſunt, & audent tecum congredi, & in diſputatione Sanctarum Scripturarum jugum cum Epiſcopo ducere. Ego quondam miles, nunc veteranus, & tuas, & aliorum debeo laudare victorias, non ipſe rurſus effæto corpore dimicare, ne, ſi frequenter ad reſcribendum impuleris, illius recorder hiſtoriæ, quod Hannibalem juveniliter exultantem Q. Maximus patientia ſua fregerit.* Et paulo infra fuſius. *Quæſo, ut me patienter audias. Non ſcripſiſti librum, & quomodo mihi reprehenſionis à te meæ, per alios ſcripta delata ſunt? Cur habet Italia, quod tu non ſcripſiſti? Qua ratione poſcis, ut reſcribam ad ea, quæ ſcripſiſſe te denegas? Nec tamen hebes ſum, ut, ſi diverſa ſenſeris, me à te læſum putem, ſed ſi mea cominus dicta reprehendas, & rationem ſcriptorum expetas, & quæ ſcripſerim emendare compellas, & ad palynodiam provoces, & oculos mihi reddas: in hoc læditur amicitia, in hoc neceſſitudinis jura violantur. Ne videamur certare pueriliter, & fautoribus invicem, vel detractoribus noſtris tribuere materiam contendendi, hæc ſcribo, quia te purè, & chriſtianè diligere cupio, nec quicquam in mea mente retinere, quod diſtet à labiis. Non enim convenit, ut ab adoleſcentia uſque ad hanc ætatem in Monaſterio cum ſanctis fratribus labore deſudans, aliquid contra Epiſcopum communionis meæ ſcribere audeam, & eum Epiſcopum, quem ante cœpi amare, quem noſſe, qui me prius ad amicitiam provocavit, quem poſt me orientem in Scripturarum eruditione lætatus ſum. Igitur aut tuum negato librum, ſi forte non tuus eſt, & deſine flagitare reſcripta ad ea, quæ non ſcripſiſti; aut ſi tuus eſt, ingenue confitere, ut ſi in defenſionem mei aliqua ſcripſero, in te culpa ſit, qui provocaſti, non in me, qui reſpondere compulſus ſum. Addis præterea te paratum eſſe, ut ſi quid me in tuis ſcriptis moverit, aut corrigere voluero, fraterne accipies, & non ſolum mea in te benevolentia gaviſurum, ſed ut hoc ipſum faciam, deprecaris. Rurſum dico, quod ſentio: Provocas ſenem, tacentem ſtimulas, videris jactare doctrinam. Non eſt autem ætatis meæ putari malevolum erga eum, cui magis favorem debeo.* Ac tandem ad calcem Epiſtolæ valedicens ait: *Vale mi amice chariſſime, ætate fili, dignitate parens: & hoc à me rogatus obſerva, ut quidquid mihi ſcripſeris, ad me primum facias pervenire.*

XVII. Auguſtinus aculeis quibuſdam præmiſſarum Hieronymi litterarum motus, in ſua ad Hieronymum reſponſoria blanditiis lenire ſtudet ſuarum aſperitatem ſententiarum, ſeque de hac accurate purgat, & ſi in aliquo eum læſerit, veniam deprecatur: ac tandem multis verbis deplorat inter Rufinum, & Hieronymum quondam amiciſſimos, viroſque doctos, celebres, ſenes, monachoſque tam amarulentam non ſine gravi totius Eccleſiæ ſcandalo interceſſiſſe diſcordiam, eoſque ad priſtinam charitatem revocare nititur. In hac itaque Epiſtola in *vet. cod. III.*

Digitized by Google

poſt expoſita Hieronymi in ſe benevolæ charitatis, & offenſionis judicia culpam fatetur ſuam, petitque pro hac veniam hoc tenore: *Reſtat igitur, ut lædere me reſcribendo diſponeres, ſi certo documento meas eſſe illas Litteras noſſes. Atque ita quia non credo, quod injuſtè me lædendum putares, ſupereſt, ut agnoſcam peccatum meum, quod prior te illis litteris læſerim, quas meas eſſe negare non poſſum. Cur itaque conor contra fluminis tractum, ac non potius veniam peto? Obſecro te ergo per manſuetudinem Chriſti, ut, ſi læſi, dimittas mihi, nec me viciſſim lædendo, malum pro malo reddas. Lædes autem me, ſi mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis, vel dictis meis. Nam ſi ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non ſunt, te lædis magis, quam me; quod abſit à moribus, & ſancto propoſito tuo, ut hoc facias voluntate lædendi, culpans aliquid in me dente maledico, quod mente veridica eſſe ſcis non culpandum. Ac per hoc aut benevolo corde arguas etiam ſi caret delicto, quem arguendum putas, aut paterno affectu mulceas, quem abiicere nequeas. Poteſt enim fieri, ut tibi aliud videatur, quam veritas habet, dum tamen aliud abs te non fiat, quam charitas habet. Nam & ego amiciſſimam reprehenſionem gratiſſimè accipiam, etiamſi reprehendi non meruit, quod rectè defendi poteſt, ut agnoſcam ſimul & benevolentiam tuam, & culpam meam, & quantum Dominus donat, in alio gratus, in alio emendatus inveniar. Quid ergo fortaſſe dura, ſed certè ſalubria verba tua tanquam cæſtus Entelli pertimeſcam? Cædebatur ille, non curabatur, & ideo vincebatur, non ſanabatur. Ego autem ſi medicinalem correptionem tuam tranquillius accepero, non dolebo. Si vero infirmitas, vel humanitas mea, etiam cum veraciter arguar, non poteſt niſi aliquantulum contriſtari; melius tumor capitis dolet cum curatur, quam dum ei parcitur, non ſanatur. Hoc eſt enim quod acutè vidit, qui dixit; utiliores eſſe plerumque inimicos jurgantes, quam amicos objurgare metuentes. Illi enim dum rixantur, dicunt aliquando vera, quæ corrigamus; iſti autem minorem, quam oportet, exhibent juſtitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exaſperare dulcedinem. Quapropter ſi & hos, ut tibi videris, laſſus ſenectute corporis, non vigore animi, tamen in area Dominica fructuoſo labore deſudens, ecce ſum, qui perperam dixi, fortius fige pedem. Non mihi eſſe debet moleſtum pondus ætatis tuæ, dummodo conteratur palea culpæ meæ. Proinde illud, quod in extremo Epiſtolæ tuæ poſuiſti, cum magni deſiderii ſuſpirio vel lego, vel recolo. Utinam, inquis, mereremur complexus tuos, ut collatione mutua vel doceremus, vel diſceremus. Ego autem dico: utinam ſaltem propinquis terrarum locis habitaremus, ut ſi non poſſent miſceri noſtra colloquia, litteræ poſſent eſſe crebriores. Nunc vero tanto locorum intervallo abſumus à ſenſibus noſtris, ut de illis verbis Apoſtoli ad Galatas, juvenem me ad tuam Sanctitatem ſcripſiſſe meminerim, & ecce jam ſenex necdum reſcripta meruerim, faciliusque ad te exemplaria Epiſtolæ meæ pervenerint, neſcio qua occaſione prævenientes, quam ipſa Epiſtola me curante. Homo enim, qui eam tunc acceperat, nec ad te pertulit, nec ad me retulit. Tanta autem mihi in litteris tuis, quæ in manus noſtras venire potuerunt, apparent res, ut nihil ſtudiorum meorum mallem, ſi poſſem, quam inhærere lateri tuo. Quod ego quia non poſſum, aliquem noſtrorum in Domino filiorum erudiendum ad te mittere cogito, ſi etiam de hac re tua reſcripta meruero. Nam neque in me tantum ſcientiæ Scripturarum divinarum eſt, aut eſſe jam poterit, quantum ineſſe tibi video.*

XVIII. Medio tempore Hieronymus validam contra illas Auguſtini Epiſtolas, Romæ, & per Italiam ſparſas, atque in depravatis probabiliter ab adverſario Rufino exemplaribus eidem à Syſinnio Diacono redditas, quibus incuſabatur Hieronymus de perperam facta interpretatione loci illius in *Epiſtolam ad Galatas cap.* 2. in quo Paulus dicit ſe reprehendiſſe Pe-

Petrum, contexuit Apologiam, ſub tit. *Epiſtolæ* in *vet. cod.* 107. editam. Qua poſtquam ab omnibus objectis cauſam ſuam defendiſſet, expoſitionemque authoritate veterum Patrum roboraſſet, redarguit Auguſtinum, quod contra explanationem ſuam agens viſus fuiſſet Aſſertor ejus ſententiæ, qua diceretur: Judæos ad Chriſtum converſos uti licite legalibus; quod affirmare nihil aliud eſſet, quam Cerinthi, Ebionis, & Nazaræorum hæreſi adſtipulari. Hanc itaque Apologiam, poſt acceptam priorem Auguſtini deprecatoriam Epiſtolam, eidem exmiſit, cui adjunxit Epiſtolam, qua mitius cum eodem Sancto Epiſcopo agebat, eumque ad mutuam deinceps ſervandam charitatem exhortabatur. Poſt reddita ergo hac in Epiſtola ſalutationis obſequia ſequentia ſubjungit. *Simulque obſecro, ut ignoſcas pudori meo, quod diu præcipienti, ut reſcriberem, negare non potui. Nec ego tibi, ſed cauſæ cauſa reſpondit. Et ſi culpa eſt reſpondiſſe, quæſo, ut patienter audias, multo major eſt provocaſſe. Sed ceſſent iſtiusmodi querimoniæ. Sit inter nos pura Germanitas, & deinceps non quæſtionum, ſed charitatis ad nos ſcripta mittamus.* Ad finem porro Epiſtolæ hæc ponit. *Domine, verè Sancte, & beatiſſime Papa, ſi legiſti Librum explanationum in Jonam, puto, quod ridiculam cucurbitæ non recipies quæſtionem. Si autem amicus, qui me primus gladio petiit, ſtylo repulſus eſt, ſit humanitatis tuæ, atque juſtitiæ accuſantem reprehendere, non reſpondentem. In Scripturarum campo, ſi placet, ſinè noſtro invicem dolore, ludamus.*

XIX. Percepta, & lecta tam Epiſtola hac, quam præinſinuata Apologia Hieronymi, Auguſtinus prolixiori Epiſtola ſe purgat ab omnibus ſibi ab Hieronymo objectis, accuratiusque reſpondet de mendacio officioſo docens, & confirmans: Veram fuiſſe reprehenſionem Petri, non diſpenſatoriam, & ſimulatam: in qua dicit contra Porphyrium juſtam libertatem in defenſione Evangelii in Paulo, & ſanctam humilitatem in Petro commendari. In uno tamen Hieronymo conſentiens, atque confirmans: Sicut ab initio primitiis Judæorum legalia fuiſſe permiſſa ſine ſpe ſalutis, ſic temporis progreſſu, & revelata fidei gratia, tam judæis, quam gentibus converſis effecta mortifera. In hac Epiſtola circa finem hæc ſcribit: *Quod ſanè ſcripſeram, nullum me Librum adverſus te Romam miſiſſe ideo ſcripſeram, quia & libri nomen ab illa Epiſtola diſcernebam. Unde omnino neſcio quid aliud te audiiſſe exiſtimaveram, & Romam nec ipſam Epiſtolam, ſed tibi miſeram, & adverſus te non eſſe arbitrabar, quod ſinceritate amicitiæ ſive admonendum, ſive ad te, vel me abs te corrigendum feciſſe me noveram; exceptis autem familiaribus tuis, te ipſum obſecro per gratiam, qua redempti ſumus, ut quæcunque tua bona, quæ Domini pietate tibi conceſſa ſunt, in litteris meis poſui, non me exiſtimes inſidioſo blandiloquio poſuiſſe. Si quid autem in te peccavi, dimittas mihi. Nec illud, quod de te, neſcio cujus Poëtæ factum, ineptiùs fortaſſe, quam litteratius à me commemoratum eſt, amplius quam dixi, ad te trahas, cum continuo ſubjecerim, non hoc ideo me dixiſſe, ut oculos cordis reciperes, quos, abſit, unquam ut amiſeris; ſed ut adverteres, quos ſanos, & vigiles haberes. Propter ſolam ergo palynodiam ſi ſcripſerimus aliquid, quod ſcripto poſteriore deſtruere debeamus imitandam, non propter Steſichori cæcitatem, quam cordi tuo nec tribui, nec timui, attingendum illud exiſtimavi: atque identidem rogo, ut me fideliter corrigas, ubi mihi hoc opus eſſe perſpexeris. Quamquam enim ſecundùm honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt, licèt etiam à minore quolibet non ſit fugienda, vel dedignanda correptio.*

XX. De Quæſtione, *An verè reprehenſibilis, & reprehenſus fuerit Petrus à Paulo?* agens *Cornelius à Lap.* Commentario *in Epiſt. ad Gal. cap. 2. v. 11.* ſic diſſerit. „ Acris hac de re per „ multos annos fuit diſſertatio inter „ Sanctos Hieronymum, & Augu„ ſtinum, ut patet ex Epiſtolis utri„ usque *Tomo* 2. Operum S. Augu„ ſtini *Epiſt. 8. 9. & ſeq.* Negat Hie„ ronymus, putatque tantum utrin„ que ſimulatam fuiſſe reprehenſio„ nem. Petrus ſcilicet, qui Hiero„ ſolymis cum Judæis Judaice vixe„ rat, idque licite, veniens Antio„ chiam cum gentibus gentiliter vi„ xit: ſed ſupervenientibus Judæis „ à Jacobo Hieroſolyma Antiochiam „ miſſis, ne eos offenderet, utpote „ primos, & primarios in fide, & Ec„ cleſia Chriſti gentibus ad Judæos ſe „ ſubduxit, ſimul ut daret occaſio„ nem Paulo gentium Apoſtolo ſe „ reprehendendi, eique cedens ipſo „ facto doceret Judæos, non eſſe am„ plius Judaizandum. E contrario „ S. Auguſtinus aſſerit Petrum verè „ fuiſſe reprehenſibilem, & repre„ henſum à Paulo: id enim verba, „ *Quia reprehenſibilis erat, clare ſignificant.* Ex hac quæſtione orta eſt „ altera inter Sanctos Auguſtinum, „ & Hieronymum quæſtio, *de ſimulatione*, & *mendacio.* Hieronymus „ enim aſſerit, licere ſubinde ſimula„ re, inſtar Petri hic. Negat Augu„ ſtinus Petrum ſimulaſſe, docetque, „ nunquam licere mentiri, aut ſimu„ lare, præſertim in negotio fidei, & „ religionis. Sed in hac ſecunda „ quæſtione non videntur Hierony„ mus & Auguſtinus ſatis ſe invicem „ intellexiſſe: non enim dixit Hie„ ronymus Petrum mentitum eſſe, „ aut ſimulaſſe Judaiſmum exterius, „ quem interius in corde deteſtare„ tur, uti Hieronymum videtur in„ tellexiſſe Auguſtinus, cum in eum „ tam acriter inſurgit, quaſi doceret „ Petrum licite Judaiſmum ſimulaſſe: „ ſic enim cuilibet fideli licita foret „ falſæ fidei, hæreſeosque profeſſio, „ qui eſt error in fide: ſed tantum „ docet Hieronymus non veram, ſed „ ſimulatam fuiſſe reprehenſionem „ Petri à Paulo, ex compoſito enim „ utriusque conſenſu Paulum repre„ hendiſſe Petrum incautæ non ſimu„ lationis, & diſſimulationis jam di„ ctæ, Petrumque reprehenſionem „ hanc admiſiſſe ex compoſito, ut „ Petro in ſpeciem reprehenſo Ju„ daizantes vere reprehenderentur, „ & cum Petro agnoſcerent non eſſe „ Judaizandum; quod licitum eſſe „ non negat Auguſtinus: negat ta„ men ita accidiſſe, cum ex ejus ſen„ tentia vera, & non ſimulata fuerit „ hæc reprehenſio. Hieronymus „ porro ſuam ſententiam defendit au„ thoritate Patrum anteceſſorum, ut „ ſunt Origenes, Didymus, Apolli„ naris, Euſebius Emiſſenus, Theo„ dorus, Herocleotes, quos omnes „ Hieronymus pro ſua parte citat in „ *Epiſt. 89.* ad Auguſtinum. Item: „ Chryſoſtomus, Theodoretus, Theo„ philactus, Oecumenius, in *Epiſt. ad* „ *Galat. cap.* 2. & *Joannes Caſſianus* „ *Collat.* 17 „ Pluribus hac de re tractat Spondanus Hieronymi potius, quàm Auguſtini adhærens opinioni, Libro Annalium Eccleſiaſticorum ad A. C. 51. incipiendo à *num.* 4. incluſive, uſque ad *num.* 12. excluſivè, quo Lectorem benevolum relegamus, ne opuſculum hoc in immenſum creſcere faciamus.

XXI. Univerſa porro præmiſſa, aliaque quam plurima his ſimilia, atque aliis Epiſtolis ultro, citroque à ſæpememoratis Sanctiſſimis viris Hieronymo, & Auguſtino intra annos ferme quatuordecim, quibus præinſinuatæ controverſiæ inter ipſos agitatæ ſunt conſcriptis, copioſius pertractata, in eorundem præinſinuatis Litteris apud Petrum Caniſium, vel in vetuſto Codice typis Nicolai Keſler Baſileæ A. C. 1489. edito benevolo Lectori inſpicere licebit. Ex qui-

quibus colligere quoque poterit; qualiter hi DEO dilecti, Filii pacis, Eccleſiæ magiſtri eo animo in diſſenſione fuerint, ut inter ipſos verborum graviores verberibus ictus exciterint, ſe tamen metuo complecterentur amore, laudibus efferrent, atque furtivis charitatis oſculis peterent; adeo, ut tandem veritate in utroque vincente, firmiori concordia juncti, arctiſſimoque charitatis nexu colligati fuerint, quos ex poſt nullus Rufini dolus, nulli Origenis Clientes dividere, atque ab amore ſemel propter DEUM conjuncto divellere potuerunt. Amoris porro effectus, atque benevolentiæ experimentum inter hos poſt diſſenſionem compoſitam decem quaſi annis uſitatum patet ex pluribus Epiſtolis, quas ſibi hi Sancti viri, ad invicem ſcripſerunt, luculenter patet. E quibus aliquarum ſynopſim hic producere placet.

XXII. Scripſerat Hieronymus Libros adverſus Hæreticos Pelagianos (ut *cap. ſeq.* dicetur) contra hos reſcripſit nequiter quidam Anianus Diaconus: requirit itaque medio Epiſtolæ in *vet. cod.* 50. Auguſtinum, referens ſe intentioni ſuæ ob morborum ingruentiam, aliaque impedimenta ſatisfacere non poſſe, ut ipſe illi loco ſui reſpondeat. Hac in Epiſtola ſuam erga Auguſtinum ſinceri amoris teſſeram mox ſub initium exponit ſequentibus: *Mihi enim omnis occaſio gratiſſima eſt, per quam ſcribo Veſtræ Reverentiæ; teſtem invocans DEUM, quod ſi poſſit fieri, aſſumptis alis columbæ, veſtris amplexibus implicaret; Semper quidem pro merito virtutum veſtrarum, ſed nunc maxime, quia cooperatoribus vobis* (hic *Alipium* ſocium intelligit) *hæreſis Cæleſtina* (eadem, quæ *Pelagiana*) *jugulata eſt, quæ infecit corda multorum, ut cum ſuperatos, damnatosque eſſe ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittant, & quod ſolum poſſunt, nos oderint, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe.* In merito dein cauſæ ſuæ hæc ſcribit: *Quod autem quæritis: utrum reſcripſerim contra Libros Aniani PſeudoDiaconi Celedeuſis, qui copioſiſſime paſcitur, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtraret? Sciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos à Sancto fratre Euſebio Presbytero ſuſcepiſſe non ante multum temporis, & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione Sanctæ, & Venerabilis filiæ veſtræ Euſtochii ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem luto hæſitat, & exceptis verbis tinnulis, atque emendicatis nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum Epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus pateſaceret. Quidquid enim in illa miſerabili Synodo Diſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere profitetur, nec grande eſt ineptiſſimis næniis reſpondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & Notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis reſpondebimus, non ut convincamus hæreſim emortuam, ſed ut imperitiam, atque blaſphemiam ejus noſtris ſermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret Sanctitas veſtra, ne compellamur contra hæreticum noſtra laudare.* Litteris his expeditis Hieronymus non expectato reſponſo, mox alia Epiſtola, in *vet. cod.* 51. ad Auguſtinum data, gratulatur eidem, quod hæreticorum omnium meruerit odium, quod quidem ſibi illi cum illo eſſe commune gaudet, his verbis: *Omni quidem tempore Beatitudinem tuam eo, quo decet honore veneratus ſum, & habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem: ſed nunc, ſi fieri poteſt, cumulo aliquid addimus, & plena complemus, ut abſque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perſtitiſti, maluiſtique, quantum in te fuit, ſolus liberari à Sodomis, quam cum pereuntibus commorari. Scit, quid dicam, prudentia tua. Macte virtute in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rurſus fidei venerantur, atque ſuſpiciunt,*

unt, & , quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur. Et me pari perſequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant.

XXIII. Reciprocum amorem Auguſtinum erga Hieronymum coluiſſe ex Epiſtolis ad eum datis eluceſcit. Harum prima, ſed in *vet. cod.* 54. fuit, *de origine animæ.* Qua ſciſcitatur ab Hieronymo, ſi illa ſententia ſequenda ſit, quod naſcentibus ſingulis animæ de novo creatæ infundantur; quomodo ſit ſatis faciendum quærenti, ubi contraxerit anima reatum, quo trahatur in condemnationem, niſi per Sacramentum baptiſmi illi gratia Chriſti ſubvenerit? Quam Epiſtolam incipit hoc tenore: *Deum noſtrum, qui nos vocavit in ſuum regnum, & gloriam, & rogavi, & rogo, ut hoc, quod ad te ſcribo Sancte Frater Hieronyme, conſulens te de iis, quæ neſcio, fructuoſum eſſe nobis velit. Quamquam enim te multo, quam ego ſum, ætate majorem, tamen etiam ipſe jam ſenex conſulo; ſed ad diſcendum, quod opus eſt, nullo mihi ætas ſera videri poteſt, quia etſi ſenes magis decet docere, quam diſcere, magis tamen diſcere, quam, quid doceant, ignorare. Nihil equidem moleſtius fero in omnibus anguſtiis meis, quas patior in difficillimis quæſtionibus, quam in tam longinqua tuæ charitatis abſentia, ut vix poſſim meas dare, vel recipere litteras tuas per intervalla non dierum, non menſium, ſed aliquot annorum: cum, ſi fieri poſſet, quotidie præſentem te habere vellem, cum quo loquerer, quidquid vellem.* Deſcribit deinde in Epiſtola fuſiori calamo ſententias, quas ſibi ab Hieronymo dilucidatas habere deſiderat, & ſimul circa easdem ſuam exponit opinionem, nihil tamen concludit.

XXIV. Secunda vero ejusdem Auguſtini ad Hieronymum Epiſtola, in *vet. cod.* 116. fuit, in qua (de textu, qui *Jacobi cap.* 2. habetur: *Qui offenderit in uno factus eſt omnium reus.* Multa obiter admiſcens de Stoicis, qui docebant: Omnia peccata eſſe paria, & quisquis habuerit unam virtutem, haberet omnes, qui careret una, nullam haberet) ſupplicat pro textus hujus explanatione his verbis: *Proinde quæſo, & per DEUM obſecro, ut exponas mihi, quod multis exiſtimo profuturum; aut ſi jam vel abs te, vel ab alio aliquo expoſitum habes, dirigas nobis, quomodo accipiendum ſit, quod in Epiſtola Jacobi Apoſtoli ſcriptum eſt: Quicunque enim totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus? Quæ res talis, ac tanta eſt, ut, quod hinc tibi non jam olim ſcripſi, multum me pœniteat. De agenda namque præſenti vita, quomodo perveniamus ad vitam æternam, non de præterita perſcrutanda, quam penitus demerſit oblivio, ſicut eſt illud, quod de anima quærendum putavi, hæc vertitur quæſtio.* Poſt hæc circa quæſtionem hanc ſuam prolixius exponit opinionem, & ea, quæ ſibi ſolvenda videbantur, ſolvit, Epiſtolamque concluſit ſequentibus: *Multa dixi, quibus tibi tædium fortaſſis inferrem, qui hæc, quæ tamen approbas, non exſpectas diſcere, qui ea docere conſueviſti. Si quid autem eſt in eis, quantum ad rem ipſam pertinet: nam quali eloquio explicata ſint, non nimis curo. Si quid ergo in eis eſt, quod eruditionem offendat tuam, quæſo, ut reſcribendo admoneas, & me corrigere non graveris. Infelix eſt enim, qui non tantos, & tam ſanctos tuorum ſtudiorum labores & digne honorat, & de his Domino DEO noſtro, cujus munere talis es, gratias agit. Unde cum libentius debeam à quolibet diſcere, quod inutiliter ignoro, quam promptius quolibet docere, quod ſcio; quanto juſtius hoc abs te charitatis debitum flagito, cujus doctrina in nomine, & adjutorio Domini tantum in latina lingua Eccleſiaſticæ litteræ adjutæ ſunt, quantum nunquam antea potuerunt. Maxime tamen iſtam ſententiam: Quicunquam totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Si quo alio modo exponi*

ſequi melius poſſe novit dilectio tua, per Dominum obſecro, ut id nobiſcum communicare digneris.

XXV. Binas has Epiſtolas, ſeu Libellos ad Hieronymum miſſos, fatetur idem in ſua Reſponſoria ſe percepiſſe, quod autem iiſdem nihil oppoſuerit, cauſat Auguſtini opiniones, eas ſumme dilaudans, his verbis: *Sed incidit tempus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit, quam loqui, ita ut noſtra ſtudia ceſſarent, & juxta Appium caninâ exercerentur facundiâ. Itaque duobus libellis tuis, quos meo nomini dedicaſti, eruditiſſimis, & omni eloquentiæ ſplendore fulgentibus, ad tempus reſpondere non potui. Non quod quidquam in illis reprehendendum putem, ſed quia juxta Apoſtolum: Unusquisque in ſuo ſenſu abundat. Certe, quidquid dici potuit, & è ſublimi ingenio de Scripturarum Sanctorum hauriri fontibus, appoſitum, atque diſſertum eſt. Sed quæſo Reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium. Nos enim inter nos eruditionis cauſa diſſerimus. Cæterum æmuli, & maxime hæretici, ſi diverſas inter nos ſententias viderint, de animi calumniabuntur rancore deſcendere. Mihi autem decretum eſt te amare, te ſuſpicere, colere, mirari, tuaque dicta, quaſi mea defendere. Certe in Dialogo, quem nuper edidi, tuæ Beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus ſum: magisque demus operam, ut perniciosiſſima hæreſis de Eccleſia auferatur, quæ ſemper ſimulat pœnitentiam, ut docendi in Eccleſia habeat facultatem, ne ſi aperta luce prodierit, foras expulſa moriatur.*

XXVI. De præinſinuatis duabus ſuis Epiſtolis ad Hieronymum datis meminit S. Auguſtinus ſuo *Retract. lib. 2.* ſequentibus: *Scripſi etiam duos libros ad Presbyterum Hieronymum ſedentem in Bethlehem. Unum de Origine animæ hominis: Alterum de ſententia Jacobi Apoſtoli; ubi ait: Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno factus eſt omnium reus. De utroque conſulens eum: ſed in illo priore quæſtionem, quam propoſui, non ſolvi: in poſteriore vero, quod mihi de illa ſolvendum videretur, non tacui. Reſcripſit autem laudans eandem conſultationem meam, ſibi tamen ad reſpondendum ocium non eſſe reſpondit. Ego autem quousque eſſet in corpore, hos libros edere volui, ne forte reſponderet aliquando, & cum ipſa reſponſione ejus potius ederentur. Illo autem defuncto ad hoc edidi priorem, ut, qui legit, admoneatur aut non quærere omnino quomodo detur anima naſcentibus; aut certe de re obſcuriſſima eam ſolutionem quæſtionis hujus admittere, quæ contraria non ſit apertiſſimis rebus, quas de originali peccato fides Catholica novit in parvulis, niſi regenerentur in Chriſto, ſine dubitatione damnandis. Poſteriorem vero ad hoc, ut quæſtionis, de qua ibi agitur, etiam, quæ nobis viſa eſt, ſolutio ipſa noſcatur.* Ex his prælibatis abunde patet, quantus inter hos binos Sanctos viros, poſt longiorem diſſenſionem, & altercationem, non quidem perſonarum, ſed cauſarum gratia habitas, Sanctus amor, atque timoris Domini plena, conſtansque familiaritas viguerit; non tantum in vinea Domini laborantibus viris, verum etiam cunctis Chriſtianis, utpote ſumme neceſſaria, imitanda. Quod autem Capite præſenti præter ſolitum, & intentionem meam prolixior extiterim, binæ referuntur cauſales, harum prima eſt, quod ipſamet ſcribendi materia per ſe fuſior ſcribendi aperuerit campum. Altera porro, quod ad id me obligatio mea bina, quam erga binos hos ſanctiſſimos viros me habere profiteor, impulerit, cujus obligationis finis non procedit ex eo tantum, quod uterque vitæ eremiticæ cultor extiterit ſtrenuus, verum etiam, quod S. Legiſlatoris Auguſtini Regulam in Ordine noſtro Proto-Eremitico S. Patriarchæ Pauli primi Eremitæ, cujus vitam S. Hieronymus deſcribendo ſummis encomiis celebravit, ſervandam Sacramento Religionis me obſtrinxerim.

CAPUT XVIII.

Sancti Hieronymi de Vigilantio, & Pelagio hæreticis victoria.

I. Circa Annum Domini (ut notat *Spondanus* ad A. C. 406. dum dicit: *Ante biennium*) ſurrexit quidem Hereſiarcha, nomine *Vigilantius*. Hunc natione Hiſpanum, patria Calaguritanum (ut Hieronymus tradit contra *Gennadium*, qui Libro de Scriptorib. Eccleſiaſt. *cap.* 35. quod ſciret hominem verſatum in Gallia, Gallum utique fuiſſe, ſed Hiſpaniæ Barcinonenſis Parochiæ Eccleſiam tenuiſſe notavit) uſu, & conſuetudine Barcinonenſis Eccleſiæ S. Paulinus, qui ibidem ordinatus eſt Presbyter, perneceſſarium aliquando habuit, ſuoque pede menſus hominem, exiſtimabat eum talem gerere intus in animo virtutis imaginem, qualem ſpecie exteriori præſeferebat, adeoque ut virum pium probumque laudavit *Epiſt.* 1. ad *Severum*, atque apud ſe ægrotantem fovit. Proficiſcentem quoque Hieroſolymas Sancto Hieronymo plurimum commendavit, à quo in gratiam Paulini maxima (ut S. Hieronymus *Epiſt.* 13. ad *Paulinum*, ait) aviditate ſuſceptus eſt. Sed paulo poſt ob inconditos ſermones, quos de fide cum S. Hieronymo, ejusque ſociis Vincentio, Pauliniano, & Euſebio proferebat, diſplicuit, eſto hos ruſticitati, & ſimplicitati ejusdem potius, quam vecordiæ S. Vir adſcriberet. Sed cum ſalutaribus Hieronymi monitis acquieſcere renueret, ſolum ſe Catonem ſuo teſtimonio prudentiſſimum exiſtimans receſſit ab Hieronymo, atque tam in Palæſtina quam in Ægypto, aliisque, quas peragrabat, Orientis Provinciis in eundem Hieronymum (impulſus etiam, ut idem *Apologia* 2. adverſus Rufinum inſinuat, ad id hortationibus Rufini (oblatrare, ipſumque Origenis hæreſeos accuſare, quod ejus opera aſſidue legeret, non deſinebat. Denique in occidentem reverſus, hactenus inter Sanctos perfidus latens, quas multo tempore congeſſerat blaſphemiarum ſordes, jam palam propalare, atque in Galliis primum explicare cœpit, atque defendere.

II. Impugnabat autem cultum Reliquiarum Sanctorum, & qui eas ſuſciperent appellabat: *Cinerario*, & *Idololatras*, qui mortuorum hominum oſſa venerarentur: ſignaque apud eas fieri ſolita, dæmonum aſſerebat eſſe præſtigias, easdemque inutiles omnino eſſe, quod ſigna non fidelium, ſed infidelium cauſa fieri debeant. Et cum Eccleſias Sanctorum declinandas eſſe diceret, Catholicos, qui in iis ex more orationes celebrarent, quaſi immundos fugiendos eſſe docebat. Jovinianum quoque Hæreſiarcham ſecutus, impugnabat Virginitatem, & Cælibatum Clericorum, Jejuniaque fidelium. Damnabat præterea diei tempore cæreos, ac lampades in Eccleſiis accendi ſolitas: item ex quibusdam aprocryphis ſub nomine *Eſdra* libris, *poſt mortem nullum pro alio deprecandi facultatem habere*, dicebat. Improbabat quoque Vigilias in Sancta Eccleſia celebrari ſolitas, præter ſolemnes Sacri Paſchatis, quas duntaxat retinendas eſſe aſſerebat, reliquas vero obtentu publicæ honeſtatis, ne tenebrarum occaſionem captantibus ad delinquendum via aperiri videretur, eſſe abolendas. Sicut & illud addidit, nonniſi in Paſchate

Alle-

Alleluja cantandum. Eleemoſynas quoque ſolitas mitti ad loca ſancta damnabat, probabatque eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus dividunt; quam illos, qui poſſeſſionibus ſuis venundatis, ſemel omnia largiuntur. Monachorum denique in ſolitudine vitam vituperabat. Auſus eſt item dicere: *Montem*, de quo abſciſſus eſt (in *Danielis cap.* 2.) *lapis ſint manibus*, eſſe *Diabolum*, & *lapidem Chriſtum.* O quanta blasphemia! Hæc univerſa ore ſacrilego effutiviſſe Vigilantium teſtatur S. Hieronymus in *Epiſt.* in vet. cod. 42. qua de traductione, & Lectione Librorum Origenis ſe purgat, & accuſatorem ſuum Vigilantium imperitiæ, perfidiæque condemnat. Item *Epiſt.* 12. ad Riparium, & Commentario in *Iſaiæ cap.* 6. *v.* 65. Ex quibus evidens formatur conſequentia: *Vigilantium* impiiſſimum Hæreſiarcham conatum fuiſſe diſſolvere omnem Sanctæ Matris Eccleſiæ diſciplinam, ac Sanctas traditiones deſtruere, Sacrosque Sacrorum ritus peſſumdare.

III. Certior de Hæreſiarcha hoc, ejusque blaſphemis propoſitionibus litteris Riparii, & Deſiderii Presbyterorum Gallorum redditus S. Hieronymus, ingenti, quo ſemper adverſus hæreticos efferbuit, *Catholicæ fidei zelo*, haud parcens verbis (ut notavit *S. Gregorius*) vehementiori impetu, in eundem inſurrexit *Vigilantium*, quem rectius *Dormitantium* appellandum docuit (quod vigilans dormiret, & dormiens adeo ſacrilega effutiret) dum unius noctis (ut in *Epiſt.* 13. adverſus *eundem* circa finem inquit) ſpatio lucubrationem contexuit, recenſitisque diverſis temporibus, & regionibus in orbe terrarum viſa fuiſſent, hæreticorum monſtris, ingemuit maximè hujus temporis infelicem Galliæ ſtatum, quod cum ea ſola hactenus ejusmodi monſtra nunquam habuiſſet, ſed viris ſemper fortiſſimis, eloquentiſſimis, & zeloſiſſimis pro fide Catholica abundâſſet, tandem & ipſa paſſa fuerit *Vigilantium*, qui *immundo Spiritu* pugnaret contra *Spiritum Chriſti*, ac tandem pro deſiderio Riparii, & Deſiderii Presbyterorum, qui ab impuro Vigilantio vexabantur, ad omnes ſacrilegas Vigilantii propoſitiones reſpondit acriter, ac excitata bile eas confutando, hæreſim quoque imperiti hominis jugulavit. Lucubrationem hanc, ſub tit. *Epiſt.* 13. *Syſinnio* Monacho, à S. Exuperio Toloſano Epiſcopo in Orientem miſſo, perferendam in Gallias, ubi Vigilantius ſerpentinum ſuum evomuerat virus, *Hieronymus* dedit: qua, tanquam parata antidoto, impietates ejus nullo quaſi negotio idem S. Doctor aranearum filorum inſtar disrupit, ut os ejus obſtruxerit, extinxeritque penitus ante propemodum, quam naſceretur *infamis hæreſis*, ita ut nullus labor incubuerit ſanctis Epiſcopis *Concilia* celebrandi ad eam, una cum Authore condemnandi. *Utinam* (loquor cum *Petro Caniſio* in fine Argumenti in *Epiſt.* 13. adverſus Vigilantium) *Scioli, & oculatiores noſtri temporis Vigilantii, tanti Sancti Doctoris authoritate, rationibúsque proſtrati, una cum eo penitus obdormiſcerent!*

IV. Quantumvis, quod hæc Vigilantii hæreſis tunc obmutuerit, nec amplius ad multa ſæcula audita fuerit, effeciſſe quidem brevem illam Hieronymi lucubrationem teſtetur *Baronius* ad A. C. 406. Ominatur nihilominus terribilem quoque Deum in conſiliis ſuper filios hominum, vocaviſſe in pœnam eorum, qui Hypocritæ Vigilantio fidem adhibuerunt, ejusdemque veſtigia ſecuti Catholicam veritatem vel impugnârunt, vel reſpuerunt. gentes ab extremis terræ, immiſiſſeque A. C. 407. in Gallias Vandalos, & Alanos,

Digitized by Google

nos, ut refert *Proſper*, & *Caſſiodorus* in Chron. Item *Zoſimus lib. 6.* quibus permixtos fuiſſe *Suevos*, *Oroſius lib. 7. cap. 38.* & *Zoſim.* loc. cit. ſcribunt. Hieronymus quoque *Epiſt. 11.* ad *Ageruch.* eandem lugens cladem: *Quados* addit, & *Sarmatas*, *Gepidas*, *Herulos*, *Saxones*, *Burgundiones*, *Allemannos*, & *Pannonios*. Hosque (ait) quidquid inter Alpes, & Pyrenæum eſt, quod Oceano, & Rheno clauditur devaſtaſſe, ac potiſſimum in eam partem graſſatos fuiſſe, in qua nefando *Vigilantii hæreſis* plantata fuerat; ſiquidem urbs Toloſana à barbaris his capta, univerſaque Aquitania, Narbonenſis quoque, & Lugdunenſis Provinciæ devaſtatæ fuerint: adeo ut ſub barbarico gladio magis de vita tuenda, quàm de dogmatibus licuerit diſputare. Creduntur porro, putat *Baronius loc. cit.* ab his barbaris ſublati eſſe illi hæretici, vel potius eosdem ſic male ſeductos, jam factos mentis compotes, reſipuiſſe. Ecce quid ſoleant ſecum vehere, vel poſt ſe ducere hæreſes! clades nimirum Regnorum, & Provinciarum. Quod multis exemplis ſæpe omnibus ſæculis infeliciſſimè contigit demonſtrari.

V. Paucos poſt annos, id eſt: A. C. 410. (ut habetur apud *Baronium*) innoteſcere ſenſim cœpit Hæreſiarcha nomine Pelagius. Fuit hic natione Britannus, profeſſione monachus, conditione, naturaque vagus, inquietus, perſonatus, & fictus. Hæſit aliquandiu in Ægypti monaſteriis, poſtea Romam migravit, & aliquot annis inter Catholicos vixit, ſeque Catholicum finxit, paulatimque *hæreſeos virus*, larvam ſanctitatis indutus, eis inſtillavit. Hinc in Siciliam progreſſus omnem eam Inſulam, ſicut & Rhodum, Britanniamque patriam ſuam, Hieroſolymam, & Africam infecit. Adeo afabre ſuos dolare dolos novit, ut etiam S. Paulinum Nolanum Præſulem circumvenerit ejusque litteras ad Auguſtinum Hipponem in Africam detulerit, quibus Pelagium, tanquam virum ſanctum, Deoque amicum commendarat. Sed cum Auguſtinus Divini Spiritus gratia cognoviſſet, quid Pelagius hominis ſit? ejus mox in Africa errores connotavit, oppugnavit, & confutavit, quem calamo, ſcriptisque decennium tenuit, ſcripſitque adeo caute, & divine, ut videatur in aliis voluminibus à ſe conſcriptis reliquos ſcriptores vincere, ſed in libris adverſus Pelagium exaratis vincere ſemetipſum.

Dum hæc Auguſtinus Hippone in Africa adverſus Pelagianos gereret, Hieronymus Bethlehemii in Palæſtina rogatus à Cteſiphonte ut reſponderet quæſtioni, quam hujus hæreſis promulgatores proponere conſueverant, affirmantes: *Poſſe in homine non ipſa tantum vitia, ſed & affectus vitiorum, omnemque radicem peccati convelli, ut ne minimum quidem fontis in eo reliquum eſſet.* Id eſt: Poſſe hominem eſſe ſine peccato, & mandata DEI facile cuſtodire per ſolum liberum arbitrium, absque auxilio divinæ gratiæ: Præterea; *Infantem non baptizatum, morte præventum, non poſſe perire merito, quoniam ſine peccato naſcitur. Divitem non poſſe ingredi regnum DEI, niſi omnia ſua vendiderit*: & plura ſimilia deliramenta. S. Hieronymus quamvis ſcribendi provinciam ſibi delatam excuſabat, dictitans; non eſſe neceſſariam adverſus hos calamum ſtringere, cum eosdem S. Auguſtinus longe doctiſſime, atque eruditiſſimè cum ingenti ſui laude confutaſſet, ut legere eſt apud *Eundem Lib. 1.* contra *Julianum cap. 7.* atque ideo *Hieronymus Cteſiphonti Epiſt.* in *vet. cod. 15.* reſponderet his verbis: *Superſedendum huic labori cenſeo, nè dicatur mihi illud Horatii: In ſilvam nè ligna feras, ut enim eadem diceremus ex ſuperfluo foret, aut ſi nova voluerimus dicere, à clariſſimo Auguſtini ingenio ocu-*

cu-

cupata ſunt. Ex quibus liquet, quantum S. Hieronymus Sancto detulerit Auguſtino: ſed neque minus Sancto Hieronymo detulit S. Auguſtinus, utpote qui de eo loquens *Lib. 1.* contra *Julianum cap. 2.* circa finem ſic diſſerit: *Nec Sanctum Hieronymum, quia Presbyter fuit contemnendum arbitreris, qui Græco, & Latino, inſuper & Hebræo eruditus eloquio ex Occidentali ad Orientalem tranſiens Eccleſiam inſtar lampadis refulſit.*

VI. Poſt miſſam tamen ad Cteſiphontem reſponſoriam Epiſtolam Hieronymus elaboratis tribus Dialogorum ſub nominibus *Attici*, & *Critobali* Libris, in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 17. 18. & 19.* comprehenſis, omnes errores *Pelagianos* adeo ſapienter, & eloquenter oppugnavit, & confutavit, ut & Catholica veritas confirmata fuerit, & *populus ruinæ proximus* à lapſu retentus, & *multi jam lapſi* priſtino gradui ſint reſtituti. Qua confutatione licet Hieronymus taceat nomina Pelagii, & Cœleſtii, illius hæreſis præcipuorum Aſſertorum, patriæ tamen nomine eos deſignare videtur, dum in iisdem Libris Britanniæ tyrannorum fertilis, & Scotiæ meminit. Authores etiam, à quibus iidem Pelagiani errores dimanarent, in medium profert; dum eos de Schola Stoicorum deductos fuiſſe demonſtrat, atque primum introductos per Origenem, Evagrium Ponticum, Rufinum, & alios Origeniſtas. A Manichæis quoque acceptos eſſe, & à Priſcillianiſtis, quibus cum iidem hæretici fœdere jungerentur. Cum Joviniano quoque commune aliquid interceſſiſſe (dum ſcilicet diceret: *Eos, qui plena fide in baptiſmate renati eſſent, à diabolo poſſe ſubverti*) aperte demonſtrat.

VII. In cauſa porro hujuſce hæreſis habita eſt ad A. C. 415. (ut *Brietius lib. 5. cap. 2.* aſſerit) *Synodus Diaspoli*, cui interfuere Epiſcopi quatuordecim, atque inter cæteros Eulogius Cæſarienſis, & Joannes Hieroſolymitanus Antiſtites, in qua præſens Pelagius, poſtquam ſuas hæreſes ipſe damnaſſet, abſolutus eſt; ſed cum id doloſe feciſſet, ideo eum Conventum approbare renuit Innocentius Papa, & S. Hieronymus *Epiſt. 56.* ad Auguſtinum, & Alipium, *Miſerabilem Synodum* nuncupavit. Statim enim Pelagius, diſcipulique ejus Cœleſtius, & Julianus ad ingenium ſuum rediere hæreticorum more, qui nunquam pœnitentiam ſimulant, niſi ut facilius errores ſuos, ac tectius diſſeminare queant. Eapropter celebrata ſunt mox anno ſequenti, videlicet 416. bina Concilia, Carthaginenſe ſub Auguſtino Africæ, & Milevitanum ſub Silvano Numidiæ Primatibus, hoc 60, illud 77. Epiſcoporum, in quibus Pelagius, & Cœleſtius condemnati fuere, ut conſtat tum ex Synodalibus Epiſtolis per Julium Epiſcopum ad Innocentium Papam ſcriptis, quibus Actorum confirmationem petierunt; tum etiam ex aliis privatis litteris Epiſcoporum nomine ad eundem Pontificem exaratis; tum denique ex ipſius ad eos omnes reſponſionibus, quas cunctas reperire eſt *Tom. 1.* Epiſtolarum Romanorum Pontificum, quibus omnino & Acta Synodalia memoratus Papa confirmavit, Pelagiumque hæreticum cum ſociis declaravit, atque anathematizavit, erat enim acerrimus ſicut Pelagianorum, ita omnium hæreſum hoſtis Innocentius Papa, ut docet S. Hieronymus *Epiſt. 18.* Dum Pelagii Epiſtola pulſatam Virginem Demetriadem monet: fidem tenere Innocentii Romani Pontificis.

VIII. Mortuo autem A. C. 417. Innocentio Papæ ſubrogatus fuit Zozimus, ad quem mox Pelagius, eundem quoque fallere in animo habens, Litteras è Palæſtina dedit, quibus profiteretur ſe verum eſſe Catholicum;

cum: Cœleſtius autem ex condicto cum Pelagio inito Romam ſe contulit, adverſus Synodos contra ſuas propoſitiones habitas, & pie defunctum Innocentium Pontificem apud *Zozimum* quærelas depoſiturus. Quod vero non ignoraret, & ab ipſo Zozimo ſe fore damnandum, ſi, qualis eſſet detegeretur hæreticus, ea aſtutiæ, & doli arte concinnavit Scriptum pro ſua, ſuique Principalis Pelagii parte Libellum, ut licet in eo quoſdam ſuos expoſuerit errores, non poſſet tamen rejici. In uno namque loco ejuſdem Libelli poſuit hæc verba: *Si forte, ut hominibus, quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur.* Altero autem dicti libelli loco ſequentia: *Hæc eſt fides, quam ſemper tenuimus, in qua ſi minus peritè, aut parum cautè aliquid forte poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & ſedem tenes.* His perſuaſus Zozimus lenius cum iis, ſpe converſionis, agens, minime tamen adhuc à vinculo excommunicationis ſolvendos exiſtimavit; quantumvis eoſdem poſtea, ſiniſtre informatus, & proprie dolis Cœleſtii, aſtutiiſque circumventus, & deceptus, Catholicos veros, eorum vero accuſatores Calumniatores declaraverit: dans tamen ex ſuper abundanti, DEO inſpirante, Litteras ad Epiſcopos Africanos, ut ſi quid haberent contra hos, Romam mitterent, pro inſtaurando ibidem in cauſa ipſorum judicio, qui ab iis damnati olim ad Apoſtolicam Sedem recurriſſent. Subinfenſo quidem animo tulerunt Epiſcopi Africani admiſiſſe Zozimum ad audientiam Cœleſtium, quem manifeſta hæreſis infamaret; nihilominus congregata iterum A.C 418. Synodo Carthagine 217. Epiſcoporum, remipſam naviter agentes, non ſolum litteras ad Zozimum ſcripſere adverſus Pelagium, & Cœleſtium, verum & Paulini Diaconi concinnatum contra Cœleſtium miſere Libellum, quo & fraudes tam Pelagii, quam Cœleſtii patefactæ fuere, & capita omnia continebantur, de quibus ipſe Cœleſtius foret examinandus, pro ſe, ſuoque Principali reſponſurus. Quæ cum ipſi Cœleſtio punctatim ad reſpondendum, ſeque purgandum exhibita fuiſſent, cumque is, ſubodoratus futura ſubterfugiſſet damnare ſuas, & Pelagii errores eodem Libello contentos, Zozimi quoque Papæ ſententia iterum ambo, una cum ſociis damnati ſunt, atque anathematizati. Hæc ita acta fuiſſe manifeſtantur ex *Libro S. Auguſtini* de peccato originali *cap. 5. 6. 8. & 22.* Et ex *Lib. 2.* contra Epiſtolam *Pelagii cap. 3.* item ex *Epiſt. S. Auguſtini 157.* aliiſque quam pluribus Scripturis, & Scriptoribus.

IX. At non hæ præmiſſæ binæ tantum peſtes lento inficiebant tabo fideles in Occidente, & Oriente, ſed & Chiliaſtarum, ſive Millenariorum vetus error complurium mentes invaſerat, ut patet ex *S. Hieronymi Præfatione ad Libr. 18. in Iſaiam*, quem his temporibus præ manibus habebat. Quique Commentario in *Ezech. cap. 36.* affirmat: Ejuſdem ſententiæ aſſertorem fuiſſe Severum. *Admiratione planè dignum eſt* (inquit *Baronius* ad A. C. 411.) hominem S. Martini diſcipulum, Sanctique Paulini amicum intimum in ejuſmodi deliramentis inſaniſſe, poſtquam ea doctiſſimorum virorum ſententiis, & ſcriptis exploſa fuiſſent. Cæterum Millenarii, ſive Chiliaſtæ, ſic à voce *Græca Kilia*, quæ mille ſignificat, dicti ſub Adriano I. Imperatore, & Sixto I. Romano Pontifice, cum Cerintho, de beatitudine ultima hominis, & omnis actionis humanæ fine ſentientes, aſſerebant poſt reſurrectionem Chriſtum per mille annos regnaturum in terris, Sanctoſque cum Chriſto corporaliter victuros in deliciis, & voluptatibus corporis, epulando, generando eo modo, quo nunc in præſenti vita fieri conſtat. Cujus hæ-

hæreſeos à Cerintho primitus ortæ, primus defenſor creditur Papias Hieropolitanus Antiſtes circa A. C. 130. Ex quibus apparet adverſatos fuiſſe Millenarios Origeniſtis, qui nec cum humanis membris reſurrectionem futuram admittebant. Hinc cautius Sancto Hieronymo contra hanc hæreſim ſcribenti (ut ipſe *Præfat. Lib. 18. in Ezech.* teſtatur) incedendum fuit, ut media procedens via neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinaret: ne cum adverſus Origeniſtas adſtrueret in reſurrectione omnia in corpore fore membra, etiam uſum illorum more Millenariorum videretur aſſerere; & dum negaret aſſertum à Millenariis membrorum uſum, cum Origeniſtis concordare diceretur. Adeoque hæc omnia ex Sacris codicibus manifeſte falſa eſſe demonſtravit, dum Chriſtum Dominum, Judæis quibusdam, hac de re ſuſpicantibus, produxit *Matth. cap. 22.* dicentem: *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem DEI: in Reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli DEI in cælo.* Deinde Paulum Divinum Chriſti Præconem *ad Rom. cap. 14.* ſcribentem: *Non eſt enim Regnum DEI eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Ac tandem Angelum Gabrielem Virginem DEIparam ſalutantem, *futurum Chriſti regnum æternum Lucæ cap. 1.* annuntiantem his verbis: *Et regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Atque his ejusmodi Millenariorum inſanias ſapientiſſime refutavit eruditiſſimus Doctor Hieronymus, ita ut ubique rejectæ exaruerint penitus, neque poſthac, niſi deliri quidam iis fabulis traduci comperti fuêre.

X. Plures ſimiles ſectæ ad usque tempora S. Hieronymi contra Eccleſiam DEI, fidemque Apoſtolicam ſubortæ, quamvis conſopitæ authoritate Sanctorum Patrum, & Summorum Pontificum Decretis fuerint; in quorundam nihilominus malevolorum pectoribus hærentes repullulare cernebantur. Inter quos fuit una Montaniſtarum, quæ ſecundo Eccleſiæ ſæculo graſſari cœperat, ſic à Montano duce ſuo dicta, cujus aſſeclæ Montaniſtæ, immo & Cataphryges, aut, ut loquitur *S. Epiphanius Phrygaſtæ*, quia in Phrygia cum ſuo authore Montano primitus orti fuere, dicebantur. Hæreſis itaque hujus Author Montanus circa A. C. 181. prodiens, cum duabus mulierculis, Priſca videlicet, & Maximilla, quas Prophetiſſas ſuas dici volebat, dum ſe ipſum, teſte S. Auguſtino, Paracletum eſſe docebat, quasque mulierculas ita dementaverat, ut relictis viris ſuis, ſoli ipſi adhærerent Montano, & cujus inſpiratione Spiritum Propheticum ſe habere crederent, ſeque Prophetiſſas eſſe jactarent, & ſic multos alios ſimplices & imbellices ad ſuas pertraherent hæreſes, ac inſanias; quarum præcipua erat: *Quod ſibi, non vero Apoſtolis, cum Spiritu Sancto gratiarum plenitudinem infuſam eſſe* crederent, & docerent. Præterea idem Montanus ajebat: Per Moyſem, & Prophetas in veteri lege, & per Chriſtum in nova, *DEUM mundum ſalvare non potuiſſe, propthereaque, ut id tandem obtineret, Spiritum Sanctum à Chriſto promiſſum miſiſſe, qui in ſe, Priſcamque, & Maximillam fœminas deſcenderit*: *In Trinitate* propterea unam tantum ponebat perſonam: *Secundas nuptias immundas*, & tanquam adulteria reputabat: *tres* in anno ex præſcripto Quadrageſimas obſervari præcipiebat: Epiſcopos non primo loco, hoc eſt Apoſtolorum, ſed tertio ponebat: *Peccatorum Confeſſionem* nec faciebat, nec lapſos propterea homines ad pœnitentiam recipiebat. Hos errores contra Catholicam fidem graviſſimos Marcella vidua Romana vel diſſeminari Romæ inaudiens, vel in aliquo ſcripto legens, mox ad *S. Hierony-*

Digitized by Google

mum per Epiſtolam recurrit, petens ſibi ſignificari, quidnam de his ſentiret? Hieronymus zeloſiſſimus fidei Catholicæ aſſertor, quemadmodum univerſos omnium hæreſum ſibi cognitarum perſequebatur errores, ita præmiſſa etiam Montani noxia fidei Catholicæ mendacia refutavit, *Epiſt. 11.* ad *Marcellam* brevibus tamen, tum quia ad Matronam eruditiſſimam ſcriberet, tum quia Montani errorum perfidia tam clara eſſet, ut illos expoſuiſſe, etiam ſuperaſſe fuerit. Sub initium tamen Epiſtolæ in redargutionem hæreſeos expoſuit, quando in credentes deſcenderit Spiritus Sanctus; quam ſequentibus concludit: *Nec neceſſe eſt, ut ſingula deliramenta, quæ proferunt, brevior Epiſtola ſermo ſubvertat, cum & tu ipſas Scripturas apprime tenens, non tam ad eorum mota ſis quæſtiones, quam quid ſentirem, à me volueris ſciſcitari.* De hiſce *Montaniſtis Petrus Annatus* in Apparatu Theologiæ Poſitivæ *Lib. 7.* tit. *de Montaniſtis pag. 701.* ſic loquitur: „ Non à „ Spiritu Sancto, non à Spiritu veritatis, non à Spiritu gratiarum authore, ſed à Spiritu malevolo, perverſo, & mendacii patre, afflatos „ eſſe Prophetas illos Montaniſtas, „ nec eſſe à DEO miſſos, ſed de numero eorum, de quibus apud *Jeremiam cap. 23. ℣. 21.* Spiritus Sanctus „ ait: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Et quos Chriſtus „ *Matth. cap. 7. ℣. 15.* fugiendos monet dicens: *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos.* „ Si à fructibus cognoſcendi ſint, & „ ab exitu ſuo iſti Pſeudo-Prophetæ; „ quid de his fauſtum concludi poteſt? *Montanus* ſiquidem cum ſua „ *Maximilla* veſano ſuo agitatus Spiritu, ſe ipſum laqueo ſuſpendiſſe, „ & miſere *Judæ Iſcariotis* inſtar periiſſe dicitur. „ Et quamvis his, atque ſimilibus cum hæreticis altercationibus, & diſceptationibus *Hieronymus*, in Bethlehemitico monaſterio degens, occuparetur, attamen Sacras Litteras interpretatus ſuis Commentariis illuſtrabat. Adeoque partim tenebras, & nebulas, quas hæretici nebulones offundebant, diſſipabat: partim ſingulari ſua doctrina totam Romano-Catholicam Eccleſiam illuminabat.

CAPUT XIX.

Sancti Hieronymi fiducia in Deum, Spiritus Propheticus, & charitas erga proximum.

I. Quam raram erga DEUM fiduciam, ſummamque animi tranquillitatem Chriſtianæ lenitati, atque æquanimitati ſociatam *S. Hieronymus*, à quo Sanctioris vitæ inſtitutum aggreſſus eſt, in plurimis, iiſque graviſſimis adverſitatibus ſive à DEO, ſive ab infernali hoſte, ſive ab homine inflictis, habuerit, paſſim hucusque in præcedentibus inſinuatum eſt: prouti etiam, qualiter in his univerſis, omnibus modis vigilanti oculo ſuammet ipſius mentem circumſpexerit, ne contra mala ſibi ab homine illata protrahatur ad retributionem mali, dum neque indignitate eorum ſeſe commotum oſtendit, neque animum vindictæ cupidum prodidit, quin potius injurias omnes, opprobria cuncta, univerſaſque calumnias fortiter toleravit, atque ictus iſtos robuſtiſſimo manſuetudinis clypeo, ac vultu ad modeſtam hilaritatem compoſito excepit.

Digitized by Google

cepit. Vigilabat pariter diligenter ne tentamentis Angeli tenebrarum in Angelum lucis ſeſe ſæpius transformantis ſeducatur ad delectationem, vel conſenſum cujuſpiam delicti, vel ad exceſſum murmuris contra flagella DEI Omnipotentis. Ex quibus colligitur, geminæ ipſum patientiæ coronam meruiſſe, internæ ſcilicet, qua cunctas à Spiritu obtrectationis miſſas ærumnas hilari oblivione ſupportabat; & externæ, qua varias infirmitates corporales, & quidem ſemel duodecim integrorum menſium (ut ipſe *Epiſt.* 9. ad *Rufinum* eo tum adhuc amicum, & *Epiſt.* in *ver. cod.* 30. ad *Theophilum* ſcripta teſtatur) tolerabat. Ex flagrantiſſimo etenim DEI amore cunctas ſuſcipiebat tribulationes, & infirmitates, ſeque totum quantum divinæ committebat providentiæ, cum certò, deſtinatoque conſilio DEUM ſequendi per omnia, quidquid tandem evenerit, firmam ſpem, & fiduciam habens ſe ab Omnipotente ſicut flagellationis; ita & conſolationis datore nunquam derelictum iri. Atque ideo *vita ejus* (dicente *Eraſmo* in vita *S. Hieron.*) *nihil aliud fuerat, quam diuturnum, ac perpetuum Martyrium, continuis falſorum doctorum, & fratrum odiis, variiſque corporalibus infirmitatibus exercitata.*

II. Inter alias tribulationes, quas Hieronymus ſuſtinere cogebatur, non exigua fuit illa, quam in obitu amicorum ſuorum Pammachii, Fabiolæ, Bleſillæ, Paulæ, & Euſtochii, habuit, ut ipſemet de obitu *Paulæ Epiſt.* in *ver. cod.* 30. ad *Theophilum*, qua ſe de tardiori ſui Paſchalis libri in latinum ſermonem verſione excuſat, teſtatur: Ubi primò excuſationem ſuam his exponit verbis: *Ex eo tempore, quo Beatitudinis tuæ accepi Epiſtolas, juncto Paſchali libro, uſque in præſentem diem ita & mœrore luctus, & ſollicitudine, ac diverſis ſuper ſtatu Eccleſiæ hinc inde rumoribus exagitatus ſum, ut vix volumen tuum potuerim in latinum ſermonem vertere. Optime enim noſti juxta veterem ſententiam: non eſſe triſtem eloquentiam, maxime ſi ad ægritudinem animi, accedat corporis ægritudo. Et hanc ipſam Epiſtolam febre æſtuans, & quintum jam diem decumbens lectulo, nimia feſtinatione dictavi.* Et poſt pauca dolorem quoque ſuum exponit ſequentibus: *Unde obſecro te, ignoſcas tarditati etiam meæ. Ita enim ſanctæ, & Venerabilis Paulæ confectus ſum dormitione, ut abſque tranſlatione hujus libri, uſque in præſentiarum nihil aliud divini operis ſcripſerim. Perdidimus enim, ut ipſe noſti, repente ſolatium, quod (ut conſcientiæ noſtræ teſtis eſt Dominus) non ut proprias ducimus neceſſitates, ſed ut ſanctorum refrigeria, quibus illa ſollicitè ſerviebat.* Item in *Epitaphio Paulæ* ſub tit. *Epiſt.* 8. ad *Euſtochium*, ubi eundem animi ſui mærorem ſignificat hiſce verbis: *Hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas eodem, quem tu ſuſtines, dolore dictavi. Nam quotieſcunque ſtilum figere volui, & opus excarare promiſſum, toties obriguerunt digiti, cecidit manus, ſenſus elanguit. Unde & inculta oratio totum ſcribentis abſque ulla elegantia, & verborum lepore teſtatur.* Sed & Marcellæ viduæ Romanæ mortem, quæ paucis diebus poſt captam à Gothis Romam obierat, deploravit, ut videre eſt in Epitaphio, ſeu vita ejusdem ſub tit. *Epiſt.* 9. ad Principiam exarata: in qua ſub principium hæc leguntur; *Satis doleo, quod hortaris ſponte currentem, & me arbitraris indigere precibus, qui ne tibi quidem in ejus dilectione concedam, multoque plus accipiam, quam tribuam beneficii tantarum recordatione virtutum. Nam, ut hucuſque reticerem, & biennium præterirem ſilentio, non fuit diſſimulationis, ut male exiſtimas, ſed triſtitiæ incredibilis, quæ ita meum oppreſſit animum, ut melius judicarem tacere in præſentiarum, quam nihil dignum illius laudibus dicere.*

III. Sancti hujus viri verba in præcitatis Epiſtolis recitata dolore ſunt ple-

plena; nihilominus in hoc dolore ſuo ita ſe geſſit, ut nihil abjecte, nihil timide, nihil ignave, nihilque ſerviliter, aut muliebriter egerit, ingemuit quidem viriliter, ſed communis recordatus fati, toleravit patienter; ſeque pariter mortis futuram victimam mente revolvens, amicis ſuis precibus, Sermonibus funebribus, vitæ deſcriptione, & Epitaphiis potius, quam lachrymis parentavit. Ex pluribus his placet hic unam producere Paulæ parentationem. Obierat hæc, ut *Brietius* Analium Mundi *lib.* 5. *cap.* 1. notat: A. C. 404. poſtquam in ſancto propoſito Romæ annis quinque, Bethlehemi vero annis viginti perſeveraſſet, ætatis ſuæ anno 56. cum menſibus 8. ac diebus 21. nacta laudatorem, quo meliorem nec Alexander Magnus optare potuit *S. Hieronymum.* Qui in fine Epitaphii, vel potius vitæ ejusdem ſub tit. *Epiſt.* 8. ad *Euſtochium* hæc ſcribit: *Vale ô Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva. Fides, & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis.* Idem Sanctus vir, ejusdem Sanctæ mulieris tumulo *Epitaphiale* quoque inſcribi fecit *Mnemoſynon*, ut ipſe *Epiſt. citata* teſtatur, dum dicit: *Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla deſtruere poſſit vetuſtas. Incidi elogium ſepulchro tuo, quod huic volumini ſubditi, ut quocunque noſter ſermo pervenerit, te laudatam, te in Bethlehem conditam lector agnoſcat.*

Sequitur titulus ſepulchri.

Scipio quam genuit, Pauli fudêre
parentes,
Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc jacet tumulo; Paulam dixêre priores;
Euſtochii genitrix, Romani prima
ſenatûs,
Pauperiem Chriſti, & Bethlehemitica rura ſecuta eſt.

In fronte ſpeluncæ.

Aſpicis anguſtum præciſa rupe ſepulchrum?
Hoſpitium Paulæ eſt, cœleſtia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam, patriamque relinquens,
Divitias, ſobolem, Bethlemiti conditur antro.
Hic præſepe tuum Chriſte, atque hic myſtica Magi,
Munera portantes hominique, Deoque dedêre.

IV. De hac ſancta muliere ſcribit idem *S. Hieronymus Epiſt. cit.* ad *Euſtochium* ſequentia: *In ea crederes fontes lachrymarum: ita levia peccata plangebat, ut eam graviſſimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos ſervaret Evangelicæ lectioni, ajebat: Turpanda eſt facies, quam contra DEI præceptum purpuriſſo, ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxi: affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis, longus riſus perpeti compeſcendus eſt fletu.* Sanctam Paulam præceſſit ad æternitatem filia Bleſilla, ſed quo anno? non notatur. Sororem autem, & Matrem ſecuta eſt Euſtochium Virgo Anno 15. ab obitu matris Paulæ, qua cum viginti annis piiſſime vixit, multum *S. Hieronym.*, à quo in vitæ pie traducendæ ratione inſtituta fuit, obligata: ſed tantundem, ſi non plus Paulæ, quæ bis mater ejus fuit, corpore videlicet, & animo melius. Quantum porro *S. Hieronymus* ex obitu harum mœrorem animi habuerit, ſed multo majorem ex æmulorum obtrectationibus, quaſi ipſe obituum ejusmodi eſſet cauſa, utpote qui virgines, & mulieres ad nimium rigorem, & inediam ſuis ſcriptis induceret, indicavit *Epiſt.* in *vet. cod.* 116. ad Paulam, qua eam ſuper filiæ ſuæ Bleſillæ dormitione conſolatur, dicens: *Teſtor mea Paula Jeſum, quem Bleſilla nunc ſequitur, teſtor Sanctos Angelos.*

Digitized by Google

los, quorum conſortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris; patrem eſſe ſpiritu, nutritium charitate, & interdum dicere: Pereat dies illa, in qua natus ſum. Et, Heu mihi pater! ut quid genuiſti me virum, qui dicerer diſcrimen omnis terræ.

V. Præter amicorum amiſſionem, & præter alias ſupra memoratas tribulationes, binas ingentes, & commiſeratione dignas ſuſtinere eſt coactus S. Hieronymus adverſitates, in quibus firma ſpe, & conſtanti fiducia erga Deum, atque charitate ſuavi erga proximum eum uti neceſſum fuit. Quantum attinet adverſitatem unam, ea fuit ex caſu, quem *Baronius ad A. C.* 395. refert. Cum videlicet gens *Hunnorum* à Rufino, ſub Theodoſio Imperatore, Conſule ordinario, & Prætorii Præfecto invidiæ facibus contra *Stiliconem* Militiæ Magiſtrum, & memorati Theodoſii Imperatoris filiorum Protectorem accenſo ad Aſiæ cladem (ut *Claudianus lib. 1.* notat, teſtaturque *Sozomenus lib. 8. cap. 8.* evocata, in Armeniam irruit, ac nonnullas Orientis Imperii regiones devaſtavit. De qua gente expreſſius *S. Hieronymus Epiſt.* in *vet. cod.* 115. ad *Heliodorum*, & *Epiſt. in vet. cod.* 120. ad *Oceanum*, tunc Hieroſolymis exiſtens ſcribit: *Ab ultima Meotide inter glacialem Tanaim, & Maſſagetarum immanes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent, erupiſſe Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc, illucque volitantia, & famam celeritate vincentia cædis pariter, ac terroris cuncta compleverunt, tanta crudelitate uſa, ut vaſtatâ omni propemodum Ægypto non Religioni, non dignitatibus, non ætati parcentia, non vagientis miſerantia infantiæ, adeoque & monachos omnes pæne trucidaverint; innumerabilem mortalium multitudinem captivam obduxerint, tantumque humani ſanguinis fuderint, ut & flumina redundarint. Et quoniam ſuam continuo proſequebantur victoriam, in Syriam quoque pervenerunt, ipſamque Antiochiam, aliaſque plurimas urbes obſederunt, atque cœperunt, & ſimul Sanctæ Hieroſolymitanæ Urbi, univerſæ Palæſtinæ, & Phœniciæ ſollicitum, horrendumque timorem incuſſerunt: ut merito indoluerit Claudianus, Imperium Romanum tanto quæſitum, ſervatumque ſanguine, quod mille Ducum perperiſſent labores, quod tot annis contextum fuiſſet, unius inertis proditoris anguſto tempore ſubverſum eſſe.* Tantus itaque pavor Hieroſolymitanis, & ſimul Palæſtinis univerſis incuſſus eſt timor, ut omnes Peregrini, & Hoſpites, Nativique incolæ, & cum eis Fabiola Romanarum matronarum nobiliſſima (de qua *S. Hieronymus Epiſt.* in *vet. cod.* 120. ad Oceanum fuſius agit) vitæ ſuæ conſulere debuerint, Hieroſolymaque diceſſerint. Ad inopinatam hanc, ſimulque lugubrem famam dum S. Hieronymus multos civium Palæſtinæ, qui adhuc remanſerant, fugam celeriorem apparare cerneret, ipſeque de ea meditaretur, antequam tamen ſe ad hanc capiendam reſolveret, ingenti cum fiducia (atteſtante *Ribadeneira* in vita *S. Hieron.*) Deum acceſſit, ipſumque ferventiſſimis precibus, inter lachrymarum profuſionem exorabat, usque dum barbaros hos à Terra ſancta divinitus averſos retroceſſiſſe intellexit, certiorque de eorum receſſu effectus, ſeipſum, Hieroſolymitanosque concives fuga ſtitit, pavoremque, ac metum providentia divina ſedatum explicuit.

VI. Alterius adverſitatis cauſa pariformis quaſi fuit. Quemadmodum enim Hunni per Aſiam crudeliter, ut paulò ante dictum eſt, graſſabantur, ita quoque Gothi Europæum orbem multis cladibus afficiebant. Hi primo (ut *Claudianus lib. 1.* contra Rufinum refert) circa A. C. 395. palabundi diſcurrentes ad Adriaticum usque mare pervenerunt, & in Græcia conſederunt; Sed & eò

Digitized by Google

progreſſus eſt ipſorum furor, ut devaſtantes Thracias, auſi quoque fuerint Conſtantinopolim obſiderę. Qui deinde ſenſim, & ſenſim variis felicioribus ſucceſſibus animati, ſuaſu Stiliconis, Belliducis Imperatorii militis peritiſſimi quidem, ſed hominis perfidi (quia Imperium Romanum in filium ſuum Eucherium, eo quod Honorius Imperator hærede caruiſſet, transferre nitebatur) exciti, Vandaliſque, Suevis, Alanis, atque Burgundionibus juncti magnis motibus occidentem univerſum concuſſere. Diviſi expoſt Vandali cum Suevis, & Alanis Gallias, atque Hiſpanias occupârunt. Gothi autem Duce Alarico, Stiliconis perſuaſione, in Epiro agebant Romanis ſtipendiis militantes, quaſi in Orientale Imperium pro Honorio auxiliaria arma laturi. Sed cùm dilatata fuiſſet ſtipendiorum ſolutio, diſtentique fuiſſent, quo minus in orientem progrederentur, in Illyricum omnia vaſtantes (ut Hieronymus Epiſt. in *vet. cod.* 115. ad Heliodorum ſcribit) tranſgreſſi ſunt, depoſcentes exinde per Legatos ſtipendium. Sed cum Legati abſque favorabili reſponſo rediiſſent, Alaricus Dux excandeſcens, nihilque ſibi à Stilicone, qui proditione reus capite jam minutus fuerat, metuens collecto in Epiro, Dalmatia, Liburnia, & Pannonia exercitu per Alpes Julias Italiam petiit, ſtatuens, Romam caput Imperii impetere, aut ſaltem terrere, vel, ſi fortuna faverit, etiam occupare. Hac vice tamen, multo auro à Romanis appenſo, obſidionem Urbs ſolvit, & cum Honorio pacem inire ſtatuit. Attamen cum Honorius utriusque militiæ Præfecturam denegaret Alarico, qui eam vehementer optabat, iterum obſidetur, & capitur Roma divitiiſque ſpoliata fuit. Hac occaſione Alaricus Romanos coëgit, ut in Imperatorem eligerent Priſcum Attalum, tum Urbis Præfectum: quo facto mox Attalus Alaricum, & Valentem Duces militiæ dixit; Conſulem vero gentilem ſuum Tertullum, omnes Arianos, ipſe Arianus. Aſt cum Attalus plus augurum reſponſis, quam Alarici conſiliis tribueret, & per conſequens omnia imprudenter ageret, iratus Alaricus hominem purpura ſpoliat, eamque Honorio mittit, atque ſic Alaricus arbiter Imperii viſus, cujus ex voluntate poſiti, depoſitique Imperatores penderent. Egregie in hanc rem *Oroſius lib. 7. c. 22.* inquit: *In eo* (Attalo, qui rurſum poſt aliquod tempus opera Alarici Imperium recuperaverat, atque iterum amiſerat) *Alaricum Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto, citius his omnibus factis pœne quam dictis, mimum riſiſſe, & ludum ſpectaſſe Imperii.*

VII. Tantarum cladium pertæſus Alaricus ſtabilem cum Honorio pacem inire molitur, ſed hanc Sarus Hunnorum Dux, Honorio tum militans, perfide interturbat. Hic namque cum militibus ſuis in Alaricum minus cautum irruens, magnam inter Gothos ſtragem edidit. Iratus Alaricus Honorio, quaſi hujus cladis authori, ad obſidendam iterum Romam, eamque occupandam reditum parat. Dumque conjunctus Fratri ſuo Attaulpho, qui exercitum ex Gothis recenter conſcriptum adduxerat, progrederetur, è monacho quodam obviam facto modeſte admonetur: *Nec ex tam atrocibus maleficiis, neve ex cæde, & ſanguine lætitiam caperet.* Reſpondiſſe fertur: *Ego invito plane animo Romam proficiſcor: ſed eſt quidam, qui mihi quotidie exhibet moleſtiam, immo vere vi impellit, ſicque me alloquitur: Iter capeſſito, Urbem Romam vaſtato.* Ecquis novit conſilia Domini, cur ſæpe urbes, & totas Provincias in rudera conjiciat? Dudum ſubinde promerita, tarde flagella proveniunt, ſed graviora. Igitur Alaricus Romam obſeſſam fame potius, quam ferro do-

Digitized by Google

domat, occupat, & deprædatur A.C. (ut *Spondanus* notat) 410.

VIII. Ex tanto Urbis naufragio multi Romani ſe ſubduxere, & in varias orbis partes abiere, præter eos, quos aut barbaricus gladius, dira fames, aut exilia ſuſtulere. Denique quemadmodum ex latepatente Imperii Romani ſolo à *Gothis*, *Vandalis*, *Suevis*, *Alanis*, & *Burgundionibus* direpto, exiguum quid Imperatoribus remanſit, ita ex capite ejusdem Imperii magna Urbe Roma, Domina gentium, factum eſt buſtum, atque ingens deſertum. Adeo nihil ſub ſole perennat, & ſæpe ad apicem fidelitatis conſcendiſſe, eſt ruiſſe. Cladem hanc Romanæ Urbis Sanctus Hieronymus dudum, dum videlicet Commentarium in Danielem Prophetam concinnaſſet, fatorum præſcius ſpiritu prophetico prædixerat, & quamvis plurimi improbi, ſignanter Hieronymi adverſarii eum eapropter calumniari non deſtiterint, attamen poſtquam rem eventu comprobatam advertiſſent, indoluerunt, ipſique calumniatores *S. Hieronymi* propheticum Spiritum admirati, prudentiamque Sancti Doctoris venerati ſunt. Super quibus ipſemet *Præfatione in Ezechielem* ita diſſerit: *Neque ſic adulandum eſt Principibus, ut Sacrarum Scripturarum veritas negligatur: nec generalis diſputatio unius perſonæ injuria eſt, quæ cum benigno meo ſtudio caveretur, DEI judicio repente ſublata eſt, ut & amicorum in me ſtudia, & æmulorum inſidiæ monſtrarentur.*

IX. Cæterum dum Roma, ut præmiſſum eſt, à barbaris præmemoratis occupata, vaſtata, ſpoliataque fuiſſet, Romani cives quaquaverſum fugientes, plurimi eorum Hieroſolymas uſque pervenerunt, ſeque apud S. Hieronymum in Bethlehem inſinuarunt; qui multam charitatis exercendæ materiam adeptus, eos, quam humaniſſimè potuit, ſuſcipiebat, eumque miſerationis affectum, quem tanta poſtulabat calamitas, exhibebat. Quantam porro (bone Deus!) miſerorum, & oppreſſorum horum curam geſſerit verus hic Chriſti diſcipulus: quam ſollicitè alios commonuit, ut ſupremi Judicis intuitu miſeris his non denegetur auxilium: quam prompte pro viribus ipſe ſuppeditavit; & licet ob facultatum temporalium inopiam Chriſto in erogandis eleemoſynis miniſtrare ex voto haud potuerit, ſummum tamen charitatis affectum erga univerſos hos pauperes, & afflictos mirifice declaravit. Noverat enim quam optime, quod, qui viſcera, id eſt: compaſſionem ſuam non claudit à proximo indigentiam patiente, qui, ſi poſſet, vellet ſubvenire, ſufficiat Domino cor intuenti ſi ſola voluntas adſit, qui & ipſam pro facto reputat voluntatem. De his idem S. Vir *Epiſt. 34.* ad *Euſtochium*, qua deplorat Romæ Urbis calamitatem, & eorum, qui ex Urbe pauperes ad ſe veniebant egeſtatem, ſic ſcribit: *Vera ſententia eſt: Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt.* Et alibi: *Nihil eſt enim opere, & manufactum, quod non conficiat, & conſumat vetuſtas. Quis crederet, ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipſa ſuis populis & mater fieret, & ſepulchrum, ut tota Orientis, Ægypti, Africæ litora olim dominatricis Urbis, ſervorum, & ancillarum numero complerentur, ut quotidie ſancta Bethlehem nobiles quondam utriusque ſexûs, atque omnibus divitiis affluentes ſuſciperet mendicantes? Quibus quoniam opem ferre non poſſumus, condolemus, & lachrymas lachrymis jungimus: occupatique ſancti operis ſarcina, dum ſine gemitu confluentes videre non patimur, explanationes in Ezechiel, & pænè omne ſtudium omiſimus, Scripturarumque cupimus verba in opera vertere, & non dicere ſancta, ſed facere.* Ingens certe cordolium de capta urbe Romana, Romanorumque interitu Sanctum Hieronymum habuiſſe conſtat,

 non

Digitized by Google

non ſolum ex prædeclaratis *citatæ Epiſtolæ* verbis, verum etiam ex *Præfatione lib. 1. in Ezech.* cujus Commentaria perficienda ad inſtantiam Euſtochii reaſſumpſerat, ubi ſic loquitur: *In Ezechielem tranſire cupiebam, ecce ſubito mors Pammachii, atque Marcellæ, Romanæ Urbis obſidio, multorumque fratrum, ac ſororum dormitio nuntiata eſt.* Et paulo poſt inquit: *Poſtquam clariſſimum terrarum omnium lumen extinctum eſt, immo Romani Imperii truncatum caput, & , ut veriùs dicam: in una urbe totus orbis interiit, obmutui, & humilitatus ſum.*

CAPUT XX.

Sancti Hieronymi aſſiduum ſtudium, & Scriptio.

I. Eſto *S. Hieronymus* flagrantiſſimo orandi ſtudio DEUM, charitatiſque affectu proximum proſequeretur, animum tamen ſuum in ſtudio Sacrarum Scripturarum, conſcriptioneque librorum, ac Epiſtolarum nunquam deponebat. Inter quæ negotia reſpondebat etiam innumeris quaſi Epiſtolis ex toto Chriſtiano orbe ad ipſum ab Epiſcopis, atque Præſulibus, varia ei dubia ex Sacro Codice proponentibus; item ab aliis perſonis Principibus, eum, quemadmodum DEO perfectius famulari poſſent, conſulentibus, perſcriptis. Admirabile certo viſu fuit, qualiter omnes ad S. Hieronymum, veluti ad oraculum cœleſte confugerent, quamque is laborioſe univerſis reſponderet. Nam præter eos, qui de *Syria*, *Palæſtina*, *Ægypto*, totoque *Oriente* ipſum conſultabant, etiam ex *Italia* ad eum ſcriptitabant Pammachius, Oceanus, Heliodorus, Chromatius, multique alii, atque ex his, ut *cap. 8.* relatum eſt, Magiſter, & Paſtor totius Eccleſiæ S. Damaſus Papa. Item ex Gallia S. Paulinus Epiſcopus, Exuperius, Minerius, & Alexander: Ruſticus monachus, Hedibias, & Algaſia, qui ex ultimis Galliæ oris Tabellarium usque Bethlehem diſtinarunt, quo ſecurius pro enodandis difficilioribus ſcripturæ Quæſtionibus reſponſum obtinerent. Præterea ex Germania miſſi ſunt ad eum Sunia, & Fretella, ut varias ab eo Pſalmorum verſiones conſequerentur. Ex Hiſpania ſcripſit ad eum Ebigius, & Lucinius. Ex Pannonia Caſtrutius, Stridone ex Dalmatia Julianus Diaconus. Ex ipſa Boætia miſſus eſt quidam, qui ſciſcitaretur ex eo, an jejunandum foret Sabbatum, & Dominico corpori communicandum omni die Dominico? In Reſponſoriis porro ſuis Epiſtolis Hieronymum Ethicam etiam particularem, & ſingulis hominum ſtatibus adæquatam minutim, ſolerter, acute & eleganter conſcripſiſſe tradit Cornelius à Lap. in Prolegomenis in *Eccleſiaſt. cap. 5.* Dum dicit ipſum Officia virginis aureis gnomis deſcripſiſſe *Epiſt. 17.* ad Euſtochium: & *Epiſt. 18.* ad Demetriadem. Conjugis *Epiſt. 20.* ad Celanciam. Viduæ *Epiſt. 19.* ad Furiam, & Salvinam. Clerici, & Sacerdotis *Epiſt. 12.* ad Nepotianum. Monachi *Epiſt. 1.* ad Heliodorum *Epiſt. 4.* ad Ruſticum *Epiſt. 13.* ad Paulinum. Pueri, & Adoleſcentis *Epiſt. 7.* ad Lætam, & *Epiſt. 12.* ad Gaudentium.

II. Poſthumianus ſolvens Narbona in Africam ad inviſendum S. Cypriani tumulum, inde Alexandriam appulit, hinc dein Hieroſolymam peregrinatus viſitandorum causa Sacrorum locorum Chriſti pedibus calcatorum, Bethlehemum quoque pervenit,

Digitized by Google

venit, ubi ſex menſibus apud Hieronymum permanſit, ac rurſum Alexandriam repetens, inde ad ſuperioris Thebaidis perluſtrandæ monaſteria conceſſit. Hæc *Baronius* apud *Spondanum* ad A. C. 399. Peregrinationem hanc Poſthumiani deſcripſit ex relatione ipſiusmet Peregrinantis *Severus Sulpitius Dialog. 1. cap. 4.* habeturque apud *Caſſianum* in *Libro Collationum.* Et quia multa de ſtudio, ac Scriptione *S. Hieronymi* hic commemorantur, non abs re duxi ea de verbo ad verbum referre. *Hinc peregrinatus ſum in Bethlehem, quæ à Jeruſalem 6. milliaribus diſtat: Eccleſia autem, quam Hieronymus hic regebat, 16. diſtat à civitate Alexandriæ: Parochia ejusdem loci ſpectat ad Epiſcopum, qui ſuam ſedem Epiſcopalem habet in Jeruſalem. Sanctus Hieronymus autem fuerat jam mihi pro priori, à primo meo itinere, optimè notus, & ex eo deſiderabam vel maxime ad ipſum pervenire. Nam ille eſt vir, qui juxta excellentiam ſuæ fidei, & juxta omnigenas pulchras virtutes non ſolum in latino, & græco, verum etiam in hebraico idiomate tam bene expertus eſt, quod ipſi in omnibus ſcientiis nemo æqualis reputari poſſit, vel audeat. Sex menſibus apud eum permanſi. Siquidem autem ipſe ſtabiliter contra impios bellabat, atque ſcribebat, ingens odium ipſe ſibi conciliavit. Et ut veritatem fatear, multorum ille peccata in ſuis libris aperte objecit, nec quidquam perrepere ſivit, quod non arripuiſſet, terminaſſet, & per pectinem ferreum purgare niſus fuiſſet: ſignanter autem avaritiam, & vanitatem ſerio perſequebatur. Multa ille ſcripſit contra ſuperbiam, & non minus de variis ſuperſtitionibus, ſignanter de familiaritate virginum, & monachorum, aliorumque virorum, ac religioſorum: quam vere, quam ſerio ſcripſit, in comperto eſt: propterea tamen exiguum amorem promeritus eſt. Oderunt ipſum hæretici, quia contra ipſos pugnabat: oderunt ipſum religioſi, quia ipſis peccata eorum ſub naſum exprobrabat. Econtra pii homines admirantur ipſum, & amant. Illi vero, qui ipſum hæreticum æſtimant, non ſunt ſanæ mentis. Ego audeo dicere: quod Catholica ſcientia hujus hominis ſit vera, & ſaniſſima doctrina: ille nihil aliud agit, verum tantum legit, continuusque libris inhæret: neque diu, neque noctu quieſcit, ſed ſemper vel legit, vel ſcribit. Et niſi antea mecum pro certo ſtatuiſſem (ut Deus novit) & promiſiſſem, quod ſim in Deſertum peregrinaturus, profecto nec unius acûs latitudine ab hoc homine abiviſſem. Idcirco omnia mea eidem tradidi, & commendavi, & poſtquam me ab amicis, & conſanguineis, qui me eo usque contra velle meum ſequebantur, abſolviſſem, atque ab hac anxietate liberatus fuiſſem, iterum reverſus ſum Alexandriam.* Hæc citatus *Severus Sulpitius.*

III. Sed quisnam hic *Severus Sulpitius* fuerit? dubium eſt inter Scriptores. Ego Arbitrum eorum agere nolo, ſed refero duntaxat declarationem *Rosweidi*, qui cum *Baronio* ad A. C. 394. & 430. hunc *Severum Sulpitium*, qui Dialogos conſcripſit, fuiſſe monachum Primuliacenſem tradit. Hic ex nobiliſſimo cive Romano, ſæculo renuntians, adhæſit Sancto Martino Turonenſi, cujus & vitam deſcripſit: in ſenectute dein à *Pelagianis* deceptus, ipſis ſe adjunxit, ſed poſtea reſipiſcens, ſuumque errorem agnoſcens perpetui ſilentii pœnitentiam ſibimetipſi impoſuit: conſequenter alius fuiſſe debuit ab Epiſcopo Bituricenſi, qui pari nomine *Severus Sulpitius*, ſed cognomento Pius compellabatur: eumque longe poſtea regnante in Francia Guntheramno vixiſſe teſtatur *Gregorius Turonenſis lib. 7. Hiſt. cap. 21. & 29.* probaturque Actis Concilii ſecundi Matiſconenſis A. C. 588. habiti, cui ipſe interfuiſſe notatur. Præterea exiſtimant nonnulli ipſummet Severum Sulpitium memoratorum Dialogorum Scriptorem ſupra deſcriptam peregrinationem egiſſe, atque apud Hieronymum ſex menſium moram traxiſſe,

Digitized by Google

ex eo forte, opinor ego, quod præmiſſum Dialogum in ſua deſcripſerit perſona. Contra quos *Rosweidus* ad vitam *S. Hieron. Nota* 2. hæc habet: *Errat Reatinus Victorius in vita S. Hieronymi, dum putat Severum Sulpitium itineratum fuiſſe in Ægypto, ubi tamen ille non proprium, ſed Poſthumiani deſcribit iter.* Alii putant iter hoc peregiſſe Severum Sulpitium Epiſcopum Bituricenſem, eumque apud Hieronymum ſex menſibus hoſpitaſſe. Sed hoc vix fieri potuiſſe colligitur tum ex annis, quibus fatus Epiſcopus vixit, & quibus Hieronymus defunctus eſt, ab obitu etenim *S. Hieronymi*, usque ad Concilium ſecundum Matiſconenſe, cui Sulpitius Epiſcopus interfuiſſe legitur, intercesſerunt anni 68. tum ex paulo ante citatis verbis Rosweidi contra Reatinum Victorium, judicarem ego Poſthumianum iter ſuum Severo Sulpitio mediante Epiſtola ſignificaſſe, qui dein in ſuis Dialogis iter Poſthumiani deſcribere volens, pro majori robore, & fide ipſam eandem Epiſtolam in perſona Poſthumiani ſcriptam inſeruit, quæ ſucceſſu temporis inter ſcriptores dubium movit de perſona Peregrinantis. Sed de hoc ut ut ſit, nobis ſufficit ex relatione præmemorati itineris elicuiſſe ſufficiens aſſidui *S. Hieronymi* ſtudii, & continuæ ſcriptionis teſtimonium.

IV. Admirandum plane eſſe cenſet *Ribadeneira* in vita *S. Hieron.* quod Sanctiſſimus, ſimul & ſapientiſſimus Vir Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis, illud inclytum Eccleſiæ jubar, usque adeo ex Africa ſuos ad S. Hieronymum (ut *cap.* 17. memini) mittebat libros, ipſiusque ſubmittebat cenſuræ; eique quæſtiones etiam difficillimas, quas ipſe vel nequibat, vel minus fidebat enodare, ſolvendas proponebat; & cumprimis illam *de origine animæ.* Siquidem autem ipſemet, propter loci diſtantiam, atque animarum, quam gerebat, curam proficiſci ad diſcendum in Bethlehem non poterat, miſit ad eum primo Profuturum (qui tamen morte præventus eo non pervenit) deinde Paulum Oroſium, & Alipium, ut id audirent ex Hieronymo, quod Auguſtinus modeſtiæ cauſa ſe ſcire negabat. In Epiſtola quoque, quæ in *vet. cod.* habetur ſub *Num.* 111. ad S. Hieronymum data, ex deſiderio ipſum conveniendi in hæc prorupit verba: *Tantæ mihi in litteris tuis, quæ in manus noſtras venire potuerunt, apparent res, ut nihil ſtudiorum meorum mallem, ſi poſſem, quam inhærere lateri tuo. Quod ego quoniam non poſſum, in Domino aliquem filiorum noſtrorum erudiendum ad te mittere cogito, ſi etiam de hac re tua reſcripta meruero, nam neque in me tantum ſcientia divinarum Scripturarum eſt, aut eſſe jam poterit, quantum ineſſe tibi video.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus liquet, quanti ille æſtimaverit Sanctum Hieronymum.

V. Sed præter hunc, aliosque prius relatos, & nominatos, tot erant, qui ſuis *S. Hieronymum* conveniebant, & fatigabant litteris, ut ipſe vir ſanctus his ad *Paulinum Epiſt.* 10. uti coactus eſt verbis: *Et navigandi tempore tanta à me ſimul Epiſtolæ flagitantur, ut ſi cuncta ad ſingulos velim ſcribere, occurrere nequeam. Unde accidit, ut omiſſa compoſitione verborum, & ſcribentium ſollicitudine, dictem quidquid in buccam venerit.* Eapropter ſex alebat in Bethlehem Amanuenſes, quibus, vel Epiſtolas dictabat, vel quæcunque ipſe ſanctus vir ſcripſiſſet, illi deſcriberent, ac per ipſum Principalem perlecta, ac ſubſcripta expedirent. Illud porro non immerito quemlibet admiratione defigat, quod cum S. Doctor ad diverſas perſonas ſcripſerit, *Papas, Epiſcopos, Monachos, Clericos, Dynaſtas, Dominos, Milites, Virgines, Conjugatos, Viduos,* ac *Viduas,* ita tamen ſcriptionem temperaverit, ſeque ſingulorum ſtatui accommodaverit, & ſimul calami ſubtilitatem,

at-

Digitized by Google

atque decorem ſervaverit, ac ſi nunquam quidquam aliud egiſſet, legiſſet, didiciſſetque: quod quamvis in aliis quoque Sanctis viris eluceat, in nullo tamen melius, quam in Sancto Hieronymo, quem ſingulariter DEUS elegerat in ſingularem totius Magiſtrum, Doctoremque mundi.

CAPUT XXI.

Sancti Hieronymi Sacræ Scripturæ in idioma latinum verſio, & Humilitas.

I. SIcut ex præcedentibus, ita ex ſubſequentibus quoque, qui modo dicta diligentius perpendere voluerit, quilibet intelligere poterit, & advertere negotia S. Hieronymi ejusmodi fuiſſe, ut quemvis, etiam Gigantem robuſtum, frangere potuiſſent. Sanctus vir nihilominus fuit adeo magnanimus, & generoſus, ut hæc onera, aliis intolerabilia, ipſi levia planè viderentur. Et quantumvis princeps labor ejus, potiſſimusque cogitatus erat: Meditatio in lege Domini, divinorumque myſteriorum contemplatio, attamen diu, noctuque totus erat in revolvendis, iisque intelligendis, & interpretandis Sacris litteris, atque ex uno idiomate in aliud convertendis; ut Eccleſiam Catholicam eo theſauro, quem nunc poſſidet, ditaret, eidemque pro poſſe opitularetur. Erant ea tempeſtate Novi Teſtamenti multæ verſiones Latinæ, Veteris autem quaſi innumerabiles, teſtibus Sanctis Auguſtino, & Hieronymo dicentibus: *Apud latinos tot ſunt exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio ſuo addidit, vel ſubtraxit.* Cum autem tanta fuerit verſionum diverſitas, Sacra porro Scriptura ſit Cœli lumen, quo Mater Eccleſia pignora ſua illuminat; panis, quo eadem ſuſtentat, & alit; columna, qua fidei ædificium fortiſſime fulcitur: DEUS pro ſua clementia ſingulariter elegit inter omnes Eccleſiæ Doctores Sanctum Hieronymum, ut in hoc tanti momenti opere ſuum laborem navaret, ignorantiæ nebulas enubilaret, & canalibus, per quos aqua ſalutis derivatur, emundatis clarius nobis hoc ipſum lumen redderet, atque eandem Sacram Scripturam nitidiorem, magisque defæcatam ad animarum noſtrarum ſolatium, ac recreationem infunderet.

II. Ut autem opus hoc tam grave commodius in effectum deducere quiret *S. Hieronymus*, duris à DEO flagellis (quorum *cap.* 7. mentionem habuimus) vapulavit, quod Sacras Litteras omitteret, & in eorum vicem *Tullium*, vel *Cicerorem* lectitaret. Dein inſpiravit ei, ut quam diligentiſſimam navaret operam litteris *Græcis*, *Hebræis*, & *Chaldæis*, omniaque *Palæſtinæ* loca obiret, ut melius id, quod Divino in Codice illic operatum fuiſſe refertur, intelligeret. Accendit cor ejus inſatiabili ſiti ſciendi, & hanc ob cauſam Provincias varias peragrandi, diſcendique apud notæ doctrinæ, ſcientiæque viros, hisque ſe diſcipuli inſtar ſubmittendi: idque ex eo tantum, ut Sacras Litteras intimè intelligeret, & ſucceſſu temporis dilucidaret. Tanta porro quoque humilitate, modeſtiaque vultum ipſius, totiusque corporis ſimetriam adauxit, ut ipſe vir Sanctus his ſemetipſum verbis *Epiſt.* in *vet. cod.* 141. ad *Abigaum*, deſcribat: *Quamvis mihi multorum conſcius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar: Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, tamen ſciens ſcriptum*

eſſe ab Apoſtolo: DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, nihil ita à pueritia conatus ſum vitare, quam mentem, animum, & cervicem erectam, DEI contra ſe odium provocantem. Novi enim Magiſtrum, & Dominum, & DEUM meum in carnis humilitate didiciſſe: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Item *Epiſt.* 13. ad *Dominionem*, & *Rogationem* idem Sanctus Doctor humilitatem ſuam exprimere videtur his verbis: *Fateor enim mi Domnion, & Rogatione chariſſimi, nunquam me in Divinis Voluminibus propriis viribus crediſiſſe, nec habuiſſe opinionem meam, ſed ea etiam, de quibus ſcire me arbitrabar, interrogare me ſolitum, quanto magis de iis ſuper quibus anceps eram.*

III. His præmiſſis jam ad verſionem *Sacræ Scripturæ* accedamus. Sacram ſcripturam, ſeu *Sacras Litteras*, ſeu *Divina Volumina*, aut *Divinos Codices* Veteris Teſtamenti primum Hebraico idiomate conſcriptos, ducentis quinquaginta annis ante Chriſtum (ut *Cornelius à Lap.* in Encomio ſacræ ſcripturæ *Tomo* 1. *pag.* 15. narrat) Ptolomæus Philadelphus, filius Ptolomæi Lagi, qui fratri ſuo Alexandro Magno in Ægypti regno ſucceſſerat, juſſit Eleazarum Judæorum, ſeu Hebræorum Pontificem ſenos è qualibet Hebræorum tribu doctiſſimos, puta LXX. Interpretes ſeligere, qui Vetus teſtamentum ex hebræo in græcum ſermonem transferrent. Quibus adſtitit Deus, ut 70. diebus ſumma omnium conſenſione rem confecerint, & in easdem non tantum ſententias, ſed & verba convenerint: idque ſi *Juſtino*, *Cyrillo*, *Clementi Alexandrino*, & *Auguſtino* credimus, cum quisque ſeorſim diverſa cellula ſuam verſionem cuderet. Philadelphus deinde hanc LXX. Interpretum verſionem per Demetrium Bibliothecæ Alexandrinæ Præfectum, una cum hebræis Exemplaribus, in ſua Bibliotheca reponi, & ſtudioſe ſervari curavit. Sane *Tertullianus in Apologia* illam ibidem ad ſua usque tempora aſſervatam fuiſſe teſtatur. Volebat utique Deus per tot centenos annos, inter tot bellorum, & regnorum turbines tam ſartum tectum ſervare, ut hæc gentibus græcis, & per eos latinis, nobis dico, noſtrisque viris in Theologia eruditis conſignari, & per omnes Orbis partes, Academias, & Urbes diſtribui valeat. Secundus poſt LXX. Sacræ Scripturæ ex Hebræo interpres, teſte *Epiphanio*, fuit Aquila Ponticus, qui duodecimo Adriani Imperatoris anno Scripturam Hebræorum in Græcum idioma vertit, ſed quia à Chriſtianis ad Judæos deſcivit non ſatis tuta eſt ejus fides. Huic majori fide ſucceſſit tertius *Theodotion*, ex *Marcionita* licet proſelytus Judæus, imperante Commodo, cujus verſionem in *Daniele* recepit, & ſequitur Eccleſia. Quartus ſub *Severo* Imperatore fuit Symmachus primum Ebionita, deinde Judæus. Quintus fuit *Anonymus*, cujus verſio in doliis quibusdam Urbis *Hiericho* Anno 7. *Caracallæ*, qui *Severo* patri ſucceſſit, reperta eſt. Sextus pariter *Anonymus*, cujus verſio Nicopoli ſimiliter in doliis inventa eſt, *Alexandro Mammeæ* filio imperante. Hæ duæ vulgo quinta, & ſexta editio indigitantur. Has omnes collegit *Origenes*, indeque *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla* digeſſit: rurſum LXX. Interpretum vitiatam verſionem correxit, atque ita probe, ut ab omnibus communis habita ſit, & hæc ejus editio Origenis verſio compellata eſt. Quod vero antiquam LXX. Interpretum translationem ita concinnaſſet Origenes, ut ubicunque LXX. plus dixiſſent, quam haberetur in hebræo, obelos poneret; ubi vero minus, ex *Theodotione* adderet præfixis aſteriſcis: hanc ipſius operam non ſolum commendavit ſæpius *Hieronymus*, ut *Præfatione* in *Pentateuchum*: item *Lib.* 2. *Apologiæ* adverſus *Rufinum*, & Commentario in Epiſt. *Pauli ad Titum*

cap.

Digitized by Google

cap. 3. Sed & ipſe ſecutus eſt exemplum, dum eandem LXX. Interpretum editionem vertit in Latinum ſermonem, ut apparet *Epiſt.* 13. ad Domnionem, & Rogationum. Ex quibus apparet, quam perperam quidam *Gelaſius* de LXX. Interpretibus ſcribens, dicat Hieronymum queſtum fuiſſe de Origine, quod eo tempore non tam correxerit, quam corruperit LXX. Interpretum translationem.

IV. Cum autem poſtmodum ob triplicem LXX. Interpretum editionem, videlicet (ut refert *S. Hieronymus Præfatione* in Librum *Paralipomenon*, & *Præfatione* in Librum 16. *in Iſaiam*) iſtam Origenis, & quæ deinceps ſubſecutæ ſunt, Luciani Martyris nimirum, qui ſub Diocletiano novam editionem ex hebræo in græcum molitus eſt, & *Hiſichii*, non leves inter Eccleſias conflarentur ſeditiones; his, & aliis rationibus, maximè autem juſſu Damaſi Papæ permotus Hieronymus, *Latinæ Eccleſiæ ſol*, humanis, divinisque armatus ſcientiis, idiomatibusque latino, græco, hebræo, Syro, & Chaldæo inſtructus, cum primis autem Domini ſpiritu indutus, divinæque gloriæ zelo accenſus, ac Eccleſiæ propagandæ, propugnandæque ſtudio inflammatus, opus aggreſſus eſt nemini antea, vel poſtea tentatum, & ſic primo Vetus Teſtamentum ex hebræo in Latinum convertit. Cujus inſtituti ſui rationem coactus eſt ſæpius adverſus obtrectatores Apologia contra Rufinum, Præfatione in Librum *Pſalmorum*, & alibi, rationem reddere. Cumque, & alii plerique, ut habetur apud Auguſtinum *lib.* 2. De Doctr. Chriſtiana *cap.* 11. ante ipſum Græcas editiones LXX. Interpretum in latinum transtuliſſent inter quas *Itala* (ut tradit *Auguſt. loc. cit. cap.* 15. nempe Romana cæteris præſtabat) ſic occidentalis Eccleſia Novam accepit, atteſtante *Auguſtino Lib.* 18. de Civit. DEI. *cap.* 48. & *Iſidoro Lib.* 6. Etymol. *cap.* 6. editionem à *S. Hieronymo* ex hebræo elaboratam, ut tamen & antiquiorem illam ex Græco LXX. Interpretum retineret, ut notat *Eucherius in Lib. Reg.* & *Gregorius Lib.* 5. Moral. *cap.* 20. & 23. ſub appellatione Veteris, indita Hieronymianæ nuncupatione Novæ. Sed rurſum poſt Gregorii Papæ tempora (quoto vero potiſſimum anno, quove authore incertum remanet) ad tollendas diſſenſiones, quas ejusmodi diverſitatis cauſa oriri contingeret in Officiis divinis, una ex illis duabus conflata eſt, quæ uſui eſſet cunctis Eccleſiis, & communis ab omnibus, ac Vulgata uno nomine diceretur, eadem ipſa, qua hodie Romana Eccleſia utitur: licet non eadem ſit ratio omnium, qui in ea continentur, librorum, quod alii illam LXX. Interpretum, alii verſionem Hieronymi ex hebræo magis ſequantur. *Cornelius à Lap.* in Encomio Sacræ Scripturæ *Tom.* 1. *pag.* 9. de verſione *S. Hieronymi* ſic diſſerit: „ Inter latinos porro „ primus jure cenſeatur *S. Hieronymus*, „ ſui ævi Phœnix, qui adeo totus hic „ excubavit, ut in hiſce litteris ad „ extremam caniciem conſenuerit, „ atque ex hebræo latinam Biblio- „ rum verſionem conſignarit Eccle- „ ſiæ: quæ proinde eum in expo- „ nendis Sacris Scripturis Docto- „ rem maximum indigitat. Celebre „ quoque eſt illud *S. Hieronymi*: *Di-* „ *ſcamus in terris, quorum ſcientia no-* „ *biſcum perſeveret in cœlis.* Et: *Sic* „ *ſtudeamus, tanquam ſemper victuri;* „ *ſic vivamus, tanquam ſemper morituri.* „ Hac de cauſa ipſe Hebræas, ut Ca- „ to græcas, litteras in ſenectute „ perdidicit; hac de cauſa Bethle- „ hem, & loca ſancta adiit; hac de „ cauſa veteres omnes græcos, lati- „ nosque commentarios, teſte S. Au- „ guſtino legerat, quorum plerosque „ ipſe, quos ſecuturus ſit, omnium „ fere commentariorum ſuorum pro-

Digitized by Google

„ logis præmittit, & graviter incuſare „ ſolet eos, qui abſque DEI gratia, „ & doctrina majorum, ſcientiam ſibi „ vendicant Scripturarum. „ Et poſtmodum *loco cit. pag. 15.* ſubjungit: „ Cujus verſionem jam à mille, & „ aliquot centenis annis vulgatam, „ paucis demptis, publice ſequitur, „ & probat Eccleſia. „

V. Convertit quoque Pſalmos Davidicos, qui eidem ſacro Codici inſerti ſunt, non tantummodo bis in latinum, ſemel ex hebræo, iterumque ex græco, ſed etiam bis emendavit editionem latinam veterem. Præterea volumina Prophetarum ex LXX. vertit in latinum, ſed quia aliqua non habebantur in LXX. quæ habebantur in hebræis libris, ideo iterum novam ex hebræo verſionem fecit. Et quia ei propterea Obtrectatores hunc objiciebant laborem, quaſi inanem, eis reſpondit: *Qui detrahunt noſtræ translationi, videant ſcripturam, de qua Evangeliſta hoc teſtimonium ſumpſerit, & interpretatus eſt de Domino Salvatore, quando de Ægypto reductus eſt in terram Iſraël, & cum invenire non quiverint, deſinent rugare frontem, adducere ſupercilium, criſpare nares, digitis concrepare.* Hæc *Cornel. à Lap.* Commentario in *Oſeæ cap.* 11. *℣.* 2. qui eſt: *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

VI. Novum quoque Teſtamentum diligenter correxit ab erroribus, & mendis, quibus Amanuenſium imperitia ſcatebat. De hoc *S. Hieronymi* opere *Spondanus* ad A. C. 233. ſic diſſerit. „ Quod vero pertinet ad „ Editionem *Latinam Novi Teſtamenti*, „ eam, quæ antiquitus extabat, ab „ eodem Hieronymo juſſu Damaſi „ Papæ ad Græcos Codices emenda„ tam eſſe, ipſe teſtatur Præfatione „ in Evang. ad Damaſum Papam „ *Epiſt.* 123. Et quam ipſe correxit, „ eandem illam eſſe, qua nunc Eccle„ ſia utitur, plurimorum eſt ſenten„ tia, quorum & longe potiora ſunt „ jura, quam eorum, qui contradi„ cunt. Sed de hoc alii, ut *Bellarminus Controverſia* de Verbo Dei *lib.* 2. „ & *Sixtus Senen. lib.* 8. & alii ante „ eos pluribus. Certe, quod à non„ nullis objicitur: De humili, & im„ polito ejus ſtylo, qui minime *Hie„ ronymo* conveniat; vel hac ipſa ra„ tione probatur, eam eſſe *Hieronymi*; „ ſiquidem quod non novam ipſe cu„ deret, ſed veterem emendaret edi„ tionem, illa ipſa verba rudia, ſim„ plicemque dicendi ſtylum ne in mi„ nimo quidem mutare voluit, ubi „ verba, atque ſententiæ à Græco „ (ut ait) non diſſentirent: hanc „ enim & in aliis obſervaſſe ſe con„ ſuetudinem, ſæpe idem *Hieronymus* „ *Commentarii* in *Ezechielem cap.* 40. & „ 47. declarat. „ De ſtylo porro Sacræ Scripturæ *Cornelius à Lap.* in Prolegomenis *in Eccleſiaſticum cap.* 6. ſic loquitur: „ Stylus Sacræ Scriptu„ ræ tam Conſcriptorum, quam In„ terpretum Græcorum, æque ac „ Latinorum planus eſt, ſimplex, can„ didus, non involutus, non fucatus, „ non ornatus. Quare in Interprete „ Latino veritati, & ſimplicitati ſtu„ denti phraſis neglecta, ſubinde eſt „ incultior, & inelegantior, adeo, ut „ barbariſmos, & ſolæciſmos admit„ tat. Idem videre eſt in Latina ver„ ſione Novi Teſtamenti, & Pſal„ morum, quam emendans *S. Hiero„ nymus* tantum detulit venerandæ „ antiquitati, ut phraſim hanc muta„ re, & Latiniorem reddere ſibi reli„ gioni duxerit. Quare eam inta„ ctam reliquit, malens canæ veritati „ & verſioni, quam proprietati ſer„ monis, & candori orationis curam, „ tempuſque impendere: Sententia„ rum enim gravitas verborum leno„ cinia reſpuit. Idem fecit ſubinde „ in propria verſione, quando Scri„ pturam Hebraicam in Latinum con„ vertit. Audi illum *Comment.* in *cap.* „ 40. *Ezechielis* loquentem: *Illud ſæ„ pius monuiſſe ſufficiat, noſſe me, cubi„ tum,*

Digitized by Google

„tum, & cubita neutrali appellari gene„re: ſed pro ſimplicitate, & facilitate „intelligentiæ, vulgique conſuetudine po„nere & genere maſculino. Non enim „curæ nobis eſt vitare ſermonum vitia, „ſed Scripturæ Sacræ obſcuritatem qui„buscunque verbis diſſerere. Idipſum „inquit in cap. 47. Ezechielis. „

VII. Fuit porro S. Hieronymi verſio adeo ſecura, perfectaque, ut in lucem edita mox à plurimis Eccleſiis, ac tandem ab univerſali, ut dictum eſt, acceptaretur. De hac S. Auguſt. lib. de Civ. DEI cap. 18. ſic differit: *Non defuit temporibus noſtris Hieronymus Presbyter, homo doctiſſimus, & trium linguarum peritiſſimus; qui non ex græco ſed ex Hebræo in latinum divinas Scripturas convertit: cujus tantum litterarum laborem etiam hebræi fatentur eſſe veracem.* Huic ſubſcribens Gregorius Moral. lib. 11. ſic loquitur. *Nova Hieronymi tranſlatio ex hebræo nobis eloquio cuncta verius transfudiſſe perhibetur: propterea credendum eſt, quidquid in ea dicitur; & oportet, ut verba illius, noſtra expoſitio ſubtilius rimetur.* Hic accedit S. Iſidorus inquiens. *Solus Hieronymus Presbyter traduxit ex hebræo in latinum Sacras Scripturas, omnesque Eccleſiæ ejus utuntur verſione, quod & verior ſit in ſententiis, & clarior in verbis: atque ex eo tempore Interpretes Sacræ Scripturæ acceperunt S. Hieronymi verſionem tanquam regulam, ad quam dirigerentur.* Neque tantum particulares Doctores, ſed etiam omnis Eccleſia Catholica omnem ejus Vulgatam probavit editionem, ejusque authoritate utitur ad fidei dogmata confirmanda. Hinc utitur quoque in ſcholis, in cathedris, in controverſiis adverſus hæreticos, & in ipſis conciliis ad fidei diſputationes dirimendas. Atque hæc editio Vulgata eſt ipſiſſima, quam S. Hieronymus concinnavit, quemadmodum pereruditè probat Bellarminus Tom. 1. lib. 2. de verbo DEI cap. 9. Et Alphonſus Salmeron Tom. 6. Prolegom. 3. item Caſſianus de Incarnatione Verbi cap. 1. & 61. contra Neſtorium. Ac tandem præter alios Concilium Tridentinum Seſſ. 4. Ex quibus patet, quantæ Sanctus hic Doctor fuerit, & etiamnum ſit authoritatis, in Eccleſia Catholica, utpote, quæ hanc S. Hieronymi editionem approbavit, alias vero quascunque refutavit.

VIII. Quemadmodum autem S. Hieronymus ſacram ſcripturam latino reddidit idiomati, ſic etiam expoſuit, & explanavit, tam præſtanter, tamque utiliter, quod Eccleſiæ totius calculo in exponendis ſacris ſcripturis Doctoris maximi titulô adhuc vivens ſit condecoratus. Unde Joannes Caſſianus eorum temporum ſcriptor, ait: *Hieronymus Catholicorum Magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum quaſi lampades rutilant.* Item S. Proſper, qui paulo poſt Caſſianum floruit, Libro de ingratitudine in Hieronymi laudem hos appoſuit verſus.

Hebræo ſimul, & Grajo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, Mundique Magiſter.

Deinde Caſſiodorus Lect. de Divina Juſtitia cap. 2. dicit: *In Bethlehem Hieronymum otioſum habitâſſe non arbitror, niſi ut in terra illa miraculorum ad inſtar ſolis ejus quoque ab oriente lampadaret eloquium.* Verum non in interpretationibus, ſeu expoſitionibus ſacrarum Litterarum tantum ea fuit S. Hieronymi authoritas, ſed in reſiduis quoque rebus ſemper ei hanc, eamque maximam impertiit Eccleſia: ut liquet ex Decreto Gelaſii Pontificis in Concilio Romano Diſtinct. 15. cap. Sancta Romana. Absque omni ergo dubio Dominus, qui hunc ſanctum virum ſibi delegit in hoc Opus adeo grande, eidem quoque de talentis omnibus proſpexit, quæ ad id conſumandum requirebantur; at in his uni-

verſis vel maximè neceſſaria erat divina lux, qua ejus intellectus ad perſpicienda Myſteria ſacris Litteris contenta colluſtraretur, regereturque ejus calamus ad erudendos opulentiſſimos theſauros in obſcura ſacrorum Codicum fovea concluſos: „Ne tamen in ejusdem legendis „Commentariis quis erret, unum „alterumve oportet, ut advertat, inquit *Cornelius à Lap. Proœmio in Prophetas.* „Solet namque S. Hieronymus litteralem ſenſum primo paucis perſtringere, uti ab hebræis „eum accepit: in quibus, ſi quid „falſum putat, rejicere continuo ſolet, quod autem non rejicit, probat. Deinde ad Allegoriam, & „Tropologiam tranſit, & fuſius „evagatur, uti & alii Patres, „qui ſæpe Litteralem omittunt, „eo quod elegantior, & pientior eis videatur Allegoria, aut „Tropologia, quodque Chriſtum in „omnibus quærant, qui fructus, & „ſcopus eſt Sacræ Scripturæ. Solet „præterea *S. Hieronymus* aliorum tantum ſententias referre: unde ſingulorum Librorum, quos expoſuit „Proœmiis, Origenem, Apollinarem, „Didymum, alioſque quos ſecutus „eſt, recenſet; hinc eorum etiam „errores ſubinde adfert, nec rejicit, „quaſi relator, non judex, judicium „Lectori relinquens. Sic ipſe ſe „contra Rufinum errores Origenis, „Apollinaris, & aliorum ei objectantem, purgat. Videat ergo non „oſcitans Lector, quos Proœmio „quoque ſe ſecuturum ſpondeat *Hieronymus*, & ſi quid falſi deinde afferat, illi tribuat, non Hieronymo.„ Hæc *Cornel. à Lap. loc. cit.*

IX. Ne ſuæ quoque patriæ in monaſterio Bethlehemitico conſtitutus S. Hieronymus defuiſſe videatur, poſtquam ſacram ſcripturam ex hebræo, & græco ſermone in latinum transtuliſſet, eandem in Illyricum quoque, ſeu Slavicum idioma traduxit, ut *Dubravius* Hiſtoriæ Bohemicæ *lib. 1.* ubi de origine nationis Slavonicæ agit, teſtatur his verbis: *Ex hac gente* (Illyrica videlicet, ſeu Slavonica) *Divus Hieronymus prognatus ſuis popularibus Vetus Teſtamentum ſermone vernaculo interpretatus eſt, Gratiano, & Theodoſio Imperium adminiſtrantibus: illaque interpretatione in hanc uſque diem Illyrii tum in hymnis divinis, tum in ſacrificiis utuntur.* Idipſum ſcribit *Orbinus* in Hiſt. Regni Slavor. *pag.* 173. Cui adſtipulatur Philippus Bergomenſis in ſupplemento Chronicor. ad A. C. 429. Qui addit S. Hieronymum etiam litteras Slavonicas, ſeu Illyricas adinveniſſe. Idipſum refert Antonius Vramecz in Poſtilla Sanctor. *serm. de S. Hieron.* Item *Szentivanius Dec.* 1. *Synopſi* 7. §. 10. Et *Piachevich in Geographia Slavoniæ*, cum *Rittero* in Chron. ad A. C. 429. Quibus accedit *Valvaſorius lib. 6. cap.* 1. refertque binos characteres Illyricos typo expreſſatos. E contra *Diocleas*, & *Marulus* in Hiſtoria Regni *Slavorum* ſcribunt: *Conſtantinum Philoſophum*, & civem *Theſſalonicenſem* inventorem Litterarum *Slavonicarum* extitiſſe, eumque *Slavicis* populis Chriſti fidem prædicaſſe, Sacroſque Libros in *Slavicum* idioma vertiſſe. Sed alii Scriptores, inter quos cenſetur apud *Bombardium par. 3. cap. 3. num.* 2. quidam Papebrochius, hæc omnia Cyrillo, & Methodio, ſupradicti Conſtantini Philoſophi filiis attribuunt. Contra quos inſurgit *Joannes Lucius* in Notis ad Hiſtoriam Presbyteri Diocleatis ſententiam ejusdem, & Maruli propugnans, dicitque *Num.* 5. non Cyrillum, ſed Conſtantinum Philoſophum fuiſſe inventorem Litterarum Slavicarum, atque in ſuæ propugnationis robur producit *Epiſtolam* 245. Joannis Papæ VIII. ejusdem Cyrilli coævi, Szuetopluco ſcriptam, in qua hæc leguntur: *Litteras Slavonicas à Conſtantino quodam Philoſopho repertas, quibus DEO Laudes debitæ reſonant, jure laudamus.* Atque ideo

ideo *Conſtantinum* hunc *Lucius loc. cit. Theſſalonicæ* degentem, & cum proximis Slavis converſantem, eis baptiſmum prædicaſſe, Characteres dediſſe, Sacramque Scripturam in idioma Slavonicum vertiſſe, ea deinde filios ſuos Cyrillum, & Methodium uſos fuiſſe: cumque Scriptores ab ipſis iisdem fratribus latè per Europam Slavicas nationes ad fidem Chriſti converſas cognoviſſent, ipſis etiam eos omnia, Conſtantini patris nomine obliterato, tribuiſſe concludit. conſequenter & hic videtur excludere *S. Hieronymum* à verſione Sacrorum Bibliorum in idioma *Slavonicum*.

X. Lucio, utpote viro eruditiſſimo, & Illyricarum, ſeu Slavonicarum rerum Inveſtigatori accuratiſſimo lubens, quantum attinet ſacræ ſcripturæ verſionem, ſubſcriberem, niſi me tantorum ſupracitatorum, graviſſimorum virorum authoritas contrarium ſentire ſuaderet. Hinc Dubravii, aliorumque ſententiæ adhæreo, nixus plurimum authoritate Sixti Senenſis, qui Bibliothecæ Sanctæ *lib. 4. pag. 453.* expreſſe declarat S. Hieronymum omnino ſacram ſcripturam in Idioma ſuum transtuliſſe, his verbis: *Transtulit quoque Hieronymus, ut ipſemet Epiſtola ad Sophronium teſtatur, univerſum totius Divinæ ſcripturæ corpus in Dalmaticam linguam, ad utilitatem nationis ſuæ gentium: quæ uſque in hanc diem hujus translationis lectione, ſumma cum veneratione utuntur.* Epiſtola porro (de qua *Sixtus Senenſis* mentionem facit) ad *Sophronium* à *S. Hieronymo* ſcripta, atque in *Vet. Cod.* ſub *num. 43.* contenta, in qua idem S. Doctor de Translatione Sacrorum Codicum diſſerit, continet hæc verba: *Quorum translationem, diligentiſſimè emendatam, olim mea lingua hominibus dedi.* Sed præter hanc Epiſtolam S. Hieronymi ad Sophronium, eſt & alia ejuſdem in *Vet. Cod.* ſub *num. 41.* ad Rufinum ſcripta, in qua contra maledicta ſibi à Rufino objecta, inter reliqua ſic reſpondet: *Tu latinas ſcripturas de græco emendabis, & aliud Eccleſiis trades legendum, quam quod ſemel ab Apoſtolis ſuſceperunt? mihi non licebit poſt LXX. editionem, quam diligentiſſimè emendatam mea lingua hominibus dedi, ad confundendos judæos, etiam ipſa exemplaria vertere, quæ ipſi veriſſima confitentur? ut ſi adverſum eos Chriſtianis diſputatio eſſet, non habeant ſubterfugiendi diverticula, ſed ſuomet potiſſimùm mucrone feriantur.* Ex utraque hac *Epiſtola* per ly *Mea lingua hominibus dedi*, apparet S. Hieronymum ſuæ Slavo-Dalmaticæ, ſeu Dalmato-Slavonicæ nationi Sacram Scripturam in Dalmatico, ſeu Slavonico idiomate porrexiſſe. Neque tamen eapropter nego idipſum Conſtantinum Philoſophum præſtare quiviſſe, vel præſtitiſſe, præſertim cum inter plurimorum funeſtiſſimorum bellorum, gentilitatis etiam, variarumque hæreſum, & multorum Schiſmatum turbines (quibus ipſi Illyrici populi, id eſt *Dalmatæ, Croatæ, & Slavi*, jam fidem Catholicam amplectentes, jam ab ea, ut *Schönleben* Annal. Carniol. pluribus in locis notat, deflectentes, quandoque Gentilium, quandoque Schiſmaticorum ritibus adhærentes, involuti fuere) Verſio *S. Hieronymi* manuſcripta (iis namque temporibus necdum libri typis edebantur, ut plura unius Codicis exemplaria haberi potuiſſent) deperdi, vel potius à malevolis ſupprimi, aut corrumpi, depravarique valuerint: conſequenter Conſtantinum Philoſophum de novo Sacræ Scripturæ verſionem, ſi deperdita S. Hieronymi fuit, in Illyricum cudere, vel ex Hieronymi depravatam corrigere, & emendare, ac huic verſioni ſuam Novi Teſtamenti (*Dubravius* namque de verſione Veteris Teſtamenti duntaxat loquitur, quantumvis alii nullam diſtinctionem interponentes, verſionem totius Sacræ Scripturæ attribuunt *S. Hieronymo*, ut ſupracitatus *Sixtus Senenſis*) addere,

Digitized by Google

te, atque ex taliter correcta, ac emendata, additaque *Sacrorum Myſteriorum* Libros, ad normam *Eccleſiæ Romanæ* edere quiviſſe non diffiteor. Hac deinde verſione, vel emendatione Sacræ Scripturæ, prouti & editis Sacris divinorum Myſteriorum libris filios *Conſtantini Cyrillum*, & *Methodum* ſuæ inter *Slavicas nationes* peregrinationis, & Evangelicæ prædicationis tempore, nomine parentis Conſtantini in oblivionem deveniente, uſos fuiſſe, eosque ubique apud viros Eccleſiaſticos, & Religioſos pro futuris temporibus, & Eccleſiarum, quas fundaverant, aut renovaverant neceſſitate reliquiſſe pariter affirmare potius, quam negare paratus ſum, ipſa experientia edoctus, quod hodiedum ſive hos, ſive alios ab Hieronymo editos libros Sacerdotes Slavonicæ nationis, ſignanter in Iſtria, Liburnia, Dalmatia, Croatia maritima, Boſna, Albania, partibusque adjacentibus, in quibus plerique idiomate *Slavonico* (quod vetuſtis temporibus ab univerſa *Slavoniorum gente* practicabatur) ex antiquiſſimo Sacræ Romanæ ſedis, ſignanter Pontificum *Nicolai I. Adriani II. Joannis VIII.* & *Clementis VI.* approbatione Divina Officia, peragunt, in uſu habeant. Si cui cupido fuerit plura de his ſciendi, *Marsem*; & *Mercurium Moravicum*, item *Balbinum*, vel maxime autem Manuſcriptum Rationale Divinorum Officiorum *Guilielmi Rurandi* in Viennenſi Aulica Bibliotheca aſſervatum, cui pulcherrima præmittitur Præfatio, in qua de tribus linguis, quibus in Eccleſia Catholica Sacrificium Miſſæ celebrari conceſſum eſt, nempe Latinâ, Græcâ, & Slavonicâ, diſſertatio legitur Teſte *Bombardio loc. cit.*

XI. Quantum attinet Characteres Illyricos, ſeu Slavonicos, *P. Samuel Timon* in Imag. Novæ Hung. *pag.* 291. negat *Litteras Slavonicas* à *S. Hieronymo* inventas, & inſtitutas. Sed confutatur optimorum Scriptorum infra citandorum authoritate. Eas duplices eſſe *Aubertus Miræus* Politiæ Eccleſiaſticæ *lib. 1. cap.* 42. notat, easque nominat Ruthenicas, ſeu Moſcoviticas, quia modernis temporibus plerumque apud hos populos in uſu habentur, ſuntque græcis multum ſimiles. Alios characteres dicit eſſe Slavonicos, & Dalmaticos, qui prioribus figura ſunt longe diſſimiles, habenturque in uſu in Breviariis, ac Miſſalibus Myſtarum Slavonico idiomate Sacra Miſſæ Sacrificia peragentium. *Szentivanius Dec. 1. par. 3. Synopſi. 7. §. 10.* tradit, Litterarum Illyricarum unius formæ inventorem eſſe *S. Hieronymum*, alterius vero *S. Cyrillum*. Idem aſſerit *Piacbevicbius* in Geograph. *Regni Slav. loco cit.* Sed & celebris ille, eruditusque in Hiſtoria Slavica vir *Ritterus*, aliter *Vitezovich* in Chron. ad A. C. 429. ſcribit: Sanctum Hieronymum eſſe authorem ſcripturæ Glagoliticæ: eamque in ſermone materno ipſum inſtituiſſe, ait *Vramecz* in Poſtilla Sanctor. quibus ſubſcribunt: *Philippus Bergomenſis*, ad A. C. à *Rittero* citatus. Neque contrariari videtur *Lucius loc. cit.* dicens: *Immo unum ex duobus Alphabetis Slavonicis Bukviczam dictum Divo Hieronymo, alterum vero Kiurulicɀam ipſi Cyrillo tribuunt Authores, à Kiurul nomine Slavo, quod Cyrillum latine ſonat denominatum: forte à Conſtantino Philoſopho excogitatum, à S. Cyrillo vero productum.* Ex horum itaque teſtimoniis patet S. Hieronymum fuiſſe omnino unius formæ characterum Slavicorum inventorem. *Franciſcus Kaɀy* in ſua Hiſt. Hungariæ ad *A. C.* 1622. *pag.* 204. ſequentia ſcribit: *Sub tempus Comitiorum Sopronienſium Carolus Caraffa Nuntius Apoſtolicus formas Cyrillicarum litterarum, quas alii Glagoliticas dicunt, à Cæſare efflagitavit, Romamque eo conſilio trajecit, ut Libri, quibus adhuc Dalmatæ, aliaque gentes Slavoniæ in ſacris utebantur, ad exemplum earum, quas Pontifices Maximi caſti-*

ſtigarunt, ederentur. Huc ipſe Ferdinandus II. ſpectabat, qui Hungariæ Regnum adeptus, quo gentem ſibi Slavonicam jam obnoxiam (potius titulo unionis ad Coronam Hungariæ fideliter obtemperantem) beneficio arctius obſtringeret, formas illas ſuis ſumptibus fieri curavit, & Græcii interea depoſuit, dum in Illyrico, Turcarum jugo oppreſſo, aliqua rerum in melius commutatio fieret. Hæc *Kazius*. Hujus tamen eximii, & eruditiſſimi viri bona venia auſim dicere: Non bene. Sed forte, & probabiliter per inadvertentiam, viris etiam eruditis, dum pluribus intenti ſunt, quandoque accidentalem, quandoque etiam neceſſariam, Duplices namque eſſe Illyricorum characteres, & ex paulo ante relatis, & ipſa experientia conſtat; priores quidem fuere S. Hieronymi, poſteriores vero S. Cyrilli Slavorum cum Methodio Apoſtoli. Cyrillianis hodiedum in ſupramemoratis Regnis, ſignanter autem Boſna, & Moſcovia utuntur gentes Slavonicæ pure in ſcribendo, appellantque Cſuruliczam, derivatione facta à nomine S. Cyrilli. Hieronymianis vero utitur in imprimendo, quibus & Breviaria, & Miſſalia Romæ, Sacra Congregatio Propagandæ fidei pro ſupramemoratis Slavonicis Presbyteris imprimi curat: illæque ad imitationem Græcorum per aliquam nomenclaturam partim ſignificativam, partim nihil ſignificativam exprimuntur: E. g. in *Græco*: *Alpha*, *Bitta*, *Gamma*, *Delta* &c. ita in Slavonico: *Az*, *Buk*, *Vede*, *Glagola* &c. Eapropter Alphabetum hoc Hieronymianum paſſim compellatur vel à ſecunda littera *B. Buk. Bukvicza*, quod in latino idiomate *Libellum* ſignificat: vel etiam à quarta littera G. *Glagola*, unde etiam Sacerdotes *Illyriti*, idiomate Slavonico in Divinis utentes, *Glagolitæ* nuncupantur. Liquet adeoque ex his Nuntium Apoſtolicum, de quo *Pr. Kazius* agit, non fuiſſe ſollicitum de formis litterarum *Cyrillicarum*, verum *Glagoliticarum*, ſeu *Hieronymiarum*, quibus ego ipſemet meis oculis Breviaria, & Miſſalia Slavonica impreſſa non ſemel vidi. Neque exiſtimet me quiſpiam hæc in Venerandi Patris *Kazii* aliquam confuſionem, verum pure ad demonſtrandam characterum Slavonicorum diſtinctionem, qui huic, quive illi attribui debeant, atque unum ex his *S. Hieronymi* partum eſſe, adnotaſſe. Sed ad reſidua *S. Hieronymi* procedamus.

CAPUT XXII.

Sancti Hieronymi continuatum in infirmitate ſtudium, & Juventutis nobilis eruditio.

I. ADmiranda ſanè ſunt univerſa, quæ S. Hieronymus egit, vel ſcripſit: illud tamen prorſus in maximam admirationem ſummi debet, quod vir hic ſanctus tot, tantaque, ac talia ſcribere potuerit, & agere, quæ ſcripſit, egitque valetudine plerumque gravibus morbis afflicta, quemadmodum ipſemet, in *Proœmio Libri in Iſaiam* in hæc verba fatetur: *Dominus, qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt, qui loquitur in Deuteronomii Cantico: Ego occidam, & vivificabo, percutiam & ſanabo, frequentius morbis meam quoque terram fecit contremiſcere; cui dictum eſt: Terra es, & in terram ibis. Et oblitum conditionis humanæ crebro admonet, ut hominem, & ſenem, & jam, jamque moriturum eſſe me noverim; de quo ſcribitur: Quid gloriatur terra, & cinis? Unde, qui me ſubito lan-*

guore percuſſerat, incredibili velocitate ſanavit, ut terreret potius, quam affligeret, & emendaret magis, quam verberaret. Itaque ſciens, cujus ſit omne, quod vivo, & quod idcirco forſitan mea dormitio differtur, ut ceptum in propoſito opus expleam, totum huic me trado ſtudio, ut quaſi in quadam ſpecula conſtitutus, mundi hujus turbines, atque naufragia non absque gemitu, & dolore contempler, nequaquam præſentia cogitans, ſed futura: nec hominum famam, atque rumuſculos, ſed DEI judicium pertimeſcens. Atque ideo ſanctus hic vir ſæpe ſæpius illam uſitatam ſibi ingeminabat ſententiam: *Quotieſcunque diem judicii conſidero, toto corpore contremiſco; ſive enim dormio, ſive vigilo, ſemper illa vox noviſſima tubæ ſonat in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.*

II. Præter has ægritudines, quarum hic, & alibi meminit S. Hieronymus, habuit etiam admodum effœtum ſenium, ut ipſemet *Præfationib.* in *Amos Proph.* & in *Ezech. Lib.* 7. confitetur: ſe quatuordecim annis ferre nequiviſſe laborem ſcribendi, legendique libros hebræos, niſi valde difficulter, quin & alios Religioſos fratres ſuos petiiſſe, ut ſibi libros Græcos prælegerent, quos ille legere ob virium defectum non poterat. Et tamen adeo plenus erat ſapientia, tantaque erat ingenii illius vis, ut incredibile videatur, niſi ipſemet in *Præfationib.* Librorum, quos paulo poſt nominaturus ſum, fateretur, quanta ejus in ſcribendo fuerit alacritas, & in dictando promptitudo. Hic namque glorioſus Doctor ſolo triduo tres *Salomonis* Libros *Proverbiorum*, *Eccleſiaſten*, & *Cantica Canticorum* in Latinum vertit. Et una tantum die ex Chaldæo in latinum ſermonem traduxit Librum *Tobiæ.* Et duabus hebdomatibus ſua in Matthæi Evangelium Commentaria dictavit, ex eo tam celeriter, quod eum Euſebius Cremonenſis diſcipulus ejus in Italiam rediturus, nec ſine aliquo pignore ſui dilecti Magiſtri divelli volens, urſerit. Sed & ad Sanctas matrem, & filiam, Paulam ſcilicet, & Euſtochium ſcribens, excuſansque ſui ſtyli cruditatem, dicit ſe nihil prætendere aliud, quam declarare Sacræ Scripturæ Myſteria, atque ideo id adeo propere agebat, ut uno die plures, quam mille lineas dictaret. Et librum quem ſcripſit *contra Vigilantium* adeo eruditum, mirabilemque, ſe ait uno nocte (ut *cap. 18.* retuli) dictaſſe, quod portitor ejus *Sinius* ita feſtinaſſet. Quæ omnia ingentem omnino cuilibet bene perpendenti ingerere debent ſtuporem. Plura hujus Sancti viri Scripta, Opera, ac Lucubrationes recenſent *Petrus de Natalib.* in Catalogo Sanctor. *Lib. 8. cap. 123.* item: *Sixtus Senenſis* in Bibliotheca Sancta *Lib. 4.* Et *Marianus Victorius* Epiſcopus Rheatinus, à Baronio in Annalib. Eccleſiaſt. ad A. C. 420. laudatus. Poſt hos vero *Petrus Annatus* in Methodico ad poſitivam Theologiam Apparatu *Lib. 4. Art. 27.* Quorum catalogum ex præcitatis his Authoribus dividendo genuina, à Suppoſititiis *cap. ſeq.* Benevolo Lectori exhibere ſtudebo.

III. Admirandus certo hujus Sancti viri, ut vidimus, labor in legendo, & ſcribendo fuit: Aſt multo magis ſtupendum eſt, quod cum vir Sanctus coram DEO, & hominibus magnus videretur, tantæque in Eccleſia Catholica authoritatis eſſet; nihilominus tam parvus in oculis ſuis videri voluit, ut parvulos nonnullorum Nobilium filios erudire non ſit dedignatus, explicans eis *Poëtas*, *Hiſtoricos*, & *Rhetores*, ut ita cum bonis, & honeſtis litteris lac pietatis, & Divini timoris eiſdem inſtillaret, cum balbutientibus ita balbutiens, ut eos DEO lucraretur. Et quamvis *Rufinus* eum propter hoc in *Libro Invectivorum* contra *Hieronymum* in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 37.* repre-

hen-

henderit, conqueſtas ipſum Grammaticum egiſſe, dicens: *Maronem ſuum, Comicosque, ac Lyricos, & Hiſtoricos Authores traditis ſibi ad diſcendum DEI timorem puerulis exponebat, ſcilicet ut & praceptor fieret authorum gentilium.* Nihilominus idipſum in Hieronymo præ reliquis vel maxime æſtimari debet, quod is tanto Divini amoris affectu accenſus fuerit, ut ſibimet ipſi viluerit, quatenus perfectius DEO famularetur: ſimul etiam quod ſuo exemplo docuerit, in Republica nihil eſſe, cui tantum eſſet attendendum, quantum juventutis probæ, ſanctæque educationi. Hoc autem Sanctus hic vir præstitit, cum jam totos quindecim annos lectione Gentilium librorum penitus abſtinuiſſet; cum etenim his non indigeret ſui cauſa, legere eos voluit propter juventutem, ut ſcilicet ei lac virtutum omnigenarum, cum lacte litterarum inſtillaret.

IV. Hoc ipſum videre eſt in *Epiſt.* 13. ad *Lætam*, quam *Paulæ* Vetulæ filius, & *Euſtochii* frater *Toxatius* duxerat uxorem, & quæ conjugio nata eſt Paula puella, quam Paula avia virginitati deſtinaverat. Hac itaque Epiſtola docet *Hieronymus Lætam* viduam, qualiter inſtituere filiam debeat, rogatque ut eam propere in Bethlehem ad aviam *Paulam*, & *Euſtochium* amitam mittat, ſeque nutritium, & magiſtrum parvulæ futurum pollicetur, his verbis: *Ipſe, ſi Paulam miſeris, & Magiſtrum, & Nutritium ſpondeo, balbutientia ſenex verba formabo, multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, ſed ancillam, & ſponſam Chriſti erudiam, regnis cœleſtibus offerendam.* Hæc Sancti Hieronymi, tanti Eccleſiæ Doctoris, tantæ Sanctitatis viri humilitatis, & charitatis exercitia quis non miretur, quis non obſtupeſcat? Sed quemadmodum DEUS in minimis rebus maximus apparet, ita & viri Sancti rebus in minimis magni cognoſcuntur, quibus nihil videtur parvum, ex quo aliqua ad DEUM gloria poſſit redundare.

CAPUT XXIII.

Sancti Hieronymi Opera, & Lucubrationes: Apologiæ item, & Epiſtolæ, aliaque Scripta.

I. ASſiduus igitur (ut præmiſſum eſt) in labore *S. Hieronymus*, quidquid temporis precibus, orationi mentali, ac vocali, aliisque neceſſariis occupationibus detrahere potuit, totum id infatigabili Sacrarum Litterarum ſtudio, & indefeſſæ Commentationi, ac juxta hæc indeſinenti ſcriptioni impendebat, ut hoc ſuo continuo labore Eccleſiæ Romano-Catholicæ pro fidei incremento, & ſtabilimento proſpiceret, ac filiorum ejus ſaluti æternæ in Domino provideret. Ejus induſtriæ teſtes ſunt Libri numeroſiſſimi ab eodem conſcripti, vel dictati, quos ægre quispiam queat perlegere. Ex his ipſis ejuſce monumentis, & munimentis, veluti ex inſtructiſſimo Eccleſiæ armamentario, contra quaslibet hæreſes validiſſima leguntur tela, facileque configitur, quidquid novorum monſtrorum ad oppugnandam Eccleſiam Romanam eſt enatum. Scripſit autem, vel dictavit præter verſionem Sacrorum Codicum, Commentarios in eosdem: item, tot egregia, erudita, ac Sancta opuſcula, *Tractatus*, *Apologias*, *Sermones*, & *Epiſtolas* innumerabiles, quæ in novem ingentes Tomos editionis Pariſienſis, dum typis vulgarentur,

diſtributa fuere. Quibus tanta ineſt accurata doctrina, atque elegantia, ut lectoris omnem animum, & aſſenſum ad ſe pertrahere videantur.

II. Et quia *Sancti Hieronymi* cor nonniſi amorem, & honorem DEI ſpirabat, ideo & calamus ejus nonniſi, quæ DEUM, gloriamque ejus ſpectabant, connotabant: atque ideo ſcripta ejus ubique ſpirant, reſpiciuntque Divinam gloriam, DEI honorem, atque amorem, ita ut eorum ſerius lector non eruditionem tantum, ſed etiam ardentiſſimam erga DEUM, ac proximum charitatem ex eis queat in ſe derivare. In iisdem nihil apparet frigidum, nihil leve, nihil ambitioſum, omnia vero inflammata, aculeata, ſeria, ſana, ac religioſa. Ex illis non olim tantum Concilia Sacra ſuis Decretis, ſed & hodie frequentius Theologi in Scholis, & pro concione magno auditorum utili, Divini verbi Præcones robur ſuæ doctrinæ, & dictionis mutuantur, ſimulque luce meridiana clarius in operibus S. Hieronymi illibatæ fidei, & morum candorem velut in ſpeculo contemplantur. Et tamen non defuere, neque deſunt malevoli, qui S. Hieronymo detrahere volentes, obiiciebant quædam, hodieque objiciunt heterodoxi tam contra perſonam, quam contra ſcripta ejusdem: ſed quemadmodum inepte, & abſque fundamento objecta ſunt, & objiciuntur, ita de facili pro majori Sancti Doctoris gloria, & honore ſolide reſoluta ſunt, reſolvunturque. Ex pluribus aliqua è *Petri Annati* ad Poſitivam Theologiam Apparatu *Lib. 4. Art. 25.* huc transferre placuit, ut benevolus Lector recognoſcere valeat hæreticorum erga Sanctos DEI, quorum eruditiſſimis ſcriptis confutari ſolent, invidiam, ac S. Hieronymi in omnibus ſuis integritatem. Sunt autem ſequentia.

III. Objiciunt 1mo hæretici. Inter alia S. Hieronymus Doctor Sanctiſſimus fuit Origenis laudator, & ſectator, teſte Rufino in ſua in Periarchon Præfatione: ergo & erraſſe eum cum Origene cenſendus eſt Hieronymus. Reſp. Accuſatum quidem fuiſſe à Rufino de Origeniſmo Hieronymum, ſed accuſationi ſic fuiſſe reſponſum ab *Hieronymo Epiſt. 65.* ad *Pammachium*, & *Oceanum*. *Objiciunt mihi, quare Origenem aliquandò laudaverim: ni fallor, duo loca ſunt in quibus eum laudavi; Præfatiuncula ad Damaſum in Homilias Cantici canticorum, & Prologus in Librum Hebraicorum nominum. Laudavi interpretem, non Dogmatiſtem: ingenium, non fidem: Philoſophum, non Apoſtolum. Quod ſi volunt ſuper Origenem meum ſcire judicium, legant in Eccleſiaſtem Commentarios, replicent in Epiſtolam ad Epheſios tria volumina, & intelligent me ſemper ejus dogmatibus contraiiſſe.*

IV. Objiciunt 2do. Arguitur *Hieronymus* à *S. Auguſtino*, quod loquens de illa *Petri*, & *Pauli* diſcordia, de qua ad *Galat. cap. 2.* agitur, dicat: *Non veram, ſed ſimulatam, fictamque fuiſſe diſcordiam, conventumque fuiſſe inter illos, ut Petrus ſe Judizare ſimularet, Paulus verò Petrum Judizantem reprehendere fingeret; ſicque Apoſtolos mendacio uſos fuiſſe aliquo videtur Hieronymus docere.* Reſp. 1mo. Hanc fuiſſe quidem *S. Hieronymi* ſententiam poſt *Origenem, Didymum, Apollinarem, Chryſoſtomum*, & alios eruditos Eccleſiæ Græcæ viros, ideo eam amplexos, ut facilius *Porphyrio* blaſphemanti reſponderent, & *Paulum* excuſarent, quem procacitatis arguebat, quod in Petro Apoſtolorum Principe reprehendiſſet idipſum, cujus ipſe reus erat; dicentes Pauli reprehenſionem non veram, ſed ſimulatam fuiſſe, & ex compoſito factam, contrariam tamen teneri à *S. Auguſtino*, cæterisque Latinæ Eccleſiæ Patribus, omnibus-

nibusque communiter Theologis. Reſp. 2$^{do.}$ Permanente ant. negatur conſqu. Quia licet dicat eos ſimulatione uſos aliqua, non ſequitur eum dixiſſe: eos mendacio uſos aliquo; quia non omnis ſimulatio, ſive fictio mendacium eſt. Unde Auguſtino reſpondens *Hieronymus Epiſt. 89.* inquit: *Neque me putes magiſtrum eſſe mendacii, qui ſequor Chriſtum docentem: Ego ſum via, veritas, & vita: nec poteſt fieri, ut veritatis cultor, mendacio colla ſubmittam.*

V. Objiciunt 3$^{tio.}$ *Sanctus Hieronymus* Commentario in *Sophoniæ c. 3.* videtur docere: Miniſtri ſanctitatem requiri ad Sacramentorum confectionem, dum ait: *Sacerdotes quoque in Euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Chriſti, putantes Euchariſtiam imprecantis facere verba, non vitam, & neceſſariam eſſe tantùm ſolemnem orationem, & non Sacerdotum merita.* Ergo vel hoc Opus Hieronymi non eſt, vel in hoc lapſus eſt Hieronymus. Reſp. Negando antec. Ibi namque Hieronymus indicat ſolum in miniſtris Sacramentorum requiri quidem vitæ ſanctitatem, non tamen ad Sacramenti confectionem, & valorem, ſed ad Sacramenti fructum, & effectum in proprio individuo aſſequendum: ſeu neceſſariam eſſe vitæ ſanctitatem neceſſitate præcepti, non neceſſitate Sacramenti. De his, & ſimilibus contra Hieronymum objectis plura tradunt *V. Beda, Bellarminus* de Scriptorib. Eccleſiaſticis, *Baronius*, & ejus Epitomator *Spondanus* in Annalibus Eccleſiaſticis, *Poſſevinus, Petavius, Bibliotheca univerſalis, Nova* Operum *S. Hieronymi, cujusdam Monachi Benedictini, editio,* & *Cornel. à Lap.* in Commentariis Sacrorum Bibliorum. Hos, ſi benevolo Lectori placuerit uberiorem circa doctrinam S. Hieronymi capere informationem, & experientiam, accedere ſecure poterit, ubique ejusdem Sancti Doctoris deprehenſurus intemeratam, ſanamque doctrinæ integritatem.

VI. Ego ad ipſa Opera Divi Hieronymi redeo, ad quorum conſtruendum *cap. præc.* appromiſſum Catalogum non modica mihi occurrit difficultas, cum à quibusdam Authoribus alia pro genuinis, alia pro ſuppoſititiis reputentur. Horum aliqua, eaque genuina ipſemet *S. Hieronymus Libro* de Scriptorib. Eccleſiaſticis, qui habetur in *vet. cod.* ſub tit. *Epiſt. 34.* adverſus *Celſum, Porphyrium,* & *Julianum,* qui Chriſtianos omnes imperitiæ arguerant; enumerat; aſſerens ſe hic lucubrationes ſuas omnes usque ad decimum quartum *Theodoſii* Imperatoris annum, id eſt; A. C. 392. editas recenſuiſſe, his verbis: *Hieronymus Presbyter, Patre Euſebio natus, Oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit: usque in præſentem diem, id eſt: annum Theodoſii Principis decimumquartum hæc ſcripſi. Vitam Pauli monachi; Epiſtolarum ad diverſos Librum unum; ad Heliodorum Exhortatoriam; altercationem Luciferiani, & orthodoxi; Chronicon omnimodæ hiſtoriæ; In Hieremiam, & in Ezechielem; Homilias 28, quas de græco in latinum verti de Seraphin, & Hoſanna; de frugi & luxurioſo filio; de tribus quæſtionibus legis veteris; Homilias in Cantica Canticorum duas; adverſus Helvidium de virginitate Mariæ perpetua; ad Euſtochium de virginitate ſervanda. Ad Marcellam librum unum; conſolatoriam de morte filiæ ad Paulam; in Epiſtolam Pauli ad Galatas commentariorum Libros tres; in Epiſtolam ad Titum Librum unum; in Epiſtolam ad Philemonem Librum unum; in Eccleſiaſten Commentarios quæſtionum hebraicarum; in Geneſim Librum unum; de Locis Librum unum; de Spiritu Sancto Didymi, quem in latinum transtuli, Librum unum; in Lucam Homilias 39. in Pſalmos, usque ad 16. tractatus 6. Captivi monachi vitam, & beati Hila-*

Digitized by Google

rionis; Novum Teſtamentum græcæ fidei reddidi; Vetus juxta hebraicam tranſtuli: Epiſtolarum autem ad Paulam, & Euſtochium, quia quotidie ſcribuntur, incertus eſt numerus. Scripſi præterea in Michæam explanationum Libros duos; in Sophoniam Librum unum; in Nahum Librum unum; in Habacuc Libros duos; in Aggæum Librum unum, multaque alia de opere prophetali; quæ nunc habeo in manibus, & necdum expleta ſunt. Adverſum Jovinianum Libros duos; & ad Pammachium Apologeticum, & Epitaphium.

VII. De prænumeratis S. Hieronymi operibus *Spondanus* ad A. C. 392. ſic diſſerit: „ Eſt quoque ut & „ S. Hieronymi ſingulas lucubrationes in hunc uſque decimum quartum annum *Theodoſii* editas perfacile enumeres, ſi quæ ipſe ad finem „ habet Commentarii de Scriptoribus Eccleſiaſticis legas. Scripſit „ illum ad *Dextrum* V. C. *Paciani* Episcopi Barcinonenſis filium, ac „ præfectura (ut *Hieron. Apologia* contra *Rufinum* inſinuat) Prætorii aliquando decoratum; qui & ipſe antea ad eundem Hieronymum omnimodam hiſtoriam (ut idem *Hieron. Libr. de Scriptorib. Eccl.* notat) „ ſcripſerat, quæ periit. In hoc autem Commentario edendo Hieronymi is fuit ſcopus (quem ipſe in „ *Præfatione* teſtatur) ut Chriſtianæ „ Religionis Scriptorum monumenta „ enumeraret Celſum Porphyrium, „ & Julianum, qui Chriſtianos omnes imperitiæ arguerant. Verum „ aliquot prætermiſſos in illa ſerie „ Scriptores Eccleſiaſticos, vidit etiam „ tum Auguſtinus ad ipſum ea de re „ ſcribens, *Epiſt. 9. ad Hieron.* Quod „ monuiſſe voluimus, ne ſuſpecta ſit „ fides Authoris alicujus, qui non reperiatur in eodem catalogo ſcriptus. Nam & ipſummet Hieronymum, licet ibidem aſſerat ſe Lucubrationes ſuas ipſius omnes editas „ usque ad præſentem annum recenſere, ex eis tamen aliquas numerare prætermiſiſſe, conſtat ex dinumeratione illarum, quas recenſet „ in *Epiſt. 51.* ad Pammachium, ſcripta, paulo poſt miſſum ad eum Apologeticum, quem ante hoc tempus ſe ſcripſiſſe teſtatur in eodem „ Commentario *de viris illuſtrib.* Adeo, ut dici plane de eo poſſe videatur, quod jactari ſolet de valde „ abundante divitiis homine, ita prædivitem fuiſſe, ut numerum neſciret divitiarum ſuarum. Cæterum „ in eodem libello aliquid amplius „ deſideratum, nempe ut cum adnumerat hæreticos inter Scriptores „ Eccleſiaſticos, in quibus cavendi „ eſſent, admonuiſſet, Auguſtinus eidem ſignificavit, idque ut alio libello præſtaret, vehementer rogavit *Epiſt. 9.* ad *Hieron.* „

VIII. Epiſtola porro ad Pammachium ſcripta, quod ejus exemplaria contra Jovinianum, quibus multi offendebantur, occultaverit, laudat eundem Pammachium, verum, quia id ubique fieri non poterat, Apologeticum pro eis mittit, & amicum jamjam futurum Sacerdotem, ad Sacrarum Litterarum ſtudium, & ſuorum Operum Lectionem hortatur. In eadem Epiſtola alia quoque ſua Opera enumerat his verbis: *Libros ſedecim Prophetarum, quos in latinum de hebræo ſermone verti, ſi legeris, & delectari te hoc opere comperero, provocabis nos, etiam cætera clauſa armario non tenere. Tranſtuli nuper Job in linguam noſtram, cujus exemplar à Sancta Marcella, conſobrina tua, poteris mutuari. Lege eundem græcum, & latinum, & veterem editionem noſtræ tranſlationi compara: & liquido pervidebis, quantum diſtet inter veritatem, & mendacium. Miſeram quædam Commentaria in Prophetas duodecim Sancto Patri Domnioni; Samuelem quoque, & Melachim, id eſt quatuor Regum Libros, quæ ſi legere volueris, probabis, quantæ difficultatis ſit divinam Scripturam, & maxime*

Pro-

Digitized by Google

Prophetas intelligere, & interpretum vitia, quæ apud ſuos puriſſimo curſu orationis labuntur, apud nos ſcatere vitiis. Facta hujus Epiſtolæ collatione, cum iis, quæ ex Libro de Scriptorib. Eccleſiaſticis recenſuimus, animadvertet lector oculatus neque Sanctum Hieronymum (ut Spondanus optime obſervavit) ſua Opera, ſeu Scripta ex integro ubique recenſuiſſe, vel recenſere voluiſſe.

IX. *Petrus de Natalibus*, in Catalogo Sanctorum *Lib.* 8. *cap.* 132. Vitam S. Hieronymi ſynopticam, cum Indiculo Scriptorum ejusdem edidit: Scriptor hic alias celebris, an genuinum produxerit Operum Indicem? meum diſputare non eſt, ſed potius confidere, cum is à pluribus eruditiſſimis viris paſſim ad addendum ſuorummet ſcriptorum robur citetur. Utut ſit, ego memoratum Indiculum hic apponendum cenſui, ut & ex hoc, & ex priori ipſiusmet S. Hieronymi, & ex infra ponendo tertio clarius eluceſcat, quænam genuina ſint S. Hieronymi ſcripta, quænam *ſuppoſititia?* Suum itaque Indiculum *Petrus de Natalib. loc. cit.* ſic recenſet. *Hic glorioſus Doctor præter ſacram expoſitionem Veteris Teſtamenti, quod ex hebraico: & Novi, quod ex græco ſermone tranſtulit in latinum, infinita pene alia Opuſcula edidit. Omnes enim ſedecim Prophetas expoſuit. Quorundam Græcorum Doctorum volumina in latinum tranſtulit. Scripſit Opuſcula, ſive Epiſtolas ad diverſos circiter 146. Sermones 10. Item Libros hebraicarum quæſtionum. Item Hebræorum Nominum libellum de locis Terræ ſanctæ conditum ab Euſebio in latinum vertit ex græco. Librum de optimo genere interpretandi ad Pammachium. Super Libro Pſalmorum 150. Tractatus prolixos edidit. Librum de viris illuſtribus. Item contra Jovinianum libros duos. Item contra Helvidium librum unum. Contra Pelagium librum unum. Contra Origenem libros 4. Contra Vigilantium librum unum. Ad Nepotianum libros duos. Super Evangelio Matthæi libros 4. Vitam Pauli primi Eremitæ, & aliorum Patrum monachorum. Librum Chronicum omnimodæ Hiſtoriæ. De ſeraphin librum unum. De Oſanna librum unum. De frugi, & luxurioſo filio librum unum. Homilias Origenis 28. In Hieremiam, & Ezechielem ex græco in latinum convertit. Item de tribus quæſtionibus Veteris Legis. Homilias in Cantica Canticorum duas. Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Galatas libros tres. In Epiſtolam ad Epheſios libros duos. In Epiſtolam ad Titum librum unum. In Epiſtolam ad Philemonem librum unum. Super Geneſim librum unum. Dydimi librum de Spiritu ſancto ex græco in latinum vertit eloquium. In Lucam Homilias 38. In Pſalmos à decimo, uſque ad centeſimum decimum ſextum Tractatus 7. Captivi Malchi monachi geſta deſcripſit. Contra Rufinum Aquilejenſem Presbyterum Invectivas plurimas. Ad Auguſtinum Epiſtolas multas. Ad Heliodorum exhortatoriam. Altercationem Luciferiani, & Orthodoxi. Ad Euſtochium de virginitate ſervanda librum unum. Ad Marcellam Epiſtolarum librum unum. Commentarios in Eccleſiaſten plures. Enchiridion in Pſalterium. Adverſus Heliacum librum unum. Et opuſcula alia adverſus hæreticos quamplures. De manſionibus filiorum Iſraël librum unum. Et alia innumera volumina ad ædificationem Eccleſiæ Catholicæ ſua pietate compoſuit. Et pene omnes Libros Novi, ac Veteris Teſtamenti commentatus eſt.* Hic eſt catalogus Operum Divi Hieronymi à *Petro de Natalib.* concinnatus. Si hæc univerſa genuina ſunt, ingens certo non cumulus, ſed acervus Scriptorum eſſe debuit.

X. Multa omnino Scripta, multosque S. Hieronymi Libros extitiſſe notavi ſupra ex *Spondano*, cujus etiam textum de eorum copia, ex paritate ingentium divitiarum hominis aſſumptum, ad remonſtrandum innumerum numerum Scriptorum Di-

vi Hieronymi fuiſſe, itero. Eſtque ſequens: *Adeo, ut de eo (S. Hieronymo) dici plane poſſe videatur, quod jactari ſolet de valde abundante divitiis homine: ita prædivitem fuiſſe, ut numerum neſciat divitiarum* (Scriptorum, Librorum) *ſuorum.* Atque hac de ratione *Petrus Annatus* Indicem Scriptorum S. Hieronymi texere conſtituens, poſt expoſitam ejusdem compendioſiſſimo textu vitam, ait: *Longum foret, tædioque plenum hic minutum recenſere ſingula: congruum tamen, & utile deſignare præcipua.* Ac tandem producit catalogum ſequentem, diſtinguens eundem in Scripta Genuina, & Scripta Suppoſititia. Primo itaque ponit loco

Genuina, & Indubitata.

XI. 1mo. *Novum Teſtamentum*, quod græcæ fidei reddidit, hoc eſt: à mendis, quæ irrepſerant, purgavit. Et *Vetus Teſtamentum*, poſtulante Damaſo Papa, omnium primus Latinum fecit. Ipſo teſtante, & in Catalogo *de Scriptorib. Eccleſiaſt.* dicente: *Novum Teſtamentum græcæ fidei reddidi, & vetus juxta hebraicum tranſtuli.*

2do. *Epiſtolæ*, quas ad diverſos diverſas miſit, in quibus varias, à variis propoſitas quæſtiones explicuit: quarum aliæ ſunt hortatoriæ, vel laudatoriæ, vel funebres, quæ habentur in *Tomo 1.* (NB. *Annatus* hic intelligit *Tomos* editionis Pariſienſis) Aliæ *Polemicæ*, quæ ad hæreſes, calumniasque refellendas pertinent; præſertim contra *Helvidium*, *Jovinianum*, *Montanum*, *Luciferianos*, *Pelagianos*, *Origeniſtas*, *Joannem Hieroſolymitanum*, & *Rufinum*. Quæ habentur in *Tomo 2.* Aliæ denique, quæ ſunt Divinæ Scripturæ explanatoriæ, ſeu quæ ad Divinæ Scripturæ expoſitionem pertinent, vel quæſtionibus de Divina Scriptura motis reſpondent, & quæ habentur in *Tomo 3.*

3^tio.^ *Commentaria*, quæ edidit varia, & egregia, in omnes feræ Divinæ Scripturæ Libros, & quæ repeririuntur diſperſa in ſequentibus *Tomis 4. 5. & 6.*

4to. *Vita* Sancti *Pauli primi Eremitæ*, *S. Hilarionis*, & *Malchi monachi* ex *Maronia Syriæ* vico orti.

5to. *Plura Alia* quæ non comparent hodie, præſertim de Hæreſibus Liber unus, quem ſe invenire non potuiſſe doluit olim *S. Auguſtinus*, ut ſuo *de Hæreſibus* Libro teſtatur, ad *Quodvultdeum*.

6to. *Catalogus* de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad Dextrum Prætorio Præfectum, & de quo ipſe Deſiderio ſcribens ait: *Scripſi Librum de Illuſtribus viris, ab Apoſtolis uſque ad noſtram ætatem, imitatus Tranquillum, græcumque Apollonium, & poſt catalogum plurimorum, me quoque in calce voluminis, quaſi abortivum, & minimum omnium Chriſtianorum, poſui: ubi mihi neceſſe fuit uſque ad decimumquartum annum Theodoſii Principis, quæ ſcripſerim, breviter connotare.*

XII. Inter hæc omnia Sancti Hieronymi Opera reperiuntur contra Hæreticos ſcripta, præſertim iſta, videlicet

1mo. Liber unus contra *Helvidium*, de perpetua Beatæ Mariæ Deiparæ virginitate: quo tam facunde, quam erudite probat Beatam Mariam Deiparam æque poſt, ac ante partum Virginem fuiſſe.

2do. Libri duo in *Jovinianum*, quibus duos *Joviniani* refellit errores: unum videlicet; quo dicebat Virginitatem non præſtare Matrimonio: alterum; quo vere baptizatos in peccatum relabi non poſſe, tenebat.

Digitized by Google

3^tio. Liber unus adverſus *Vigilantium*, quo acriter confutat miſſum ſibi à *Ripario* Presbytero *Vigilantii* Librum, in quo Martyrum Reliquias nec venerandas eſſe, nec ad eorum Sepulchra in Eccleſiis vigilandum aſſerebat.

4to. Adverſus *Montanum* ad *Marcellam* Epiſtola una, qua rogatus breviter explicat *Marcellæ* eruditiſſimæ fœminæ, qui fuerint errores *Montani*.

5to. *Dialogus Orthodoxi*, & *Luciferiani*. In quo adverſus *Luciferianos*, ſic à *Lucifero Calaritano* in Sardinia Epiſcopo, dictos, per Dialogum diſputans Hieronymus, ſub nomine *Orthodoxi*, aſſerit Epiſcopos, qui cum *Ario* ſenſerant, Epiſcopatu nequaquam dempto, recipiendos eſſe, contra *Luciferum* ipſum, cujus præcipuus erat error, ut doceret: Epiſcopos in Arianam lapſos hæreſim, & redeuntes ſub nulla pœnitentia, vel ſatisfactione recipiendos eſſe, niſi Epiſcopatu depoſito.

6to. Ad *Pammachium* nobilem juvenem Paulinæ, Paulæ, & Textorii filiæ maritum, adverſus Joannis Hieroſolymitani Epiſcopi errores Epiſtola, qua jam monitum ab Epiphanio Joannem Hieroſolymitanum, nè errores Origenis ſequeretur, & nihilominus octo præcipuas ejus faventem hæreſes, eum aperte reprehendit, & convincit.

7mo. *Pammachio*, & *Oceano* Epiſtola altera, qua monitus, & rogatus ab his duobus amicis, purgat ſe ab omni ſuſpicione Origeniſmi, ſibi per Rufinum imputati, ſive impoſiti in Præfatione Verſionis Librorum Periarchon Origenis, qua Rufinus Origenem, ita ab imputatis purgat, ut eum catholicum eſſe, & Hieronymum Origeniſtam oſtendat: quas ut diluat calumnias, & ſuſpiciones Hieronymus, errores Origenis prodit, & Rufini verſionem, ejusque pro Origene defenſionem arguit.

8vo. Ad *Pammachium*, & *Marcellam*, adverſus Rufinum Epiſtola altera, ſive Apologia in tres Libros diviſa, in quibus eadem ſibi objecta crimina diluit, & Rufini Invectivam, ſub nomine *Apologiæ*, *Anaſtaſio* Papæ miſſam refellit.

9no. Ad *Cteſiphontem* Epiſtola una, qua rogatu *Cteſiphontis Pelagii* Dogmata refellere incipiens, promittit ſe fuſius id impleturum, cum per otium licebit.

10mo. *Dialogorum* adverſus Pelagium Libri tres, quibus ut *Cteſiphonti* promiſerat, *Pelagii* fuſius refellit errores.

Nullum dubium habeo, quin Petrus Annatus, quemadmodum Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Præpoſitus Generalis, ita veritatis Chriſtianæ aſſertor ſpecialis, in hoc ſuo Operum Sancti Hieronymi Indice, ſeu Catalogo ſub præcipuorum, quæ producere in Prologo ejusdem indicis decreverat, nomenclatura, minora quoque ſubintellexiſſet. Sed quia non judicarem inter minora recenſeri debere Martyrologium Euſebii Cæſarienſis, quod S. Hieronymus ex Græco in Latinum vertit, illudque pro faciliori Eccleſiarum uſu (ut *Baronius* in Præcapitulationib. Martyrologii *cap. 6.* notat) compendiavit, Hoc itaque S. Hieronymi opus merito inter præcipua numerandum, utpote omni die in choro, inque Refectorio Communitatum Eccleſiaſticarum, Religioſarum, & Sæcularium uſitatiſſimum, præcedenti laudati Annati catalogo adjungendum cenſui.

Suppoſititia, vel Dubia.

XIII. 1mo. *Traditiones*, ſeu *Quæſtiones Hebraicæ* in Libros Regum, &

Paralipomenon, quæ habentur in *Tomo 3.* non videntur eſſe S. Hieronymi, cum ipſemet S. Hieronymus in Catalogo de Scriptorib. Eccleſiaſticis ſua omnia recenſeat Scripta, etiam Quæſtiones Hebraicas in Geneſim, de iſtis tamen nihil dicat. Sed de hoc NB. dicta ex *Spondano* de non recenſitis ab Hieronymo omnibus ſuis Scriptis.

2do. *Commentaria in Lamentationem S. Jeremiæ* ad *Euſebium*, quæ in *Tom.* 4. reperiuntur, non Hieronymi, ſed Rabani eſſe creduntur, cum inter Opera Rabani inveniantur, & legantur in illis ſententiæ nonnullæ à *Gregorio Magno*, Hieronymo longe poſteriore, collectæ.

3^tio.^ *Commentaria in Pſalmos* inſerta *Tomo* 7. Sancti Hieronymi eſſe putat *Bellarminus*, & ſolum ab aliquo Authore, Hieronymo poſteriore, adaucta, & interpolata. Sed Hieronymi eſſe abſolute negant alii. *Primò*: Quia in illis plura docet Author Sancto Hieronymo contraria: nam in iis v. g. dicit Author, Pſalmum 89. *Moyſis* non eſſe, & tamen *Moyſis* eſſe contendit S. Hieronymus. *Secundò*: In illis Author in Pſalmo 16. laudat *Eucherium*, Sancto Hieronymo longe poſteriorem. *Tertiò*: Quia ſtylus eorum non ſapit Hieronymum.

4to. *Commentaria in Job*, ad *Vecterium*, quæ in *Tom.* 8. inſeruntur, non Hieronymi, ſed Bedæ eſſe contendit Bellarminus; ex eo, quod Vecterius ille longe poſt Hieronymum, & tempore *Bedæ Anglicani*, Anglicanæ Epiſcopus fuiſſet Eccleſiæ.

5to. *Commentaria in omnes Pauli Epiſtolas* ejusdem *Tom.* 8. non Sancti Hieronymi, ſed Pelagii, vel Pelagiani hominis eſſe colligunt eruditi, ex eo, quod Pelagiana Dogmata contineant plura, & dicat S. Auguſtinus de Peccatorum meritis, & remiſſione *lib.* 3. ſe legiſſe Brevia Pelagii Commentaria in omnes Pauli Epiſtolas.

6ta. *Plurima*, quæ in *Tomo* 9. repeۥriuntur, non Sancti Hieronymi, ſed aliorum eſſe indicant Tituli.

7mo. *Plurimas* etiam *Epiſtolas*, quales ſunt ad Demetriadem, ad Geruntii filias, ad Amicum, ad Deſiderium: immo & Symbolum ad Damaſum, quod incipit: *Credimus*, non *Hieronymi*, ſed Pelagii eſſe, opinantur eruditi.

Indicem hunc tam genuinorum, quam dubiorum, ſeu Suppoſititiorum S. Hieronymi Operum à *Petro Annato* productum, ſi bene, & accurate benevolus examinaverit Lector, pauca admodum deprehendet contra catalogum eorundem Operum *Petri de Natalib.* Sed ne alterutri horum, prouti neque aliis celebribus hac de re Scriptoribus fidem derogare videar, abſque ſcrupulo ſingula laudatiſſimi Sancti Doctoris Opera, quæ in Novem Tomis editionis Pariſienſis impreſſa refert ſæpefatus Annatus, utpote ab Univerſitate Pariſienſi, ex perſonis eruditiſſimis Eccleſiaſticis, & Religioſis adunata, atque Romano-Catholicæ fidei addictiſſima, reviſa, & approbata legi poſſe arbitror, pro eruditione non tam temporali, quam Spirituali, quam & S. Hieronymum in cunctis ſuis Scriptis unice reſpexiſſe in præcedentibus retuli.

CAPUT XXIV.

Sancti Hieronymi pius Obitus, honorifica Sepultura, & decrepita Ætas.

I. CUm jam Sanctiſſimus Doctor glorioſæ curſum vitæ ſuæ conſummari animadvertiſſet, poſtquam ſuarum virtutum, & doctrinæ ra-

Digitized by Google

radiis mundum colluſtraſſet, Eccleſiam inæſtimabili Sacræ Scripturæ theſauro locupletaſſet, Stygii draconis caput contriviſſet, tartareas hæreticorum belluas domuiſſet, deque omnibus, qui vel his, vel ſuis eum vitiis oppugnaverant, triumphaſſet, pios catholicos viam perfectionis, qua tenderetur ad cœlum, docuiſſet, jamque ſenili ætate affectus, laboribus, ſtudiis, pœnitentiæque operibus confectus fuiſſet, adeo, ut neque ſe, utpote ad decrepitam illam, & ultimam propemodum jam deveniens ætatem, lecto movere poſſet, niſi penſilis è lectica funiculi adminiculo attolleretur, febri correptus, intellexit affulſiſſe diem, quo carcere mortalitatis educeretur, & ad beatam ſublevaretur æternitatem, quemadmodum ardentiſſimis omnino votis ſemper exoptarat. Nihil tamen adhuc operæ à ſtudiis remittens, non minus ad orandum alacris, quam ad legendum promptiſſimus erat. Atque eo tum ſperantem Hieronymum in morte ſua, *Cornel. à Lap.* Comment. in *Proverbia Salomonis cap.* 14. ℣. 33. exclamaſſe dicit ſequentes voces: *Hei mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS.*

II. Mirum erat in corpore jejuniis, & ætate conſumpto tantum adhuc Spiritus, tantum vigere fortitudinis. Quod corpori deerat, ſuplebat animus, & Sacrarum rerum meditatio mentem quotidie recreabat. Videres hominem à corporis vinculis abſolutum, veluti avem quandam à nexibus expeditam nihil aliud niſi cœlum ſpectare, ac petere; & quanto magis morti appropinquabat, tanto plus in eo ſpiritûs excitari, ita, ut mortem demigrationem quandam à terrenis ad cœleſtia, à caducis ad æterna, non naturæ diſſolutionem in eo crederes. Languebat quidem membris, ſed animus vigebat, & in corpore jamjam caſuro, mens ſemper cœleſtia cogitans, excitabatur, ſed cito tamquam corporeum onus depoſiturus, alacrius ad finem tendebat. Incredibile memoratu eſt, quæ lætitia animo ipſius inceſſerit, quos tunc jubilos, quos plauſus dederit: & quamvis omnis ejus vita nihil aliud fuerit, quam jugis pœnitentia, aſſidua meditatio, & continua ad mortem præparatio, nihilominus denuo ad confligendum cum infernali beſtia, quam jam toties vicerat, ſeſe præparabat.

III. Adveniente tandem diu deſiderata extrema die, Confeſſione peracta peccatorum, Sacrum Chriſti corpus ſibi pro viatico dari petiit: illud vero ſumpturus humi ſe collocari juſſit, & ſacco, quo induebatur, operiri; tum genibus provolutus lachrymas fudit, ac pectus pugno percutiens Sacratiſſimum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini reverenter ſumpſit, geſtu, habituque ſe hoc indignum conteſtans, illud tamen ſibi neceſſarium ſumendo, docens, innuensque neminem Chriſtianorum, eſto Sanctiſſimam egerit vitam, abſque his Sacris remediis, moribundis apprime neceſſariis, de hac vita migrare debere. Convocatis dein ſuis monachis, & diſcipulis, eos, prouti & alias perſonas ſibi devotas, & obſequentes, quæ morienti præſentes multis lachrymis irriguæ, & certatim, ut decedentem ſpectarent, confluxerant, læto, & alacri vultu conſolatus eſt (ut *Euſebius* refert) his verbis: *Ceſſet mœror, luctus abeat, ſit omnium gentium una vox: Quoniam ecce tempus acceptabile, ecce dies jubilationis, & lætitiæ præ omnibus diebus vitæ meæ; in quo fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis aperit manum ſuam, & meam exulem animam hucusque in carcere mortis hujus, ob reatum mei Genitoris Adæ detentam, revocet ad ſupernam patriam, recuperatam filii ſui ſan-*

Digitized by Google

guine pretioſo. Quibus dictis, cohortatus eſt omnes ſibi adſtantes, ſignanter diſcipulos ſuos ut in amore DEI, ejusdemque ſervitio, ac mutua perſeverarent charitate: humilitati, patientiæ, aliisque virtutibus inhærendo ſtuderent, ſtudendoque inhærerent. Compoſitis dein in modum Crucis manibus Canticum Simeonis *Nunc dimittis Servum tuum Domine:* præoravit. Tunc cunctis, qui aderant, cernentibus lux cœlitus inſtar ſolis ad horam agonis ibi refulſit, in qua luce viſi ſunt Angeli diſcurrere, voxque de cœlo lapſa audita eſt, dicens: *Veni dilecte mi, tempus eſt, ut mercedem accipias.* Ad quam Hieronymus reſpondens, ajebat: *Ecce ad te venio pie JEſu, ſuſcipe me, quem tuo recuperaſti ſanguine.* Et mox luce diſparente, anima quoque Hieronymi carne ſoluta aſcendit ad cœlos æterna fruitura beatitudine.

IV. Exanime corpus divinum, eumque fragrantiſſimum, omnia unguenta ſuavitate vincentem ſpirare cœpit odorem, ut omnis miraretur ætas. Eadem hora diverſis in locis viſionibus quorundam, ad quantam Hieronymus beatitudinem translatus ſit, liquido patuit. Nam Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus animam ejus Angelicis manibus geſtatam cœlum verſus tendere conſpexit: eodem die Sancta hæc anima, miro radians fulgore, Auguſtino Hippone apparuit: Turoni etiam monachi duo lucentem globum tranſire per aëra, & inde dulciter canentium choros audiri, dum admirarentur, intellexerunt Hieronymi animam, tunc apud Bethlehem defuncti, ab Angelis ad Paradyſi quietem ferri (ſed de his *cap. ſeq.* uberius) & hoc quidem pro laboribus, quibus ipſe in vita conſtanter, & indefeſſe vacabat, DEI laudibus, & hominum utilitati intentus. Nos ejus humilitatem ſaltem in moriendo imitemur, quandoquidem tantam in vivendo ſanctitatem aſſequi non meremur. Obiit autem pridie Kalendas Octobris A.C. 420. juxta *Proſperi* Chronicon, & *Baronii* Annales.

V. Corpus S. Hieronymi cilicino Sacco, quo vivus utebatur, ut ipſe mandaverat, involutum, concurrentibus undique piis chriſtianis utriusque ſexus, prouti & Sacerdotibus Eccleſiaſticis, ac Religioſis ſolemni quidem pompa, ſed non ſine cunctorum lachrymis in Bethlehem ſepulchro, quod ſibi ipſe in ore ſpeluncæ ad Sacellum, in quo fuit Præſepe Verbi Incarnati, conſtruxerat, Exequiis ex Chriſtianæ Religionis more antea celebratis, illatum eſt, in quo trecentis quaſi annis quievit. Peractis inferiis ne quid pius diſcipulus ejus *Euſebius* ex inteſtati bonis non poſſideret, tunicam ejus ſacceam ſibi vendicavit, honorique habuit, tactu ejus valetudinarios curans, & ad vitam mortuos revocans. Cujus, quæſo, Regis, aut Principis auro, gemmisque refulgens, aut cocco, purpuraque rubens veſtimentum tantæ unquam virtutis fuit, quantæ ſancti hujus ſaccus iſte? Ita DEUS fidelium ex ſanctis operibus merita in viliſſimo etiam amictu æſtimanda, & veneranda eſſe demonſtrat. Fuit S. Hieronymus corpore parvus, ſed animo celſus atteſtante *Ribadeneira in vita ejusd.* Quod perpendens *Cornel. à Lap.* Commentario in *Zachariæ c.4.* ℣. *10.* inquit: *Hâc namque de cauſa DEUS eximios viros, quos ad magna deſtinabat, corpore parvos formavit, ut ex parvitate eos ſemper humilitatis admoneret.* Rationi huic ſubjungit exempla, dicitque Sanctum Chryſoſtomum corporea ſpecie, & ſtatura fuiſſe parvum: ex *Mœneis Græcorum* apud *Raderum* in Viridario Sanctor. *die 10. Januarii.* *Sanctum Gregorium Nazianzenum* ſtaturæ mediocris, grætæque magis brevitatis: ex iisdem *Mœneis.* *Sanctum Paulum* tricubitalem fuiſſe aſſerit, ex *S. Chriſoſtomo.*

San-

Digitized by Google

Sanctum Conſtantium Manſionarium ex parvitate corporis ſui documentum ſumpſiſſe humilitatis, & virtutis adeo illuſtris, ut miracula patraret, tradit ex *S. Gregorii* Libro Dialogor. *cap. 5.* Et plures ſimiles magni nominis, & ſanctitatis viros in medium producit citatus *Cornel. à Lap.* nobis ſufficit ex his aliquos recenſuiſſe.

VI. Quot natus annos deceſſerit Hieronymus? incertum eſt. Cardinalis namque *Baronius* attribuit ei annos octo, & ſeptuaginta, quem ſequitur *Lipeollus*. Poſt hos *Joſephus de Sequenza* in vita S. Hieronymi, quam ipſe conſcripſit, dicit eum fuiſſe annorum unius, & octuaginta. *Franciſcus Glavinich*, pariter vita ejuſdem S. Doctoris à ſe concinnata ponit annos ætatis ejus ſex & octuaginta. Plures tamen ſunt, qui eum exiſtimant habuiſſe annos unum, & nonaginta. E quibus unus eſt Proſper, Sancto Hieronymo ſuppar, & Coëtaneus, in ſuo Chronico. Hunc ſequuntur *Graveſon* in Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Petrus Annatus* in Apparatu ad Theologiam Poſitivam, & *Philippus Brietius* in Annalibus Mundi. Harum ſententiarum diverſitas naſcitur exinde, quod non conſtet diſtincte, quo anno natus ſit hic Sanctus vir, ſed ſciatur tantum eum A. C. 363, quo *Julianus* Apoſtata adverſus Perſas præliabatur, puerum fuiſſe, & Grammaticæ operam navaſſe, ut ipſemet fatetur. Quod autem grandævam attigerit ſenectutem, teſtatur S. Auguſtinus, quem S. Hieronymus vocat dignitate Patrem, quod eſſet Epiſcopus, & ætate filium, quod eſſet multo natu minor: ſi igitur S. Hieronymus mortuus fuiſſet anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo octavo, ut vult *Baronius*, id eſt A. C. 420. Sanctus Auguſtinus hoc anno fuiſſet ſenex annis ſexaginta ſex, quia defunctus eſt anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto, ſecundum quem computum S. Hieronymus nonniſi duodecim annis S. *Auguſtinum* in ætate ſuperaſſet, qui anni nimis pauci viderentur ad eum loquendi modum, quo hi Sancti ad invicem in Epiſtolis ſuis utebantur.

VII. Quidam *Anonymus* ſcribit S. Hieronymum in obitu ſuo annorum 98. extitiſſe, cui conſentit quidam, pariter *incognitus* antiquus egregius *Scriptor* in Sexta Mundi ætate *fol. 135.* editus A. C. 1493. dicens: *Eſt autem mortuus apud Bethlehem Paleſtinæ, temporibus Honorii, & Theodoſii junioris, expletis 98. annis vitæ ſuæ.* Hoc confirmat Martyrologium quoddam antiquum, ſub titulo *Viola Sanctorum* A. C. 1499. excuſum Authore incerto: *Aliqui* putant eſſe *Alberti Magni*, in quo hæc leguntur: *Poſt hæc autem in ore ſpeluncæ, ubi Dominus jacuit, monumentum ſibi conſtruxit, ubi expletis 98. annis, & 6. menſibus ætatis ſuæ, virgo permanens, ſepultus fuit, circa A. D. 400.* Aliam *A. R. P. Nicolaus Benger* Ordinis noſtri in Provincia Croato-Slavonica ſicut Theologica, ita Hiſtorica eruditione clariſſimus, vitæ S. Hieronymi adſtruit Chronologiam mihi ſcripto communicatam. In qua ſic diſſerit: „ Si S. Hieronymus „ dicatur natus A. C. 329. (in quem „ incidit annus 16. *Sylveſtri* Papæ) „ uti ponunt, *Alphonſus Ciacconius*, & „ *Petrus Annatus*, Aliique ætatem ejus „ producentes ad Annum 91. difficul„ tates conſiderandæ ſunt. *Primò:* „ Communiter dicitur S. Hierony„ mus factus Presbyter circa annum „ ætatis 30. à *Paulino* Epiſcopo An„ tiocheno, ideoque hoc factum fuiſſet „ ad A. C. 359. At obſtat, quia *Pau„ linus* tardius, videlicet A. C. 362. „ ordinatus eſt Epiſcopus Antioche„ nus, ex *Baronio*, & *Biſciola*. *Se„ cundo:* S. Hieronymus ante ſu„ ſceptum Presbyteratum conſuluit „ Papam *Damaſum*, cui Epiſcopo „ communicare deberet in *Syria* Schiſ„ *mate* diviſa? Ex *Baronio* ad A. C.

„ 359.

Digitized by Google

„ 359. & *Mariano Victorio*. At *Damaſus* nondum fuit Pontifex ad A. C. „ 359. ſed primo ad A. C. 367. electus „ eſt. Ex *Baronio, Curio, & Curiolano*.

„ *Tertio*: S. Hieronymus ſequenti „ anno poſt ſuſceptum Sacerdotium „ venit Conſtantinopolim ad *Gregorium Nazianzenum*, conſequenter „ id debuiſſet accidiſſe A. C. 360. At „ eſſe nequit, ſiquidem *S. Gregorius Nazianzenus* primo ad A. C. 378. „ ſuſcepit curam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ex *Baronio*, & *Biſciola*.

„ *Quarto*: S. Hieronymus dicitur „ Cardinalis factus à *Damaſo* anno ætatis 39. ex *Ciacconio*, adeoque circa „ A. C. 368. At obſtat, quia primo „ ad A. C. 382. fuit Romam evocatus „ à *Damaſo*, ex *Baronio*, & *Biſciola*. „ Videtur itaque verior Chronologia „ Cardinalis *Baronii*: Quod S. Hieronymus natus ſit A. C. 342. cui accedit *Inchoffer* in Annal. Eccl. Hung. „ ponens natum A. C. 341. Item „ *P. Szentivanii* in Diſſert. Paralip. „ *Cat*, 75. Presbyter à *Paulino* Epiſcopo Antiocheno ordinatus A. C. 378. „ ætatis ſuæ 36. Romam ad Concilium tempore *Damaſi* Papæ venit „ A. C. 382. ætatis ſuæ 40. Mortuus „ A. C. 420. ætatis ſuæ 78. „

VIII. Inter hos Authores dirimere videtur diſceptationem *Spondanus*, qui ad A. C. 372. in opinionem *Baronii* ſequentia notat: „ Inter illos, „ qui de S. Hieronymi ætate egerunt, „ *Proſper* eſt in Chronico, ubi eum „ duodecimo *Honorii* anno deceſſiſſe „ ponit, ætatis ſuæ nonageſimo primo: ſed numerat ipſe duodecimum „ *Honorii* annum ab obitu *Arcadii* fratris ipſius, ut plane videre ibi eſt; „ qui quidem duodecimus annus ſic „ computatus concurrit cum vigeſimo ſexto ejuſdem *Honorii* anno, ab „ eo tempore, quo primum cœpit „ regnare poſt obitum patris ſui: „ illeque vigeſimus ſextus eſt omnino ille ipſe quadringenteſimus vigeſimus Chriſti, quo Hieronymum „ obiiſſe conſentit *Baronius*. Quod „ autem non adeo rejicienda videatur „ ſententia *Proſperi*, de nonaginta & „ uno annis ætatis Hieronymi, probare nititur contra *Baronyum*, *Arnoldus Pont*. in Notis ad *Proſperum*, „ præſertim cum apud *Marcellinum Comitem* legamus *Hieronymum* admodum ſenem vitæ finem feciſſe, „ & apud *Auguſtinum lib*. 1. contra *Julianum cap*. 7. uſque ad decrepitam „ ætatem vixiſſe, quæ non ita facile „ de homine ſeptuaginta octo annorum quis dixerit, cum & moderna „ tempeſtate ſeptuagenarii robuſtiſſimi reperiantur. „ Sed controverſiam hanc neque ad imitationem Sancti viri conducentem, neque ad ſcopum præfixum collimantem, iis, qui hac de re diſputare volunt, decidendam relinquo, atque ad reſidua S. Hieronymi majoris momenti tranſitum facio.

CAPUT XXV.

Sancti Hieronymi ſancta Vita, & pius Obitus Miraculis comprobantur.

I. POſtquam exanime Sancti Hieronymi corpus Chriſtiano more humatum fuiſſet, ad comprobandam ejus Sanctitatem, & vitæ innocentiam, atque ad ſtabiliendam fidem poſterorum, DEUS, qui magnus, & mirabilis eſt in ſanctis ſuis, ad ſacrum illud pignus miracula addidit, cujus attactu varii, à variis morborum generibus liberati fuere. Nam quidam à nativitate cæcus tangens corpus Sancti viri, mox beneficium

Digitized by Google

cium viſus obtinuit: alter juvenis ſurdus, & mutus, loquelam, auditumque perfecte recepit: dæmones etiam ab obſeſſis clamantes exibant: item hæreticus quidam blasphæmo ore effutiens; Hieronymi corpus dignum fore incendio, protinus divino judicio in ligni ſpeciem mutatus, atque cunctis cernentibus igne cœlitus delapſo ſuccenſus, combuſtus, & in cineres redactus eſt; quo viſo, magna turba hæreticorum fidem Catholico-Romanam ſecuta eſt. Hæc *Petrus de Natalib.* in Catalogo Sanctor. *lib. 8. cap. 132.* dicens: *Alia quoque ſigna, & Miracula ſtupenda, ac innumera per Sanctum ſuum DEUS operari dignatus eſt, quæ in Epiſtolis Euſebii, Auguſtini, & Cyrilli leguntur.*

II. Citatas has *Euſebii*, *Auguſtini*, & *Cyrilli* Epiſtolas *Baronius* ad A. C. 420. ſpurias eſſe dicit, & confictas, adeoque explodendas. Sed quia plures graviſſimæ notæ Scriptores, uti eſt *Petrus de Natalib.* in Catalogo Sanctor. *Marcus Marulus* in Palæſtra Chriſtiana, his Epiſtolis uſi ſunt ad deſcribenda non tantum miracula, quæ ad corpus S. Hieronymi acciderunt, verum etiam plura acta ipſam vitam ejusdem Sancti Doctoris concernentia, ex quibus ſaluberrimas doctrinas pro Chriſtiana perfectione aſſequenda eruerunt legendasque propoſuerunt. Ideo non absque ratione præattactas Epiſtolas huic operi annectere placuit, quippe, quas unius *Baronii* Authoritas non videtur ſufficienter ſua evacuare virtute. Præterea & *Auguſtinus Oldoinus* in Additionibus ad *Ciacconium* (quem *cap. 10.* de Cardinalatu S. Hieronymi citavi) multum teſtimonio *Cyrilli*, & *Euſebii* defert, neque eos, utpote qui *Hieronymum* noverunt, ſecumque familiariter egerunt, erraſſe, aut mentitos eſſe, cæteroquin in re grævi, aſſerit: non apparet ratio, cur horum eruditiſſimorum virorum ſcriptæ Epiſtolæ explodi deberent, relationibusque earum fides, ad minus pia adhibere nequiret? præſertim cum hiſce nihil contra fidem orthodoxam, nihilque contra bonos mores agatur, immo animi lectorum, vel legi audientium ad majorem venerationem omnipotentiæ DEI, & Sancti Hieronymi cultum accendantur. Dum *Petrus Ribadeneira* vitam *S. Georgii* Martyris, & Militis ſcribere intendiſſet, impegit probabiliter ad Notas Cardinalis *Baronii* in *Martyrologium Romanum* pro *die 23. Aprilis.* Ubi idem *Baronius*, pro accurati ſui examinis diligentia, longa diſſertatione agens de vita, & martyrio ejusdem Sancti advertit, ejus res geſtas pluribus fabellis aſperſas, obſcuratasque fuiſſe; atque ideo cenſura *Gelaſii* Papæ in *Decreto* de *Libris apocryphis*, apud *Gratianum Diſt. 15.* improbatas, atque rejectas aſſerit, hanc adeoque etiam ob cauſam nullas Breviario Romano à *Pio V.* reformato de *S. Georgio* ſingulares inſertas eſſe lectiones, nec ullam rerum ab eo geſtarum fieri mentionem conſueviſſe, quod nulla eorum, quæ exſtant, veritas conſtet. Hinc *Ribadeneira* decreverat nihil de *S. Georgio* ſcribere, ſed cum aliqua apud *Lipomanum*, & *Surium* de actis *S. Georgii* reperiſſet, horum animatus authoritate, ipſe etiam vitam *S. Georgii* deſcripſit, quæ habetur Operum ejusdem, quæ *Flos Sanctorum* intitulantur, *Tomo 1. die 23. Aprilis* præmittens eidem in Prologo ſequentem Paragraphum: *Quamobrem decretum mihi fuerat vitam S. Georgii prorſus omittere, ne viderer à Breviario Romano diſcedere, & aliquid in medium de Sanctis proferre, quod ambiguum incertumque cenſeretur. Poſtea tamen viſum fuit Lipomani, Suriique virorum plane graviſſimorum, deque Catholica Eccleſia optime meritorum fidere authoritati. Seligam igitur è rebus à s. Georgio geſtis ea, quæ certiora, & formandis Chriſtianorum moribus utiliora judicavero.* Item idem *Petrus Ribadeneira* in vita SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ,

de *Libris Apocryphis* ſequentia notat: „ In quadam vita (quæ nomine *Abdiæ* „ *Babylonii* circumfertur) horum A- „ poſtolorum (quæque eadem eſt, „ quam probat Antoninus Archi-Epi- „ ſcopus Florentinus, & Epiſcopus „ Equilinus *part. 1. Tit. 6. cap. 17.* „ Ac *Joachimus Perionius* Monachus „ S. Benedicti, in vita SS. Apoſt. Si- „ monis, & Judæ, aliique Authores) „ quædam recenſentur, quæ (quam- „ vis Liber ille Apocryphus appel- „ letur) vera tamen eſſe poſſunt. „ Nam quamvis Liber aliquis Apo- „ cryphus appelletur (qualis & hic „ eſt) nihil eſt aliud, quàm quòd non „ ſit indubiæ veritatis, non tamen „ ſequitur, quod omnia, quæ conti- „ nentur in eo libro, falſa ſint. Nam „ quovis in libro, quamvis Apo- „ crypho, vera quædam poſſunt re- „ periri, & fortaſſe talia, quæ ho- „ rum Apoſtolorum vita continen- „ tur, quam ſicut diximus *Abdias* „ conſcripſit. Atque hæ operæ pre- „ tium recenſere, quod talia ſint, quæ „ de illis communiter prædicantur. „ Ex quibus *Ribadeneiræ* notatis infer- re licebit eadem de Epiſtolis *Euſebii*, *Auguſtini*, & *Cyrilli*, in quibus (quam- vis forte *Apocryphis*) plura de S. Hie- ronymi miraculis leguntur, vera ta- men eſſe poſſunt, cum communiter hæc ab Authoribus, & quidem cele- brioribus, à multis jam ſæculis refe- runtur, & deprædicantur.

III. Verum quidem eſt, quod E- piſtolam de apparitionibus, & mira- culis *S. Hieronymi* ſcriptam à Cyrillo Hieroſolymitano Epiſcopo ad S. Au- guſtinum reſpuat Baronius: verum quoque eſt, quòd in Libro Epiſto- larum S. Auguſtini Lugduni impreſ- ſo, quidam Anonymus earundem Epiſtolarum collector, ſeu editor, de eadem Epiſtola Cyrilli, & Auguſtini ad *Cyrillum pag.* mihi 1010. in margine hanc ponat Notam: *Epiſtolam hanc non credo eſſe Cyrilli, ut nec præceden- tem Auguſtini.* Unde omnino omnia de apparitionibus, & miraculis S. Hie- ronymi dubia Lectori benevolo ap- parebunt. Interim hæc conciliari poſſe judico ſequenti lucubratiun- cula. *Baronius* in *Notis* ad *Marty- rologium Romanum* pro *die 9. Maji*, di- cit *S. Cyrillum* Epiſcopum Hieroſoly- mitanum ante S. Hieronymum obiiſ- ſe: idque probat ex ipſius S. Hiero- nymi authoritate, qui ſcribit S. Cy- rillum ad octavum duntaxat *Theodo- ſii* Imperatoris annum, qui fuit A. C. 386. perveniſſe, cui adhæret etiam *Brietius* Annalium Mundi *Lib. 4. c. 9.* Hieronymus autem vixit poſt *Cyril- lum* annis triginta quatuor, mortuus namque eſt, juxta *Baronium*, & *Brie- tium* A. C. 420. *Cyrillo* in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſit *Joannes*, quo cum S. Hieronymus multum ad agendum habuit, utpote *Origeniſta- rum* fautore. Hic *Joannes* juxta *Brie- tium* obiit A. C. 416. nactus Succeſ- ſorem, ut idem *Brietius* notat, non *Paulinum*, ut vult *Nicephorus in Chro- nico*, non *Cyrillum*, ut alii referunt, ſed *Prailium*, quem & ſequenti anno ad Romanum Pontificem litteras mi- ſiſſe ſcribit, ex quibus & fides, & no- men ejus dignoſcitur. *Prailii* obitus non ſignatur, quod autem huic ſuc- ceſſerit *Juvenalis*, ex eo colligitur, quod hic *Concilio Epheſino* A. C. 440. celebrato, ut Epiſcopus Hieroſoly- mitanus interfuerit. Cum igitur nonniſi de nomine Epiſcopi Hiero- ſolymitani hic in dignoſcendis Epi- ſtolis agi videatur; potuerunt (in caſu quo *Joanni* non *Cyrillus*, ut qui- dam Scriptores ex relatione *Brietii* aſſerunt, ſed *Prailius* ſucceſſiſſet) Collectores Epiſtolarum pro *Prailio*, *Cyrillum*, cum parum hæc nomina inter ſe differant, per inadvertentiam vel ſuam, vel ſuorum Amanuenſium apponere, vel vero ſequentes illos Authores, qui *Joanni* Epiſcopo Hie- roſolymitano ſucceſſorem ponunt *Cyrillum*, pariformiter loco *Prailii* *Cyrillum* nominare. Et eſto ipſe *Prai- lius* fuiſſet, probabile eſt ipſum etiam,

&

Digitized by Google

& Sancto Hieronymo, utpote tam erudito Doctori, ſanctæque famæ viro addictum fuiſſe, & cum *S. Auguſtino* de *Sancti Hieronymi* apparitione, & miraculis correſpondentiam habuiſſe, cum & *orthodoxæ fidei*, & *Romano Pontifici* fidelis extiterit.

IV. Quod ſi cuipiam hæc non placuerit lucubratio, aliam quoque propono. Eodem tempore, quo *S. Hieronymus* vixit in Monaſterio Bethlehemitico, vixit etiam S. Cyrillus Alexandrinus ſanctitate, & eruditione clarus, atque à Neſtorio multum exagitatus, factus Epiſcopus A. C. 412. ut Brietius habet, qui & cum Attico Conſtantinopolitano Præſule S. Chryſoſtomi nomen in Diptyca retulit. Hunc etiam & cum S. Hieronymo, & cum S. Auguſtino correſpondiſſe indubium videtur, ſiquidem horum temporum ſancti viri, ab hæreticis plurimum divexati, unus alterum in materia fidei, ad retundendos ejusdem oppugnatores conſuluerint, ut *cap. 9.* inſinuatum eſt de *Sanctis Patribus*. Si ergo neque vel Cyrillo, vel Prailio Hieroſolymitano Epiſcopo conceditur Epiſtola de apparitione, & miraculis *S. Hieronymi*, non videtur ratio, cur non poſſet huic Sancto viro Cyrillo Alexandrino attribui; qui longo tempore poſt obitum ejusdem *S. Hieronymi* vixit, mortuus namque eſt juxta *Brietium* A. C. 444. Neque obſtat, quod in Epiſtola dicatur Hieroſolymitanus, nam & hoc potuit fieri per errorem ex ſupra allata ratione, & ex eo etiam, quod recens adhuc extiterit memoria Sancti illius, & celebris Epiſcopi Hieroſolymitani nomine *Cyrilli*. Deinde *Euſebius* diſcipulus S. Hieronymi, ſcribens ad *Damaſum* Epiſcopum Portuenſem, de obitu, apparitionibus, ac miraculis ſui Sancti Magiſtri, nominat quidem *Cyrillum* Epiſcopum, ſed neque dicit Hieroſolymitanum, neque *Alexandrinum*: conſequenter opinari etiam poſſumus, *Cyrillo Alexandrino* factas fuiſſe apparitiones, eumque Epiſtolam de miraculis ad *Auguſtinum* ſcripſiſſe. Quod autem his omnibus *Sanctus Auguſtinus* Epiſcopus Hipponenſis convixerit, probatur ex *Brietio*, qui eum factum eſſe Epiſcopum ad A. C. 395. mortuum vero ad A. C. 430. notat. Adeoque hic ad minus de apparitione ſibi facta, aliisque admirandis, & magnificis S. Hieronymi virtutibus ſcribere potuit.

V. Sed ſi neque hæc adhuc Epiſtolas præinſinuatas, ad effectum apparitiones, & miracula S. Hieronymi firmandi, ſinceras probant, credendum ad minus exiſtimarem illud, quod in eadem *Cyrilli* Epiſtola ad *Auguſtinum* de *Euſebio Cremonenſi*, *Sancti Hieronymi* diſcipulo exponitur his verbis: *Nam vir utique Reverendus, & memoria oblivioni non danda Euſebius, nobilis Cremonenſis, ejus (Hieronymi) diſcipulus, in quo Magiſtri refulſit ſanctitas, & doctrina, cujus ſapientiam, & probitatem, & excellentiam non ignoras, qui poſt biennium à noſtræ mortalitatis miſeria ereptus, ſuum prædilectiſſimum Magiſtrum Hieronymum in cœli patriam eſt ſecutus, ut nobis indicant ejus crebra miracula.* Et paulo poſt additum legitur: *Reverendo Patri Damaſo Portuenſi Epiſcopo, & Theodonio Romanorum Senatori ejus fratri, Severo probiſſimo viro, & tibi (Auguſtino) & multis aliis, quas ſingillatim nominare non eget, tunc temporis per ſuas litteras totius ejus obitûs ſeriem intimavit.* Impoſſibile namque videtur, ut tam *Sancti viri*, tam *Sanctus diſcipulus* aliqua memoranda de dilecto ſuo Magiſtro ſubticuiſſet, vel Apocrypha, & non vera memoriæ tradidiſſet. Cum itaque non ſolum dicatur, ſed & probetur genuina eſſe *Euſebii* Epiſtola in *vet. cod. 145.* ad *Damaſum Portuenſem* Epiſcopum ſcripta, ſignum eſt *Auguſtinum* de ſerie obitus *S. Hieronymi* pius ab *Euſebio*, quam ab uno vel altero *Cyrillo*, aut *Prailio* informatum extitiſſe, conſequenter ſi *Cyrillianis* Epiſtolis fides non adhibe-

 tur,

Digitized by Google

tur, adhiberi poteſt *Euſebianis*, ex quibus forte & *Cyrilliana* compillata fuit, vel etiam accidere potuit, quod ipſa *Euſebiana* ſub nomine *cyrilli* per inadvertentiam Amanuenſium vulgata extiterit. *Laurentius Beyerling* in Theatro vitæ humanæ *Tom. 7.* ſub tit. *Sanctus, ſanctitas*, refert ex *Petro de Natalibus* Hiſtoriam de quadam *Hæreſi Graecorum*, aſſerente: *Quod animæ Beatorum usque ad corporum reaſſumptionem, æternam non percipiant gloriam: nec Animæ damnatorum ſentiant gehennæ pœnam.* Quam Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus cum *Euſebio* diſcipulo B. Hieronymi, miraculo ad ſepulchrum ejusdem S. Doctoris confuderunt, trium juvenum ea nocte in Bethlehem defunctorum reſuſcitatione, & eorum, quæ poſt obitum ſuum in altero mundo vidiſſent enarratione. Item idem *Laurent Beyerling Tom.* 1. ſub tit. *Beatitudo* recenſet ex *Marci Maruli lib. 16.* Epiſcopum Cyrillum, ea hora, qua S. Hieronymus obiit, animam ejus ab Angelis manibus geſtatam cœlum verſus tendere conſpexiſſe. Per conſequens authoritate tam celebrium Scriptorum, & in Eccleſia Catholica conſpicuorum, contra placitum etiam *Baronii*, utpote nihil celebrioris, quam præcitati extiterint, Authoris affirmandum cenſerem: *Cyrillum* Epiſcopum Hieroſolymitanum tempore obitus S. Hieronymi vixiſſe. Referendo me tamen ad ſupra dicta *Num. 3.* de Cyrillo, & Prailio, nomine quaſi affinibus, & *N 4.* de S. Cyrillo Epiſcopo Alexandrino ne Eminentiſſimo *Baronio*, quemadmodum Dignitate Cardinalitia purpurato, ita Authori Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ approbato, præjudicare videar.

VI. His pro vilis ingenii poſſe aliquantiſper dilucidatis, ad imitationem *Ribadeneiræ* authoritate ſupracitatorum optimæ notæ Scriptorum fultus, aliqua ex iis, quæ Cyrillus (ita ipſum jam propter Epiſtolam, quæ ejus nomine circumfertur, appellare placet) Epiſcopus Hieroſolymitanus (cui ſe Sanctus Hieronymus, ut *cap. præc.* ex *Petro de Natalib.* inſinuavi, mox poſt mortem viſendum præbuit, &, ut ad ſuos pergeret filios, eosque lugentes confortaret, & quæ viderat nuntiaret, mandavit) & *Euſebius Cremonenſis* ejus diſcipulus ad S. Auguſtinum perſcripſerunt, hic referenda judicavi, et ea etiam potiſſimum cauſa, quod hæc jam toties vulgata, atque in Editionibus Epiſtolarum Hieronymi, & Auguſtini Pariſienſi, Lugdunenſi, & Baſileenſi, paſſimque apud Aſceticos Authores impreſſa legerim. Prius tamen de apparitione S. Hieronymi Sancto Auguſtino facta, merito inter miracula recenſenda, breviter agendum cenſui. Eadem hora, qua deceſſit S. Hieronymus, Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis in ſua cellula exiſtens, dum Tractatum *de viſione beatifica* concinnare vellet, & ſuper hoc Hieronymum conſulendum diſpoſuiſſet, Epiſtolamque ei ſcribere cœpiſſet, ineffabili lumine, cum odorum fragrantia imcomparabili, repleta eſt cella Auguſtini: quo admodum ſtupente, vox de luce inſonuit, quæ ipſum de nimia præſumptione redarguit, eo, quod exiſtens in carne mortali beatitudinem æternam comprehendere cogitaſſet, quod nulli mortalium aliquando poſſibile fuit, vel foret. Cum autem Auguſtinus ab eo quæreret; Quis eſſet? Reſpondit: ſe eſſe *Hieronymi animam*, cui ipſe Epiſtolam ſcribere cœperat mittendam, quæ ipſa hora à carne ſoluta ad cœli gaudia propereret. Cum vero de beata vita quæſiviſſet, & ipſa anima Sancta ad ſingula clarius reſpondiſſet, lux illa diſparuit, neque vox amplius audita fuit, odor tamen pluribus permanſit diebus. Hæc *Petrus de Natalib.* & ipſemet S. Auguſtinus in *vet. cod. 146.* ad Cyrillum.

VII.

Digitized by Google

VII. Poſt *Divi Hieronymi* obitum hæreſiarcha quidam *Sabinianus*, opuſculum execrandi dogmatis à ſe confectum publicabat, & quo erroribus ſuis majorem adſciſceret authoritatem, ab Hieronymo editum aſſeverabat. Eum autem falſitatis palam arguebat *Silvanus* Epiſcopus Nazarethanus propoſita conditione, quod niſi librum illum die craſtino ipſe S. Hieronymus oſtento manifeſto reprobaret, tum ſe pœnam capitalem ſubiturum; ſin econtra, idem ſupplicium pro mendacio *Sabinianus* referret. *Sabinianus* cum tale miraculum numquam eventurum timeret, ſed magis ſperaret *Sylvani* exitio ſuam ſententiam firmam fore, acceptavit conditionem. Dies præſtituta adeſt, ad Eccleſiam frequens concurrit pacti præſcius populus, ſignum nullum apparet. *Silvanus* ex condicto ad ſupplicium poſcitur, præbet cervicem Præſul, mori pro veritate paratus. Sed præſto illi fuit *S. Hieronymus*, cunctiſque cernentibus, tenuit Spiculatoris manum jam ad feriendum erectam. Mox ad hæreticum converſus acerrime illum increpuit doli, & fallaciæ accuſans. Abiit viſio, & majus ſecutum eſt miraculum: *Sabiniani* caput nemine percutiente ab humeris avulſum in terram procidit. Denique qui aderant *Orthodoxi*, pro victoria, quam paulo ante deſperaverant, DEO, & *Divo Hieronymo* gratias egerunt. Aſſeclæ porro *Sabiniani* ad *Silvanum* confugientes, illius fidei ſeſe dedidere, pernicioſiſſimuſque error (qui jam late ſerpere cœperat) una cum ſuo Authore extinctus eſt. Miraculum hoc legitur apud *S. Auguſtinum* Epiſtolarum *cap.* 4. item apud *Marcum Marulum* in Palæſtra Chriſtiana *Lib.* 2. *cap.* 11.

VIII. Paulo ante memoratus *Silvanus* Epiſcopus Nazarethanus, iterum in ſcenam venit, quæ producitur à *S. Auguſtino loco cit. cap.* 5. Diabolus ex relato prioris miraculi facto commotus, cum *Silvani* integritatem pervertere nequiviſſet, infamia dehoneſtare decrevit, & formam ejus, habitumque aſſimulans, Matronam quandam noctu adiit, atque ad concubitum urgere cœpit. Pudica mulier vim timens domeſticorum opem protinus inclamat: ille latebram ſuam ſub lecto inquirens invenit, ſed, ut volebat, à concurrente familia inventus, verberibuſque, & contumeliis affectus extra ædes ejicitur. Interim rerum inſcius *Silvanus*, ubi, manefacto, intellexit ſe apud vulgum diffamari, & pro ſcelere, quod nec cogitabat quidem, jam ad vindictam expoſci, furori cedere ſatius ducens, propere Bethlehemum, *Divo Hieronymo* cauſam ſuam commendaturus, ſe contulit. Sed cum ibi quoque vitæ ſuæ inſidias incurrit, quidam ipſum ferire volentes, verſis mucronibus ſe ipſos ad invicem conſcivere. Poſt hæc cum ad tumulum *Divi Hieronymi* mulier energumena curationis gratia adducta fuiſſet, plurimique eo ſimul ad ſpectandam fæminam dæmoniacam confluxiſſent, apparuit *S. Hieronymus*, & dæmoni, ut ab ea exiens, quibus præſtigiis Nazarethanos adverſus ſuum Epiſcopum Sylvanum ludificaſſet, palam faceret, imperavit. Quo imperio audito, mulier mox ſanatur, & præſente *Silvano*, *Silvanus* alter perſonatus juxta illam (*Diabolus* in forma, & habitu *Silvani*) conſpicitur: qui rem ordine confeſſus diſparuit, & vulgato miraculo ceſſavit innocentis infamia, verſipelliſque impoſtoris offuciæ propalatæ magno omnibus tunc ſtupori fuere. De hoc miraculo tractat etiam *Marcus Marulus* in Palæſtra Chriſtiana *Lib.* 5. *cap.* 1. cui adjungit ſaluberrimam, *De nemine temere judicando*, doctrinam, his verbis: *Quam igitur circumſpectos, quam vigilantes nos eſſe decet, ne quid*

Digitized by Google

male de Sanctis viris, ſed neque de proximis, etiam cum in crimine deprehenſos eſſe credimus, nimis cito affirmemus.

IX. Duobus his tertium etiam non minus miraculoſum adjungitur. Poſt modicum tempus obitus *S. Hieronymi Hæreſis* quædam inſurrexerat, quæ mordicus defendebat: Defunctorum animas nec beatitudinem, nec pœnam ſentire, donec communis reſurrectionis die ſuis jungantur corporibus, hoc cum ipſis corporibus meſſuras, quod ſimul ſeminarunt: *Purgatorium* quoque poſt mortem nullum eſſe. Cumque falſitatis hujus peſtiferæ malignitas invaleſcere cœpiſſet, jamque altius multorum animis hæreret, quam ut verbis evelli poſſet. Miſeratus interitus animarum S. Hieronymus, meritis ſuis obtinuit apud DEUM, quod *Euſebio* diſcipulo ſuo apparuerit, juſſeritque ſaccum ſuum, quo pro indumento uſus fuerat, trium virorum cadaveribus, qui ea nocte obierant, imponi, ut vitæ redditi doceant, quanto errore tenerentur, qui talia aſſererent. Reſuſcitati ergo coram omnibus, qui ad Eccleſiam, ut hoc mirabile ſpectaculum viderent, concurrerant, confitebantur & *Beatorum* præſentem gloriam, & *damnatorum* pœnam, & eorum, qui minus pœnitentiam peregiſſent, *purgamentum*: atque, ut hæc vivis teſtari poſſent, ſe à S. Hieronymo circumductos, & ſic ad vitam redire juſſos affirmabant: rurſum die vigeſimo una cum *Euſebio*, *Divi Hieronymi* diſcipulo deceſſuros, & cum eodem (ſi modo æqualem delictis pœnitentiam egerint) vitæ æternæ præmia conſecuturos. Tanto itaque, & tam evidenti miraculo exploſa, & exſibilata hæreticorum eſt ſententia, illique, qui paulo ante ſubmerſi fuerant, ſtatim reſipiſcentes *Catholicam* amplexi ſunt *fidem*; præſertim cum eos, qui à mortuis ſurrexerant, pœnarum æternarum recordatione indeſinenter, atque inconſolabiliter flere, lamentarique viderent: ac tandem, qua prædixerant die, *Euſebio* moriente, & ipſos iterum mori cernerent, ut etiam ejuſce rei eventu magis conſtaret; quam vera eſſent ea, quæ per illos dicta fuerant. Hoc quoque miraculum reperitur apud *Auguſtinum* Epiſtolarum *cap.* 2.

X. Immiente autem, juxta præmemoratorum trium virorum reviviſcentiam vaticinium, die, quo Venerabilis *Euſebius Cremonenſis*, *S. Hieronymi* diſcipulus migraturum ſe præſciens, tertio ante obitus die languore febrium concuſſus, Magiſtri ſui *Hieronymi* non immemor, ſe nudum ſuper nudam à fratribus fecit deferri terram, ſingulosque exoſculans, benignâ eos conſolatione confortavit, &, ut in ſancto manerent propoſito, commonuit. Demum ſaccum, quo glorioſus Magiſter ſuus induebatur, apportari curavit, & ſuper ſe poni juſſit; ordinavitque ſe nudum inſtar Sancti ſui Præceptoris, extra Eccleſiam (in qua S. Hieronymi jacebat corpus) ſepeliri. Poſt hæc exomologæſi peccatorum peracta, & ſacra communione accepta, ſe Deo, & Divo Hieronymo commendavit, atque ſic per triduum locutione, temporalique viſione privatus, circumſtantibus fratribus, & Pſalterium recitantibus, jacuit. Die autem mortis, duabus fere horis ante beatæ animæ exitum, cœpit Venerabilis *Euſebius* tam horribiles actus agere, ut circumſtantes monachi maximo percellerentur metu. Nam quandoque transverſis oculis, junctis manibus, facie terribili, diraque voce clamabat: *Non faciam, non faciam: mentiris.* Poſt hæc faciem in terram, quantum poterat, firmans, clamabat: *Adjuvate me fratres, ne peream.* Monachi autem flentes, ac trementes interrogabant eum: *Quid habes Pater?* Quibus ille: *Non videtis* (inquit) *dæmonum agmina, quæ*

me

me debellare cupiunt, ac ad blaſphemiam inducere conantur. Iterumque actus priores reiterans, ſic ad extrema devenit, fratribus pavidis, ac veluti mortuis, &, quid agerent? neſcientibus. Ad extremam autem horam venienti apparuit *S. Hieronymus* confortans eum; ad cujus adventum perterrita illa dæmonum turba evanuit: Videruntque quidam monachi *S. Hieronymum*, alii autem has voces ab Euſebio prolatas audiebant: *Unde venis Pater? quare tantum moratus es?* Cui, audientibus fratribus, reſpondit *Hieronymus*: *Expecta fili, ne formides, quia te non deſeram, quem tantum diligo.* Qua voce confortatus *Euſebius* brevi decurſu temporis expiravit ſanctiſſime, ad cujus corpus etiam fiebant miracula plurima ejus ſanctitatem teſtantia. Ex *Epiſt. Cyrilli* ad *Auguſtinum*, de hoc agit etiam *Marcus Marulus* in Palæſtra Chriſtiana *cap. 10.* qui addit Doctrinale ſequens: *Nemo ex incomperto aliquo, deformique decedentium geſtu animas eorum judicet, ſi vir tam Sanctus ita ſe in morte habuit: ut de illo dubitaretur, niſi, quod contigerat, palam factum fuiſſet.* Caſum hunc deſcribit etiam *Michaël à S. Catharina* in Trino Perfecto *Vol. 1. Tract. 20.* de memoria mortis. *Eruditione 4.*

XI. Quidam in deſerto Ægypti Solitarius, multæ Sanctitatis vir, & olim *Beato Hieronymo* familiariter utens, vidit in quiete animam cujusdam Epiſcopi *Anconitani*, cum ante Divinæ Majeſtatis tribunal ſiſteretur, ob vitæ luxum, atque delicias ad æternam pœnam deſtinari, animam vero *Theodoſii* Senatoris, quod *Beatum Hieronymum* magno ſemper honore coluiſſet, ad purgatorii duntaxat tormenta deducendam decerni. Cumque diem pius Solitarius ſignaſſet, quo iſta viderat, comperit deinde eodem ipſos ambos fuiſſe vita defunctos, & credidit vera eſſe, quæ ſibi per ſomnium apparuerant. Ex *Epiſtola Cyrilli* ad *Auguſt.* & ex *Marci Maruli* Palæſtræ Chriſtianæ *Lib. 5. cap. 12.* Item: *Michaelis à S. Catharina* Trini Perfecti *Vol. 3. Tract. 15.* de invocatione, & Veneratione Sanctor. *Erud. 2.* additque idem pro doctrina ſequentia: *Ex his colliges, quantum expediat cœleſtis regni cives perſancte venerari, cum ſæpe contingat, ut ipſis opitulantibus ii, qui ad infernum corruiſſent, infernum purgatorio commutent, & de futura beatitudine conſequenda certi fiant.*

XII. Plura ſunt hujusmodi *S. Hieronymi* miraculorum exempla à variis Authoribus ex eadem *Epiſtola Cyrilli* ad *Auguſtinum* excepta, paſſimque in codicibus Aſceticis, & Prædicatoriis leguntur: ut de quodam monacho *S. Hieronymum* devoto cultu honorante, mirabiliter protecto, devotionem verò deſerente, pariter deſerto, ſed reaſſumpta veneratione, denuo in tutelam recepto; de quo tradit etiam *Severus Sulpitius in vita S. Martini.* Item: De duobus nobilibus viris *Alexandrinis*, quamvis gentilibus, *Bethlehemum* cum intentione Reliquias *S. Hieronymi* viſitandi, peregrinantibus, deviis in ſilva factis, & à latronibus circumſeptis, atque ad invocationem Sancti Doctoris miraculoſe ab omni periculo libertatis. De duobus quoque Juvenibus Romanis pariter ad Reliquias S. Hieronymi contendentibus, homicidii in via incuſatis, & ad capitalem pœnam Conſtantinopoli adjudicatis, ope S. Hieronymi pro innocentibus declaratis, atque à morte præſervatis.

XIII. Copioſis aliis prætermiſſis, utpote vetuſtioribus, unum recentiorum ſæculorum caſum etiam miraculoſum circa Imaginem S. Hieronymi actum hic adjicere placuit. Refert hunc *Bonifacius Bagatta* in admirandis Orbis Chriſtiani *Tomo 2. Lib. 5. cap. 2. num. 8.* ex Annalib. *Ord. Serv. B. V. Mariæ, Cent. 3. lib. 2. cap. 5.* Ad A. C. circiter 1522. ſequens miraculum

Digitized by Google

lum contigit. Aderat in quodam domeſtico oratorio antiquarum ædium *Trivultiæ* familiæ, in via, quæ dicitur *Ruga Bella*, Icona quædam depicta cum imagine *B. Mariæ Virginis*, quam duo præcipue Sancti Sebaſtianus, & Hieronymus mediantes venerari videbantur. Illuc autem Domicella quædam Dominæ *Hippolytæ de Trivultia* conſueverat ſtatutis horis ad orationem deſcendere, & die quadam videre viſa fuit ex oculis *S. Hieronymi* ſanguineas effundi lachrymas, cumque ſibi non crederet ſimplex puella, accepto bombyce, ipſa ſanguineis maculis madefacta evaſit. Fama tanti prodigii undique divulgata, omnes ad *Trivultiorum* ædes concurrere cœperunt, mirabiliaque Dei admirabundi venerari. Hujus modi icona gens *Trivultia*, ut majori veneratione coleretur, Fratribus *Servitis* donârunt, eamque in præcipuo ſuæ familiæ ſacello in Eccleſia *Sanctæ Mariæ Fontis de Terraloeato* (quod eſt oppidum prope *Mediolanum*) collocaverunt, quæ usque hodie ibidem videtur, in qua S. Hieronymi ſiniſter oculus adhuc rubricoſo ſanguine madidus apparet, & cum reſidua quadam illius bombycis particula, qua fuerat abſterſus, conſpicitur quodammodo maculatus. Judicia Dei, abyſſus multa! Quis novit, an non S. Hieronymus infenſiſſimus hæreticorum oſor, patriæ ſuæ indoluerit, eidemque condolendo lachrymas plane ſanguineas fuderit? dum ex viſione Dei præſcivit Natale ſuum ſolum *hæreſi Lutherana* inficiendum. Paucos namque poſt annos natus omnino fuit infector eiusdem *Georgius* Comes *à Zrinio*, *Nicolai Chriſtiano Catholica* religione, & *Sigethanâ* ad A. C. 1566. obſidione clariſſimi filius, qui poſt obitum optimi Patris ſui Dominio *Peninſulæ*, quam *Dravus*, & *Mura* fluvii efficiunt, potitus, *hæreſim*, quam imo pectore hauſerat in Dynaſtiam ſuam diffudit, omnes Catholicos Eccleſiarum Paſtores exulare coëgit, iisque *Prædicanticos* dogmatum *Lutheri* ſubſtituit. Ut fuſius notat *A. R. P. Nicolaus Benger* Annalium Eremi Cœnobitarum *Vol. 2. pag.* 50. ex Actis manuſcriptis Conventus *Ord. S. Pauli primi Eremitæ Csaktornyenſis*, eidem Dynaſtiæ incluſi. Quod autem idem *Georgius* Comes *à Zrinio*, *ſenior* dictus non multo poſt fuſas memoratæ Sacræ *Sancti Hieronymi* imaginis lachrymas natus ſit: probatur ex *Iſtvanfii Hiſt.* de rebus Hung. *Lib.* 33. Ubi narrat hunc Seniorem *Georgium Zrinium* obiiſſe A. C. 1603. ætatis ſuæ 54. conſequenter natus fuit A. C. 1549. Sacra porro imago lachrymas fudit, ut ſupra notatum eſt, A. C. 1522. adeoque poſt effuſionem lachrymarum Sacræ iconis Anno 27. bene ergo dictum arbitror: *Non poſt multos annos*, ſæpius namque ſimilium prognoſticorum eventus ad plures etiam Divina providentia procraſtinat annos; quod pluribus ſi neceſſum foret, quiret probari exemplis, quæ Lectori ſapienti, aliunde plurium ſimilium gnaro, producenda non exiſtimo.

CAPUT XXVI.

Sancti Hieronymi in Sanctorum catalogum relatio, ſeu Canonizatio.

I. CAnonizationem *Sancti* noſtri *Hieronymi* deſcripturus, plurima Præliminaria, de Canonizationibus Sanctorum hic producere deberem, ſed quia hæc copioſe in graviſſimæ authoritatis Scriptoribus, iisque

que Theologiæ, ac Juris utriusque Doctoribus reperirentur, ego pauca ex *Volumine primo* de Servorum DEI beatificatione, & Beatorum canonizatione *Proſperi Cardinalis de Lambertinis*, nunc Eccleſiæ Romano-Catholicæ Supremi Præſulis, & Paſtoris *Benedicti* hujus nominis *Papæ XIV.* venia prius ab eodem cum humillima ſubjectione, ac devotiſſimo Sacrorum pedum oſculo, petita, quo compendioſiſſimo ſtylo potero, delibabo. Hic Sanctiſſimus Pater eruditiſſime exponit per longum, & latum ternorum temporum, *Primitivæ* videlicet, *Mediæ*, & *Recentioris* Eccleſiæ canonizationis Ritus, pariter trifarios, *Solemnes* nimirum, *ſolemniores*, & *ſolemniſſimos*: pro ſuis firmandis Sententiis multos, & ſine numero quaſi probatiſſimos Authores *Theologos*, *Juriſtas*, *Hiſtoricos*, Aliosque de Ritibus Sacris tractantes his in partibus incognitos plane, & vix aliquando auditos, adducens. De *Primitivæ* ergo *Eccleſiæ* dumtaxat uſu (utpote aliorum temporum reſpectu canonizationis *S. Hieronymi* non habens neceſſitatem) tractaturus, certiſſimum eſſe exiſtimo: quod in *Primitiva Eccleſia* inter cæteras Epiſcopalis ſollicitudinis partes non ea fuerit poſtrema, ut Acta eorum, qui Chriſti fidem confitentes, intuitu hujus confeſſionis moriebantur, ſincera colligerentur: quod patet ex actis Sanctorum Pontificum *Clementis*, *Fabiani*, & *Anterii*. Quorum primus *Clemens* A. C. 68. Pontifex electus ſeptem Notarios: Alter *Fabianus* A. C. 236. Papa creatus ſeptem Subdiaconos in quatuordecim Urbis Regionibus, cuilibet duas aſſignando inſtituit, ut unusquisque horum diligenter, & fideliter, ſollicite, ſimul & curioſe per Regiones ſibi aſſignatas Geſta Martyrum perquirerent, in integro colligerent, atque in codices referrent; eorundemque animi humilitatem, pietatem, abſtinentiam, charitatem, & genus martyrii, diem item martyrii, & obitus, ac miracula conſcriberent. Tertius vero *Anterius* eodem Anno 236. ſed ante *Fabianum* factus ſupremus Eccleſiæ Præſul, dum à Notariis per *Clementem* ordinatis connotata exquirit, & recipit, inque Eccleſia recondit, à *Maximino* Urbis Præfecto eà de cauſa martyrio coronatur. De harum Regionum diviſione, & qualiter quatuordecim antiquæ Urbis Regiones ſeptem Notariis à *S. Clemente*, deinde ſeptem Subdiaconibus à *S. Fabiano* diſtributæ fuerint, eruditiſſimè diſcurrit *Blanchinus* ad Anaſtaſium *Tom. 2. pag. 138.* & *Panvinus* in Diſſertatione de Baſilica *Lateranenſi lib. 3. cap. 14.* Quorum ſententias comprobarunt eruditione, & pietate præſtantes viri *Baronius*, & *Florentinius* in Præfationib. ad *Martyrologia* ab eis edita. Item *Molanus* ad Martyrologium *Uſuardi cap. 21.* *Polydorus Vergilius* de rerum inventoribus. Aliique, ſignanter *Juſtus Fontaninus* in Præfat. ad *Codicem Canonizationum.*

II. Mos iſte Acta Martyrum conſcribendi ab Eccleſia Romana ad alias quoque manavit Eccleſias, incertum tamen eſt, utrum manaverit Lege ſtatuta, an potius exemplo? *S. Cyprianus* in *Epiſtola* tempore ſui receſſus ſcripto Clero *Carthaginenſi* mandavit, ut Acta Martyrum ſcriberentur, & dies conſummati agonis diligenter adnotaretur. Et *Pontius Diaconus*, qui *S. Cypriani* martyrium deſcripſit, teſtatur: moribus jam receptum fuiſſe, ut non ſolum nobilium, ſed & plebeorum hominum martyria adnotarentur. Huc ſpectant Acta Proconſularia, Acta videlicet à Notariis gentilibus ſcripta, in quibus juridicus proceſſus condemnationis Martyrum ad mortem, qui ab Ethnicis Magiſtratibus fiebat, continebatur, & quæ ad manus Chriſtianorum deveniebant, vel quia emebantur numerata pecunia: ut de *Valerio*, Sancti *Pontii* Senatoris, &

Digitized by Google

Martyris Alumno legitur apud *Bollandiſtas* ad diem 14. *Martii*, vel quia aliquando ea conſignari contingebat à *Chriſtianis* officium Notariatus exercentibus in Tribunalibus Magiſtratuum gentilium, ſed tali modo, ut certamina tantum deſcriberent, quæ ad decus, & ſplendorem veræ pietatis amplificandum referebantur, à deſcribendis autem Edictis perſecutionum, & pœnæ mortis abſtinerent, ne ſe impietatis probarent miniſtros: ut legitur de *Geneſio Arelatenſi* apud *Joannem Dertis*, in Obſervationib. ad *Annales Baronii*, & apud *Altaſerram* in *Notis* ad *Anaſtaſium* in vita *S. Clementis Tom.* 2. De his, & ſimilibus plura, late explicata, videnda ſunt apud *Honoratum de S. Maria*, Carmelitam diſcalceatum in Opere ſuo *de Critica Regulis Tom.* 1. *Diſſert.* 4. *Art.* 1. Huc pertinent etiam Acta Martyrum à Chriſtianis connotata, qui ſe Gentilibus immiſcebant, dum Martyr à Judice examinabatur, dumque Judex pœnas, & tormenta decernebat: ejuſmodi generis Acta dicuntur fuiſſe SS. Martyrum *Tergeminorum*, quæ deſcripta fuerunt à SS. *Neone*, & *Turbone*. Item SS. Martyrum *Jacobi*, & *Mariani Numidarum*. Ad quod firmandum adducitur *Euſebius* qui *lib.* 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *cap.* 7. agens de Martyribus *Palæſtinæ*, de ſe ipſo ſcribit hæc verba: *Quæ cum gererentur, nos ipſi præſentes aderamus.* Huc tandem reſpicit antiqua, & communis fere omnium Eccleſiarum conſuetudo recitandi in Conventibus publicis eorum Martyrium geſta, quorum Feſta peragebantur; ut teſtatur *Ruinartius* in Præfat. ad *Acta Martyrum Num.* 5. Et adeo diligens erat obſervatio de Actis in Eccleſia recitandis, quæ eſſent ſincera, ut *Gelaſius* ſummus Pontifex lectionem eorum in Eccleſia Romana edito Decreto prohibuerit, ſi conſcripta fuiſſent ab infidelibus, ignotis, aut hæreticis. Quod Decretum *Juſtus Fontaninus* in antiquiſſimo Codice *Bibliothecæ Palatinæ* nomine *Gelaſii* notatum, invenit, & poſt *Antiquitates Hortæ* edidit.

III. Actorum collectioni ſuccedebat Examen, ut *Franciſcus Bencinus* teſtatur *Diſſert.* 2. de Litteris Encyclicis *cap.* 3. §. 1. *num.* 6. his verbis: *Honor autem tributus Martyribus in Eccleſia primitiva, ſummumque omnium ordinum æſtimium, pars quædam Religionis fuit, & quin Cultum religioſum involveret, nihil eſt dubitandum. Idcirco Eccleſiarum Antiſtites magna ſemper ſolertia, ſummaque ſtudio caverunt, ne cui Religioſum hunc cultum decernerent, qui ſuo reipſa merito mactandus hoc bonore non eſſet: ejusque gratia invigilarunt, ut ex certis indiciis uniuſ cujusque merita dijudicarentur, & cauſam martyrii, vitamque Martyris penitus internoſcerent.* Deinde proſequitur citatus *Baronius* in §. 4. ea omnia, quæ ſedulo perpendebantur, antequam aliquis inter veros Martyres recenſeretur. Non omnes etenim, qui tormentis efficiebantur, Martyrum conſortio adſcribebantur. Sæpiſſime quippe factum eſt, ut ad martyrii laudem, aut piorum Chriſtianorum ſubſidia ambientes, aut ſcelerum ſuorum pœnas effugientes, aut æris alieni gravitatem declinantes, pravis ſtudiis, conſiliiſque præpoſteris ſeſe carceribus mancipandos offerrent; ut notiſſimum eſt, quod de Peregrino, quem *Protheum* appellant, ſcribit *Lucianus*. Examen ergo requirebatur, ut boni à malis diſcernerentur; neceſſarium enim erat dignoſcere: An tales in Eccleſiæ Catholicæ unitate mortui eſſent? juxta illud Apoſtoli: *Si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Quærebatur præterea: An, qui tormenta paſſus erat, paſſus fuiſſet inani gloria, aut alio ſæculari motivo ductus? juxta id *S. Hieronymi* Comment. in Epiſt. ad *Galat. lib.* 3. *cap.* 5. dicentis: *Vide, quantum bonum ſit charitas!*

Digitized by Google

ritas! ſi ita martyrium fecerimus, ut noſtras velimus ab hominibus reliquias venerari, ſi opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta ſunt, quam victoriæ. Quæſtio dein inſtituebatur de cauſa mortis, juxta illud *S. Auguſtini*. *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Unde cum *S. Epiphanius* in Tractatu de *Hæreſibus*, *Hæreſi 76.* graviſſimas pœnas expoſuiſſit, quas *Gregorius* Patriarcha Alexandrinus paſſus fuerat à gentilibus, quæſtionem ex poſt propoſuit: An inter Martyres eſſet adſcribendus? dicens: *Objicere nobis quiſpiam poſſet, cum hæc à Gentilibus paſſus eſt, nonne martyrium obiiſſe videri poteſt?* Et inter Martyres non eſſe recenſendum dixit, cum morte mulctatus fuiſſet patrati ſceleris cauſa, hoc eſt: propter injurias, quibus populum ſibi commiſſum affecerat, ajens: *Sed hæc minime propter Chriſti confeſſionem ſuſtinuit, quin potius ob omnem illam injuriam, ac violentiam, qua Epiſcopatûs ſui tempore, quoquo eum tandem modo geſſerit, civitatem omnem, ac populum compreſſit.*

IV. Actorum examini ſuccedebat judicium Eccleſiaſticum, quo cultus decernebatur illis adhibendus, de quorum obitu pro Chriſti fide nulla ex Actorum reviſione ſupererat dubitatio. Judicium in unaquæque Diœceſi ad ſuum pertinebat Epiſcopum, ut adnotavit *Cardinalis Bellarminus* de Sanctor. Beatificatione *Lib. 1. cap. 8.* Et *Lupus* in *Notis* ad quartum *Concilium Romanum Tomo 3.* His accedit *Joſeph Maria Suareſius* in *Notis* ad *S. Lini* Opera, *pag.* 707. & copioſiſſimi alii Authores hac de re tractantes. Exiſtimat tamen *Suareſius* in Apologia Theologiæ pro Sanctorum cultu *pag.* 32. Judicium hoc non ad quemcunque Epiſcopum, in cujus Diœceſi quis martyrium ſuſtinuiſſet, & de quo quæreretur; an ſuſtinuiſſet pro Chriſto? ſpectâſſe, ſed examen ad Primatem delatum fuiſſe, qui adhibito conſilio aliorum Epiſcoporum decernebat, quid de martyrio ſentiendum eſſet. Cui favet teſtimonium Divi Auguſtini in Breviculo Collationum cum *Donatiſtis*, *Collat. 3. cap. 13.* Ubi deſcribendo ritum, & ordinem, quo Acta Martyrum ad Primatem transmittebantur, ait: *Recitarunt etiam Reſcripta ſecundi Tigiſitani ad eundem Menſurium pacifice data, ubi & ipſe narravit in Numidia perſecutores quæ egerint, & qui comprehenſi, & ſcripturas ſacras tradere nolentes, & multa mala paſſi, & graviſſimis ſuppliciis excruciati, & occiſi ſunt, eosque honorandos pro martyrii ſui merito commendavit, laudans eos non tradidiſſe ſcripturas ſanctas.* Sed hæc erat Africanæ conſuetudo, quemadmodum adnotavit *Lupus* ad quartum Concilium Romanum *S. Leonis IX. Tom. 3.* Ubi recitato Auguſtini teſtimonio, ait: *Non quosvis in Africa Epiſcopos, licet Provinciarum Primates, potuiſſe canonizare, ſed eminentem hanc facultatem Primitiali Carthaginenſium ſedi fuiſſe reſervatam.* Extra Africanam ergo Eccleſiam examen ad unumquemque Epiſcopum in ſua Diœceſi pertinebat, & ad eundem Epiſcopum ſpectabat, peracto examine decernere: An, qui occubuerat, inter Martyres eſſet recenſendus; & an cultus eſſet ei adhibendus? Quod Altaris potiſſimum, aut Oratorii erectione in ejus honorem compleri conſueverat. Id egiſſe *S. Gregorium Thaumaturgum*, qui ſæculo tertio florebat, refert *S. Gregorius Nyſſenus* in vita ejusdem. Eademque de *S. Joanne Chryſoſtomo*, qui vixit ſæculo quarto, ſcribit *Sozomenus lib. 7. cap. 15.* Et multi alii celebratiſſimi Scriptores, de plurimis Epiſcopis, qui vitam, exitum eorum, qui martyrii, & ſanctitatis fama celebres in ſua Diœceſi moriebantur, perpendebant.

V. His rite peractis, tum SS. Martyrum nomina, tum pretioſæ mortis ſeries primis æræ Chriſtianæ Sæculis ab una ad aliam Eccleſiam per *Encyclicas Litteras* transmittebantur, ut, nedum glorioſa certamina omnibus innoteſcant, ſed & cultus Eccleſiaſtico judicio in una Diœceſi ab Epiſcopo introductus, alias quoque, aſſentientibus ipſarum Epiſcopis, extenderetur. Hujus rei teſtes ſunt *Florentinius*, qui in *Admonitione 3.* de vetuſtioris Martyrologii vulgandi propoſito, ſic ait: *Hinc frequenter de Martyribus Epiſtolæ ultro, citroque, ex Provinciis in Provincias transmittebantur.* Huic accedit *Ruinartius*, qui in *Præfat.* ad Acta Martyrum §. *1. num. 3.* ſubdit: *Tandem Eccleſiæ, quæ tantis viris ornatæ fuerant, poſt conſummatum eorum martyrium, totam rerum geſtarum ſeriem in Epiſtola Encyclica deſcriptam, ad alias Eccleſias transmittebant, ut non ſolum apud ſe, verum etiam apud exteras Regiones tam illuſtrium virorum memoria celebraretur.* His adhæret eadem, ſed diverſis verbis exprimens *Bencinus* in *Diſſert. 1.* de Litteris Encyclicis §. *4. num. 14.* Et ipſemet *Dodwellus* Scriptor *heterodoxus*, qui inter *Cyprianicas Diſſertationes* memoratas Litterarum Encycliacarum transmiſſiones admittit, dicens: *Quin & pro Catholicarum Eccleſiarum commercio: Eccleſiæ exteras etiam Provincias faciebant certiores, ut eorum* (*Martyrum*) *Natale celebraretur, idque per Epiſtolas Encyclicas, quarum nonnullæ ad nos usque pervenerunt.* Ex ſimilibus Epiſtolis extare adhuc nonnullas aſſerit laudatiſſimus *Proſper Cardinalis de Lambertinis lib. 1. pag.* 17. quarum plures enumerat: ut Eccleſiæ *Smyrnenſis* de Martyrio *S. Polycarpi*: *Viennenſis*, & *Lugdunenſis*, de Martyrio *S. Pontini* Epiſcopi &c. Neque ſimiles Epiſtolæ, quæ ab una, ad aliam Eccleſiam transmittebantur, Eccleſia expoſitæ relationis curſum ſiſtebat, ſed Eccleſia per Epiſtolam de martyrio admonita, receptam Epiſtolam ad alias transmittebat Eccleſias: ideoque Encylica *Smyrnenſis Eccleſiæ* de *S. Polycarpi* martyrio inſcripta eſt quidem *Eccleſiæ Philomeliæ*, quæ forte à *Smyrnenſi* poſtulaverat, ut Acta martyrii ſibi transmitteret, ſed ad ulteriora progreditur, cum inſcripta ſit etiam omnibus aliis Catholicis Eccleſiis, hoc tenore: *Eccleſia DEI, quæ eſt Smyrnæ, Eccleſiæ DEI, quæ eſt apud Philomeliam, & omnibus ubicunque terrarum ſanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ populis miſericordia, & pax, & charitas DEI Patris, & Domini noſtri JEſu Chriſti multiplicetur.* Et, qui poſtquam in fine dictum eſt: *Hæc de Beato Polycarpo, qui cum aliis duodecim Philadelphienſibus apud Smyrnam coronatus eſt.* Subditur: *Quæ vos, poſtquam acceperitis, rogamus, ut ad fratres ulterius poſitos Epiſtolam transmittatis, quo & illi Dominum benedicant, qui ex ſuis famulis, quoscunque vult, eligit.* In Epiſtola quoque ſua *S. Cyprianus*, poſtquam Clero ſuo martyrium *S. Xiſti* Papæ ſignificaſſet, hæc ſubjunxit: *Hinc peto, per vos, ut collegis innoteſcant.* Epiſtola præterea Eccleſiæ *Gotbicæ* de martyrio *S. Sabæ* ſcripta eſt Eccleſiæ DEI, quæ eſt in *Cappadocia*, & omnibus *Eccleſiæ Catbolicæ Chriſtianis* ubique gentium habitantibus, in cujus fine leguntur hæc verba: *Quamobrem, qua die Martyr coronatus eſt, ſacrificantes, hoc reliquis fratribus nuntiate, ut in omni Catbolica, atque Apoſtolica Eccleſia exultantes, collaudent Dominum, qui proprios Servos ſuos elegit.* Atque ex his, & ſimilibus innumeris Epiſtolis *Tabulæ Eccleſiaſticæ*, quibus Martyrum natalitia conſcripta habebantur, quæque à *Tertulliano* appellatæ fuerunt *Faſti* ſuam duxerunt originem, ut adnotavit *Pamelius* ad *Cypriani Epiſt.* 37. A *Faſtis* porro *Kalendaria*, *Martyrologia*, *Mœnologia*, & *Paſſionalia* Martyrum ortum habuerunt.

VI. Sed ſi ab una ad aliam Eccleſiam *Epiſtolæ Encyclicæ* transmittebantur,

Digitized by Google

tur, ut unaquæque certior fieret de iis, qui mortem pro Chriſto paſſi fuerant, nemo erit, qui jure ſibi ſuadere poſſit, conſimiles Epiſtolas ad Eccleſiam Romanam, aliarum omnium Eccleſiarum Matrem, centrum catholicæ unitatis, ad Romanum Pontificem, *Chriſti* in terris *Vicarium*, & Apoſtoli *Petri* ſucceſſorem non fuiſſe tranſmiſſas. *Sanctus Cyprianus* ſcripſit Epiſtolam hortatoriam (quæ eſt apud *Pamelium* ſub *num.* 26.) *Moyſi*, *Maximo*, aliisque Confeſſoribus Romanis in carceribus ob Chriſti nomen maceratis, deſcribens eisdem quorundam Martyrum obitus, ut alacres eſſent, & prompti ad mortem ſubeundam. Qui vice verſa ad illum dederunt aliam Epiſtolam, qua ſe conteſtabantur ex litteris ſuis vidiſſe illos Martyrum triumphos, eosque oculis ſuis quodammodo cœlum ipſum ipſos petentes proſecutos fuiſſe. Ex quorum Epiſtolarum huc, atque illuc ſcriptitatione jure, & merito concludi poteſt, fuiſſe etiam ad Eccleſiam Romanam tranſmiſſam notitiam eorum, qui in exteris Regionibus martyrium ſubibant pro Chriſto. Si enim *Cyprianus* Martyres in carceribus Romanis conſtitutos ſedulo hortabatur, ut pro Chriſto libenter morerentur, veroſimile admodum eſt, idipſum etiam ab aliis factum eſſe. Et ſi exteri Epiſcopi hortatorias dabant Epiſtolas ad Martyres Romanos, cur, quæſo, credi non poſſet ipſos ad Epiſcopos Urbis Romæ, ſummosque Pontifices per litteras indicaſſe nomina eorum, qui in ſuis Regionibus Martyrium ſubibant. *Cardinalis Baronius* ad A.C.166. binas *Pii* Papæ I. producit Epiſtolas ad *Juſtum* Epiſcopum Viennenſem datas: quarum una eidem *Juſto* reſpondet: gaudium ſibi inæſtimabile ſumpſiſſe de triumpho Martyrum (quorum nomina littera *Juſti* Epiſcopi ad Pontificem ſcripta continebat) & ſimul Martyrum Romanorum nomina conſignata *Juſto* remittens, ipſum commonebat: vera, & ſancta Martyria eſſe diligenter diſcernenda à falſis, & mature probanda ad Regulas à *Spiritu Sancto* traditas. Ex quibus litteris apparent mutua litterarum inter Eccleſias de Martyribus jam probatis commercia, & maxime illarum, quæ ad Romanum Pontificem ſcribi ſolebant. Si etenim *Eccleſia Romana*, & *Summi Pontifices* admonebant ſibi ſubditas Eccleſias de pretioſa morte illorum, qui in Urbe ſanguinem pro Chriſto fundebant, atque ut martyria ſimilium vera à falſis juxta Regulas à Spiritu Sancto dictatas diſcernerent: unusquisque ſanæ mentis admittere debet, cæteras inferiores Eccleſias, *Romanam*, *ſummumque Pontificem* certiorem reddidiſſe de illis, qui apud ipſas Martyres moriebantur. Quod non ſolum ſolidiſſimis conjecturis, & præſumptionibus, verùm etiam validiſſimis argumentorum fundamentis probat nunc meritiſſimus Beatiſſimus Pater *Benedictus Papa XIV.* antea *Proſper Cardinalis de Lambertinis loco cit. pag.* 19. *& ſequ.* Aſſeritque ex Actis *S. Vigilii* Epiſcopi Tridentini, & Martyris, ſæculo quarto pro Chriſto paſſi, & mortui: cujus Acta in Codice vetuſtiſſimo deſcripta ab *Obrechto Argentoratenſis* Urbis Generali Advocato commodata obtinuerat *Joannes Mabillonius*, ut ipſemet refert in *Præfatione* ad Sæculum quintum §. 6. *num.* 93. qui eum dein commodaverat *Juſto Fontanino* ipſomet atteſtante in *Præfatione* ad Novum Codicem Canonizationum. Ex hoc itaque Actorum *S. Vigilii* Codice concludit citatus *Proſper Cardinalis* clariſſime inferri poſſe: non ſolum notitiam martyrii accepti, ſed etiam Acta ipſa martyrii fuiſſe ad *Romanum Pontificem* tranſmiſſa, ut examinarentur, & cultus approbaretur. Examen deduci poteſt ex verbis, quæ in iisdem Actis leguntur: *Quæ Venerabilis Papa legens cum omni veneratione ſuſcepit.* Et petita cultus approbatio ex aliis colligitur

Digitized by Google

gitur verbis ibidem inſertis: *Ut ſacris Martyrum memorabilibus inderentur.* Cum autem hæc Actorum tranſmiſſio ad *Romanum Pontificem* facta ſit, antiquioris conſuetudinis inhærendo veſtigiis, quemadmodum præſeferunt verba Actorum: *Ut moris erat.* Certum ex his videtur, tam Sæculo quinto, quam aliis præcedentibus tranſmiſſa fuiſſe ad *Romanum Pontificem* Acta Martyrum, ut, prævio examine, cultus in eorum honorem vel introduceretur, vel, ſi jam authoritate Epiſcopali eſſet introductus, Apoſtolicæ ſedis approbatione roboraretur. Hoc ipſum confirmatur ex Actis *S. Gregorii Magni, Epiſt.* 29. *lib.* 7. *Indict.* 1. Ex quibus patet, omnium fere Martyrum nomina in uno codice fuiſſe collecta, & Codicem in *Eccleſia Romana* aſſervatum fuiſſe. Satis igitur hoc, ſuperque eſſe videtur, ut ab aliis Eccleſiis, & ab aliis Epiſcopis delata ad eam cenſenda ſit notitia eorum, qui in ſuis Diœceſibus moriebantur pro Chriſto per Actorum, vel authenticæ ſaltem Epiſtolæ tranſmiſſionem, ut Apoſtolico munimine cultus eorum introduceretur, aut introductus confirmaretur.

VII. A Martyrum cultu, ad cultum Confeſſorum digreſſum faciens, inſinuandum prius duxi: Confeſſorum nomine, juxta uſitatum hac tempeſtate loquendi modum, comprehendi illos, qui poſt virtutum heroicarum exercitium in pace mortui ſunt, morte eis à Tyranno nullatenus inflicta. De his, primis etiam Eccleſiæ ſæculis, multa laude digna Sancti Patres loquebantur, & conſcribebant. *S. Cyprianus* in Libro *de zelo, & livore*, inquit: *Non enim Chriſtiani corona una eſt, quæ tempore perſecutionis accipitur: habet & pax coronas ſuas, quibus de varia, & multiplici congreſſione victores proſtrato, & ſubacto adverſario coronamur. Libidinem ſubegiſſe, continentiæ palma eſt: contra iram, contra injuriam repugnaſſe, corona patientiæ eſt: de avaritia triumphus eſt, pecuniam ſperneze: laus eſt fidei, fiducia futurorum; mundi adverſa tolerare.* Atque ideo hos *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Sæculi ſexti ſcriptor *lib.* 8. Originum, *cap.* 11. inter Martyres recenſet, argumentum ſibi deſumens ex illo *S. Joannis Chryſoſtomi in Pſalm.* 46. textu: *Martyrium non tantum indicatur ex eventu, ſed etiam ex propoſito.* Quemadmodum autem hæc certa ſunt, ita incertum admodum eſt, quo præciſe tempore horum Confeſſorum cœperit cultus in Eccleſia. Plures tamen celebres ſcriptores concordare videntur pro hujus cultus initio ad ſæculum quartum. Agmen horum ducit *Innocentius Papa III.* qui *lib.* 3. de Myſteriis Miſſæ *cap.* 10. ait: *Eccleſia poſt tempus Beati Sylveſtri Sanctorum Confeſſorum memoriam cœpit venerari. Innocentium III.* ſequitur *Cardinalis Bona* Rerum Liturgicarum *lib.* 2. *cap.* 12. & *Mabillonius* in *Præfat.* ad ſæculum quintum *Ordinis S. Benedicti* §. 6. *num.* 97. item *Juſtus Fontaninus* in *Præfat.* ad Novum Codicem Canonizationum, ita ſcribens: *Hunc ſolemnem, & maximum honorem in Eccleſia militante quatuor primis Chriſti Domini ſæculis in unos Martyres præ cæteris collatum fuiſſe, veterum patrum ſcripta teſtantur. Sæculo deinde quarto Confeſſoribus quoque tribui cœpit.* Concordat *Durantus* de Ritibus Eccleſiæ *lib.* 2. *cap.* 35. Initio cultus Confeſſorum pro ſæculo quarto ſuffragantur quoque Monumenta ſæculi quarti, & Illationes, quæ fiunt à viris antiquarum rerum peritiſſimis. Legitur etenim apud *Sozomenum lib.* 3. *cap.* 13. *Hilarionem* Eremitam *S. Antonii* diſcipulum in *Cypro* mortuum ab ejus Inſulæ indigenis tumulo conditum, magnoque in honore, ac veneratione habitum. Socrates *lib.* 8. *cap.* 19. ſcribit: Poſt mortem *Milammonis* perfectæ vitæ monachi, ſuper ejus ſepulchrum fuiſſe ab indigenis conſtructum templum, & ex tunc mo-

Digitized by Google

morem invaluiſſe diem ejus obitus magna cum ſolemnitate celebrari. Eodem quarto ſæculo labente, *Gregorius Niſſenus Baſilii*, & *Gregorius Nazianzenus Anaſtaſii* laudes die obitus eorum anniverſaria celebrarunt. Sanctus item *Gregorius Niſſenus*, qui mortuus eſt A. C. 394. orationem exaravit de laudibus Sancti *Ephremi* A. C. 378. defuncti, in qua de ejus cultu fert teſtimonium, additque hujus cultus conſuetudinem jam eſſe introductam. His, quæ in Oriente contigerunt, addi etiam poſſent plurima ex Occidente, ſed brevitati ſtudens prætermittenda cenſui. Unicum tamen ſilentio prœterire non judicabam, eſtque de *S. Martino Pannone*, Epiſcopo in *Galliis Turonenſi*: qui eodem ſæculo quarto, id eſt: A. C. 401. ut *Brietius* Annalium mundi *lib.* 5. *cap.* 1. notat, obiit. Quem *Severus Sulpitius Epiſt.* 2. parem Martyribus prædicavit, dicens; *Nam licet ei ratio temporis non potuerit præſtare Martyrium, gloria tamen Martyris non caruit, quia voto, atque virtutibus & potuit eſſe Martyr, & voluit.* Ejus quoque feſtivitas ſtatim coli cœpit, atque ideo ſolus ex Confeſſoribus Officium proprium habet in vetuſtiſſimis etiam Breviariis, teſte *Cardinali Bona* Rerum Liturgicarum *Lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. cui adhæret *Mantena* de antiquis Eccleſiæ Ritib. *Tom.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. Eapropter Concilium Turonenſe primum, habitum A. C. 461. loquitur de celebritate S. Martini tanquam jam antea introducta, & vulgata, dum ait; *Cum ad Sacratiſſimam feſtivitatem, qua Domini Martini receptio celebratur in civitate Turonorum, beatiſſimi Sacerdotes conveniſſent.* Hoc eſt: ad Tranſlationem corporis ipſius à *Candarenſi* pago ad *Turonenſem* Eccleſiam, cujus fuerat Antiſtes. Quærit *Thomaſinus* de Feſtis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 10. Utrum prior fuerit cultus *S. Hilarii Pictavienſis*, in Eccleſia Pictavienſi: an cultus *S. Martini* in Eccleſia Turonenſi? Et ſimul reſpondet ſic: *Unius Hilarii ſolemnitas in Eccleſia Pictavienſi cum S. Martini feſto die in Turonenſi de antiquitatis gloria certare poſſet: attamen S. Martinus aliis quibusvis Confeſſoribus quos Eccleſia univerſa ſolemniter coluit, palmam præripit. Nam Provinciæ plurimæ, ac Regna illius ſolemnitatem celebrarunt, Aliorum Diœceſes quædam, quibus præfuerant, tantum.* Et profecto initio ſæculi quinti *Symmachus* Papa in Urbe Eccleſiam dedicavit in honorem *S. Martini*: ut *Franciſcus Blanchinus* in Notis ad *Anaſtaſium Bibliothecarium Tom.* 3. *pag.* 309. teſtatur.

VIII. De initio cultus Confeſſorum tractantes nonnulli ex his, de Sanctorum Canonizatione Volumina integra ediderunt. *Victorinus cap.* 5. & 6. agit de Controverſia hac, & concludit; Veram eſſe aſſertionem *Innocentii III.* ſupra relatam, ordinarie loquendo. Sed nonnullis ſanctis Virginibus, & Confeſſoribus ſolemnem, publicumque Eccleſiaſticum cultum fuiſſe exhibitum Pontificatus *S. Sylveſtri*, qui dum A. C. 314. incœpit, Author Tractatus de Canonizatione, ad Cardinalem *Montis Regalis Par.* 3. *cap.* 7. diſputata in partes Quæſtione, ita concludit; *Ergo conſtat, ab initio Eccleſiæ etiam Confeſſores ſanctis fuiſſe adſcriptos; ſed tamen ſolorum Martyrum ratio videtur, tum quia horum ſunt magni exercitus, illi pauciſſimi; tum quia illi ſunt celebriores ob gloriam Confeſſionis, & ſanguinis pro Chriſto effuſi: Unde Martyrologia ab ipſis dicta ſunt, & Euſebius Hiſtorias Martyrum ſcripſiſſe dicitur.* Quæ itaque contigerunt in cultu Martyrum, contigerunt quoque in cultu Confeſſorum. Quis enim unquam ſibi ſuadere poterit, non potuiſſe cultum religioſum exhiberi Martyri non vindicato, eundemque potuiſſe exhiberi Confeſſori, de cujus virtutibus, & miraculis ſuum Eccleſia non tuliſſet judicium? Præſto namque ſunt Canonica jura, quibus, poſt introductum cultum Confeſſorum, prohi-

Digitized by Google

bitum fuit, cultum publicum erga quemcunque Dei Servum exhiberi, proindeque ſive Martyrem, ſive Confeſſorem, ſi Eccleſiaſticum judicium de eorum ſanctitate non præceſſiſſet. Præſto ſunt antiquæ ſolemnes Corporum Confeſſorum translationes, & elevationes factæ authoritate Epiſcopali, in quibus initium Eccleſiaſtici cultus conſiſtebat. Præſto denique ſunt Epiſcoporum Decreta pro remotione cultus erga eos, qui ex errore populi, nulloque præcedente Epiſcopali examine inter Beatos Confeſſores publico cultu recenſiti fuêre. Quemadmodum ergo pro Martyribus Acta Paſſionum diligenter colligebantur, & connotabantur, ita Confeſſorum virtutes fuiſſe fideliter à probis viris conſcriptas, poſterorum memoriæ mandatas, oſtendit *Bollandus* in *Præfat generali* ad Vitas Sanctorum §. 2. *in fine* ubi hæc habet: *At non Martyrum ſolum, ſed aliorum quoque, qui vitam pie actam inſigni opinione ſanctitatis terminaſſent, præcipue ſi prodigiis eſſent à morte celebrati, ſcribi res præclare geſtæ conſueverunt.* Pariter, ſicut Acta Paſſionum, ſeu memoriæ Martyrum ab una ad alias Eccleſias transmiſſæ, cultum eorum, accedente conſenſu Epiſcoporum, promovebant; hoc ipſum contigiſſe etiam Confeſſoribus teſtatur *S. Dionyſius*, ſive alius vetuſtus probatus Author in Theoria Capitis tertii Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ubi ſic legitur: *Sacrarum Tabularum recitatio deprædicat eos, qui ſancte vixerunt, & ad ſtudioſæ vitæ perfectionem conſtanter pervenerunt. Nos quidem eorum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum, quietemque Deiformem adhortando, ac manuducendo: illos vero, ceu viventes celebrando, quippe, ut Theologia docet, nequaquam mortuos, ſed ex morte ad vitam diviniſſimam translatos.* Confeſſorum ergo nomina deſcripta in Diptychis Sanctorum ejus Eccleſiæ, in qua feliciter in Domino mortui fuerant, & in qua poſt obitum miraculis claruerant, delata horum omnium fama, ſinceris teſtimoniis innixa ad alios Epiſcopos, deſcribebantur in Diptychis aliarum Eccleſiarum. Cumque duplex eſſet genus Diptychorum; Alterum, in quo deſcripta erant nomina eorum, pro quibus orabatur, ut oratio eis conduceret ad ſalutem; Alterum, in quo eorum, quorum memoria agebatur, ut oblatio eis proficeret ad honorem. Atque hæc inſcriptio poſterior exhibitionem publici Religioſi cultus præſeferebat. Ac tandem Martyrum ne dum ad alias Eccleſias, ſed etiam ad Sedem Apoſtolicam delata fuiſſe Monumenta paſſionum, ſummorumque Pontificum authoritatem aliquando interceſſiſſe, ut cultus eorum introduceretur, vel introductus confirmaretur, ſuperius dixi. Hoc ipſum factum fuiſſe de Confeſſoribus innuit *Florentinius* in *Admonitione* 2. Martyrologio per ipſum edito, præfixa in qua ſic loquitur: *Cum autem ſub perſecutionum rabie innumeri quotidie Martyres in quavis fere Regione excreſcerent, & tandem, pace Eccleſiis reddita, plurimi DEUM inculpabili vita confitentes, ſub Confeſſorum titulo pretioſioribus Tabulis mererentur adſcribi, & à Romana precipue Magiſtra Eccleſia revera adſcriberentur: quot Sanctorum nomina accreviſſe neceſſe eſt in antiquis ſive indicibus, ſive Kalendariis, non tam Romanæ Urbis exemplo; quam Pontificum, & Epiſcoporum præcepto.*

IX. Univerſis, quæ hucusque in merito Confeſſorum dicta ſunt, in unum collectis, concludi poſſe videtur: Epiſcopos jure ſuo in ſuis Diœceſibus cultum publicum aliquando decreviſſe, & potuiſſe decernere erga Martyres vindicatos, & Confeſſores approbatos; quæ à nonnullis dicitur: *Particularis Canonizatio*, ſed ab aliis melius: *Beatificatio* appellatur. Cum Epiſcopale præceptum terminos ſuæ Diœceſis prætergredi non poſſet, eaque natura, & indoles Beatificationis ut plurima ſit, ut cultus

tus

tus in ea permiſſus, intra aliquam tantum Diœceſim, aut Provinciam ſit definitus. Ut adnotavit *Gonzal.* in *cap.* Audivimus *num. 7.* de Reliquiis, & veneratione Sanctorum; his verbis: *Canonizatio nunquam licuit Epiſcopis, Beatificatio vero primis Eccleſiæ ſæculis ab illis fiebat.* Huic accedit *Monriqu. Tomo 1.* Annalium *Ciſtercienſium* ad A. C. 1141. *cap. 8. num. 7.* Ubi non obſtante erectione Altaris authoritate Epiſcopali ſuper corpus *Joannis de Sacramenia*, ſcribit: fuiſſe tantum *Beatificatum.* Inferri quoque poſſe videtur: Cultum ab uno Epiſcopo in ſua Diœceſi ſtatutum, accedente aliorum Epiſcoporum, & ſic univerſalis Eccleſiæ approbatione, una cum conſenſu expreſſo, vel tacito Summi Pontificis, ad Canonizationis terminos perveniſſe; cum de natura, & indole Canonizationis ſit: Religioſi cultus extenſio ad univerſam Eccleſiam. Uti rem erudite adnotarunt: *Lucas d'Acheri*, & *Joannes Mabillonius* in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti in *Præfatione* §. 6. *num. 92.* Ubi loquendo de particulari canonizatione, ſeu beatificatione, quæ primis Eccleſiæ temporibus ſola erat in uſu, ita ſubdunt: *Particularis ſola in uſu erat, quæ tamen, accedente totius Eccleſiæ conſenſu, & approbatione, generalis evadebat.* Qua in re Summi Pontificis authoritatem aut tacitam, aut expreſſam interceſſiſſe putat *Gonzal.* in *cap.* Audivimus, *num. 7.* de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum. *Garzias* de Canonizatione §. 5. *pag. 91.* Item *Gravina* de Catholica Præſcriptione. *Tom. 4. Quæſt. 5.* de Canonizatione Sanctorum. *pag. 321.* His accedunt: *Dominicus à SSS. Trinitate, Tom. 3.* de Eccleſia militante, in Bibliotheca maxima Pontificia *Tom. 9. pag. 487.* Et *Rabeudi* Exercitior. Theologicorum *Tom. 2. Exerc. 3. cap. 1. pag. 138.* ubi ſic habet: *Veteres Sancti non fuerunt canonizati Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis authoritate, atque ſupremo judicio, ſicut noviſſimi ab aliquot ſæculis: ſed eorum cultus, qui primo in certis, ut particularibus Eccleſiis inſtitutus fuerat; paulatim deinde, Romano Pontifice non contradicente, ſed tacite approbante, ad alias Eccleſias pervenit.* Huic pro complemento Præliminarium præmiſſorum, de modo in Primitiva Eccleſia canonizandi, adjungo *Azorium*, qui, dum *Inſtitutionum Moralium Tomo 2. lib. 5. cap. 7.* quærit: Quomodo veteres, & antiqui Patres: ut *Sylveſter, Innocentius I. Leo I. Gregorius I.* &c. & plerique alii antiquiores, vel æquales, fuerint inter Sanctos relati? Reſpondet his verbis: *Eos cœpiſſe coli, & celebrari communi Epiſcoporum, & Clericorum conſenſu: acceſſit autem Eccleſiæ Romanæ expreſſa, vel tacita quædam authoritas.* Hanc *Azorii* ſententiam pluribus illuſtrat *Cardinalis Bellarminus*, de Sanctorum Beatificatione *lib. 1. c. 8.* Hujus vero doctrinam explanat, & confirmat *Sarnellus Epiſcopus* in ſua *Epiſt. 35. Tom. 2.*

X. His de Ritu, quem Primitiva Eccleſia in canonizatione SS. Martyrum, & Confeſſorum adhibebat, præliminaliter poſitis, tempus eſt, ut deſcendam tandem ad declarationem canonizationis Sancti noſtri, de quo in hoc opuſculo agitur, *Hieronymi*, qui pari modo, ut inſinuatum eſt, Sanctorum catalogo inſcriptus creditur; ſiquidem ſolemnis canonizatio, quam poſterioribus, immo recentioribus ſæculis non abſque gravi fundamento adhibere conſuevit Eccleſia Romano-Catholica, nullatenus fuerit in uſu apud Primitivæ Eccleſiæ Præſules, & Pontifices, verum illa, quam fuſius hucusque expoſui: duravit autem hæc eadem usque ad A. C. 804. ut adnotavit *Baronius* apud ſuum Epitomatorem *Spondanum.* Qui in indice ſuorum Annalium ſub *Littera C.* Canonizationem primam ſolemniter peractam dicit ſe reperiſſe ad A. C. 804. Eamque, dum de *Leonis Papæ III.* in Germa-

Digitized by Google

mania Actis diſſerit, exponit his verbis: *Sed & Berdam cum Imperatore accedentem, ejuſdem rogatu, ſanctum Swibertum, poſt lectam ipſius ſanctiſſimam vitam, innumeraque miracula, poſtque actas preces, ac celebrata jejunia, de conſenſu Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, ſolemni ritu inter ſacratiſſimum Miſſæ officium ſanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſiſſe, pridie nonas Septembr. & inſtituiſſe illam diem ab incolis feſtive celebrandam, atque ad Divina confluentibus Indulgentias conceſſiſſe.* Canonizatio iſthæc, ut ex contextu advertitur, ſolemnis fuit; hodie tamen ſolemnior multo, prævijs ſtrictis examinibus, & pluribus circa ſingula vitæ canonizandi puncta juridicis proceſſibus, additis etiam Ritu, & Cœremoniis, ex poſt, non absque fundamentali cauſa adinventis peragitur. Sanctus noſter Hieronymus neque hoc, neque illo ritu, ſed vetuſtus vir vetuſto ritu in Sanctorum catalogum eſt relatus. Sed eo tum in quolibet canonizando ſpecialiter ad actum canonizationis rite, & ſine ſcrupulo peragendum requirebatur, ut fuſe in Præliminaribus declaratum eſt; *Puritas fidei Catholicæ, Vita Sanctita, uſque ad ultimum agonem producta, ac Miraculorum coruſcatio ante, vel poſt obitum.* Quantumvis Sanctitas ſine miraculis probari poſſit (ut aſſerit *Proſper Cardinalis de Lambertinis*) non item tam facile miracula ſine ſanctitate, illa tamen miraculis comprobata pro ſinceriori, & excellentiori æſtimatur, dummodo in eis veri miraculi conditiones non deſiderentur. An præattactæ tres conditiones in S. Hieronymo repertæ ſint? videre quidem benevolus Lector potuit legendo præmiſſam hujus Sancti Doctoris vitam per plura capita diſtributam, nihilominus & hic in compendio videre liceat.

XI. Dum prememoratas tres canonizandi conditiones perpenſiculatius conſideraſſem, occurrit mihi monitum S. Ambroſii, quod in 1. *David Apologia* habetur his verbis expreſſum: *Electos Domini aliquando cadere, & acriores ad currendum reſurgere, nec lapſu ullum ipſis impedimentum afferri, ſed velocitatis potius incentiva cumulari: Divinamque gratiam eos aliquando præterire, ut, ſicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magiſterium ab eorum actibus deſumamus.* Quæ omnia paucis verbis Theologi, quos Scholaſticos appellamus, complexi ſunt, & docuerunt: *Permiſſionem peccatorum in prædeſtinatis, eſſe prædeſtinationis effectum.* Nec ab his receſſerunt alii, qui de Canonizatione tractantes dixerunt: *Aliquos propter innocentiam, cæteros propter pœnitentiam canonizari.* Porro hæc in S. Hieronymo contigiſſe certum eſt. Poſtquam enim juvenilis animi motu, ut *cap.* 2. retuli, mundi voluptatibus, & illecebris captus, Romæ vanam, ſolutioremque vitam duxiſſet, quod ſuæ integritatis, caſtitatem reſpicientis, paſſus fuiſſet naufragium, monitus modeſte à Præceptore ſuo *Donato*, & correptus paterne, perſuaſus quoque fuit ad ſuſcipiendum Baptiſmum: quo, utpote ſalutari lavacro, tinctus, mox Spiritûs Sancti gratia diſſolutam vitam, in meliorem, & quidem pœnitentium commutavit, atque priorem, quam amiſerat caſtimoniæ integritatem, ſecundam, quæ continentia appellatur, ſervavit immaculatam. Hinc totus piis officiis, ac Sanctis operibus, peregrinationibusque deditus, & ab amicorum, conſanguineorumque ac notorum amplexu divulſus, monſtrorum feracem Syriæ eremum ingreſſus, in jejunio, cinere, ac cilicio læſam à ſe Divinam Majeſtatem placare ſtuduit. Uberes ibi illi lachrymæ, atque ima ſuſpiria cum ingenti cordis contriti dolore, pectoriſque, adminiculo duri lapidis, verberatione in uſu quotidiano fuere: lectulum nuda humus, cervical lapis, aut obvium lignum porrexere, atque ita noctes inſomnes, in cœleſtium rerum contem-

templatione, ducens, à dæmone inſidiis, funeſtisque conatibus laceſſitus, fortis hoſtem ſemel, atque iterum, iterumque invictus, ſuperavit. Ex Eremo in publicum prodiens, Romamque rediens conſilio, & opera ſua validiſſimum præbuit *S. Damaſo* Papæ adjutorium, ut collabentem Eccleſiaſticorum diſciplinam, Religioſorum obſervantiam, pravosque ſæcularium mores reformaret. Plura ipſius Sanctiſſima Acta Romana exhibet, hujus opuſculi *cap.* 9. Sed priſtinæ iterum ſolitudinis deſiderio captus, *Roma* in *Palæſtinam* reverſus, & monachus effectus in Monaſterio *Bethlehemitano* cœleſtem quandam vitæ rationem inſtituens, quamquam variis morbis, corporisque doloribus tentaretur, omnia hæc incommoda piis laboribus, & perpetua lectione, vel ſcriptione ſuperabat. Ad eum, veluti ad perfectionis Magiſtrum, ex diſſitis etiam Regionibus plurimi & perſonaliter, & epiſtolariter conveniebant, ipſe verò, cœleſti quodam perfuſus lumine cuilibet pro ſtatu ſuo, præſentibus quidem oraliter, abſentibus verò litteraliter ſancta, & ſana conſilia ad ſalutis viam neceſſaria ſuppeditabat, atque ſic non ſibi ſolum juſtus fuit, verum etiam multos ad juſtitiam erudivit. Hæreticos fidei Catholicæ zelo, & ardore acerrimis ſcriptis exagitavit, pro Catholica religione adverſus hos validiſſimum ſcutum ſe opponens, innumerosque conſcribens libros, quibus hæreticorum dogmata confutavit, Catholicam vero doctrinam illuſtravit; in his tamen omnibus nihil de rigore, quo aſſiduè corpus ſuum exercebat, remiſit, neque ſe à ſtudio cœleſtia meditandi avelli paſſus eſt. Suorum adverſariorum perſecutiones, easque diuturnas, atque aſperas propter juſtitiam invicto animo toleravit, nihil aliud, quam amorem DEI, & proximi reſpiciens charitatem: in utroque vitæ genere plane admirandus, utramque ſororem *Magdalenam*, & *Martham* ex aſſe imitatus. Plures, præter has in præmiſſa vitæ deſcriptione heroicas plane hujus ſancti viri legere eſt virtutes, quæ profecto non parvæ ſanctitatis teſſera ſunt, quasque ad ultimam usque ſenectutem, ac denique ad ultimum ſuæ vitæ agonem generoſe exercuit Hieronymus, omnia pro ſui canonizatione habens requiſita. *Puritatem* videlicet *fidei Catholicæ*, & *Vitæ Sanctitatem ad vitæ finem productam:* cui nec *Miraculorum gratia* defuit. In vita quidem, dum ferociſſimum animal Leonem manſuetum pro ſui Conventus obſequio habuit; dumque bellorum tumultus imminentes, & aſſidua oratione ſedavit, & prophetico ſpiritu prædixit. Poſt pium autem obitum, dum ad ejus tumulum, ut *cap.* 25. inſinuavi: Cæci viſum, ſurdi auditum, muti loquelam receperunt &c.

XII. Univerſa hæc, & plura pariformia alia *Cyrillum*, ſeu *Prailium* Epiſcopum Hieroſolymitanum (cui ſe poſt obitum S. Hieronymus viſendum præbuerat) Tabulis Eccleſiaſticis ſuæ Eccleſiæ (Bethlehem namque Diœceſim Hieroſolymitanam reſpiciebat) inſcripſiſſe, & peracto rite examine, cultum, atque feſtivum diem obitus Sancto Hieronymo deſignaſſe indubium eſt, cum & vitam, miraculaque ejus poſt obitum recognita, Sancto *Auguſtino* Epiſcopo Hipponenſi, in Africa (ut jam de hoc ſupra *cap.* 25. dictum eſt) perſcripſerit. Atque idipſum aliis quoque vicinis Epiſcopis, uti *Nazarethano*, *Antiochено*, *Alexandrino* &c. eundem *Cyrillum*, & *Prailium* ſignificaſſe, ſed & Sacræ Romanæ, Sedi, Summoque Pontifici inſinuaſſe credibile eſt. Neque huic officio defuit *Euſebius* diſcipulus *Hieronymi*, quin ſui Magiſtri ſanctiſſima Acta, eaque genuina connotaſſet, atque per univerſum orbem Chriſtianum diſſeminaſſet, & propalaſſet, cum idipſum ſcribens

bens *Damaſo* Epiſcopo Portuenſi fideliter præſtiterit. Hinc factum eſt, quod *S. Hieronymus* non in una duntaxat obitus ſui Diœceſi, verum per univerſum orbem cultum ſui univerſalem obtinuerit in erectione non tantum Altarium, Oratoriorum, & Capellarum, verum etiam celebrium Eccleſiarum, ac Baſilicarum. Hunc namque honorem, & gloriam ſancto Hieronymo (qui *quaſi arcus inter nebulas, hæreticorum, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, primitivæ Eccleſiæ*, quam ſui nominis, ſuorumque eruditiſſimorum Scriptorum celebritate, ac ſpiritualium aromatum odore replevit) ad laudem DEI Omnipotentis, ipſius Eccleſiæ Catholicæ decus, ſpiritualemque populi ædificationem, ad confundendam hæreticorum ejus, & futurorum ſæculorum, atque adverſariorum Hieronymi perverſitatem, ſummus Eccleſiæ Paſtor, & Pontifex attribuit, eò tum *Bonifacius I.* illo denique canonizandi ritu, qui iis primitivis temporibus in uſu habebatur. Particularis videlicet primò in propria Diœceſi, deinde ſucceſſive in aliis, ac tandem quæ accedente totius Eccleſiæ conſenſu, ſummique Pontificis approbatione, Generalis evadebat.

XIII. Atque hoc ritu ſanctum noſtrum *Hieronymum* canonizatum fuiſſe, teſtatur Author Tractatus manuſcripti ad Cardinalem *Montis Regalis cap. 3. §. Eccleſia*, dicens: *Eccleſia plerosque, poſt Apoſtolos, ſanctis adſcripſit per communem cultum, & approbationem; ut Apoſtolos, Doctores Auguſtinum, Gregorium Magnum, & Nazianzenum, Ambroſium, Baſilium, Hieronymum, Cyrillum, Athanaſium. Eodem modo Martyres; ut Laurentium, Vincentium. Et Virgines; ut Agnetem, Agatham, Luciam.* Deinde ad ritum primitivæ Eccleſiæ confirmandum, ſubjungit: *Et opinor, ſanctorum venerationem primùm cœpiſſe ab Epiſcopis ejus loci, in quo mortem obierunt, poſt univerſa Eccleſia amplexata eſt.* Huic ſubſcribunt *Matta* de Canonizatione Sanctorum *par. 1. cap. 3. n. 11.* Et *Bordon Controverſia* 13. de Canonizat. Sanctor. ſub *num. 46. Mulpheſius* quoque *Conſilio 46. n.* 12 Ubi inter reſiduos ſimili ritu canonizatos Sanctos, qui præmiſſo textu enumerantur, Sanctus quoque Hieronymus recenſetur. Ergo. De hujus ſimili canonizatione peracta Concilium quoque Romanum 70. Epiſcoporum ſub *Gelaſio I.* Papa A. C. 494. poſt obitum S. Hieronymi Anno 74. celebratum luculentum præbet teſtimonium in *Decreto* Gratiani *Diſtinct.* 15. *cap.* Sancta Roma Eccleſia *pag.* mihi 34. Dum etenim Summus Pontifex *Gelaſius* ſub decurſum hujus Concilii plura, quæ ad fidem Catholicam illibate ſervandam, pacemque in Eccleſia reſtituendam ſpectare videbantur, ſanxiſſet: delectum quoque habuit Librorum Eccleſiaſticorum, qui uſque ad id tempus edi ti legi ſolebant, diſtinguens orthodoxos ab hæreticis, genuinos ab apocryphis. Ubi inter aliorum Sanctorum Patrum Opera, ſeu Libros, aut Scripta, Sancti quoque Hieronymi approbavit, his verbis: *Item Opuſcula Beati Hieronymi Preſbyteri.* Et paulo poſt: *Item vitas Patrum Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen Vir Beatiſſimus ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcipimus.* Non hæc ſufficiebant Gelaſio Papæ, verum & de aliorum Libris, quos S. Hieronymus approbaſſet, vel reprobaſſet, ſuum ſentimentum in eodem Decreto appoſitum habere voluit, ſequenti tenore: *Item Rufinus, vir Religioſus, plurimos Eccleſiaſtici ordinis edidit Libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus eſt. Sed quoniam Beatiſſimus Hieronymus in aliquibus eum de Arbitrii libertate notavit; illa ſentimus, quæ prædictum Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus. Et non ſolùm de Rufino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpiùs memoratus zelo DEI, & fidei religioſe reprehendit. Item Origenis nonnulla,*

Digitized by Google

nulla Opuſcula, quæ vir Beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus. Ex quibus expreſſe patet Sanctum Hieronymum jam ante tempora Gelaſii Papæ fuiſſe canonizatum, ſiquidem eundem pluribus in locis recitati Decreti præattactam *Concilium Beatum*, & *Beatiſſimum* appellat, tantaque æſtimatione ſcripta ejusdem proſecutum ſit. Sed quantumvis forte idem Sanctus Doctor usque ad *Gelaſii* tempora canonizationis, ſive *particularis*, ſive *generalis*, aut *univerſalis* honore non fuiſſet decoratus, exiſtimarem ergo: quod ad ejus Canonizationem, & quidem univerſalem, vel *hoc ipſum Concilium*, quod toties ipſum Beatum compellare non dedignabatur ſufficere potuerit, & ſuffecerit.

CAPUT XXVII.

Sancti Hieronymi corporis, ſeu Reliquiarum Levatio, & Translatio.

I. Quemadmodum Sancti DEI pie coluntur, & honorantur cultu Duliæ, ita & ſacras Exuvias, ſeu Reliquias ipſorum Eccleſia Catholico-Romana, juxta vetuſtiſſimum uſum, plurimorum Conciliorum, Sanctorum Patrum, & omnium Catholicorum Doctorum approbatione firmatum reſpectivo cultu Duliæ honorandas proponit. Lumine namque naturali clarum eſt, honeſtum, & æquum eſſe venerari id, quod fuit organum ad opera bona, & virtutes exercendas. Tales porro eſſe Reliquias Sanctorum nemo ſanæ mentis negabit; quas proinde ipſe quoque DEUS, utpote Sanctorum Oſſa cuſtodiendo, juxta illud *Pſalmi* 33. *Cuſtodit DEUS oſſa eorum*, hisque mediantibus infinita patrando miracula, ſecundum *Pſalm.* 67. *Mirabilis DEUS in Sanctis ſuis*, venerandas eſſe innuit. Vetuſtiſſimus Sacrarum Reliquiarum cultus ex Sacris Codicibus tam Veteris, quam Novi Teſtamenti à plurimis eruditiſſimis ſcriptoribus, facili quidem methodo, ſed longa ſerie in medium produci poſſet: quia tamen hunc Chriſtiano-Catholico Lectori per ſe notum eſſe ſcio, brevitatis ſtudioſus, aliqua duntaxat de Translationibus Sacrarum Reliquiarum, earumque cultu, antequam ad ſeriem Translationis Corporis S. Hieronymi deveniam inſinuanda duxi.

II. Quod mox in Primitiva Eccleſia, ante tempora *Conſtantini Magni* Imperatoris, Levatione Corporum, ſeu Reliquiarum Sanctorum, & Translationes inſtitutæ fuerint, patet ex corporibus *S. Pontiani* Pontificis ex Sardinia, ubi propter confeſſionem fidei obiiſſe ſcribitur, & *S. Cornelii* Papæ à Centumcellis Romam ſub maximo perſecutionis Chriſtianorum fervore translatis; de quorum Translatione facta probi viri apud *Tillemontium Tom. 3.* Hiſt. Eccleſiaſticæ *pag.* 470. teſtimonium ferunt. Extinctis autem Eccleſiæ perſecutoribus, ipſique pace à *Conſtantino* Imperatore reſtituta, Sacrorum Corporum levationes, & translationes de una ad aliam civitatem majori cum pompa, & ſolemnitate expleri cœperunt, exemplo ab ipſo *Conſtantino* Imperatore deſumpto, qui Corpora SS. *Andreæ* Apoſtoli, *Lucæ* Evangeliſtæ, & *Timothei* Epiſcopi, ac Martyris in urbem ab eo ædificatam, & ab ejus nomine Conſtantinopolim appellatam, ſolemni pompa transferri fecit: ut *S. Hieronymus in Chronico ſuo* teſtatur, & S. *Paulinus* in Natali *S. Felicis Carmine* 11. ℣. 321. edito à Mura-

ratorio. Atque ab eo tempore non ſolum plures Sanctorum corporum levationes, & translationes factas, verum & ſimilium Reliquiarum venerationem majorem inſtitutam, & ad poſteros propagatam fuiſſe, ex graviſſimæ notæ Authoribus conſtat. Et quod plus eſt: non ſolum integra Sanctorum corpora, ſed & diſſoluta, immo partes ipſorum, ut ſunt: *Caput*, *Brachia*, *pectus*, *Coſtas*, *Manus*, *Pedes*, *Dentes*, *Pilos*, minimasque particulas, & *cineres* eorum: *veſtes* quoque, veſtiumque minimas portiunculas, immo *lacinias* aureis, argenteisque thecis incluſas, pretioſiſſimisque gemmis, & unionibus adornatas ipſi *Monarchæ*, *Imperatores*, *Reges*, *Duces*, *Principes*, *Epiſcopi*, *Prælati* proſtrati in terram humillime venerati ſunt, hodieque venerantur.

III. Celebritatem hujus venerationis liceat mihi deducere ex proteſtatione illa S. Hieronymi, quando in fine vitæ *S. Pauli primi Eremitæ* mentionem facit Tunicæ ejus ex palmæ foliis contextæ, & *S. Antonio* Abbati relictæ, cujus poſtea hæres remanſit *S. Athanaſius* Patriarcha Alexandrinus fulgentiſſimum Eccleſiæ Catholicæ lumen: præfatam itaque vitam concludit citatus S. Hieronymus his verbis: *Obſecro, ut, quicumque hæc legis, Hieronymi peccatoris memineris, cui ſi DEUS optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quam Regum purpuram.* Hujus prærogativæ intelligentia facilis eſt: quia *purpuræ*, *diademata*, & *ſceptra* Imperialia, Regalia, *infulæ*, *tiaræ* Papales, Epiſcopales humillima non *oſſibus* duntaxat, verum etiam & ipſis *cineribus*, *veſtibusque* ac *laciniis* Sanctorum virorum, vel mulierum gloriantur deferre obſequia; atteſtante *S. Chryſoſtomo Hom.* de Martyrum Sepulchris *in Pſalm. 48.* Ubi ſic inquit: *Illic Rex, & Imperator diadema Regium abjicit, atque in Martyris ſepulchro permanet orans, & rogans, ut ſibi à periculis liberatio concedatur, & contra hoſtes victoria?* Quare hoc? *Quia Sanctorum lypſana* ut *S. Gaudentius* in Dedicatione Baſilicæ SS. 40. *MM.* reſpondet: *ſunt pretioſa poſſeſſio, divina munera, & cæleſtia beneficia.* Si & hujus rationem quis inquirat, accedat *S. Damaſcenum* eumque *lib.* 4. de fide orthodoxa *cap. 16.* auſcultet ſic diſſerentem: *Nam poſt Sacroſancta Novi Teſtamenti Sacramenta nihil utilius Divina bonitas Eccleſiæ ſuæ relinquere potuiſſet, quam ſacras ſuorum Sanctorum Reliquias: Has enim veluti ſalutiferos Chriſtus præbuit fontes, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, ſuaviſſimumque unguentum profluit.*

IV. Bene ergo olim vaticinatus eſt Regius Propheta, dum in *Pſalm. 138.* exclamavit dicens: *Nimis honorati ſunt amici tui DEUS; nimis confortatus eſt principatus eorum!* *Obeliſci* namque, *Pyramides*, *Mauſolæa*, *Arcus triumphales*, aliaque glorioſa monumenta *Cæſarum*, *Regum*, *Principum*, aliorum inſigniorum *Heroum* cum tempore defecerunt: at non ita Sepulchra, & corpora *Servorum DEI*. *Corpora* etiam *Sanctorum in pace ſepulta ſunt, & vivent nomina eorum in generationem, & generationem. Eccleſiaſtici cap. 44.* Perpendens hoc *S. Joannes Chryſoſt.* ad ſublimandam gloriam, & honorem Sacrarum Reliquiarum *Hom. 66.* ad Populum, ſic diſſerit: *Chriſtus tunc omnem terrarum orbem ad ſe traxit adorandum, cum mortuus fuiſſet. Et quid de Chriſto loquor? cum & diſcipulos ſuos, poſtquam obierunt, tunc effulgere fecerit. Quid dico diſcipulos? Nam & eorum loca, & ſepulchra, ſimul & tempora perenni in memoria celebrari curavit. Tu vero oſtendas mihi ſepulchrum Alexandri, & profers diem, quo vitam finivit: Sed nihil horum inſigne, ſed omnia deſtructa ſunt, & exterminata. Chriſti vero Servorum, & ſepulchra clara ſunt, regiam aſſecuta dignitatem, & dies notiſſimi mundo feſtam afferentes lætitiam. Et illius*

qui-

Digitized by Google

quidem loculum, & proprii neſciunt: horum autem ſciunt & barbari. Et Servorum DEI ſepulchra Regiis aulis ſunt clariora, non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine, ſed quod multo majus eſt, convenientium ſtudio. Hæc Os aureum ſcripſit de temporibus ſuis: quod ſi ad hæc usque vixiſſet tempora, ſimulque ſumptuoſiſſima illa templa in honorem Sanctorum jam erecta cum ſtupore ſpectaſſet, aliter certe ſcripſiſſet. Multa namque ſublimia, magnifica, & operoſa, ex puriſſimo etiam marmore honori ſanctorum ædificata Altaria, Templa, &. Sacraria ædificata hac tempeſtate viſuntur nec Mauſolo Cariæ Regiæ ab Artemiſia uxore profuſiſſimis ſumptibus condito, ac inter ſeptem orbis miracula connumerato, comparanda. E reliquis conſpicitur illud ædificium adeo opulentum, & ſublime Eccleſiæ, & Turris *S. Petri* in vaticano, in quo Reges, & Imperatores Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum venerantes Reliquias reverenter deponebant, & deponunt ſceptra, & coronas ſuas, neque dedignantur ſimplici piſcatori, ac ſcenopago genuflexi ſuas proponere cauſas, ab iisque opem in adverſitatibus humiliter poſtulare: ut proſequitur *Sanctus Chryſoſt. loc. cit.* inquiens: *Nam & ipſe, qui purpura indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, ut pro ſe apud DEUM intercedant: Et Scenarum fabrum, & Piſcatorem vilem etiam mortuos ut Protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur horum Dominum nuncupare mortuum? cujus ſervi vel mortui, terrarum orbis Regum ſunt Protectores.* Quod hic *S. Chryſoſtomus* aurea ſua eloquentia de perſona Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli eruditiſſime diſſeruit, id omnium SS. Martyrum, & Confeſſorum ſepulchris, atque Reliquiis applicandum cenſuit. O quanta excellentia Sanctorum Martyrum! ô quanta gloria ſervitutis DEI Sanctorum Confeſſorum!

V. Simili excellentia, parique gloria DEUS, qui in Sanctis ſuis vult honorari, affecit Sanctum Hieronymum, dum ejus Sacrum corpus levari primo, ſed iterum recondi, ac tandem denuo levari, & transferri fecit. Levationis primæ ſeriem *Cyrillus*, ſeu *Prailius* Epiſcopus Hieroſolymitanus *Epiſtola* ad *Auguſtinum* ſcripta refert. Quem ſequitur *Petrus de Natalib. lib. 4. cap. 145.* & *Bonifacius Bagatta* in Admirandis Orbis Chriſtiani *Tom. 1. lib. 2. cap. 3. §. 1. num. 18.* Horum itaque celebrium Authorum veſtigiis inſiſtens, præſumo & ego eam hic loci exponere, & quidem de verbo ad verbum, prout eam habet citatus *Petrus de Natalib.* „Cum „corpus glorioſi Doctoris Hieronymi apud Bethlehem, juxta *Præſepe* „*Domini*, ut ipſe mandaverat, humo „obrutum fuiſſet; & ibidem inſignibus, & inauditis miraculis coruſcaret: videbatur fidelibus, quod illud corpus Sanctiſſimum jacens in „terra indignius tractaretur. Ideoque decoro ſepulchro marmoreo in „Eccleſia Bethlehemitica fabricato, „*Cyrillus* Hieroſolymitanus Patriar„cha cum Clero, & populo ſanctum „corpus eodem transferendum de„creverunt, & diem Dominicum „poſt Pentecoſten ad hoc faciendum „celebrius ſtatuerunt. Et concur„rente Populi multitudine ex urbi„bus convicinis, terram, ubi jace„bat corpus, effodiunt, & evacuata „fovea illud in aëre pendere conſpi„ciunt, ita, quod nulla ſui parte hu„mum contingens integrum, & in„corruptum omnino reperiunt, odo„risque fragrantium miram cuncti „ſenſerunt. Corpus autem inde le„vatum, & ſuper Altare poſitum eſt, „ut à fidelibus videretur. Cujus „contactu die ipſo ſedecim cæci il„luminati ſunt, tres quoque à dæ„monio vexati, illuc adducti, libe-

„rationem perceperunt: filius mu„lieris viduæ populi frequentia com„preſſus ſuffocatus eſt, quem Mater „in foſſam, ubi corpus Sanctum ja„cuerat, projecit exanimem, & con„tinuo vivus ſurrexit. Quod cer„nens rusticus, cujus filii cadaver „defuncti ante tres dies ſepultum „fuerat, accedens ad locum, corpus„que filii exhumatum ad Eccleſiam „attulit, & in foveam projecit, ſta„timque Spiritum vitæ recepit. Cir„ca veſperas autem poſt prædicta, „& alia multa miracula exhibita, cor„pus in monumento novo repoſi„tum fuit, & fovea terra repleta: „ſed mane facto monumentum va„cuum eſt inventum; & evacuata „iterum fovea corpus repertum eſt „loco priſtino reſtitutum, ſtupen„tibus cunctis. Sequenti nocte *Cy„rillo* dormienti Hieronymus glorio„ſus apparuit; corpusque de loco, „ubi jacebat; nullatenus amoven„dum admonuit, dicens: Quod ibi„dem quieſcere debeat donec Hie„ruſalem ab infidelibus caperetur, & „tunc ad Urbem Romam deportare„tur. Quod *Cyrillus* cæteris enarra„vit, & unusquisque DEO gratias „egit. Hæc autem Translatio diem „certum non habet, niſi quod Cy„rillus eam die octava Pentecoſtes „factam fuiſſe ſcribit: quæ tamen „dies neſcitur, quoto die, cujusve „Menſis eodem anno contigerit. „ Hæc *Petrus de Natalib.*

VI. Idem non poſſe ſciri annum hujus translationis adnotavit. Non tamen debebant multi ab obitu *S. Hieronymi* effluxiſſe, cum *Cyrillus*, ſive *Prailius* Epiſcopus Hieroſolymitanus non diu etiam demortuo *Hieronymo* ſupervixiſſe credatur, ex eo, quod Succeſſor ejus in Epiſcopatu *Hieroſolymitano Juvenalis*, ut *cap.* 25. dictum eſt, *Concilio Epheſino* A. C. 440. celebrato, interfuiſſe legatur apud *Spondanum* & *Brietium*. Adeoque intra Annum 420. quo Hieronymus pia morte obiit, & Annum 440. conſequenter intra annos viginti poſt migrationem *Hieronymi* memorata levatio corporis Sacri accidere debuit. Deinde in primitiva Eccleſia nullum tempus Canonizationis Sanctorum, eorundemque corporum levationis, vel translationis requirebatur, ut hac tempeſtate ex juſtis ſtatutis *Conciliorum* fieri aſſolet, ſed ad hæc ſufficiebant, ut *cap. præc.* declaravi; *Puritas fidei Catholicæ, ſanctitas vitæ, & miraculorum gratia.* Cum autem S. Hieronymum ex *cit. cap.* relatis hæc habuiſſe conſtiterit, & conſtet, concludi poſſe videtur, eum poſt paucos ſuæ migrationis annos vivente *Cyrillo*, ſeu *Prailio*, modo præinſinuato levatum fuiſſe, ſed & iterum ex divina diſpoſitione eodem loco reconditum: ut qui humilitati in vita ſtuduit, humiliori quoque loco ſepeliretur perpetuus elationis oſor. Levationem præmemoratam à *Petro de Natalib.* memoriæ traditam reſpuit *Cardinalis Baronius* in *Notis* ad Martyrologium Romanum, pro *die* 9. *Maji.* Ego authoritati *Baronii* multum tribuens, ipſemet præmiſſam corporis S. Hieronymi levationem, utpote juxta eundem Baronium ſuſpecta, & ſuppoſititia fide fultam, rejiciendam cenſerem, niſi ea, quæ ſupra *cap.* 25. de duobus Cyrillis uno Hieroſolymitano, altero Alexandrino, item de Prailio Hieroſolymitano Epiſcopis expoſui, rebus ad invicem diſcuſſis, & conciliatis, me ad hanc levationem admittendam aliqualiter commoverent.

VII. Ad alteram Corporis *S. Hieronymi* levationem, & translationem (quam & *Baronius loc. cit.* approbat his verbis: *Secundam autem translationem, quam factam aſſerit* (*Petrus de Natalib.*) *cum Saraceni Palæſtinam invaſiſſent, ut veram, libenti animo ſuſcipimus, atque probamus, in cujus memoriam præſens celebritas, annis ſingulis agi conſuevit*) tranſeundo, utpote indu-

dubitatam referendam jure cenſeo, ſiquidem & Tranſlationis hujus feſtâ dies in *Martyrologii* Laudati *Baronii* ad *diem 9. Maji*, ſequenti exponatur elogio: *Romæ, item Tranſlatio Sancti Hieronymi Presbyteri, & Eccleſiæ Doctoris, ex Bethlehem Judæ, ad Baſilicam Sanctæ Mariæ ad Præſepe.* Hanc itaque iterum *Petrus de Natalib. loco cit.* ſequentibus deſcribit: „ Secunda „ Tranſlatio eſt, quæ in Romanis „ Chronicis reperitur, qua corpus „ ejus (*Sancti Hieronymi*) de Bethlehem Romam translatum eſt, & in „ Eccleſia *Sanctæ Mariæ Majoris* reconditum. Poſt multa enim annorum „ curricula ab obitu Hieronymi glorioſi, Hieruſalem deſtructa, & à „ Saracenis occupata, tum pæne omnium Sanctorum eſſet orbata Reliquiis, ſolo Beati Hieronymi corpore in partibus illis relicto, apparuit ipſe Sanctus Doctor uni monacho ibi degenti, mandans eidem, „ ut corpus ſuum Romam deferret, „ & in Eccleſia DEI Genitricis juxta „ Præſepe Domini tumularet. Qui „ cum hoc facere formidaret, à Sancto Doctore ſecunda vice admonetur, & juſſa adimplere recuſans, „ tertio de negligentia durius increpatur. Tunc Sancti Hieronymi „ Reliquias latenter ſurripuit, & cum „ duobus fidelibus comitibus proſperis ſuccedentibus itineribus Romam venit. Quem Sanctus iterum juxta Urbem per viſionem admonuit, ut ſolis Canonicis Eccleſiæ „ convocatis corpus de nocte, quaſi „ clandeſtine, recondęret, ne ex ſupervenientibus turbis diminutionem aliquam in Reliquiis ſuſtineret. „ Itaque, prout Sanctus mandaverat, „ juſſa perfecit, præmiſſaque ſolis „ ipſius Eccleſiæ Canonicis nuntiavit, & ipſis præſentibus in loco „ humili, videlicet in terra ante Præſepe Domini corpus noctu devote „ depoſuit. Ubi à quibuſdam voces „ Angelicæ concinnentes auditæ ſunt, „ luxque immenſa, ut ſolis radius „ meridianus, ibidem effulſit, miraque odoris fragrantia unumquemque reſperſit. Celebratur autem „ hæc feſtivitas die, quo corpus Almi Doctoris ibi depoſitum eſt, videlicet VII. Idus Maji. „ Hucusque *Petrus de Natalib.*

VIII. Poſt hunc *Cornelius à Lap.* Commentario in *cap. 8. Proverbiorum Salomonis*, de Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis majoris, ſeu ad Nives diſſerens, ſic ſcribit. „ In hac Baſilica „ conditum eſt Præſepe Domini, „ Cunæ, Fœnum, & Panni, quibus „ involutum fuit *Verbum Infans*, quæ „ *Sanctum Hieronymum*, Sanctam *Paulam*, & Nobilitatem Romanam olim „ traxerant in Bethlehem. Unde & „ ipſe *Epiſt. 17.* ad Marcellam: *Illud* „ *Præſepe* (inquit) *in quo Infantulus vagiit, ſilentio magis, quam infimo ſermone honorandum eſt.* Et mox: *Ecce* „ *in hoc parvo foramine cœlorum Conditor natus eſt, hic involutus pannis, hic* „ *viſus à paſtoribus, hic demonſtratus à* „ *ſtella, hic adoratus à Magis. Et hic* „ *puto locus ſanctior Tarpeja rupe. Tarpeja* ergo rupe, puta *Capitolio*, ſanctiores ſunt *Eſquiliæ*, quæ quaſi „ poſthuma Bethlehem Domini Præſepe continent. Quocirca migrante è Bethlehem Romam Præſepio „ Chriſti, eodem migravit & Hieronymus, illius enim Reliquiæ in Baſilica Virginis juxta Præſepe Domini „ conditæ ſunt: ut apud quod vivens „ deliciatus eſt, etiam mortuus in pace „ conquieſcat. „ Item idem *Cornelius à Lap.* Commentario in *Habacuc cap. 3. v. 2.* Exponens Symbola ſeptem Præſepii Domini, ſubjungit: *Quapropter Præſepe Chriſti Romam tranſlatum in Baſilica Mariæ Majoris conditum magno honore veneramur; atque ac corpus S. Hieronymi; Quod congrue juxta illud reconditum eſt, ut, ſicut juxta illud ipſe vixit, ita juxta illud mortuus quieſcat.*

Digitized by Google

IX. Quo autem anno hoc acciderit, poſtquam multis in Scriptoribus inquiſiviſſem, neque aliquid de anno hujus translationis ſignatum reperiſſem, opinabar id eveniſſe circa A. C. 636. Eo etenim anno captam à Saracenis fuiſſe Hieroſolymam, aliosque Palæſtinæ, & univerſæ fere Syriæ urbes dictat *Brietius* Annalium Mundi *lib. 7. cap. 4.* Cui ſubſcribunt *Turſellinus*, & *Inchoffer*, atque hic poſterior addit etiam ad citatum Annum hæc verba: *Tunc Reliquiæ multorum Sanctorum avectæ ſunt in occidentem.* Cum vero in Opera *Proſperi Cardinalis de Lambertinis*, de Servorum DEI Beatificatione, & Beatorum canonizatione tractantia impegiſſem, apud Eundem, nunc in *Cathedra Petri* ſedentem, *lib. 4. par. 2. cap. 31.* inter Miſcellanea *de Præſepis Domini translatione* ſequentia legi. Quæ quantumvis Annum Translationis Corporis S. Hieronymi indigitare nequeant, attamen ex his conjectura aliqua non obſcura de deſiderato translationis Anno deſumi poterit. Præterea, ſiquidem locum Bethlehemiticum ad Præſepe Domini in deliciis habuerit Hieronymus, judico me non abs re facturum hic mentionem ejusdem Præſepis Domini habere ipſiusmet citati honore digniſſimi Authoris verbis, quæ ſequuntur:

X. „In Baſilica Sanctæ Mariæ „Majoris conſervatur Sanctiſſimum „*Præſepe Redemptoris noſtri.* Fertur „nempe id ad Urbem allatum fuiſſe „ante annum Ære Chriſtianæ 352. „ſed, cum *S. Hieronymus Epiſt. 18. „Tom. 1. Marcellam, Romanam* Matro„nam hortetur, ut *Præſepe*, & *Cuna„bula Domini* in antro Bethlehemiti„co veneretur: *Quo ſermone qua voce „tibi ſpeluncam Salvatoris exponam? „Et illud Præſepe, in quo Infantulus „vagiit, ſilentio magis, quam infimo ſer„mone honorandum eſt.* Et paulo poſt: „*Bethlehem, ecce in hoc parvo terræ fo„ramine cælorum Conditor natus eſt, hic „involutus pannis, hic viſus à paſtori„bus, hic demonſtratus à ſtella, hic ado„ratus à Magis.* Et rurſus *Epiſt. 48.* „*Sabiniano* Diacono exprobrans fla„gitia, quæ in ſanctioribus locis „Bethlehemitici Monaſterii patrave„rat, ſic loquatur: *Tu inter oſtia „quondam Præſepis Domini, nunc Alta„ris, amatorias Epiſtolas fidciebas, quas „poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo ado„ratura genu, inveniret, & legeret.* „Et inferius: *Totum quidem de te cre„di poteſt, ſed veneratio Præſepis, & „campi non me ſinunt plus credere, quam „te voluntate, & animo corruiſſe.* Et „paulo poſt: *Jam tibi & ſcalæ, per „quam deponeres miſeram, parabantur, „jam iter diſpoſitum, decreta navigia, „condicta dies, fuga animo pertractata: „& ecce Angelus ille cubiculi Mariæ ja„nitor, Cunarum Domini cuſtos, & infan„tis Chriſti gerulus, coram quo tanta „faciebas, ipſe te prodidit.* Quemad„modum hæc oſtendunt Præſepe „fuiſſe in locis Bethlehemiticis us„que ad initium ſæculi quinti, quo „tempore S. Hieronymus mortuus „eſt, ita translationem ad Urbem „ante Annum 352. evidentiſſime ex„cludunt. Sæculo ergo ſeptimo la„bente, Saracenorum contigit irru„ptio: cumque jam in more poſi„tum eſſet, ut Antiſtites Hieroſoly„mitani ab Eudoxiæ ſæculo valde „liberales eſſent in Sacrarum Reli„quiarum largitione, veriſimile ad„modum eſt, tunc ad Urbem miſſa „fuiſſe ſaxa exciſa ex antro Bethle„hemitico, & portiones cunarum, „& Cunabulorum, quæ ſubinde ar„gentea theca incluſæ munificentiæ „*Philippi IV. Hiſpaniarum* Regis Ca„tholici, nocte Nativitatis Domini „ſupra Aram principem Sacelli *Six„tini, Dominico Præſepi* imminentem, „ad publicam venerationem expo„nuntur, translata fuiſſe. *Blanchi„nus*, olim Canonicus *Baſilicæ Libe„rianæ*, in *Notis* ad Vitam *S. Xiſti III.* „*Tom. 3.* Vitarum Pontificum, ab

„*Ana-*

Digitized by Google

„ *Anaſtaſio*, uti fertur, conſcriptarum, collectis undique argumentis, oſtendit: Quinto ſæculo Chriſti cuſtoditas fuiſſe Hieroſolymis ſupramemoratas Reliquias, & earum translationem refert ad Annum 640. idipſum alius eruditus ejusdem Baſilicæ Canonicus *Joannes Chriſtophorus Battellus*, Archi-Epiſcopus Amazenus, qui plurimorum annorum ſpatio laudabiliter functus eſt officio Secretarii Apoſtolicorum Brevium ad Principes, ſub *Clemente XI.* clariſſime demonſtravit, in *Enarratione Sacrorum Rituum ſervatorum in aperiendo, & claudendo Portam Sanctam Baſilicæ Liberianæ, & Sanctæ Mariæ majoris, ab Eminentiſſimo Domino Petro Cardinali Othobono tunc dictæ Baſilicæ Archi-Presbytero, & Apoſtolico de latere Legato An. 1725.* Ubi ad rem obſervat, Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris usque ad Annum 642. variis nominibus fuiſſe appellatam, nimirum; *Sanctam Mariam ad Nives, Baſilicam Liberii, Baſilicam Xiſti*, & *Baſilicam ſanctæ DEI Genitricis.* Tum ſub *Theodoro* Papa, qui ſedem Romanam tenuit ab A. C. 642. ad A. C. 649. vocari cœpiſſe: *Sanctam Mariam de Præſepe.* „ Hæc laudatiſſimus, ſimul & eruditiſſimus *Proſper Cardinalis de Lambertinis*: Adjungens his Homiliam *Clementis XI.* in Patriarchali Baſilica Liberiana ſolemnem Miſſam celebrantis, in die Nativitatis Domini A. C. 1704. inque Laudem, honorem, ac gloriam Sanctiſſimi Præſepis Domini dictam, & editam: quam Beatiſſimus Panegyriſta ſequentibus concluſit verbis: *Verum, ut Beatus ait Hieronymus, diuturnus olim dum viveret Bethlebemiticæ ſpecûs incola nunc vero prope Bethlebemiticum Præſepe in hac Baſilica conditum: Præſepe illud, in quo Infantulus vagiit, ſilentio magis, quam infimo ſermone honorandum eſt.*

XI. Certum ergo eſt, ut ex præmiſſis concludi ſinceriſſime poteſt, & debet: Corpus Sancti Hieronymi ex Bethlehem Romam translatum, atque in Baſilica Sanctæ Mariæ Majoris reconditum fuiſſe. Incertum tamen, quo Anno? Si tamen bene Obſervationes *Proſperi Cardinalis de Lambertinis*, quoad Translationem Præſepis Domini perpendantur, exiſtimarem Translationem Corporis Sancti Hieronymi reponendam poſt A. C. 642. vel ex eo, quod & *Petrus de Natalibus*, de multis Sacris Sanctorum Reliquis ex Palæſtina abductis, ſolo corpore Sancti Hieronymi remanente, meminerit, idipſum *Inchoffero* confirmante, & *Cornelio à Lap.* Poſt migrationem Præſepis Domini, migraſſe & corpus Sancti Hieronymi ſcribente. Quamvis autem ex his patet, non utrumque ſimul translatum fuiſſe; conjecturare tamen poſſe arbitror, non multo poſt translationem Præſepis Domini, accidiſſe etiam Translationem corporis Sancti Hieronymi. Circa A. C. 642. namque, plus minus ante, vel poſt circiter, Humaro Saracenorum Principe parte ex una, parte vero ex altera diverſis hæreticis Eccleſiam Orientalem divexantibus, *Theodorus*, patria Hieroſolymitanus, videndo Hieroſolymam captam, fugiens Romam, ibidem poſt obitum *Joannis IV.* Papæ Pontificatum adeptus, omnem conatum probabiliter adhibuit, ut Præſepe Domini tempore irruptionis barbarorum Hieroſolymis conſervatum, ne in eorum manus deveniens dishonore aliquo afficeretur, transferatur, prouti & ſub eodem Pontifice *Theodoro*, ut *Battellus loco ſupra citato* notavit, translatum fuit.

XII. Ne porro Sanctus Hieronymus deliciarum ſuarum ſpiritualium, quarum contemplatione vivus fruebatur, particeps mortuus quoque non fieret, obtenta, meritis ſuis mediantibus, à Divina Providentia gratia, corpus ſuum Romam, ad idem Præſepe Domini condendum trans-

ferri fecit quo citius, ut ubi vivens diutiſſime ſpiritualiter deliciatus eſt, mortuus etiam non diu inde divelleretur. Quibus ſtantibus concludi poſſe ominarer Translationem hanc factam fuiſſe intra Annos Chriſti 640, & 650. plus minus, ut ſupra dixi, ante, vel poſt circiter, ab obitu S. Hieronymi Anno 220. uno pariter, vel altera plus minus circiter, cum impoſſibile quaſi ſit determinare annum genuinum. Idem accidit in determinanda concluſione Quæſtionis; *An Corpus S. Hieronymi integrum, ſeu incorruptum, vel reſolutum Romam aportatum fuerit?* Si tamen *Bonifacio Bagatta*, fides adhibenda eſt, Reſpondendum eſſet, quod omnino incorruptum. Hinc enim laude meritiſſimus Scriptor in ſuis Admirandis Orbis *Tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 7.* Ex *Manuſcriptis* Ejusdem Eccleſiæ, de qua loquitur, *Signaturis* aſſerit: *Bergomi* in Eccleſia *S. Leonardi* reperiri pedem Sancti Hieronymi integrum, & incorruptum. Habetur quoque ejusdem Sancti Doctoris authenticis Romanis ſcripturis comprobata Reliquiarum particula in noſtro *Stridone*, ejusdem *Sancti Viri* patria, in Eccleſia eidem dicata, curæque Patrum Ordinis S. Pauli primi Eremitæ per piæ memoriæ *Leopoldum I.* Imperatorem perpetua ſtabilitate concredita: quæ tamen nonniſi oſſea eſt: adeoque ex hoc ipſo motivo denuo dubium oritur idem: An videlicet idem Sacrum corpus incorruptum, vel reſolutum ex Bethlehem Romam translatum ſit? Sed de hoc diſputare vacaneum exiſtimo: Sufficit mihi, & ſufficiet, credo, cuilibet pio Catholico, quod hic Sanctus, quemadmodum glorioſus ſui corporis triumphator extitit vivus in terris, ita & mortuus in ſuis ſacris Exuviis exiſtat ſollicitus pro nobis apud DEUM exorator in cœlis. Adeoque ſicut ipſimet, ita & Sacris ejusdem Reliquiis, ſive eæ ſint incorruptæ, ſive reſolutæ, honor Duliæ impendendus eſt. Honor enim, qui Sanctis præſtatur, DEO exhibetur, ipſeque in illis mirabilis depredicatur; quia, qui Sanctis honorem impendit, illum ſingulariter honorat, qui eos ad tantum honorem evexit, atque ſublimavit.

CAPUT XXVIII.

Sanctus Hieronymus à Sancto Auguſtino Epiſcopo Hipponenſi encomiatus.

I. MAnifeſtum eſſe ſcio illud à *Petro Caniſio* in *Præfatione* ad *Divi Hieronymi Librum Epiſtolarum* productum Adagium: *Bonum vinum vendibile ſuſpenſa hedera non eget.* Ita neque Sancti Hieronymi Sanctitas, vel doctrina, aliunde notiſſima, encomiorum, laudumque paraſangis indiget. Attamen ſilentio præterire ea, quibus *Sanctus Aurelius Auguſtinus* Epiſcopus Hipponenſis Hieronymianæ doctrinæ, & Sanctitatis celebritatem decantavit, nefas eſſe exiſtimarem. Fateor hunc magnæ itidem Sanctitatis, & illuſtris doctrinæ virum ab Hieronymo æquali ſuo, ubique coævo diſſenſiſſe; ſed priusquam hujus ingenium, & ſtudium probe cognitum, & exploratum haberet. Nam conſtat ambos poſtea ſingulari amicitiæ ſanctæ nexu manſiſſe conjunctos, neque ſolum fraterno, ſed etiam divino amore flagrantes eos, charitatis, ſimulque religionis aſſerendæ perfectum exemplar poſteris omnibus reliquiſſe. Illud dicam, quod *Petrus Caniſius loco cit.* inquit: *Non poſſe eum non honorifice ſentire,*

Digitized by Google

tire, ac loqui de Hieronymo, quiſque Auguſtinum cenſorem admittit, ejuſque graviſſima nititur authoritate. Encomia Hieronymi ſicut diverſa ſunt, ita diverſis in Libris ſuis conſcripſit *Auguſtinus.* Hæc ex his in unum collegit *Fr. Bartholomæus Urbinas, Epiſcopus,* ſuoque Operi *Milleloquiorum S. Auguſtini*, Brixiæ A. D. 1734. edito inſeruit, utens etiam Epiſtola *Auguſtini* ad *Cyrillum* ſcripta (conſequenter nullum quoad hanc habuiſſe eum ſcrupulum apparet) habenturque *Volumine II. pag. 918.* ſub ly *Hieronymus.* Placuit ea huc ad laudem, & gloriam *Divi Hieronymi*, Lectorumque commoditatem, & utilitatem transferre.

II. *Primum.* De *Sancti Hieronymi* Statu, Doctrina, & loco. *Libro I. contra Julianum cap. 2. circa finem:* Hieronymus Presbyter, qui Græco, & Latino, inſuper & hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem tranſiens Eccleſiam, in locis ſanctis, atque in Litteris ſacris, usque ad decrepitam vixit ætatem. Huic ego addo ex eodem *Libro* contra *Julianum*, quod apud *Caniſium* in *Præfat.* ad Epiſtolas *S. Hieronymi*, legi: Hic omnes, vel pene omnes, qui ante illum, ex utraque parte orbis de Doctrina Chriſtiana ſcripſerant, legit.

III. *Secundum.* Ex quibus poteſt, & debet commendari *S. Hieronymus. In Epiſt.* ad *Cyrillum.* Sanctum Domini *Hieronymum*, propter Dominum, cum quo regnat, ſecure magnificemus. Quoniam in vita ſua magnifice fecit, in morte ſua magnifica recepit. Quapropter magnus eſt in medio, & Sanctus, & excelſus in vitæ excellentiſſimæ ſanctitate; magnus, ſanctus, & excelſus in ſapientiæ ineffabilis profunditate: magnus, ſanctus, & præexcelſus in majoris nunc gloriæ quantitate: mirabilis, laudabilis, & glorioſus in prodigiis inviſis, inauditis, & inſuetis; metuendus, & colendus, & venerandus ob ſibi à Domino traditam poteſtatem, honorem, & gloriam ſempiternam.

IV. *Tertium.* De Sanctitate vitæ. In eadem *Epiſt. verſus finem.* Quam magnus itaque ſit iſte glorioſiſſimus *Hieronymus* in ſuæ vitæ excellentiſſimæ ſanctitate, quomodo patefaceret mea lingua, cum pene cunctorum mortalium non ſufficerent linguæ, ut ejus excellentiam explicarent? Liceat ergo dicere: Alter hic *Elias*, alter hic *Samuel*, alter hic *Joannes Baptiſta* vitæ excellentiſſimæ ſanctitate. *Elias*, & *Joannes* Eremitæ magnis ciborum, & veſtium aſperitatibus ſe macerarunt: non minoris vitæ *Hieronymus* glorioſus eremita idem per quadriennium in eremo ferarum tantum ſocius periſtitit. Quinquaginta annis, ut Venerabilis *Euſebii* ejusdem prædilectiſſimi diſcipuli litteris liquet, & ut me certius tu idem noſti, vinum, & ſiceram aliqualiter non guſtavit, ab omni carnium, & piſcium eſu ita ſe abſtinuit, quod vix ea nominare volebat. Coctum quidem, nonniſi in ultima ægritudine, vix comedit. Cilicino ſacco carnem velut Æthiopis macerans, deſuper panno viliſſimo ſe tegebat. Stratum aliud, niſi terram, nunquam ſcivit. Nonniſi ſemel fructibus, aut herbarum foliis, ſive radicibus paſtus in die, poſt veſperas ſe orationibus præbens, deinceps usque ad horam ſecundam noctis continue vigilabat; poſtmodum ſomno feſſus in terra dormiens, usque ad noctem mediam quieſcebat. Qua quidem hora continuo ſurgens, lectionibus, & orationibus ſanctiſſimis, quibus tota radiat Eccleſia, uti lapidibus pretioſis, intentus usque ad eſus horam perdurabat. Ita leviſſima flebat peccata venialia, ut quis eum exiſtimaſſet interemiſſe hominem. Ter in die continuo carnem diris verberibus flagellabat,

Digitized by Google

labat, ita ut ex ejus corpore rivuli ſanguinis effluerent; quin etiam verbum aliquot otioſum ut peſtem maximam fugiebat, illi denique otium nullum erat. Quid plura loquar? Si Sanctorum ſingulorum vitas perquirerem, eo majorem, ut puto, neminem invenirem. Et ideo

V. *Quartum.* In *Epiſt.* 19. ad *Hieronymum* data *circa finem.* Quamvis ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit: tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.

VI. *Quintum.* De ejus Scientia. In prædicta *Epiſt.* ad *Cyrillum.* Hic certe ille *Samuel*, qui de vanis litterarum ſtudiis verberibus avocatus, Sacræ Scripturæ miniſterio deputatur: in cujus vultus lumine, Divina gratia inſtruente, utriusque Teſtamenti lumen vidimus: in cujus brachii fortitudine hæreticorum pars maxima eſt diſperſa. Hic certe gloria virtutis transferens utrumque Teſtamentum ex *Hebræorum* Lingua in *Græcam* pariter, & *Latinam*, diſponensque ipſum poſteris in æternum, declarans ænigmata, & obſcura dubia, & nodoſa: præparans Officiorum ſeriem cunctis Eccleſiæ Miniſtris, totam pene Eccleſiam ædificavit. Unde bene magnus apparet in ſapientiæ ineffabilis profunditate. Liberales autem ſcientias ita perfecte ſcivit, ut, relatione omnium, nullus adhuc illi ſimilis appareat. De ſcripturis vero ſacris, uti multarum ſuarum Epiſtolarum, quas ad me direxit, experientia didici, æqualem illi neminem unquam novi. *Hebraicorum*, *Græcorum*, *Chaldæorum*, *Perſarum*, *Medorum*, *Arabicorum*, & pene omnium nationum linguas, & litteras, tanquam ſi fuiſſet in eisdem natus, & educatus, ſcivit. Quid plura dicam? Quæ *Hieronymus* ignoravit, natura nulla hominum unquam ſcivit.

VII. *Sextum.* Ex ejusdem *S. Auguſtini* ad *Hieronymum Epiſt.* 29. *in fine.* Cum libentius debeam à quolibet diſcere, quod inutiliter ignoro, quam promptius quoslibet docere, quod ſcio, quanto juſtius abs te hoc charitatis debitum flagito, cujus doctrina in nomine, & adjutorio Domini, tantum in *Latina* lingua Eccleſiaſticæ Litteræ adjutæ ſunt, quantum nunquam antea potuerunt. Unde in *Libro* 3. de peccatorum meritis, & remiſſione, & parvulorum baptiſmo quandam ſolvens Quæſtionem, *cap.* 6. ſic ait: Quando enim diſputari hoc primitus cœperit, neſcio. Illud tamen ſcio, quod etiam *S. Hieronymus*, qui hodieque in Litteris Eccleſiaſticis tam excellentis doctrinæ fama, ac labore verſatur, ad quasdam ſolvendas in ſuis Libris Quæſtiones, etiam hoc certiſſimum adhibet ſine diſceptatione ulla documentum. Quapropter in *Epiſt.* 1. ad *Heſychium*, & *Epiſt.* 78. *ad initium* inquit; De Propheticis dictis, de quibus voluiſti, ut aliquid ſcriberem, melius mihi viſum eſt *S. Hieronymi* hominis doctiſſimi Expoſitiones eorundem verborum (ne illas forte non habeas) de opuſculis ejus excerptas dirigere Beatitudini tuæ.

VIII. *Septimum.* De Sancti *Hieronymi* gloria, & beatitudine. In ſupradicta *Epiſt.* ad *Cyrillum.* Hodie enim Rex Regum, & Dominus Dominantium Chriſtus Dominus, exeunti de hoc ſæculo nequam, animæ glorioſiſſimi *Hieronymi* Presbyteri in Bethlehem commorantis, totus feſtivus obviam venit, ut eam præ cæteris tanto honorificentius, tanto excellentius, & ſublimius ad ſua introduceret regna, quanto præ cæteris ſublimioris, & ſanctioris vitæ meritis præfulget. Hodie omnium Angelorum Ordines exultantes, & talibus vocibus alternatim concinentes ſuum ſociantur Dominum. Hodie omnes Patriarcharum cœtus, hodie Apo-

Digitized by Google

Apoſtolorum, & Diſcipulorum chorus, hodie omnes Sancti Martyres, hodie Confeſſores, hodie glorioſa DEI Genitrix Sanctis omnibus comitata Virginibus, hodie omnium Beatorum animæ lætabundæ, & feſtivæ ſuo occurrunt compatriotæ, & civi. Confitentur & mirabilia, & ſanctitatem ſuam etiam ipſi Cœli, in quibus magnus majoris gloriæ quantitate, quam multi habitant ſancti ſine fine. Nulli itaque dubium eſt, intra Patris manſiones ipſum unam ex majoribus, & ſublimioribus ſedibus obtinere. Cum enim homo ſecundum opera præmietur ibidem, & iſte perfectionis vitæ extiterit, clare patet, ipſum unum de majoribus, & ſublimioribus Cœleſtis Hieruſalem civibus fore. Quod ut nobis certius, & plenius credatur, in mundo præ cunctis, quorum noſtra recordatur ætas, valde mirabilis apparet prodigiis inſuetis, & miraculis infinitis.

IX. *Octavum.* Miraculorum cauſa in præcitata *Epiſt.* ſubdit: Quam mirabilis ergo iſte faciens tot, & tanta hominibus inſueta prodigia? Ad ipſum ergo ore noſtro clamemus, & exultemus, demusque gloriam laudi ejus, quoniam certe dignus eſt omni laude, nec ſumus ſufficientes eum laudare. Introivit enim in domum Domini candidus, & pulcherrimus, ubi ſine dubio de ſublimioribus, de præclarioribus gloriæ ſedem obtinet. Quamobrem *ibidem* exclamat: Utinam virorum eximie, tui mererer effici pediſſequus! Sed quæſo tui Servuli, quem dilexiſti in mundo nimia charitatis affectione, recorderis: ut tuis interventionibus à peccatis emunder, tua gubernatione recto calle, inoffenſo pede procedam, tuis defenſionibus aſſiduis ab inimicis quotidie inſidiantibus protegar, tuoque ſancto ductu ſalutis attingam portum.

X. *Nonum.* In ſæpe citata *Epiſt. ad finem.* Quoniam certo ſi omnium mortalium linguæ ſolum ejus laudes promerent, minus debito ſatis eſſet. Mei peccatoris Venerabilis Pater (hæc ad *Cyrillum*) memor eſto, ut dum in illo ſteteris loco, quo illud ſacrum eximii *Hieronymi* cadaver quieſcit, ejus me interventionibus commendes: quoniam nullum dubium, quod ea, quæ optat idem *Hieronymus*, poteſt continuo obtinere, non enim ſuo aliqualiter defraudatur deſiderio. Hæc ſunt *Auguſtini* de *S. Hieronymo* Encomia. An non præclara? quibus *Hieronymiana* fama à ſanctiſſimo viro, & doctiſſimo Præſule toti orbi luculentiſſime commendatur.

XI. His ſancti Auguſtini encomiis adnectere placuit etiam Præconia aliqua, ex *Beati Euſebii* Sancti *Hieronymi* diſcipuli *Epiſtola* ad *Damaſum* Epiſcopum Portuenſem, & *Theodoſium* Senatorem Romanum ſcripta, deprompta; qui poſt *Prologum* ejusdem Epiſtolæ ſanctum Magiſtrum ſuum dilaudat, his verbis:

Vere fuit ille *Iſraëlita*, in quo dolus non fuit, electus ſecundùm cor Domini ad loquendum omnia, quæ ſibi mandaverat Dominus univerſis gentibus, & regnis, & Doctor datus in gentibus, ut ſentes evelleret, deſtrueret, diſperderet, & diſſiparet; & ſapientiam veram ſeminaret, ædificaret, atque plantaret. Hic eſt Fratrum amator, hic eſt, qui populo Chriſtiano tot Librorum volumina, ex linguis *hebraica*, & *græca* in *Latinum* non parvo pondere tranſtulit. Eccleſiæ officium primitus ordinavit, & totius *ſacræ ſcripturæ* aſpera fecit plana. Certe in hujus lumine vidimus lumen, & ſanæ ſuæ, ſalutiferæque doctrinæ partu ambulamus usque ad montem DEI *Horeb*. Hic eſt flumen aquæ vivæ, ſplendidum tanquam Cryſtallus, procedens

Digitized by Google

dens de ſede DEI in medio Eccleſiæ; & ex utraque parte ejus lignum vitæ afferens fructus tempore ſuo, cujus folia ligni ſunt ad gentium ſanitatem. Vir iſte in populo mitiſſimus apparuit, à Deo dilectus, & hominibus, orat nunc pro Eccleſia ſancta. Vas vere admirabile omni ornatum lapide petioſo, opus Excelſi. Verum tamen de hoc quid plura dicam, cujus enarrant Cœli gloriam, & opera ſcripturarum manuum ejus annuntiat firmamentum? Nec ſunt loquelæ, neque ſermones, cujus non audiant doctrinæ verba, cum in omnem terram exiit ſonus ejus. Hunc præ cæteris ornatum in ſignis dignitatum, in cantillenis, in proverbiis, in operationibus, & interpretationibus miratæ ſunt gentes. Cujus nota facta eſt in populis virtus, quoniam impletus fuit quaſi flumine ſapientiâ. Et ut vera dicam, juxta illud Reginæ *Sabæ*: Major eſt enim ſapientia, & opera ſua, quam rumor, quem auditis.

XII. In eadem *Epiſt.* paulo poſt adjungit ſequentia idem *Euſebius* ſequenti tenore: Ut breviter dicam; ſi vultis accipere: *Joannes Baptiſta* ipſe eſt, uterque Virgo, uterque Eremita. De *Joanne* dicitur: Erat *Joannes* veſtitus pilis camelorum in deſerto. De ſe idem *Hieronymus* dicit: Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. De *Joanne* iterum: Locuſtas, & mel ſilveſtre edebat. De ſe iterum *Hieronymus* inquit: De cibis, & potu taceo, cum & languentes monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Quid plura? Ille propter juſtitiam Martyr. Iſte vero, etſi ejus ſpiritum materiale ferrum non abſtulit, tamen martyrii præmii non eſt expers. Certe hic eſt vere Martyr, qui propter juſtitiam & manſuetudinem, & ſalutifera doctrinæ ſuæ verba in hujusmodi lachrymarum ſolo certamen forte à malorum cœtu viriliter ſupportavit, ſciens, quoniam omnium fortior eſt ſapientia, nec impie geſſit in conſpectu DEI, ſed in omnibus tribulationibus ſuis invocans Dominum non peccavit labiis ſuis, nec ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt.

XIII. Plura ſunt immortalia laudum Præconia, quibus *Beatus Euſebius* piiſſimus Sancti *Hieronymi* diſcipulus, mundo quidem denatum, ſed cœlo genitum Præceptorem ſuum devotiſſimo honore extulit, perennemque ejus ſanctæ vitæ famam celebravit, quibus hic omiſſis, illud unicum adjungere libuit, quod circa finem citatæ Epiſtolæ exclamando ſcripſit: *O Vir ineffabilis, virtutum vas admirabile, ô ſplendor patientiæ, ô lampas præfulgida, ô diadema honoris, & gloriæ, angularis lapis firmiſſimus, exemplar innocentiæ, columna aurea, & totius Eccleſiæ fundamentum!*

CAPUT XXIX.

Sanctus Hieronymus ab aliis Orthodoxis illuſtribus Viris Elogiorum laudibus accumulatus.

I. SOl, ut videatur, non habet opus lumine candelæ, ſed neque majeſtas *S. Hieronymi* indiget laude humanâ, quâ æſtimetur. Quis etenim eſt inter omnes in Eccleſia Catholica, qui majore eam claritate colluſtret, pluribus eam, copioſioribusque aquis irriget, ac fœcundet? Quis

Quis eſt, qui ſanctiſſimæ vitæ exemplis eam magis ædificet, Divinaque doctrina ſua magis illuſtret, inſtruat, ac defendat? Quis oppugnavit virtutes, qui non etiam glorioſum hunc Doctorem ſuis armis appeteret? quis ejus ævo fuit auſus Eccleſiam aſſilire, qui non ſubito ſit victus, dejectus, & ad ejus pedes proſtratus? quis ejus opera unquam legit, qui non fuerit admiratus, ſuorum delictorum pœnitudine ductus, novoque deſiderio accenſus DEO ſerviendi? quis eſt Philoſophorum non tantum Paganorum, ſed etiam Theologorum Chriſtianorum, qui omnium Authorum lectione, perfecta plurium idiomatum cognitione, Divinarum Litterarum peritia tanta; tamquam variarum rerum, atque verborum nitore, ordine, & elegantia, & emphaſi digeſtarum cum S. Hieronymo poſſit comparari? Cujus tanta, etiam dum viveret, fuit authoritas, ut ab eruditiſſimis, ſublimiſſimique ſtatus Viris (quamvis ab invidis quaſi poſtremum, viliſſimumque catharma deprimeretur, atque opprobriis afficeretur) conſultus fuerit veluti oraculum. Eapropter merito, jureque Magni Eccleſiæ Doctoris cognomentum, ob inſignem, omnibusque ſæculis admirandam eruditionem, non poſt mortem, ut alii Sancti Patres, ſed vivens adhuc eſt conſecutus. Hinc *Caſſianus lib.7.* de Incarnatione Verbi, contra *Neſtorium* eum citans hæc ait: *Hieronymus Catholicorum Magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum, quaſi Divinæ lampades rutilant.* Huic accedit *Ennodius Ticinenſis Epiſt.* ad *Fauſtum* inquiens: *Hieronymus noſter, niſi Præceptorem ſuum Gregorium diceret, illo melior cenſeretur: ſed illi applicanda ſunt bona, à quo ſumpſiſſe viderentur originem.*

II. De hoc clariſſimo *Sancto Eccleſiæ Doctore S. Laurentius Juſtinianus Serm. de Eod.* ſic loquitur: *Erat profecto columna argentea erecta, fulgens, & ſolida.* Qui vix eleganciori typo (ut *Theophilus Spizelius* in Veteri Academia Chriſti *pag. 152.* aſſerit) inſignem ejus pietatem, zelum, conſtantiam, omnigenæque virtutis repræſentare potuiſſet exercitium. Etenim, ſi totam vitæ à S. Hieronymo laudabiliter tranſactæ conſideretur hiſtoria, ſi generoſus, & imperterritus illius animus, illuſtriaque in Eccleſiam Chriſtianam merita ob oculos ponantur, rectiſſime eum *Columnam* à Juſtiniano nuncupatum deprehendimus. *Argenteam* dignitate, & ſingulari ingenii, doctrinæque præſtantia. *Erectam* fortitudine, & chriſtiana conſtantia: *Fulgentem* virtutis omnigenæ claritate: *Solidam* denique pietate incomparabili. Quare ulterius progreditur citatus Juſtinianus in encomiando Sancto Viro his verbis: *Quis in Eccleſiæ gremio Hieronymi non eſt eruditus ſententia? quis vita illius non eſt ædificatus exemplo? quis non eſt ipſius imploratiónibus roboratus? Effectus eſt communis Pater, Lux mundi, Annuntiator regni, Sæculi interventor, Speculum ſanctitatis, virtutum forma, & fidelium robuſtiſſimus Propugnator. Nempe ſine ſanguinis effuſione glorioſum martyrii triumphum obtinuit, quod enim carnificis mucrone non pertulit, hoc in ſe ipſo caſtitatis amore complevit. Charitate præcipue decoratus tentationibus non ceſſit: non eſt laceſſitus injuriis, non æmulationibus fractus, non carnis proſtratus illecebris, non infatuatus honoribus, non elatus laudibus, neque laboribus fatigatus: ſed permanſit corde mundus, humilitate excelſus, puritate conſpicuus, caſtitate inſignis, fortitudine inſuperabilis, authoritate erectus, mente devotus, omniumque virtutum candore veſtitus, totus plane vitæ illius decurſus Chriſtianæ Religionis eſt ſpeculum.*

III. Peculiares Hieronymi Epiſtolas in unum Volumen colligens, & imprimi curans *Petrus Caniſius* in Præfatione Volumini præmiſſa ad Acade-

cademiæ Dilinganæ Primates ſic diſſerit: *Ac ſane Authorem commendare nec diſſertiſſimus queat ſatis. Tam ſpectata Hieronymi fuit, & eſt, eritque ſemper laus, ac dignitas in Eccleſia DEI; qui ſublimem, ac prope inimitabilem doctrinam ut nihil attingam, de admiranda vitæ Hieronymianæ ſanctimonia, cum pari eloquentia, ſacra ſtudia cum prophanis, variaſque linguas, & artes ita conjunxit, ut veterum vix alius quiſquam fecit felicius, admirabiliusque. Loquor autem de Latinis Patribus, uti Cypriano, Hilario, Ambroſio, Auguſtino: in quorum monumentis Apoſtolicum quidem Spiritum, & vere piam doctrinam, doctamque juxta pietatem relucere nullus inficiatur: ſed parem illorum eloquentiam haud pauci deſiderarunt. Cæterum de Græcis Theologis, vel inviti fateri cogimur, ſi Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, atque claſſis ejusdem alios recte judicaverimus, eos longe præſtare Latinis dicendi, ſcribendique ſumma felicitate: eſt enim erudita certe, & eloquentiæ ſtudiis mirum in modum exculta Græcia, totius Orbis Magiſtra, ut idcirco vel ſola, vel præcipua omnium gentium litteratos ſoleat faſtidire. Quo magis admirari par eſt, quod hæc ipſa, Scriptorum alioqui Latinorum contemptrix, jam olim tanti noſtrum fecerit Hieronymum, ut ejus, quamvis hominis Dalmatæ, Commentarios non legerit modo, ſed ſuo approbarit calculo, verum etiam in ſuam linguam transferendos curarit.* Producit poſt hæc Caniſius Encomia à S. Auguſtino Sancto Hieronymo attributa, quorum aliqua *præc. cap.* producta ſunt, eaque his concludit: *Poſteriorum vero teſtimonia, & Elogia, qui clariſſimum hoc Eccleſiæ lumen, maximumque Doctorem miris ſæpe modis extulerunt, de conſilio prætermittimus.*

IV. Ad Librum deinde Epiſtolarum à Sancto Hieronymo conſcriptarum deſcendens memoratus Petrus Caniſius, inquit: *Quis autem pro dignitate ſatis explicet, quantum in his Epiſtolis omnibus ingenii, quid, quantumvis doctrinæ, prudentiæ, feſtivitatis ſimul, & pietatis inſit? quantum artis inſuper, tum nervorum, & aculeorum vehat ſecum ſtylus ut plurimum extemporaneus, ſed pulchre quidem, ac citra affectationem præfluens? O Sanctum, & Apoſtolicum pectus: quod pro Chriſto, Chriſtique Eccleſia tam ſollicite vigilat, tanta contentione molitur, totque ſubit diſcrimina, dum vir idem in eremo delitеſcit, ſimulque toto fere mundo diſcurrit. Neque ſine Apoſtolica ſollicitudine, & induſtria tot Chriſti Eccleſias inviſit, ſalutat, repurgat, confirmat, atque ſanat. O felix Bethlehemitica tellus! quæ nobis hujusmodi ſcripta, & reſponſa, fere dixerim Oracula, edidit. Non Eremum, ſed Paradyſum vocari par eſt, unde ad irrigandum Eccleſiæ hortum tanta vi prorumpunt divina, humanaque ſcientiæ flumina, & ſalutares omnibus aquæ propinantur.*

V. Succedit *Petro Petrus, Caniſio, Ribadeneira.* Qui ſub initium Vitæ S. Hieronymi à ſe conſcriptæ Eundem Sanctum Doctorem ſequenti veneratur Elogio: *Sanctus Hieronymus vitam Sanctæ Paulæ ſcripturus hiſce verbis orditur: Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce reſonarent, nihil dignum Sanctæ, ac Venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Multo magis hæ voces nobis uſurpandæ eſſent, quibus S. Hieronymus utitur, qui totius Eccleſiæ præconio Doctor maximus appellatur. Fuit namque revera ſuis omnibus in rebus maximus. Fuit nobilis, dives, magno præditus ingenio, & eloquio diverſarum linguarum peritus, ſcientiis, divinis humaniſque inſtructus, ſapientiſſimus vir, vitæ pœnitentis ſpeculum, ſanctitatis exemplum, lux Eccleſiæ, Divinæ Scripturæ ſingularis interpres, malleus hæreticorum, Clypeus catholicorum, magiſter omnium ordinum, univerſorum ſtatuum, ac perſonarum inſtructor, mundi lucerna.*

VI. Duobus Societatis JEſu celebribus Scriptoribus *Caniſio,* & *Ribadenei-*

nitate adjungo tertium non minus illuſtrem *Cornelium à Lap.* Qui *Commentariis in Prophetas* majores ſcribere parans, in *Proœmio* poſt plures Prophetiarum Interpretes, ſeu Expoſitores tam de ſanctis Patribus vetuſtioris ævi, quam de aliis quoque recentiorum ſæculorum citatos, de S. Hieronymo ſic effatur: *Unus hic nobis Luciferi tædam profert noſter S. Hieronymus, Phœnix ille ſui ævi, vir græce, hebraice, latine peritiſſimus, & Eccleſiæ calculo in exponendis Sacris Scripturis Doctor Maximus. Quippe qui in hiſce ad extremam caniciem conſenuerit, eſt teſte S. Auguſtino, veteres omnes græcos, & latinos Commentatores legerit. Qui ſane, niſi hic primus glaciem perfregiſſet, poſteris omnibus Prophetarum omnibus invia fuiſſet via: ſed benefica providentia in hoc toto opere ita labor, in doctrina Hieronymi conſtitit, ut hac laurea ipſius doctoralis, & ſcriptorum gemma, præ omnibus emicet; opus, dico, operum ejus præſtantiſſimum, in quo ipſe ſe ipſum vicit.* Et poſt paucum addit: *Audiemus hic ergo cygneam ejus vocem; de quo illud legimus: quod, licet variis morbis, doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda ſolitus ſit piis laboribus, & perpetua lectione, aut ſcriptione ſuperare.* His elogiis non ſe ſatisfeciſſe meritis S. Hieronymi exiſtimans laudatus *Cornel. à Lap.* iterum Commentario in Proverbia *Salomonis cap. 15. v. 2.* dum Sanctos Patres Latinæ Eccleſiæ declarans eorum eloquentiam enumerat, in laudes S. Hieronymi ſic excurrit: *Hieronymi quoque Sermo doctus, & antiquitatis exemplis abundans, multoque acumine. Deinde quod caput eſt, ad omnia exprimenda apprime factus, ſive ſcriptura ad verbum interpretanda, ſive præcepta omni vitæ præſcribenda, ſive quidpiam laudandum, aut vituperandum ſit, ſive denique aliquis ad virtutem exhortandus: in quibus omnibus ita valet, ut plane illa cœleſtis eloquentia videatur.* Sed neque hæc ſuffecerant memorato *Cornelio à Lap.* Nam & in *Prolegomenis* in *Threnos pag. 831.* de ejuſdem S. Doctoris Epiſtolis ſequentia ponit: *Sanctus Hieronymus, qui paſſim in Epiſtolis ſuis pœnitentiam, auſteritatem, mundi contemptum, vitam perfectam verbo, & exemplo docet, & inculcat; qua de cauſa Epiſtolæ ejus dicendi libertate, efficacia, acrimonia æque ac ſtyli elegantia, ſpiritu, & præceptis virtutum, ac perfectionis cuilibet ſtatui accommodatis, ſuperant omnes omnium Patrum, ac Doctorum Epiſtolas, aureæque ſunt, & digniſſimæ, quæ ab omnibus aſſidue legantur, ac terantur.* Ac tandem *Commentario in Ezechielem pag. 1120.* fatus *Cornelius à Lap.* de S. Hieronymo ſic fatur: *Eſt Jaſpis fidei, Smaragdus ſpei, Carbunculus charitatis, Adamas conſtantiæ.* Celebria certo, & laudabilia univerſa hæc ſunt Sancti Hieronymi Elogia, neque ſatis admiranda. Ideo hæc verbis *Philippi Brietii*, qui eundem Sanctiſſimum virum *Lib. 9. cap. 3. ad A. C. 420.* dicit fuiſſe: *Catholicorum Magiſtrum, & Lumen mundi*, ſubjectis concludo: *Magna nomina, ſed adhuc ejus meritis inferiora.*

VII. Quo laudum cumulo ſanctum hunc virum, ac Doctorem eximium *Severus Sulpitius* Monachus Primuliacenſis deprædicavit, expoſui *cap. 19.* ad quod Lectorem benevolum humaniſſime remitto. Quibus porro cantatiſſimis per orbem laudibus meritiſſimi, & clariſſimi de Republica Catholica viri præclariſſimum hunc Eccleſiæ, maximumque Doctorem eruditiſſimis ſæpe Elogiis extulerunt, Cornelius Schultingius in Diſputatione de Cardinalitia Hieronymi dignitate edita viginti ſex numerat, eaque per extenſum ſuo operi inſeruit, quæ conſulto prætereo, ſed inſinuare ſufficiat: quod huic ſanctiſſimo Doctori, ob inſignia ejus in univerſalem Eccleſiam merita *Fr. Baptiſta Mantuanus*, Ordinis Carmelitani Theologus *lib. 9. Faſtor.* Elogio acuminoſiſſimo centum viginti Carminibus Heroicis conſtante: Item *B. Dardanius* viginti tribus diſtychis hono-

Xx 2 no-

Digitized by Google

noris, encomiique gratia parentaverint. *Petrus* quoque *Adrianus de Broëcke Flandro-Belga*, Artium Doctor, & publicus olim in Gymnaſio *Beyghemienſi* eloquentiæ Profeſſor tria & viginti Elogia, vitam S. Hieronymi, ſynoptico quidem, ſed ſubtiliſſimo calamo exprimentia, eidem Sancto Doctori inſcripſit, atque in Univerſitate Bononienſi typis vulgari fecit. Non contentus his clariſſimus vir, devotiſſimusque S. Hieronymo Cliens, verum uberioribus vitam ſancti viri deſcribere volens, elegantiſſima iterum ligata per viginti ſeptem quaſi capita *Heroicis*, *Elegiacis*, *Sapphicis*, aliisque variorum generum verſibus carminicis, odisque diſtincta iisdem Bononienſibus Typis publicæ luci expoſuit. Univerſa hæc pro majori incremento honoris Hieronymiani toto corde huc per extenſum referrem, niſi memor propoſiti brevitati ſtuderem, neque neceſſarium exiſtimem; Cum Petrus Vergerius Juſtinopolitanus, Oratione de Laudibus S. Hieronymi in anniverſario Natalis ejus habita, dum varias ſancti viri panegyrico ore expreſſiſſet virtutes, circa dictionis finem univerſas quaſi nucleo includens ſic exponat: *Quid ergo his debet æſtimari? qui omnium virtutum cunctarumque bonarum artium cumulum non perſanctoriè, ſed ad ſummum in ſe collegiſſet, cujus vita totius ſanctitatis exemplum, eloquentia ſtupor, doctrina miraculum. Itaque non tam ſanctum nomen habuit (quod quidem ipſum denotat Hieronymi vocabulum) quam ipſam in ſe habuit ſanctitatem.*

VIII. Non obſtante tamen hac *Petri Vergerii* plenaria omnium quaſi Elogiorum nucleo incluſorum declaratione, auſim Elogium ligatum Conterranei S. Hieronymi *Marci Maruli* Dalmatæ, Patritii Spalatenſis, recitare: quatenus veterum Patriotarum quoque erga Sanctum purpuratum Dalmatam devotio, reverentiaque exteris innoteſcat Nationibus, atque ad parem recentiorum ejusdem ſoli natorum cultum animi accendantur. Elogium porro *Marci Maruli* ſequens eſt.

Dalmatiæ lætis olim generatus in oris
Hieronymus, toto notus in orbe fuit.
Inter Catholicos unus, facundior omnes
Judice me: magno non Cicerone minor.
Cecropia doctus lingua, doctusque Latina
Hebraicos didicit, Chaldaicosque ſonos.
Felix tam variæ donis donante loquellæ
Ingenio multum, nec minus arte valent;
Te ſcripturarum caſtigatore receſſit
Omnis ab utroque menda fugata libro.
Te monſtrante patent ſenſus, & ænigmata vatum,
Jam licet obſcuris nil titubare locis.
Sic ſole infuſo tenebras vaneſcere noctis
Cernimus, & nubes flantibus æthereis.
Te bellante piis verterunt terga prophani,
Perpetuus noſtris hoſtibus hoſtis eras.
Te duce proſtratis erroribus alma triumphat
Ecclesia, & laudes cecinit usque tuas.
Tu nobis conſulta, modos, monitusque dediſti,
Per quos alta poli ſcandere ad aſtra datur.
Nec tamen iſta magis verbis, calamoque docebas,
Quam vita, & factis, vir memorande tuis.
Nam Latium linquens Syriæ deſerta petiſti,

Saxo

Digitized by Google

Saxo membra tegens, eſurie-
que domans.
Illa anguſta ſpecus, muſcoque vi-
rentia ſaxa,
Nudaque paupertas, aſſiduus-
que labor.
Cur ſint Regna tuis tecta prælata
ſuperbis,
Cur tot divitiis, deliciisque tuis?
Noſcere ſi cupis rerum metire ſu-
prema,
Et cauſam dicens finis ab indi-
cio;
Ille enim potuit, qui talia ſperne-
re multa,
Contentus parvo, nunc bona
ſumma capit.
Nunc fruitur cœlo, ſed quoquo
tempore terras
Incoluit, mira dote beatus erat.
Mentis enim levibus tranſcendens
æthera pennis
Non ſemel Angelicos fertur adiſ-
ſe choros,
Et ſanctos vidiſſe Patres, vidiſſe
ſedentem,
Fulgentemque ſuper culmina
ſumma DEUM;
Sæpe ſupernarum paſtus dulcedi-
ne rerum
Jejunas totas perſtitit hebdo-
mадas.
Illi terribiles ſe ſubmisêre leones,
Nec dedignati ſunt ſua juſſa ſe-
qui:
Nullus tunc domitor, vis nulla
ſubegerat illos,
Et caput imperio ſuppoſuere
ſuo.
Grande viri meritum, cui grex,
& mutus honorem
Præſtitit, & ſævæ quem coluere
feræ.
Grandius hoc tamen eſt, illius no-
mina diri
Dœmones horreſcunt, effigiem-
que cavent;
Illi vota homines perſolvunt, ſæpe
periclis,
Sæpe gravi erepti protinus exi-
tio.
Oſſa viri Solymis defuncti Roma
recepit,
Illius meritis hoc quoque credo
datum;
Chriſtus namque mori Solymis
elegit, & idem
Eccleſiæ Romam præſtitit eſſe
caput.

IX. Præter hæc præmiſſa Elogiorum nomine, & ſpecie veniunt etiam Officia Eccleſiaſtico-Divina de Sanctis, utpote honoris, & cultus titulo iisdem ab Eccleſia Catholica, ejusque Supremis capitibus attributa. Simili elogio, ſeu officio divino S. Hieronymum ab immemorabili tempore Summorum Pontificum pio beneplacito ſub ritu Duplicis majoris per univerſalem Eccleſiam ex communi Confeſſorum, & Eccleſiæ Doctorum honoratum fuiſſe nemo eſt, qui ſana mente negare poſſit, atteſtantibus vetuſtiſſimis Breviariis Romanis. Puſilla quoque noſtra Proto-Eremitica Religio eximium hunc Eccleſiæ Doctorem ſemper de præcepto ſtatutorum coluit, hodieque colit non tantum ut Chronologum vitæ Sancti Patriarchæ ſui Pauli primi Eremitæ, verum etiam ut Sanctiſſimum Eremi Cultorem Officio Divino ſub præmemorato ritu ex Breviario Romano Pii Papæ V. A. C. 1568. vulgato, quod, abrogato veteri, ſub Generalatu Patris *Simonis Bratulich*, de conſenſu totius Capituli Generalis *Lepoglavæ* in *Croatia* A. C. 1606. celebrati, uſuandum aſſumpſit. Quod autem vetus Ordinis noſtri Breviarium concernit; illud ex vetuſtiſſimo manuſcripto editum fuit Typis Colonienſibus A. C. 1540. poſt laudatiſſimæ, ludoque litterario utiliſſimæ artis Typographicæ inventionem (quam *Philippus Bergomenſis* in Supplemento chronicorum notat ad A. C. 1460.) Anno 80. in hoc hodiedum habetur integrum Officium proprium de S. Hieronymo, in quo, quot Antiphonæ, & Reſponſoria, tot legun-

guntur de hoc Sancto Doctore Elogia: quibus conſulto prætermiſſis, bina tantum, quæ ad primarum, & ſecundarum Veſperarum Canticum Magnificat, pro Antiphonis recitabantur hic producenda exiſtimavi, ſuntque ſequentia: *Primum* Laudatorium: *Hieronymus Lumen Eccleſiæ, Orbis decus, caſtitatis lilium, norma vitæ, religionis ſpeculum; felix Cœli ſortitur bravium.* Hunc ſuccedit *ſecundum* Deprecatorium: *O robur Eccleſiæ, jubar ſapientiæ, norma ſanctitatis, mundi lux Hieronyme! ſerva nos tuo juvamine, ut tecum poſſimus vivere collaudantes DEUM gloriæ.* His accedit, quod recentiſſime piæ mem. *Clemens* hujus nominis Papæ XII. Feſtum hujus purpurati Doctoris, & Dalmatæ die 30. Septembris occurrens, prævia Sacræ Congregationis Rituum approbatione, Officio integraliter proprio ſub ritu Duplici primæ claſſis cum octava vigore Decreti ſui A. D. 1735. die 17. Septembris ad inſtantiam Archi-Epiſcoporum Spalatenſis, & Jadrenſis, eorundemque Suffraganeorum Epiſcoporum emanati, per univerſam modernam Dalmatiam celebrari præceperit. In eodem quoque Officio, quot Antiphonis, Hymnis, & Reſponſoriis, tot Sanctus Hieronymus Dalmata laudum decantatur præconiis. Officii hujus extenſio merito à Sacra Sede Romana peti poſſet pro aliis quoque Diœceſibus, quæ olim, vivente adhuc *Divo Hieronymo*, latepatenti per hodiernam Croatiam, & Slavoniam, Serviamque Dalmatiæ includebantur: ſignanter autem pro Diœceſi Zagrabienſi, utpote cui memorati Sancti Doctoris Natale Solum, non tantum vulgi voce, ſed & probatiſſimorum Scriptorum authoritatibus *Parte 1.* hujus Operis productis remonſtratum, quod hodiedum vetuſtiſſimo ſuo nomine *Stridon* compellatur, in ſpiritualibus ſubjectum exiſteret, ibidemque tam à domeſticis, quam exteris Hungaris, & Styris huic Sacro loco vicinia junctis, ad devotionem ſæpius per Anni ſpatium concurrentibus, plurimasque in ſuis animæ, & corporis, facultatumque ſuarum neceſſitatibus impetratas gratias reportantibus idem Sanctus Doctor, ut genuinus ejusdem Oppidi Stridonis filius, Pater, & Patronus devotiſſime coleretur.

CAPUT XXX.

Sancti Hieronymi Ordo Religioſus.

I. REgularis Ordinis *S. Hieronymi Pr. Caſparus Mallecbich* quondam Ordinis noſtri meritiſſimus Prior Generalis, in ſuo Quadripartito Regularium, ternis in locis mentionem facit. Et primo quidem *Parte 3.* in qua agit: *De Privilegiis per viam communicationis cum Patribus Carthuſienſibus per Sedem Apoſtolicam Ordini S. Pauli primi Eremitæ conceſſis:* Exponens *Conſtitutionem Urbani VI. pag. 380. contentam.* Qua dicti Patres Carthuſiani eximuntur ab omni contributione, & exactione per quascunque Litteras Nuntiorum, vel Legatorum, niſi in eisdem Litteris exprimantur Nomina omnium, & ſingulorum Monaſteriorum Ordinis. Hic inquam meminit citatus *Mallecbich* dicti Ordinis *S. Hieronymi* §. 2. *num.* 2. his verbis: *Nihilominus ſunt plures Religiones, quæ ſimile Privilegium exemptionis habent: Nam Gregorius XI. Anno Pontificatûs ſui quarto, Idib. Octobr. Ordini Divi Hieronymi in Hiſpania idipſum conceſſit: Eugenius IV. Anno 1443. Pontificatûs ſui decimotertio, 16. Kalend. Decembr. Priori, & Fratribus B. Mariæ*

de

de Gudalupe. Secundo *Parte ead.* Explicans *Conſtitutionem Innocentii VIII. pag. 405. poſitam.* Qua Patribus Ordinis, ac Conventuum memoratorum Fratrum Carthuſianorum conceditur Privilegium benedicendi paramenta Altarium, ad Divinum cultum pertinentia, §. 1. *num.* 3. Ejusdem Ordinis *Hieronymitani* meminit, ſequentibus: *Item ex Privilegio ejusdem Innocentii VIII. Prioribus Ordinis S. Hieronymi, & Vicariis in abſentia Priorum, & cuilibet habenti principale Regimen Monaſterii, ut poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, cæteraque ornamenta Eccleſiaſtica, ad Divinum cultum pertinentia, tam ſui Monaſterii, quam undecunque ſint.* Ac tandem Tertio: *Parte ead.* explanans *Conſtitutionem Gregorii XIII. pag. 509. impreſſam.* Qua declaratur Præcedentia inter Ordines Mendicantium, & inter Confraternitates Laicorum in Proceſſionibus. *Num. 4.* ex *Lezana,* Verbo *Præcedentia*: enumerat binos S. Hieronymi Ordines, ſeu Religiones his tenoribus: Et quidem ſub Num. VI. *Sanctorum Joannis, & Pauli Ordinis Sancti Hieronymi.* Item ſub Num. VIII. *Sancti Hieronymi, Congregationis Beati Petri de Piſis.* Hæc habet Theologus noſter *Caſparus Mallecbich.*

II. Apud Patrem *Anacletum Reiffenſtuel,* Juris Canonici *Lib. 3. Tit. 31.* de Regularibus §. 2. de Diverſitate, ac Numero Religioſorum, *Num. 30.* hæc leguntur: *Item Ordo Jeſuatorum Sancti Hieronymi inſtitutus à Joanne Columbino Anno 1354. ſub Innocentio VI. approbatus à Martino V.* in Conſtitutione: *Pia Poſtulatio.* Sed cum neque *Caſparus Mallecbich,* neque *Anacletus Reiffenſtuel,* quidquam ulterius de his agant; Dubia oriuntur non exigua. *Primum:* An hi Ordines diverſi ſint, vel unus idemque? *Secundum:* An ab ipſo S. Hieronymo fundati, vel ab aliquo alio? Dubia hæc ſequentium Authorum lucubrationibus enucleantur.

III. *Thomas Franciſcus Rotarius,* Italice Rovero, Theologiæ Moralis *cap. 4.* de Religionibus in particulari, earumque Origine *Num. 22.* ſic diſſerit: „Anno 1370. circiter cœpit in Hiſpania Ordo Monaſticus Eremitarum S. Hieronymi: Nomen hoc à Divo Hieronymo deſumpſiſſe aliqui cenſent, quia Ordo à Divo Hieronymo prope Bethlehem fundatus, qui pro aliquo tempore poſt ejus mortem duravit, eo demum extincto, à piis hominibus in Monaſterio S. Bartholomæi de Lupiana revocatus fuit ad vitam. Verum licet conſtet, Divum Hieronymum ædificaſſe Monaſterium, non conſtat tamen fundatorem fuiſſe particularis Religionis, cui & proprium habitum, & regulas, & vivendi formam tradiderit, unde communiter inter Religionum Fundatores Divus Hieronymus non collocatur. Alii dixerunt, Divum Hieronymum apparuiſſe primis hujus Ordinis Eremitis cum habitu monachali, ad cujus ſimilitudinem deſumpſerunt proprium, quem geſtant, Hieronymini propterea appellati ſunt. Sed, ut notat *Suarez,* non ſatis probatur ex hiſtoria fide digna hujusmodi apparitio. Potius ergo, quia primi hujus Ordinis monachi eum elegerunt in Patronum multo affectu, & ſtudio curantes imitari exempla, & ſequi ejus doctrinam, Hieronymini ab electo ſibi Duce, Patrono, & Doctore dicti ſunt. Tempore *Martini V.* aliquis hujus Ordinis monachus Regulam ex Scriptis Divi Hieronymi compoſuit, quam *Martinum V.* approbaſſe refert *Marianus Victorius.* Hanc cum acceptare noluerint monachi, qui erant in Hiſpania fortiter primæ Regulæ inhærentes, Petrus de Olmedo adunatis ſociis,

„cœpit in Italia ædificare monaſteria, „in quibus illam ſequebantur. Et „hinc Hieronymiana Religio ſub „duplici capite, ſeu Generali, in Hi„ſpania altero, & altero in Italia mi„litare cœpit. „ Hæc *Rotarius.*

IV. Hujus eruditi viri diſcurſus de præattacto Ordine concordat cum Diſſertatione *Ludovici Gothofredi*, prætorquam quod in Reformatoris nomine diſcordet. Hic igitur *Ludovicus* in ſua Archantologia Coſmica, *Diſſertatione* de Origine Ordinum Religioſorum *Lib. 3. pag. 32.* de Ordine Hieronymitano hæc ſcribit: *Ordo ipſius* (S. Hieronymi) *Hieronymitarum appellatur, quorum etiamnum multi ſunt in Hiſpania. Illi tunicam candidam interiorem gerunt, cui pallium bœtici coloris, ſuperius pellitum, quali Jeſuitæ utuntur, ſuperinduunt. Præcipuum Monaſterium hujus Ordinis vocatur S. Bartholomæi Lupienſis, quod ſitum eſt tribus ab Urbe Gardua milliaribus: ſuntque in Hiſpania ut minimum triginta duo hujus Ordinis monaſteria. Vulgo dicuntur Monachi S. Hieronymi Gardalupii. Hierodulam Sancti Auguſtini ſequuntur, & quaedam ipſius conſtitutiones obſervant. Nulli ſunt Religioſi hujus ordinis in Italia, niſi quod illic Procuratorem* (probabiliter ad Curiam Romanam) *habeant.* Hucuſque *Ludovic. Gothofredus* de Ordine Hieronymiano in Hiſpania.

V. De alio vero Ordine Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, poſtquam Congregationem Fratrum S. Ambroſii explicuiſſet, *loc. cit. pag. 43.* ſequentia notavit: *Idem poteſt dici de Ordine Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, de quo ſupra aliquid diximus. Sed is reformatus eſt à Lupo Solmeta Hiſpano, viro docto: qui cum Romam veniſſet, facultatem obtinuit hunc ordinem reformandi, & impetravit à Pontifice Templum S. Alexii Romani, ſitum in monte Aventino, cum locis circumjacentibus, & omnibus illius redditibus, ac proventibus. Is Monachis illis formam, & regulam vivendi præſcripſit, quam ex operibus S. Hieronymi excerpſit. Quidam ajunt, illos initium cepiſſe à tempore Euſebii Cremonenſis, diſcipuli S. Hieronymi: & monachos Garda-Lupi in Hiſpania, qui regulam ipſorum ſequuntur, ab illo forte Lupo reformatos fuiſſe; cumque poſtea viderent ſuum Ordinem diſſolvi, eum denuò reformaſſe, & Lupum hos ab illis diſtinxiſſe, & novum ex his Ordinem inſtituiſſe. Tunicam candidam gerunt, cum Empomide coloris bœtici: quando per Urbem incedunt, cucullum gerunt à pectore clauſum, more monachorum, ejuſdem cum Empomide coloris. Lupus Olivetanus obiit Anno 1433. Papæ Eugenii Anno tertio. Hic ordo habet in Italia circiter viginti Monaſteria, quorum præcipuum eſt Xenodochium Laderjanum in Gallia Ciſalpina. Habebat in Hiſpania ſex monaſteria, quorum caput erat Monaſterium Iſidori diſtans milliari uno ab urbe Hiſpalenſi. Profitentur, & obſervant Regulam S. Auguſtini. De prima hujus Ordinis Congregatione in Hiſpania hodiedum vigent.* Sic ſcribit *Ludovic. Godofred.*

VI. Ex his itaque præmiſſis patet ſolutio propoſitorum ſub initium *Capitis hujus* dubiorum. Et quidem *primi:* Ex uno S. Hieronymi Ordine binos vigore Reformationis conditos exiſtere; quorum unus in Hiſpania ſub Labaro Regulæ S. Auguſtini, alter in Italia ſub Vexillo Regulæ Lupi de Oliveto ex operibus Divi Hieronymi compactæ, Altiſſimo juge præſtat ſervitium. Hujus poſterioris Ordinis meminit etiam Collector Epiſtolarum S. Hieronymi editionis Baſileenſis in ſuo Argumento in *Epiſt. 92.* ſequentibus: *Sequitur Regula monachorum ex variis Epiſtolis, & Tractatibus Beati Hieronymi excerpta, & per quendam Lupum de Oliveto Hiſpanum monachum in certis capitulis, rubricisque diſtincta, quam Martinus V. Pontifex maximus approbavit, & ſua Bulla ſcripta ipſius Ordinis Profeſſoribus* ob-

Digitized by Google

obſervandam tradidit. Deinde ſubjungit ipſam Bullam mentionati Papæ ſub Tit. *Epiſt.* 92. quæ incipit: *Etſi pro cunctorum Chriſti Fidelium.* Quam Bullam mox ſequitur Regula à Lupo Olivetano compoſita, atque in 32. Capita diſtincta. Ordo hic à pleriſque Scriptoribus nuncupatur: *Congregatio Monachorum Ordinis S. Hieronymi reformatorum.* Quorum etiam aliqua Monaſteria, quamvis pauca in Hiſpania ex ſuprarelatis *Ludovici Gothofredi* haberi dignoſcuntur. Quantum attinet *Dubium ſecundum*, id reſolutum etiam eſt Lucubrationibus citatorum Authorum, ex quorum relationibus patet S. Hieronymum nullum inſtituiſſe Ordinem: verum Religionem vel ab Euſebio Cremonenſi ejus diſcipulo, vel ab aliis piis viris fundatam tutelæ, & patrocinio S. Hieronymi dicatam, & commendatam extitiſſe, ſignanter Reformatorum, qui Regulam ex ſanctiſſimis S. Hieronymi ſcriptis, ab Eccleſia Catholica approbatis, compilatam profiterentur, ejusdemque ſanctæ, ac Paternæ doctrinæ pabulo ad conſequendum Religioſi ſtatus beatiſſimum finem, qui eſt vita æterna, educarentur.

VII. Religioſum hunc Ordinem in Hiſpania celebrem *Carolus V.* Imperator Romanorum ob pietatem, regularemque obſervantiam ſingulari veneratione, & amore proſequebatur, ita, ut ultimis duobus vitæ ſuæ Annis, abdicato Imperiali diademate, inque Fratrem ſuum *Ferdinandum I.* tranſlato, ſecedens ad *Extremaduræ* vallem amœniſſimam, in Cœnobio Sancti Juſti Hieronymitanorum, non procul à *Pallentia* urbe, militem exuerit, eremitam induerit, ut in ſolitudine, ſine ſollicitudine degeret, ſicque viveret, ut quotidie diſceret mori, ſanctéque moreretur. Quæ dum avidiſſime, ſimul & punctualiſſime præſtaret, conſpiciens Menſe Auguſto Cometam ſub coma *Berenices*, caudâ ad Hiſpaniam directâ, *His* (ait) *indiciis me mea fata vocant.* Dicta probavit eventu: Menſis namque Septembris die 21. A. C. 1558. cum vixiſſet annis duo de ſexaginta, præfuiſſet Imperio annis triginta ſeptem, pientiſſime obiit, atque in ejusdem Hieronymitani Ordinis Conventu, ac Eccleſia S. Juſti ſepultus generalem præſtollatur Anaſtaſin. Ita *Brietius* Annalium Mundi *Par.* 2. *Lib.* 16. *cap.* 6. Et *Spondanus* in Auctuario Chronologico ad A. C. 1558. Hinc nihil mirum, quod *Petrus Ribadeneira* in vita S. Hieronymi ſic proloquatur: *Sed neque Hieronymiarum laudum poſtrema eſt, quod ei Dominus tot, tamque præclaros dederit filios, qui in Religioſo Ordine Hieronymitano, tanto Duce, Patreque militant in Hiſpania, adeo religioſè, tantarumque virtutum exemplis inclyti, tamque in ſervanda ſua Regula accurati, ut & Reges, & Principes, Dynaſtas quoque, Viroſque nobiles, ac opulentos, oppidò ſibi demeruerint, ac devinxerint, à quibus eis & ampli redditus liberaliter impertirentur, & magnifica monaſteria ædificarentur.* Et poſt paucum concludit, dicens: *Quod ingens eſt argumentum pietatis, quâ glorioſum hunc Eccleſiæ Doctorem Regnum Hiſpaniæ proſequatur: neque ipſi Sancto tantummodo, ſed ipſius quoque filiis ejus cauſa, incolæ Regni ejusdem quam plurima deferunt.* Si itaque glorioſo huic Sancto Doctori Regna, Regnorumque incolæ exteræ nationis tantæ pietatis, clientelariſque obſequii mnemnoſynon exhibent; quantam, quæſo, eidem devotionis ſubmiſſionem, & honoris exhibitionem, ſuorumque negotiorum, ac mediorum vitæ temporalis, ac ſpiritualis commendationem, Connationales ſui, & Patriotæ, non ſolum Oppidani *Stridonenſes*, vicinique eorum *Inſulani Muraközenſes*, verum etiam totum quantum modernum *Illyricum*, id eſt: *Croatia*, *Slavonia*, *Boſna*, & *Servia*, olim unico *Dalmatiæ* nomine comprehenſæ remonſtrare deberent? Quæſtionem præſentem ſolvat ſibi ſua reſponſione quisque benevolus Lector, ut melius eſſe in Domino judicaverit.

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Cum cultu Sanctorum communi ſuadetur etiam cultus particularis Sanctorum Patriæ.

I. NEminem exiſtimo mei cenſorem fore, ſi Capite præſenti pro coronide hujus Opuſculi, diſcurſum aliquem pro tenuitate ingenii mei de cultu Sanctorum in titulo Capitis præfixo, formavero: id facio ex pio affectu erga Sanctos Patriæ, quibus aliquem ſaltem, eſto exiguum, ferventioris tamen pietatis, & devotionis cultum à Patriæ filiis impenſum videre exoptarem. Pro hoc ergo perſuadendo ſequentem diſcurſum propono.

II. Certiſſimum omnino eſſe cuilibet conſtat, numerum earum animarum, quæ æterna beatitudine perfruuntur, omni prorſus, reſpectu noſtræ imbecillis numerum concipiendi capacitatis, numero carere, neque ideo pro quolibet Sancto diem quandam particularem aſſignari poſſe, in quo per officium divinum, alioſque ritus ſacros ſuam quisque feſtivam venerationem haberet. Merito eapropter Sancta Mater Romano-Catholica Eccleſia unam in anno diem, eamque 1. Menſis Novembr. deputavit, in qua hoc benedictionis, laudis, & obſequii Spiritualis tributum omnibus, & ſingulis, ſine omni exceptione, perſolveretur. Quod porro omnes Sanctos DEI de maximo ad minimum colere quilibet, & honorare obligetur, etiam certum eſt: id enim inſinuat *S. Joannes Damaſcenus*, inquiens: *Nos tenemur venerari ſanctiſſimam Virginem Mariam, quia eſt Mater Domini, tenemur venerari S. Joannem Baptiſtam, quia fuit Propheta, Præcurſor, & Martyr Chriſti Domini; tenemur venerari Apoſtolos, tanquam Fratres Chriſti, ejusque vitæ, mortis, ac glorioſæ Reſurrectionis teſtes; tenemur venerari Martyres, tanquam fortes Chriſti milites, & ſocios calicis paſſionis ejus; tenemur venerari Confeſſores, propter res adverſas, quas paſſi ſunt in ſe ipſis in aſſidua pœnitentia, corporalique maceratione; tenemur venerari Virgines, tanquam electas Sponſas Chriſti; tenemur venerari omnes alios Sanctos, & omnes hierarchias Angelorum, qui coram DEO in æternum exultabunt, ut ſic venerando, ac imitando eos, participes efficiamur illorum bonorum, quæ illi poſſident.* Hæc citatus *S. Joan.*

III. Ne autem quorundam Sanctorum feſtivitates particulares non celebrentur, altiſſima Divina providentia inſpiravit Chriſti Domini in terris Vicariis, ſeu ſummis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, ut hi poteſtate ſibi à ſupremo totius Eccleſiæ Capite Chriſto JESU attributa, feligant quoſdam Sanctos pro univerſali Eccleſia, aſſignando eis dies, quibus eorum feſtivitates, celebriorum quidem ſolemniori ritu, aliorum minus celebrium, minus pariter ſolemni ritu ubique, & ab omnibus Chriſti fidelibus feſtiventur. Hinc factum, quod per univerſalem Eccleſiam Catholicam ſolemniſſime, præter Feſta Chriſti Domini, Feſta etiam Sanctorum, primo quidem, & principaliter *Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, deinde *Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ*, & Sanctorum Apoſtolorum *Petri*, & *Pauli* Martyrii ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava: Feſta autem alia ejusdem *Sanctiſſimæ DEI Genitricis Mariæ*; item Feſta *S. Joſephi* Sponſi B. Virginis Mariæ, *S. Stephani* Proto-Martyris, *SS. Innocen-*

centum Martyrum; reſiduorum SS. *Apoſtolorum*, & *Evangeliſtarum*; S. *Laurentii* Levitæ, & Martyris, S. *Michaëlis* Archangeli ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, atque ex his aliqua cum octava, aliqua ſine octava. Aliorum tandem Sanctorum *Martyrum*, *Confeſſorum*, & *Virginum* partim ſub ritu duplici majori, partim ſub ritu ſemiduplici, & quædam ſub ritu etiam ſimplici celebrari, atque feſtivari ordinata ſunt.

IV. Quemadmodum autem Dominus DEUS, qua juſtiſſimus peccatorum vindex, ſolet quandoque diverſa, eaque terribilia immittere ſupra peccatores flagella, ut ſunt *fames*, *peſtis*, *bellum*, *incendium*, *egeſtas*, *infirmitas*, *infamia*, & ſimilia plura; ita etiam, qua infinite miſericors Dominus, & Pater ſemper aliquem Sanctorum conſtituit ad hunc finem, ut dum aliquo pœnarum genere peccatores flagellare intendit, aut flagellat, per interceſſionem illius, contineat girare brachium juſtitiæ ſuæ, ut flagellum aut amoveat, aut ſaltem mitiget, ne tam grave ſit, vel pernicioſum, prout delinquentes merentur. Atque hac de cauſa principaliter, ac ſolemniſſime Aſſumptio Beatiſſimæ Virginis Mariæ per univerſalem Eccleſiam celebratur; idque fieri merito, quilibet fidelis aſſeret Catholicus: hac etenim die Majeſtatis divinæ unius, & trinæ electione, & declaratione conſtituta fuit cœli, terræque Regina, totiusque generis humani in univerſis neceſſitatibus, & tribulationibus *Mediatrix*, *Advocata*, *Conſolatrix* atque *Patrona*, cum aliis Sanctis nonniſi in particularibus anguſtiis ſibi devotis ſubveniendi poteſtas conceſſa ſit. Sanctus namque Paulus primus Eremita, infantum, & parvulorum, Antonius Eremita animalium agit Patronum; S. Antonius Paduanus res perditas invenit; S. Thomas Aquinas Theologos, S. Catharina Virgo, & Martyr Philoſophos docent; S. Barbara pariter V. & M. Agonizantes confortat; S. Apollonia dentium dolores; S. Blaſius Epiſcopus, & M. gutturis ſanant; S. Quirinus Ep. & M. & S. Nicolaus E. & C. Naufragos ad portum educunt; S. Maria Magdalena pœnitentes ſolatur; S. Joannes Nepomucenus M. famæ periclitantes tuetur: SS. Rochus, Sebaſtianus, & Roſalia peſtem ſedant; SS. Vitus, & Lucia oculis caligantibus medentur; S. Stapletonius podagricos ſublevat; & S. Florianus incendia extinguit; Et ſic alii diverſi Sancti, diverſis in periculis, atque neceſſitatibus opitulandi gratiam obtinuerunt, quorum quoque Feſta, paſſim per anni ſpatium, juxta ritum ab Eccleſia ordinatum celebrari conſueverunt.

V. Univerſalis Eccleſiæ uſum, pro celebratione Feſtorum aſſumptum, ſecuta ſunt quoque Regna, Provinciæ, Urbes, Religiones, aliæque Communitates, quæ pari ratione de annuentia Sacræ Sedis Apoſtolicæ aſſumpſerunt plura etiam feſta celebranda ſuorum Sanctorum Patronorum, ſignanter eorum, qui in aliquo Regno, Provincia, aut Urbe nati ſunt, vel eorum etiam, qui in Regno, aut Provincia fidem Catholicam prædicarunt, & implantarunt, vel etiam eorum, qui viventes Regnum, aut Provinciam aliquo claro actu pro gloria DEI, aut utili publici boni, verbo, vel exemplo illuſtrarunt. *Cornelius à Lap.* Commentar. in *Matth. cap.* 25. exponens ℣. 21. *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Dicit: Eſſe parabolam ſumptam à Rege, qui ſolet ſervos fideles remunerare gubernaculis plurium civitatum; ſignificare autem per Catachreſim Sanctos, qui ſtrenue uſi ſunt gratia ſibi à DEO data fore conſortes gloriæ, regni, & gaudii DEI,

Digitized by Google

ſed majoris, vel minoris pro labore, & meritis cujusque. Deinde refert *Salmeronem* opinari: Hic innui, taciteque appromitti: Quod Sancti certis locis, quibus in vita laborabant, in cœlo à DEO præficiantur, ut ibi plus boni operentur, v. g. ut morbis medeantur, aliaque miracula patrent, quia hoc ibi labore ſuo meruerunt. Ita (addit etiam exempla *Jacobus Apoſtolus* miracula patrat Compoſtellæ in Hiſpania, Ambroſius Mediolani in Italia, Bonifacius in Friſia, & Germania. Non immerito igitur à Regnis, & Provinciis particularium Sanctorum domeſticorum, vel quaſi domeſticorum patrocinia, conſequenter eorum feſtivitates celebrandæ aſſummuntur: quia *Ribadeneira* in vita S. Sebaſtiani (de Natis in Regno, aut Provincia loquendo) inquit: *Quilibet Sanctorum valde poteſt illuſtrare patriam, tamque quam plurimis cœleſtibus favoribus, beneficiisque cumulare: quia & ipſum Regnum, aut Civitas tanti parens filii merito poteſt adeo inclyto cive gloriari.* Illis porro, qui Regnum aliquod, aut Provinciam Myſteriis fidei ſalutiferæ imbuerunt, atque directam ad vitam æternam conſequendam viam indigitarunt, quodlibet aliunde Regnum, aut Provincia obligata pietatis, ac venerationis officia, devotiſſimumque non ſolum Clientelaris, ſed & devinctiſſimæ ſervitutis cultum præſtare manent adſtrictiſſima.

VI. Atque hunc eundem ordinem ſervant hodiedum ſummi *Eccleſiæ Romano-Catholicæ* Pontifices. In alicujus namque Beati inter Sanctos declaratione, ſeu canonizatione, prouti & in conceſſione, reſpectu ſimilis noviter canonizati, ſacri officij. Quamvis namque Sanctum, quem recenter canonizant, Sanctorumque adſcribunt catalogo, tota Chriſtianitas ita eum pro Sancto recognoſcere obligetur, atque ita eum colere, ſicut quemlibet Sanctum teneatur, nullatenus tamen ad celebrationem ejus feſti, vel divini de eo recitationem Officii adſtringitur: ſiquidem ordinarie talis ſancti feſtivæ diei celebratio, & ſacri officii recitatio ad certum duntaxat Regnum, aut Provinciam, vel vero Religionem, aut Communitatem aliquam, cui Sanctus Canonizatus aliquo titulo adhærere dignoſcitur, determinatur. Ita Feſta Regni Hungariæ SS. Stephani, & Ladiſlai Regum, item S. Emerici Ducis, &c. non alibi, ſed in Hungaria, ejuſdemque Sacræ coronæ adnexis Provinciis duntaxat, & quidem ſolemniter celebrantur, non item aliorum Regnorum in Hungaria, uti ſunt v. g. SS. Iſidori, Ildephonſi, quæ Hiſpani duntaxat celebrant, & ſic intelligendum eſt de aliis Sanctis aliorum Regnorum, & Provinciarum. Pari modo Feſtum S. Pauli primi Eremitæ ſolemniter cum Octava celebratur in ſola Religione ejuſdem S. Patriarchæ; SS. Ignatii de Lojola, & Franciſci Xaverii in ſola Religione Societatis JESU; SS. Franciſci Seraphici, & Antonii Paduani in ſola Ordine Seraphico, S. Catharinæ Senenſis in Religione S. Dominici, & Civitate Senenſi, S. Eugenii in Civitate Toletana, & ſic diſcurrendum eſt de reliquis plurium Regnorum, Provinciarum, Religionum, Civitatum, & Communitatum Sanctis Tutelaribus, atque Patronis, à quibus Vici etiam, Urbesque integræ, Provinciæ, & Regna illuſtrata fuere, immo in Anglia olim, Gallia, & Germania, atque in extrema nunc India, novoque Orbe ſua quoque accepere nomina, inque eorum honorem non modo Aræ, Altaria, & Oratoria, verum & integræ Baſilicæ, Collegia quoque ac Cœnobia, Caſtra, & Urbes DEO optimo maximo dicata fuere. Ex quibus concludere licet, quod cujuslibet quaſi Sancti per anni ſpatium feſtivitas ſolemniter etiam in particulari celebretur, quamvis non ubique locorum ejus memoria habeatur.

VII.

Digitized by Google

VII. Poſt communem, & univerſalem Sanctorum cultum, uti & poſt particularem alicujus Regni, aut Provinciæ, Religionis, Civitatis, vel Communitatis Sanctorum venerationem, paucos credo fuiſſe, & eſſe inter Chriſti fideles, qui non in aliquem Sanctorum ſpecialiori, quam alios pietatis affectu ferantur, ejusque implorent patrocinium. Sic olim *S. Joannes Chryſoſtomus* præcipua quadam veneratione afficiebatur erga *S. Paulum Apoſtolum*, atque ex eo ejus in muſæo ſuo Imaginem ſervabat. *S.* quoque *Thomas de Aquino* magno itidem ferebatur amore in eundem S. Apoſtolum; *S. Thereſia V.* fuit *S. Joſepho Nutritio Chriſti* devotiſſima; *S. Eduardus* Rex *S. Joannem Evangeliſtam* pro ſuo Patrono elegit; *S. Ivanus Goſtumili* Croatiæ Regis filius pro Patrono ſuo habuit *S. Joannem Baptiſtam*; *S. Catharina Genuenſis s. Benedictum Abbatem* peculiari devotione coluit; altera *S. Catharina Senenſis s. Agneti V. & M.* ſe totam mancipavit; Vir ille Sanctæ vitæ ex Ordine *S. Franciſci Seraphici*, quem Cherubinum Spoletanum vocant, *S. Hieronymi* cultor eximius fuit. *S. Paulus Elcanus* in *SS. Nicolaum Ep. & Conf.* ac *Catharinam V. & M. S. Eliſabeth* in *S. Joannem Evangeliſtam* ſingulari devotionis affectu propendebant. Alii denique non ſolum Sancti, verum & plures cultui divino, ac ſanctorum addicti viri, alios, atque alios Sanctos DEI ſibi in Patronos, ac Tutelares ſelegêre, quibus ſe, ſuaque omnia, tam ſpiritualia, quam temporalia negotia confidebant, & commendabant. Neque ſine fructu: nam ſinguli hi præmemorati à ſuis Patronis in ſuis anguſtiis adjuti fuere: ut de reliquis ſileam, S. Thomas Aquinas, dum locum certum ex Iſaia Propheta explicare nequiſſet, à S. Paulo Apoſtolo edoctus fuit, & ſic alii in aliis ſuis neceſſitatibus à ſuis Tutelaribus evidentiſſimam ſenſere opem. Sic Theodoſius Imperator in inſigni illa contra Eugenium Tyrannum victoria (quam *S. Auguſt. lib.* 5. de Civit. DEI *cap.* 26. decantat) SS. Philippi Apoſtoli, & Joannis Baptiſtæ, quos eximie colebat, præſentiſſimum, certiſſimumque ſubſidium expertus eſt. Et, præter alios, quorum plurima produci poſſent exempla, Caſtellanus quoque nomine *Ladislaus* (de quo *Pr. Andreas Eggerer* Annalium Ordinis noſtri *cap.* 15. ad A. C. 1422. prolixiori diſſerit calamo) jamjam ob demetria ſua à ſtrictiſſimo judice ad inferos applicandus, ſuffragiis tamen S. Patriarchæ noſtri Pauli primi Eremitæ, cui ſemper devotiſſimus fuerat, vitæ ad agendam pro delictis pœnitentiam redditus, poſt triginta expiationis peccatorum dies pio fine quievit. Sanctum igitur, & pium eſt deligere ſibi poſt Beatiſſimam Virginem Mariam, tanquam cœli, terræque Reginam, alios quoque Sanctos, ſignanter Sanctum Baptiſmalem, & nobis aliquo titulo ſive Patriotali, ſive Religionis propinquiores pro Patronis, & Tutelaribus, in quos ferventiori pietatis affectu, ac propenſiori devotionis exercitio feramur, eisdemque neceſſitates noſtras ſpirituales, & temporales confidentius proponamus, atque commendemus.

VIII. Non poteſt non eximium fructum referre is, qui cultui Sanctorum deditus eſt, eosque pie, & humiliter veneratur, venerandoque in ſuis anguſtiis confidenter invocat: nam, ſicut Divinus ille *Dionyſius Areopagita Apoſtoli Pauli* diſcipulus, in Calce Libri *de Cœleſti Hierarchia* teſtatur, ajens: *DEI munera convenientiſſime petit, qui per ſanctos illa petit.* His etenim propter eorum excellentiam virtutis ſupra omnes homines Duliæ venerationem impendimus, eosque, ut pro nobis apud DEUM intercedant, rogamus, & invocamus. Et licet ſoli DEO ſervire debeamus, quando tamen etiam San-

ctis ſervire dicimur, dum eos invocamus, dum quædam pia opera in eorum honorem præſtamus, *Non ſervimus* (ut *Doctor Angelicus*, 3. *Diſt.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 7. inquit) *quaſi eis obnoxii, ſed ſervitute reverentiæ, quia ſunt noſtri Ductores, vel per doctrinam, vel per adminiſtrationem, vel per interceſſionem, & exemplum.* Eapropter tametſi ſolus DEUS videatur orandus, eo, quod *Oratio ſit elevatio mentis ad DEUM*, nihilominus & ad Sanctos, pro eorum impetrando ſuffragio, eam dirigi poſſe manifeſtum eſt, cum varios producat (ut *Didacus Stella Lib.* de Contemplatione mundi, *par.*3.*cap.*83. exponit) effectus. *Oratio* (inquit) *eſt præcipuum Chriſtianorum negotium: illud eſt nobile exercitium, quo homo per amorem ad DEUM aſcendens, videt in ipſo, tanquam in ſpeculo, proprias culpas, & miſerias, cognoſcens eſſe vanitatem, quidquid eſt in terra. Nam cum oratio ſit mentis in Deum elevatio, à DEO illuminatur, cujus luce cognoſcit omnia hæc mundana, eſſe vana.* Et paulo poſt: *Oratio eſt animæ Paſcha, Divina quædam voluptas, & DEI amplexus: eſt oſculum pacis inter JESUM Chriſtum ſponſum, animamque ſponſam: eſt domus ſpaciamenti, & recreationis ſuper monte Libano, ubi verus Salomon cum filiis hominum obambulat: eſt ſalutifera quotidianorum defectuum reſtauratio: eſt continuum omnium virtutum exercitium, omnium appetituum ſenſualium mors, omnium propoſitorum, & deſideriorum fons: eſt infirmorum medicina, mæſtorum gaudium, fragilium robur, peccatorum remedium, juſtorum deliciæ, vivorum auxilium, mortuorum ſuffragium, & commune totius Eccleſiæ ſubſidium.* Ita eleganter *Didacus Stella*. Oratio igitur debet omnino dirigi primo ad ipſum DEUM, ut gratiam, & gloriam conſequamur, quæ ſolus DEUS tribuit, juxta illud *Pſalmi* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Deinde oratio porrigitur Sanctis, non, ut per eos DEUS noſtras petitiones cognoſcat, ſed, ut eorum precibus & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. Et ideo dicitur *Apocal. cap.* 8. *Quod aſcendit fumus incenſorum, de orationibus Sanctorum in manu Angeli.* Et hoc etiam patet ex ipſo modo, quo Eccleſia utitur in orando: Nam à SSS. Trinitate petimus, ut *miſereatur noſtri*: à Sanctis autem petimus, ut *orent pro nobis*: Ita *Doctor Angelicus* 22. *qu.* 83. *Art.* 4. Ex quo Sanctos magis proprie dicimus deprecari, ſolum vero DEUM orare, juxta *Caſſianum Collat.* 9. dicentem: *Oratio proprie fit ad DEUM, ſed deprecatio, vel ſupplicatio ad Sanctos.* Sancti igitur in beata patria exiſtentes deprecandi ſunt, ut à DEO, quæ juſte, pieque petimus, ipſorum precatu, atque interventu obtineamus. Ad Sanctorum etenim gloriam pertinet, ut auxilium indigentibus præbeant ad ſalutem; taliter enim DEI cooperatores efficiuntur, quo nihil divinius, ut *Dionyſius Libro* de Hierarchia Eccl. *cap.* 3. diſſerit. Hac igitur prærogativa ornati Sancti, indigentiam noſtram intuentes, miſerentur noſtri, qui in hoc ſtatu miſeriæ vivimus, ac orant pro nobis DEUM, quia noſtram ſalutem ſitiunt. Hi etenim mortalibus ſibi devotis in die mortis opem ferunt ſingularem, hi in ſupremo judicio amicorum ſuorum cauſam agunt, hi mortis diem indicant, hi inſtruunt, & in rebus dubiis ſuos clientes erudiunt, hi in magnis perturbationibus, & anxietatibus illuminant, in adverſitatibus protegunt, in cunctis denique tribulationibus, & periculis ſuccurrunt, in omnibus neceſſitatibus, laboribus, & negotiis conſilium præbent, & auxilium ſuppeditant: neque crudelitatem, & ſcelera ſe pie colentium apud DEUM deferunt, vel accuſant, (ut habet *Cornelius à Lap.* Comment. *in Matth. cap.* 18. ℣. 3.) ſed potius ea tegunt, & excuſant, proque delinquentibus ſupplicant, & ſuorum meritorum, precumque interpoſitione continent manus, & iram Dei, ne

eos

Digitized by Google

eos puniat, aut ſaltem pœnam mitiget, ac alleviet.

IX. His prædeclaratis bene perpenſis, juxta meum exiguum videri, liquere exiſtimo: Omnes Sanctos in communi habere gratiam ſibi à DEO conceſſam mortalibus cunctis patrocinandi; ſed & alios Sanctos in particulari, à particularibus perſonis in Patronos, & Tutelares electos ſuis clientibus ſubveniendi. Nullum ergo dubium ſupererit, quin Sancti quoque idem opitulandi donum haberent Regnis, Civitatibus, Communitatibusque ſuis, in quibus vel prognati, & educati, vel his aliquo nexûs titulo adunati ſunt, ſi tamen ab incolis talium Regnorum, Urbium, & Communitatum debito modo colantur, & in neceſſitatibus pro ſuffragio humiliter, ſimul & devotè invocentur. Certum namque eſt, quod Sancti in cœlis mediante lumine gloriæ videant DEUM, & omnia, quæ in DEO ſunt formaliter, & eminenter. Hinc *S. Gregorius Libro Moralium* de Beatis loquens, ait: *Quid eſt, quod non vident, qui habentem omnia vident?* Vident ergo Sancti in DEO, quæ formaliter ei inſunt, id eſt: *Divinam eſſentiam, Tres perſonas Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Attributa Divina: potentiam, ſapientiam, bonitatem. Relationes ternas, productiones, Filii generationem, ſpiritûs ſancti ſpirationem:* &, ut ſummatim dicam, vident *omnia, quæ in conclavi illo divino continentur ad intra.* Vident præterea *omnia, quæ DEO eminenter, & in idæa inſunt, quod ad illorum eſſentiam, & quidditatem attinet; quod vero ad eorum exiſtentiam ſpectat, intuentur omnia particularia ad ſtatum ſuum pertinentia.* Sic vident genera, ſpecies, eſſentias, cauſas, principia omnium rerum, ſed exiſtentias, atque individua omnium tantummodo rerum ad ſtatum ſuum pertinentium. Alioqui ſi lateret aliquid Sanctorum aliquid eorum, quæ ad ſtatum ſuum ſpectaret, non eſſent perfecte Beati. Nam *Beatitudo* (ut eam *Boëtius* definit) *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ex his præmiſſis *Gabriel Inchinus*, Sermone: *De Cœleſti gloria*, adjunctus *Thomæ Stapletonii Sermonibus Controverſiſticis*, communem Theologorum ſententiam ſequens, concludit: Sanctum Petrum Apoſtolum videre omnia ad Eccleſiam, cujus caput erat, & Rector, *pertinentia*, etiam *particularia*, & *individualia.* Sanctos Fundatores, & Reformatores ſingulorum Ordinum Religioſorum, uti *Auguſtinum, Baſilium, Benedictum, Bernardum, Dominicum* &c. contemplari *univerſalia, & particularia ſuæ Religionis, quarum Fundatores extiterant.* Sanctos quoque *Reges, Duces, Principes* ſuorum *Regnorum, Ducatuum, Principatuum intueri generalia, & ſpecialia.* Sanctos *Primores* ſuarum *familiarum, & proſapiarum; Parentes* ſuorum *filiorum*, ac *Nepotum* videre *bona*, & *mala*, & è contra *Filios* ſuorum *parentum.* Ex quibus exiſtimo me quoque poſſe aſſerere (quamvis forte & *Inchinus* ejusdem opinionis tacitæ extiterit) quod Sancti in aliqua Patria nati ſuarum Patriarum, & Patriotarum eô modô, quo alii ſancti, ut paulo antè expoſitum eſt, in DEO videant univerſa, etiam particularia ad ſuum ſtatum pertinentia; conſequenter inferre congruum erit: quod tales Sancti majorem quoque ſuorum apud DEUM curam agant, quam aliorum, qui ad ſtatum eorum nullatenus ſpectare recognoſcuntur. Neque fas eſſe puto non credere pie, Sanctos, qui dum hic in terris cum ſuis commorati fuerunt, inque coöperando profectui ſuorum animarum ſalvationis adeo extiterunt ardentes, & fervidi, eos multo magis eſſe eodem fine ferventiores in patria jam conſtitutos, ſiquidem ibidem charitas, & amor magis ferveat erga DEUM, quem omnis boni, & emolumenti noſtri cupidiſſimum eſſe norunt: ma-

Digitized by Google

xime cum neceſſitates, & miſerias ſuorum ab alto cœlorum palatio diſtinctius, ut dictum eſt, videant, majorique authoritate in ſupremo illo Tribunali polleant, coram quo tanquam defenſores, & advocati ſuorum continuo aſſiſtunt.

X. In talibus Sanctis, præ aliis, ſed & præ Spiritibus Angelicis, illud mortalibus valde proficuum exiſtimo: quod illi, utpote qui in hac lachrymarum valle cum ſuis (ſint illi in Eccleſia Catholica reſpectu S. Petri Apoſtoli; ſint Religioſi reſpectu ſuorum Sanctorum Fundatorum; ſint Reges reſpective ad ſuos regnicolas, vel Parentes ad filios, aut Patriotæ erga Conterraneos) vixerunt, infirmitatum eorum experientiam habeant, aliorum non item. Fuitque putarem hic ſtimulus unus ex præcipuis, quem *S. Ambroſius* Libro *de Viduis*, nobis admovit, ut nos exſtimularet ad non verecundandum interceſſiones ipſorum in auxilium noſtræ, ad transgreſſiones adeo pronæ, infirmitatis exponere. Dicit enim: *Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis agnoſcere; quia ipſi infirmitatem corporis, etiam dum viverent, agnoverunt.* Charitas quoque quæ ſicut in animabus omnium Sanctorum; ita & *Sanctorum particularium* alicujus *Regni*, aut *Communitatis* ſive *Religioſæ*, ſive *Sæcularis* DEO, *qui eſt charitas, & ignis conſumens*, conjunctiſſima continuo, & nunc magis, quam hactenus exardeſcit, eos denique ſuis ad compatiendum, dum, & ſubveniendum exſtimulat: atque *ideo* (ut *S. Bernardus ſerm. 5. de OO. SS.* inquit) *ſperant, deſiderant, & orationibus procurant ſalutem ſuorum.* Huc videtur pertinere illud *S. Cypriani*, qui paternam in Sanctis ſuorum curam, & ſollicitudinem *Epiſt. 7.* recognoſcit; hisque exprimit verbis: *Magnus illic* (in cœlo) *nos charorum numerus expectat, patrum, parentum, filiorum* (licet mihi adjungere, *& Patriotarum*) *frequens nos, & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita.* Ab his namque, juxta Apoſtolum Paulum derivatur in clientes *Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti.* Quia per interceſſiones Sanctorum, nec non ex ardenti amore, quem erga laudes, quibus venerantur, demonſtrant affectum, derivantur in clientes innumera bona, quæ iis ex ditiſſimis cœlorum ærariis impetrant: *Per eorum namque deſideria* (ait *Lyranus* Comment. in *citatum Pauli text.*) *communicantur nobis eorum merita.* Quot etenim ſunt, qui per devotiones, quas erga Sanctos *Regnorum*, aut *Religionum*, vel *Patriæ ſuæ Tutelares*, ac *Patronos* exhibuerunt, reducti ſunt ad ſeriam de peccatis ſuis pœnitentiam, in eademque jugiter perſeverarunt? quot, inquam, ſunt, qui in imminentibus urgentibus periculis maxima beneficia, & gratias ſingulariſſimas receperunt? Placet hic unum, alterumve exemplum ex infinitis, pro majori dictorum adſtruendæ fide, referre, ita tamen, ut ea, quæ ab Authoribus citandis fuſiori calamo recenſentur, à me compendiario, ſervata tamen ſubſtantia, proponantur.

XI. *Saraceni* gens impia, & multis jam in *Aſia*, & *Africa* elata victoriis, *Europam* ingreſſa, *Romamque* Orbis *Dominam* pro ſua *Ancilla* habere cupiens, dum Suburbia ejusdem Urbis ſpoliat, ſuccendit, ipſamque Urbem oppugnare aggreditur, & totis viribus capere nititur. Quid in hoc Urbis miſero ſtatu ageret *Leo Romanus* hujus nominis III. Papa, quo ſe verteret, neſciens? conſilio tamen in arena capto, ad *Sanctos Tutelares* Urbis, & Orbis *Petrum*, ac *Paulum Apoſtolos* recurrit, orationeque ardenti ad eorum ſacras exuvias peracta, factoque ſigno crucis, pugnam cum fortibus hoſtibus fortiter init,

quos

Digitized by Google

quos & forti certamine, evidenti nihilominus *Sanctorum Urbis tutelarium* ſubſidio, fortior effectus hoſtes ſuperat, fudit, ac fugat. Ita *Joan. Naucler.* Chronologia *Vol.* 2. ad A.C. 848. Cum *Haſtingus*, Dux Regis *Northmannorum* Civitatem *Turonenſem* in *Gallia* obſidens expugnare conaretur, obſeſſi, improviſi ad reſiſtendum, Patrocinium à *S. Martino*, olim ejusdem Urbis Epiſcopo, ardentibus expoſtulant precibus, idque quod inſtantiſſime flagitabant, promptiſſime obtinuerunt, hoſtiumque cuneos proſtratos, fugatosque conſpexerunt. *Baronius Tomo* 10. *ad A. C.* 845. Ejusdem *S. Martini* Epiſcopi evidenti auxilio *Arvernum* in *Gallia* à *Gothis* obſeſſum, & acriter oppugnatum, fugatis, & trucidatis hoſtibus, *Arvernenſes* victores evaſere. *Sidonius lib.* 3. *Epiſt.* 3. Sed ne *S. Martinus* uni *Galliæ*, ubi Epiſcopum egerat, patrocinari videretur, ſuæ quoque nationi *Pannonicæ* (erat namque naſcita *Pannon* de *Sabaria*) ſuccurrere dignabatur, dum *S. Stephanus* primus Rex *Hungariæ Chriſtiano-Catholicus* de Duce Rebellium *Cupa*, ejusque aſſeclis feliciſſimum triumphum obtinuit, ipſo Sancto Rege victoriam hanc *S. Martino*, cujus ſe tutelæ devoverat, adſcribente, extructoque, & dotato in honorem ejusdem Sancti Præſulis celebri in *Monte Pannonio Benedictinorum* cum Eccleſia Monaſterio teſtimonium perhibente. *Bonfinius Dec.* 2. *lib.* 1. *S. Jacobus Apoſtolus* in Hiſpania, cui olim Evangelicam Chriſti doctrinam prædicabat, ſuasque ſacras Reliquias ibidem reconditas habere volebat, viſus eſt in albo equo cum vexillo contra *Saracenos* pugnare, & glorioſam de his gentilibus victoriam reportare. *Joan. Vaſæus,* in Chron. Hiſp. ad A. C. 825. *Ildephonſus* quoque Hiſpaniæ Rex contra *Saracenos* plurima bella gerens, & *Baëciam* Urbem obſidens, patrocinio *Beati Iſidori* Confeſſoris *Hiſpani*, *Saracenorum* ingentem multitudinem proſtravit, obſeſſamque urbem in ſuam poteſtatem redigit. *Lucas Tudenſis in Chron. Mundi. Lithuanis Polonia* Regno junctis exiguo numero ad potentiſſimi hoſtis inſperatam irruptionem trepidantibus *S. Caſimirus*, olim hæreditarius Dux Poloniæ, in aëre apparens, inſignem tribuit victoriam. *Breviar. Rom. S. Roſalia* Virgo Panormitana totam ſuam Patriam Siciliam, dum ejus Sacræ Reliquiæ levarentur, & in locum decentiorem conderentur, à peſte liberavit. *Breviar. Rom. S. Leopoldus*, olim *Marchio Auſtriæ*, hodiedum ſuis Auſtriacis variis in neceſſitatibus ad ſuum Sepulchrum *Clauſtro-Neoburgi* ſupra *Viennam* præſentiſſime opitulatur; *Officium propr. Auſtriæ & Hung. in Lectionib.* 2. *Noct. Neapoli* in Conventu Fratrum minorum, cum quidam Frater, *Robertus* nomine, cœcus pluribus annis extitiſſet (creverat namque in oculis ejus caro ſuperflua motum, & uſum palpebrarum impediens) ad mortem æger factus, omnibusque ad viam æternitatis neceſſariis præmunitus, nonniſi ſeparationem animæ à corpore præſtolabatur. Sed adſtitit ei *S. Franciſcus Seraphicus* cum *S. Antonio Paduano*, quibus nominatus Frater ſpecialiter devotus fuerat, accipiensque cultellum, carnem ſuperfluam in oculis reſecavit, Fratrique cœco lumen priſtinum cum integra corporis valetudine reſtituit, admonens ipſum, ut Patribus Miſſionariis, qui eo tum ad memoratum cœnobium ex diverſis ejusdem Ordinis Provinciis, in remota Regna pro converſione gentium profecturi, convenerant, denunciet, ſe eos præceſſurum, omnesque ipſorum greſſus directurum. *Beyerlinck* ſub verbo; *Sanctus, Sanctitas, pag.* 75. Experta quoque eſt puſilla Religio noſtra patrocinium ſui S. Patriarchæ Pauli primi Eremitæ, qui Perſecutori ſuorum filiorum *Emerico de Uvanos*, Caſtellano in *Diós-gyer* in *Hungaria*, ſtrato ſuo incubanti, &

Digitized by Google

multas machinationes contra Religioſos *Paulinos*, cum intentione eos in effectum deducendi, meditabunde ſtruenti apparens, ſcipionem in manu tenens, & torvo aſpiciens vultu, ſic eum allocutus eſt: *Dormis Tyranne? ah! tu dierum malorum, cur vexas filios meos? tu impie, non evades impunè.* Quo dicto, verberavit eum ſcipione uſque ad fecis egeſtionem, & diſparuit. Ille vero clamans excitavit famulos, quibus cuncta, quæ acciderant, enarravit, *Paulinosque* moleſtare ceſſavit. *P. Mathias Fuhrman* in vita *S. Pauli primi Eremitæ par. 2. cap. 21.* In Volumen excreſceret Opus præſens, ſi cuncta ſimilia exempla, admiratu digna, per Sanctos aliqua connexione alicui *Regno*, *Civitati*, *Religioni*, vel *Communitati* junctos patrata, vel compendiario memoranda forent. Si tamen quem ex benevolis Lectoribus ad hæc ſcienda cupido inſtigaverit, animus accedat Theatrum vitæ humanæ *Laurentii Beyerlinck*, & Admiranda Orbis *Joannis Bonifacii Bagatta*: conſulat deinde Annales, Hiſtorias, resque memorandas particularium *Regnorum*, *Rerum publicarum*, *Religionum*, *Urbium*, & *Civitatum*, invenietque quam plurima Sanctorum (ut inſinuatum ſæpius eſt) aliquo titulo alicui *Nationi*, aut *Regioni* junctorum veræ nationalis, & conjunctionalis charitatis, pietatisque præſtitæ miraculoſa certe beneficia, ut ſunt: Mortuorum ſuſcitatio, repentina viſus cæcis reſtitutio, fortuita pedum in claudis rectificatio, loquelæ in mutis apertio, auricularum in ſurdis ad audiendum reſeratio, vinculorum facta captivis ſolutio, incendiorum extinctio, naufragorum de ſubmerſione eductio, horridarum tempeſtatum ſedatio, & ſimilia, quam plurima plàne prodigioſa.

XII. Quæ cum ita ſe haberi pie credenda ſunt, merito igitur *Sancti Patriæ*, vel *Communitatis* alicujus peculiari devotione colendi ſunt. Neque quis exiſtimet me per hoc derogare velle cultui *aliorum Sanctorum*, nam, & hos omnes pro poſſe colendos eſſe, vel ex eo, quod DEUS ipſe eosdem honoret, clariſſimum eſſe non nego, qui enim *Sanctos* colit, *DEUM* colit, qui *Sanctis* ſanctitatis honorem contulit. Parænesi itaque mea nihil aliud intelligo, quam, ne juxta cultum *Sanctorum omnium* in communi, & quorundam in ſpeciali, negligatur etiam cultus in particulari *Domeſticorum ſanctorum*. Si quis etenim ex Sanctorum ingenti numero pro ſuis ſpecialibus *Patronis*, & *Tutelaribus* ſeligere poteſt hos, vel illos pro ſuo libitu; cur non placeret etiam deſignare ſibi unum, vel alterum ex *Domeſticis Patriæ*, ſive *Regionis*, in qua quis naſcitur, & educatur, vel aliquo vinculo nexus *Patriæ*, aut *Regioni* eligentis adſtipulatur? Nunquid hic adagium illud uſurpari poſſet? *Stat pro ratione voluntas.* Si igitur datur proprium velle *ad unum*, cur non *ad alium*? Si *ad exterum*, quare non *ad domeſticum*? cum idem apud DEUM *domeſticus* poſſit, quod *exterus*; dummodo ita colatur *domeſticus*, quemadmodum *exterus*: immo *domeſticus* pronius (ut ex prævio diſcurſu apparet) infirmitatibus *ſuorum* compatitur, & favet, quam exterus habens ſimiliter ſuos, quibus compatiatur, & faveat. Huc ſpectare, meo videri, appaæt formula illa, quæ ordinarie in Bulla Canonizationis alicujus Beati apponi, & pronuntiari ſolet, extatque apud *Cardinalem Proſperum de Lambertinis lib. 1. cap. 13.* Expoſita his verbis: *Confidentes per DEI miſericordiam, nos, & gregem nobis commiſſum ejus ſuffragiis adjuvari, &, quem familiarem habuimus in terris, habere Patronum in cœlis.* Vel vero alia ſimilis: *Nos cum commiſſo nobis grege Domini confidimus, ejus poſſe ſuffragiis per DEI miſericordiam adjuvari, ut cujus in terris ſolatium gratioſæ familiaritatis habere merui-*

rui-

ruimus, ejus in cœlis potenti patrocinio gaudeamus. Quod quilibet Sanctorum reſpectu univerſalis Eccleſiæ familiaris dici poſſit, & debeat, inexpugnabile eſt: ſed quod Sanctus alicujus Patriæ, aut Religionis, reſpectu ſuæ Patriæ, vel *ordinis familiaris* etiam, immo *familiarior*, & *familiariſſimus* dici nequeat, nullam, ex ſupra allatis opinionibus invenio cauſalem.

XIII. *Sanctus Ambroſius lib. 1.* de Abraham *cap. 6.* inquit: *Magnus murus patriæ vir juſtus, illius nos fides ſervat, juſtitia ab excidio defendit.* Hoc *S. Cyrillus Alexandrinus* confirmat, dum dicit: *Vehementer Sanctis opus eſt, ſervant enim urbes, & regiones, & à clade impendenda liberant: iram DEI quantumvis ferventem vitæ claritudine, & impetûs ejus iracundiæ invertentes.* In pari cauſa *Libro Numeror. cap. 16.* legitur: *Locutusque Dominus ad Moyſen, & Aaron, ait: Separamini de medio congregationis hujus, & eos repente diſperdam.* Ex quibus Sacri textus verbis colligitur; *Juſtitiam DEI* fulmine iræ ſuæ adverſus rebellantem congregationem, cui *Moyſes*, & *Aaron* præerant, in procinctu habuiſſe, & tamen propter innocentiam vitæ horum duorum Præſidum vindictam diſtuliſſe. Quod conſiderans *Oleaſter* exclamat: *Ecce quid valent juſti in populo, & congregationibus in quibus ſunt: videntur enim ligatum habere DEUM, ita, ut iis præſentibus ſævire nolit in malos.* Hinc *S. Hieronymus* reflectens ſe ad illa verba, quæ Deus olim ad *Moyſen* locutus eſt, inquiens: *Dimitte me, & delebo populum iſtum*, addit *Lib. 2. Epiſt. 26.* ſequentia: *Quando dicit dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe, ne faciat, quod minatus eſt, DEI enim potentiam Servi preces impediebant.* Si ergo linguæ *Servorum DEI*, quamdiu hic in terris ſuis in communitatibus vixerunt, non ſolum ad impetrandam divinam miſericordiam, verum etiam ad detinendam decretam DEI vindictam efficaces fuerunt; quanto magis modo Sanctorum aliquo titulo huic, vel illi Regno, aut Communitati conjunctorum, ſi debito modo colantur, linguæ efficaces erunt. Hi namque de ſua infallibili, & æterna amicitia, & gratia DEI ſecuriſſimi ſunt, nec jam amplius de ſua, ſed ſolum de mortalium, ſignanter ſibi aliqua neceſſitudine junctorum ſolliciti ſunt. Ipſis etenim in beata illa patria exiſtentibus manifeſtæ ſunt horum infirmitates, & neceſſitates, eosque amor, & charitas, ſeu pronitas ipſorum, his ad ſubveniendum impellit, ſiquidem in cœlis *Charitas nunquam excidit*, ſed ſemper magis perficitur, magisque inardeſcit.

XIV. Pro terminando præſenti vilis ingenii mei diſcurſu ad priora redeo, expectorans me ſincere, quod cultum communem Sanctorum nunquam diſuadere intenderim, neque diſuadeam, imo toto pectore exhortor, deſiderioque imo deſidero, ut quilibet Sanctorum etiam in particulari quovis die, à quovis mortalium ita colatur, ita veneretur, prouti quilibet Sanctorum meretur, & coli poteſt, ac debet. Sed quia id impoſſibile eſſe dignoſcitur, colatur à quolibet mortalium poſt DEUM, qui cultu Latriæ adorari debet, primo, & ante omnia *Sanctiſſima Virgo, & Mater Domini noſtri JESU Chriſti Maria*, in cunctis neceſſitatibus univerſorum hominum Advocata, Mediatrix, & Patrona ſingulariſſima, atque potentiſſima, quia cœli, terræque Regina. Poſt hanc omittendi non ſunt Sancti Angeli, ſignanter Cuſtodes noſtri, qui cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris, nihilque tam vile eſt, quod in noſtrum tum animæ, tum corporis bonum non exequantur. His adjungantur S. Joannes Baptiſta Præcurſor, & S. Joſephus Nutritius Chriſti, uterque de ejusdem ſanctiſſima familia optime meritus, potens adeoque apud eundem ſuorum clientum Protector.

Digitized by Google

Colantur deinde Sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & Viduæ, utpote perpetui amici DEI, & cohæredes Regni Chriſti. Ex qualibet tamen horum Sanctorum Tribu ſeligi poſſunt pro beneplacita cujuslibet devotione certi in individuo Sancti, pro Patronis, & Tutelaribus ſpecialibus eligentis, ardentiori pietatis affectu colendi, & pro poſſibili imitandi. Sed dum quis è præmemoratis Tribubus Sanctorum pro particulari ſuæ pietatis erga aliquem Sanctorum affectu in ſuum Patronum eligere voluerit, quæſo, meminerit Sanctorum Patriæ ſuæ (nulla enim ſub cœlo Regio eſt, de qua non eſſent in patria illa beata plurimi corona Sanctitatis redimiti) unumque vel alium in ſimilem electum colat pro ſuo poſſe quivis, ipſum invocet, ipſi confidat, & commendet ſuas fragilitates, miſerias, infirmitates, tribulationes, atque anguſtias, experietur, credat mihi experto, pro ſuo contento ſæpe ſæpius evidens ſubſidium, atque levamen.

XV. Hos autem, ſive jam in communi, ſive in particulari colere, hos revereri, hos deprecari, his clientelare præſtare obſequium, ſicut varii ſunt modi, à pluribus *Aſceticis Viris* jam dudum præſcripti, ita ſibi diverſos cujuslibet erga quempiam Sanctum Clientis affectus pro ſuo ſtatu, & conditione deſignare poterit. Veteres Gentiles (ut habet *Cornelius à Lap.* Comment. in *Iſaiæ cap.* 57.) ſignanter Romani ponebant in ædibus ſuis Deos, quos Lares appellabant, ut hi tam ædes, quam incolas defenderent, & fortunarent. *Chriſtiani pii* pie multi vel ante ædes, vel in ipſis ædibus, & officinis, atque cubiculis, collocant imagines *Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, aliorumque Sanctorum, vel maxime Patronorum, & Tutelarium ſuorum, ac Patriæ, atque veſpere ante illas cæreos, vel lampades accendunt, tum ut eos venerentur, tum ut jugem eorum memoriam, & imitationem refricent, tum etiam ut eos invocent, & benedictionem tam temporalem, quam ſpiritualem impetrent. Nec enim decet ab impia ſuperſtitione *Gentilium* vinci piam religionem fidelium; qui proinde ſibi, & aliis jugem DEI, & Sanctorum memoriam, ac præſentiam per *Cruces*, *imagines*, *altaria*, & *ſimilia* exhibere, ac repræſentare debent. Sed præter hæc, ſunt & alia quam plurima pietatis exercitia, quibus Sancti Patroni, & Tutelares coli poſſunt: ut ad honorem hujus, vel illius Sancti in Patronum, & Tutelarem electi certæ preces dietim recitandæ, aut eleemoſyna hebdomadatim eroganda, aut jejunium, vel ad minus abſtinentia à cibo, potu, vel maxime vitio aliquo, & peccato, præſertim ſi illud ſit familiare menſtruatim ſervanda, atque hujusmodi Sancti Eccleſia, ſi adeſt, annuatim viſitanda, ſin minus, in alia Eccleſia devotio erga eundem Sanctum peragenda, & plura ſimilia, inter quæ non ultimum illud eſſe cenſerem, ſi Parentes proles ſuas Sanctorum Patronorum Regni, & Patriæ nominibus in fonte baptismali vocitari, & appellari, facerent; eo tum namque Sancti in cœlis patriæ gloriam, & honorem ſibi à patriotis dari advertentes, & prolibus, & patriæ largam divinæ benedictionis meſſem ab Omnipotente tribui absque dubio deprecarentur, impetrarentque pro ſolatio patriæ, & patriotarum.

XVI. Præſcriptus colendi Sanctos modus bonus eſt, uberemque taliter colentibus fructum producens; attamen melior cenſetur ille, qui in imitatione vitæ, & virtutum hujus, vel alterius Sancti, in Patronum delecti, conſiſtit, ita tamen, ut imitando in aliquo virtutis genere Sanctum, eidem ſimul aliqua ex ſupradictis ferven-

Digitized by Google

ventioris pietatis officia præſtentur. Verum in moderno rerum mundanarum ſtatu objiciet quis illud tritum de veterum Sanctorum auſteritate vitæ adagium: *Hæc ſunt admiranda, non imitanda.* In laudem *Sancti Baſilii Magni S. Gregor. Nyſſen.* ſcribit: Quod ſicut ſi quiſpiam amicorum noſtrorum, quæ cælaturam ſigilli noſtri videndi cupidus eſt, hanc illi longe melius in cera expreſſam demonſtramus, quam ſi voce eandem declaremus. Eodem quoque modo Sanctus aliquis efficacius commendatur, ſolidioribusque laudibus honorari cenſebitur, ſi illum virtuoſis operibus noſtris, & ſanctorum exemplorum imitatione honorificare ſtuduerimus, quam ſi multis verbis ejus laudes deprædicaverimus. Nam, ut *S. Chryſoſt. serm. de Martyrib.* ait: *Aut imitari debet, ſi laudat: aut laudare non debet, ſi imitari detrectat.* Nec deſpondendum eſt animo, ex eo, quod actiones Sanctorum nimis ſint heroicæ, omnique humana debilitate ſuperiores. Audi *Euſebium Emiſſen.* qui *Serm. de Nativ. S. Geneſii* dicit: *Hos ergo chariſſimi ita imitemur, ut eos homines fuiſſe meminerimus.* Sumus etenim iiſdem prorſus cœleſtium gratiarum auxiliis communiti, dummodo ei grata mente cooperemur, qui illa ſubminiſtravit. Quæ dum perpenderimus, certe ad nos corroborandos, & animandos ſufficiens. *Omnia* etenim *poſſum in eo, qui me confortat*, inquit *Apoſtolus ad Philippen. cap.* 4. Optimum deinde nos modum docet *citatus Euſebius*, quo ſanctos imitari poſſimus. Dicit enim: *Superaverunt illi corporum dolores, nos ſuperemus mentium, & cordium paſſiones: vicerunt illi tormenta, nos vitia: illi ſacrificare dæmoniis horruerunt, nos malitiam, invidiam, obtrectationem, contentionem, tanquam prophana ſacrificia deteſtemur: ut iterum hujus conflictionis vitia, perſecutores virtutis probent eſſe nos Martyres.* Pariformem modum colendi Sanctos nobis proponit *Berengoſus Abbas Serm. de Dedicat. Eccl.* in Bibliotheca veterum Patrum *Tom.* 7. *pag.* 312. dum ait: *Quoties feſtivis Sanctorum Natalitiis debito honore rite celebratis in Domino gloriamur, toties ipſorum meritis, & precibus adjuti larga benedictionis gratia Creatoris noſtri perfundimur. Quidquid enim laudis, & honoris militibus Regis impenditur, totum ad gloriam Regis, cujus ſceptro milites inſigniti ſunt, titulatur. Nec dubium, quin eos ſemper habeamus patrocinantes in cœlis, quorum celebritates pia devotionis ſtudio gerimus in terris.* Et mox, quomodo hæc omnia à nobis adimpleri queant, exponit. Quæ quia in longum producit, conſulto omittuntur: illa tamen, quæ ex Textu Sacrorum Codicum: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, adducit, prætermitti vix queunt, ſunt autem ſequentia: *Renuntiantes ergo peccatorum vitiis, circumcidamus præputium cordis noſtri, ut videlicet igne divini amoris attacti, emundatis labiis, gratanter hymnidicas laudes Domino Sabbaoth concinnamus cum Sanctis, & Angelis, quatenus ipſorum collegio tandem mereamur aſſociari in cœlo. Tergamus ergo oculum mentis à vitioſo pulvere peccaminis, & intueamur eos, quorum laudibus dicatur dies iſta celebris; ſequamurque eorum veſtigia. Quorum enim vitam imitati fuerimus, ipſorum quippe & adepturos nos gloriam credimus. Et quorum exemplari formæ imprimi renitimur, ab ipſorum etiam participatione ſecernemur. Quænam pars fideli cum infideli? aut quæ ſocietas luci cum tenebris? quid templo DEI cum idolis? Diligit namque omnis anima ſimilem ſibi, unde per quendam ſapientem dicitur: Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimile ſibi conjungetur, & omnis homo ad ſimile ſibi ſociabitur. Sicut communicabit lupus agno, ſic aliquando peccator juſto. Quæ communicatio homini Sancto ad canem? quam igitur rogo partem, vel ſocietatem habiturum creditis inceſtuoſum, cum caſto? ebrioſum, cum ſobrio? raptorem, vel iniquum*

Digitized by Google

quum, cum juſto, vel ſancto? blaſphemum, vel detractorem, cum boniloquo? mendacem, cum veridico? obſtinatum, vel avarum, cum largo? flagitioſum, cum religioſo? Vos ergo fratres chariſſimi, qui Chriſtianitatis nomine appellamini fideles, recuſate paganiſticis moribus infideles cenſeri. Qui, vera lux in Domino charactere Apoſtolico titulamini, nolite vitiorum tenebroſa caligine principi tenebrarum aſſignari. Qui etiam in Sacri Eloquii pagina Templum DEI depingimini, ſtatuere in cordibus veſtris ſimulachra deorum viribus totis renitimini. Commonitione hac eruditiſſimus, ſimul & zeloſiſſimus *Berengoſus* non aliud inſinuat, niſi ut imitemur Sanctos in conſcientia pura, quam illi illibatam ſervare ſtuduerunt. Conſequenter cultui Sanctorum externo, cultus quoque internus conſcientiæ puræ, & mundæ aſſociari debet. *Nequit* enim *ſpecioſa laus referri* erga Sanctum *ex ore peccatoris.* Quemadmodum igitur per externa pia opera, aliaque devota exercitia colendi ſunt, & coli poſſunt Sancti, ita & per internam virtutum eorum ſequelam, ſignanter puræ, ac mundæ conſcientiæ imitandi ſunt, ut nobis propitii efficiantur. Diſcurſum tandem concludo cum Regio Propheta qui *Pſalmo 150.* exhortatur nos ad laudandum Dominum in Sanctis ejus, in pſalterio, & cythara, in choro, chordis, & organo, in cymbalis bene ſonantibus, & jubilationis: Sed laudatio hæc non in jubilo prophano, ſed in jubilo ſacro exerceri debet; & quidem eo modo, quo S. Hieronymus Euſtochiam Virginem *Epiſt. 35.* inſtruit dicens: *Nobis ſollicitius providendum eſt, ut ſolemnem diem non tam ciborum abundantia, quam Spiritûs exultatione celebremus; quia valde abſurdum eſt nimia ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcias DEO placuiſſe jejuniis.* Ad idem quoque propoſitum *S. Ephrem* ſalutare monitum in medium producere poſſum, dicentis: *Celebritas bona, & pulchra, & DEO grata, eſt pœnitentia.* In *Libro Judith. cap. 16.* ſcribitur: *Erat autem populus jucundus ſecundum faciem Sanctorum.* Ad quod *Lyranus* reſpondet: *Hoc additur ad oſtendendum, quod hæc jucunditas non erat diſſolutionis, ſed magis devotionis.* Ex his itaque hucusque dictis agnoſcamus animæ Chriſtianæ pretioſam Sanctorum, ſive in communi, ſive in particulari, virtutem, atque ad eos modo præſcripto in neceſſitatibus, infirmitatibusque noſtris recurramus, habituri indubie ſolatium, quod deſideramus.

CAPUT XXXII.

Catalogus Perſonarum Sanctitate illuſtrium ad modernum Illyricum, id eſt: Regna Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Boſniæ, Serviæ, & Bulgariæ, Iſtriæque pertinentium.

I. Diſcurſu prolixiori *cap. præc.* habito adhortatus ſum, & animavi Chriſti Fideles ad venerationem, & cultum Sanctorum, tum communem, tum particularem, ſignanter autem Patriæ cujusque: in quo diſcurſu memini me inſinuaſſe, nullam Regionem ſub cœlo eſſe, in qua hucusque non fuiſſent plures perſonæ *eximia ſanctitate* illuſtres. Quia autem præſenti in Opere per totum ageretur de vetuſto, & recentiori *Illyrico*, ejusque *Prognato* inſigni doctrina, & ſanctitate viro *Hieronymo*, volui pro calce hujus Operis benevolo Lectori proponere Catalogum Sanctorum Illyrii, qui quacunque ratione ad illud ſpectare videntur:

tur: quem Catalogum ex prolixiori Mœnologio Sanctorum Illyrii, ab *A. R. P. Nicolao Benger Ordinis noſtri Provinciæ Croaticæ emerito Provinciali* induſtrioſa ſedulitate, & ingenioſa eruditione collecto, recentique editioni præparatum, ſed compendiatum hic apponere placuit, tum ne quis Criticorum hodiernos *Illyros* in titulo *hujus cap.* denominatos vexare (quod cum dolore animi ipſemet non ſemel experiri coactus ſum) queat, dicendo: eos præter memoratum S. Hieronymum aut nullum, aut paucos habere Sanctos: tum etiam ut horum Nomina, dies quoque (quantum fieri poteſt) obitus ipſis *Illyris* innoteſcant, quatenus, ſicut ex aliis Sanctis DEI, ita ex his quoque ſibi aliquos in Patronos, & Tutelares ſeligere, eosque ferventiori pietatis exercitio venerari, ac colere valeant. Catalogum porro Sanctorum Illyrii hic exhibeo per modum breviſſimi Mænologii per Menſes, & Dies Anni diſtinctorum, cum citatione Authorum, & Scriptorum, qui de his aliqua tractarunt, & connotarunt, nulli eorum majorem Sanctitatis, vel Beatitudinis ſtatum attribuendo, quam quem eisdem citandi Authores tribuerunt, tribuitque Sancta Romana Eccleſia, idque juxta Decretum Urbani hujus nominis VIII. Papæ, & Pontificis Romani.

II. JANUARIUS.

DIES

2 SAnctorum Maximiani, Acutii, Timothei, Heriſſi, Artaxi, Viti, Acuti, Tobiæ, & Eugendæ Martyrum. Paſſi ſunt *Syrmii*, Annus paſſionis ignoratur. De his *Bollandus* ex Martyrologio *S. Hieronymi.* Item *Pr. Szentivanii* in Diſſertatione Paralipomenica *Catalogo 75.*

4 S. Titi Ep. à *S. Paulo* in Dalmatiam miſſi. De quo Martyrologium Roman. *Petrus Equilinus*, ſeu *de Natalib. lib. 7. cap. 108. Joan. Lucius lib. 2. cap. 14.*

6 S. Anaſtaſii Mart. *Syrmii. Bollandus*, & ex eo Author Indiciorum Sanctitatis Hungaricæ.

7 S. Nicetæ Ep. in Nova Dacia, olim Mœſia, deinde Bulgaria dicta. Floruit circa A. C. 396. Martyrologium Rom. *Pagius ad An. cit. Bombardius* in Topographia *Hung. pag.* 298.

8 SS. Anaſtaſii, Jucundi, Patitis, Petri, Flori, Tilis, Floriani, Tatiæ MM. *Syrmii.* A. C. 230. *Bollandus* ex Martyrologio S. Hieronymi, & *Pr. Szentivanii loco cit.*

13 SS. Hermylli, & Strotonici MM. Singiduni in Myſia, quæ nunc Szenderovia dicitur A. C. 315. Martyrol. Rom. *Surius Tom. 1. Szentivan. loc. cit.*

14 S. Sabbæ Ep. *Serviæ.* Obiit circa A. C. 1250. *Joannes Tomko* in Regia fœcunditate Illyricæ Sanctitatis. *Bombardius pag. 211.*

16 S. Danacis M. Illyri nati in loco Aulon dicto. *Bollandus ex Menæis Græcor. Szentivan. loc. cit.*

21 S. Anaſtaſiæ M. *Syrmii.* Author Indicior. Sanctitatis Hung. ex *Bollando.*

28 S. Caroli Magni Imperatoris Dalmatiam, Iſtriam, & Liburniam ad Chriſtum perducentis. *Thomas Bozius* de ſignis Eccleſiæ *lib. 4. cap. 1.* Ex *Rheginone.*

29 S. Petri Thomaſii Ordinis Carmelitarum, Epiſcopi Cretenſis, dein Patriarchæ Conſtantinopolitani, Nuntii Apoſtolici in Hungaria, multas Eccleſias Regni Raſciæ, à Schiſmate purgatas, reformantis. Obiit A. C. 1360. *Bollandus, Szentivanyus loco cit.*

III. FEBRUARIUS.

6 SS. Geminiani, & Moderatæ MM. *Syrmii. Bolland. & Szentivanii loc. cit.*

18 SS. Maximi, Claudi, ejusque uxo-

DIES

tis Prædignæ, ac filiorum Alexandri, & Cutis, gente, & patria Dalmatarum, de familia, & genere Diocletiani Imperatoris MM. paſſi ſunt apud *Oſtia Tyberina* A. C. 295. *Martyrolog. Rom. hac die. Surius ad 11. Auguſti* in vita *S. Suſannæ. Petrus de Natalib. lib. 3. cap. 134.* Eadem die S. Conſtantiæ Virg. Filiæ Conſtantini Magni Imperatoris. Obiit Romæ A. C. 354. *Pr. Godefrid. Henſchen. Petr. de Natalib. lib. 3. cap. 24. Tomko de SS. Illyricis.*

19 S. Gabini Presbyteri, & M. Dalmatæ de Conſanguinitate Diocletiani Imp. *Romæ* A. C. 296. Martyrolog. Rom. *Petrus de Natalib. lib. 3. cap. 136. Surius* in vita S. Suſannæ.

21 S. Maximiani Ep. Ravennatis, Patriâ Polenſis ex Regione Iſtriæ. Martyrol. Rom. *Philippus Ferrarius* in Topographia; Verbo *Ravenna. Schönleben* ad A. C. 546. Ex *Hieronymo Rubeo.*

23 S. Sereni Monachi, & M. apud Civitatem Syrmienſem circa A. D. 302. *Martyrolog. Rom.* & *Martyrolog. V. Bedæ Presbyteri Bollandus. Petr. de Natal. lib. 3. cap. 147. Szentivan. loc. cit.* Eadem die, SS. Serenotis, Antigoni, Rutilli, Libii, Rogatiani MM. *Syrmii. Bolland.* Ex Martyrol. S. Hieron.

24 SS. 72. Martyrum ejusdem S. Sereni Sociorum, *Syrmii*, A. C. 302. *S. Hieron. in ſuo Martyrol. Petr. de Natal. lib. 3. cap. 15. Szentivan. loc. cit. Indicia ſanctitatis Hung.*

26 S. Porphyrii, Illyrici Theſſalonicenſis, Epiſcopi Gazæ in Palæſtina. Mortuus A. C. 421. *Martyrol. Rom. Menalogium Græcor. Metaphraſtes. Surius Tomo 1. Godefrid. Henſchen.*

27 SS. Alexandri, Antigoni, Abundantii, Titiani, Macarii, Severiani, Calani, Fortunii, & Ja-

DIES

nuarii MM. *Theſſalonicæ. S. Hieron. in ſuo Martyrol. Godefr. Henſchen in Actis Bollandiſtar.*

IV. MARTIUS.

4 S. Adriani M. Nicomediæ in Bithinia. Hic fuit filius Valerii Probi Imperatoris, qui fuit patria Illyrus Syrmienſis. *Martyrolog. Rom. ad diem 26. Aug. Nicephor. in Chron.* de Epiſcopis Conſtantinopolitanis. *Joann. Tomko* de SS. Illyricis. Eadem die S. Caſimiri Ducis Poloniæ, Conf. ex *Eliſabetha Alberti II. Imperatoris, Hungariæ, Illyriique Regis filia progeniti.* Obiit A. C. 1484. *Bolland. Illyes.*, vita Sanctor. *part. 3. Andreas Eggerer* Annalium Ordinis noſtri *lib. 2. cap. 26.*

9 SS. Cyrilli, & Methodii Conf. Pont. Slavonicæ Nationis Apoſtolorum, qui primo Bulgaros, dein Serbios, Croatas, Dalmatas Narentanos, demum Moravos, & Bohemos, Slavosque Pannoniæ incolas ſacris myſteriis imbuerunt, fonteque luſtrico eluerunt. Romam evocatus Cyrillus circa A. C. 873. ibidem obiit. Poſt hunc vero Methodius Romam pariter ſecundo evocatus ibidem annis, meritisque plenus obiit A. C. 910. ut notant *Stredovius*, & *Joan. à S. Felice.* At *Auguſtinus Præpoſitus Olomucen.* in Catalogo *Epiſc. Olomuc.* adjuncto Hiſtoriæ *Dubravii*, ponit eum obiiſſe Romæ A. C. 907. Plurima per longum de iisdem Sanctis Germanis Fratribus, & Epiſcopis *Martyrol. Rom.* in Notis. *Baronius. Joan. Peſſina. Dalbertus. Maurus Orbinus* de Regno Slav. *Inchoffer ad A. C. 867. Bolland. Philipp. Ferrarius. Leo Oſtien.* in Chron. Caſſinen. *Petr. de Natal. lib. 10. cap. 98. Szentivan. loc. cit.*

24 S. Joſephi Nutritii Jeſu Christi, Deiparæ Virginis Sponſi. Re-

gno-

DIES

gnorum Croatiæ, Dalmatiæ, & Slavoniæ Patroni ſpecialis in publicis Comitiis A. C. 1687. Omnium Ordinum, & ſtatuum voto aſſumpti. Obiit A. D. 26. ætatis ſuæ 66. nunc anima, & corpore regnat in cœlis. *Michaël Frie*, in vita S. Joſephi, ex *Joan. Carthagena*, & *P. Salmerone. S. Bernard.* Hom. ſuper Miſſus eſt. *Baron.* in Notis ad Martyrol. & *V. Beda. Bernardinus* Serm. de S. Joſ. *Gerſon* in ſua Joſephina. *Suarez Diſp.* 21. de Incarnatione. *Virgo Agredana par.* 2. *lib.* 6. *num.* 1468. *S. Joſephum*, *Joachimum*, & *Annam* in Reſurrectione Chriſti corpora reaſſumpſiſſe tradunt.

20 S. Demetrii Diaconi M. Syrmii pro Confeſſione Chriſti decolati A. C. 303. *Petr. de Natal. lib.* 4. *c.* 94. *Bolland. ad* 20. *Martii. Szentivan. loc. cit. Incboffer ad A. C. cit.*

23 S. Lupi Ep. & M. Sirmii. Ex Ephemeridibus Græco-Moreis, quas producit *Bolland. Tom.* 1. & Authore Indicior. *Sanctitatis Hung.*

25 S. Irenæi Epiſcopi Syrmienſis, apud eandem Urbem Martyrio coronati circa A. D. 280. *Martyrol. Rom. V. Beda. Ado. Petr. de Natal. lib.* 3. *cap.* 229. & Continuatores *Bolland. Szentivan. loc. cit. Timon* in Imag Hung. antiquæ *lib.* 1. *c.* 1.

26 SS. Montani Presbyteri, & Maximæ conjugis ejus, cum aliis 40. Martyribus, Syrmii circa A. C. 303. *Bolland. Incboffer ad A. C. cit.*

27 SS. Philethi Senatoris, Lydiæ uxoris ejus, ac filiorum Macedonis, & Theoprepii: item, Amphilochii Ducis, & Cronidæ Commentarienſis MM. Syrmii. Ita Acta *Bolland. ad hanc diem. Martyrolog. Rom.* ſed paſſionis loco pretermiſſo. In Illyrico paſſos habent *Menæa Græcor.* Eadem die, S. Alexandri Militis, & Martyris, Driziparæ in Illyrico, A. C. 308. *Martyrol. Rom. Baronius in Annal. Eccleſiaſt.* ad *A. C. cit. Bolland. ad hanc diem. Philip. Ferrar.* in Topographia. Eadem die, S. Ruperti Epiſcopi Salisburgenſis. qui zelo fidei in ipſos etiam Illyrii, & Slavoniæ fines penetrans, ibi Apoſtolicis laboribus Chriſtianam Religionem promovit. Obiit A. S. 623. *Martyrol. Rom. Joan. à Felice* in Supplemento ad vitas Sanctorum *Petri Ribadeneira. Joan. Widmanſtetter* in Catalogo Epiſcop. Salisburg.

V. APRILIS.

1 S. Venantii Dalmatæ, Ep. & M. *Martyr. Rom. hac die. V. Beda.* & *Uſuardus.* Sed nullus notat cujus Civitatis fuerit Epiſcopus, vel quo tempore paſſus. Videtur autem Epiſcopus fuiſſe Salonæ in Dalmatia, nam in *Catalog.* Epiſcop. *Salonitar.* apud *Joan. Lucium*, ex Hiſtoria *à Cutbeis* ordine ſextus Epiſcopus, ponitur *Venantius.* Conſule *Baron.* in Notis ad *Martyrol. Rom. hac die.* Dalmatam dicit *Szentivan. loc. cit.*

8 S. Hermæ Ep. Syrmienſis, Dalmatæ, & M. Ex *Bolland.* & *Szentiv. loc. cit.* Ambiguum eſt, an ſit? qui in *Martyrol. Rom. ad diem* 9. *Maji* ponitur.

9 SS. 7. Virginum, quæ dato ſimul pro confeſſione fidei pretio ſanguinis, meritæ ſunt vitam æternam, Syrmii. *Martyrol. Rom. V. Beda. Ado. Petr. de Natal. lib.* 4. *cap.* 40. Eadem die, SS. Deſignati, Marci, & Fortunati MM. Syrmii. *Bolland. Author.* Indicior. Sanctitatis Hung.

11 S. Domnionis Ep. Salonæ in Dalmatia, & M. natione Syri, Diſcipuli S. Petri Ap. à quo conſecratus Epiſcopus, & in Dalmatiam miſſus, primus conſtituit, rexitque Eccleſiam Salonitanam, qui & Verbum vitæ Dalmatis, aliis-

Digitized by Google

DIES

aliiſque Illyris prædicavit, atque ideo Salonæ Martyrii coronam accepit. *Martyrol. Rom. Uſuard.* & *Vetera MS.* apud *Baron.* in Notis ad Martyrol. *Petr. de Natal. lib.* II. in Appendice *num.* 116. *Szentivan. Catal.* 76. *num.* 4. Eadem die, SS. 8. Militum, & Martyrum Pauliniani, Telii, Aſterii, Anaſtaſiir, Mauri, Septimii, Antiochiani, & Cajani: qui Salonæ in Dalmatia martyrio cœlum promeruere. Hos S. Domnioni conjungit *Martyrol. Rom.* Nomina eorum recenſet *Baron.* in Notis ad hanc diem, ex monumentis Eccleſiæ Lateranenſis. *Tomko* in vindicatione *S. Felicis pag.* 30.

18 S. Eleutherii (ſive Liberalis) Ep. & M. qui à S. Anacleto Papa ordinatus, & in Illyricum miſſus cauſa Apoſtolicæ ſementis prædicandæ, *Martyrol. Rom. V. Beda. Petr. de Natal. lib.* 4. *cap.* 61. *Surius Tom.* 2. creditur fuiſſe Epiſcopus Regionarius. Eadem die, S. Anthiæ Matris ejusdem S. Eleutherii Ep. quæ cum eodem pro confeſſione Chriſti ſtrangulata Martyrii palmam conſecuta eſt. *Martyrol. Rom.* Eadem die, SS. Septimii, & Victorini MM. Salonæ in Dalmatia. *Florus in ſuo Martyrol. Szentivan. Catal.* 75. incertum tamen, an ſeptimius hic ſit, ex illis octo, de quibus agitur *11. bujus*? cum ibi cenſeatur pro milite, hic vero à *Szentivan.* habeatur pro Diacono.

20 S. Caji Papæ, & M. natione Dalmatæ, de conſanquinitate Diocletiani Imperatoris, gubernium Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſuſcipiens A. C. 283. eam ſanctiſſime rexit uſque ad A. C. 296. quo cum Fratre Gabino martyrii palma honoratus eſt. *Breviar. Rom.* uti & *Martyrol.* ajunt Dalmatam, & Diocletiani ex Fratre Nepotem fuiſſe; idipſum legitur in ſerie Pontificum *Turſellini aucti*, ac in Catalogo Pontificum *Buccellini*. De hoc agit etiam *Cherubin* in Bullario. *Marang.* in *Theſauro Parochorum lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 25. & *Pr. Szentivanii Catal.* 75.

23 S. Adalberti Archi-Ep. Pragenſis in Bohemia. Martyrium conſummavit A. C. 997. Mater ejus fuit ex Dalmatia oriunda, ut refert *Petrus Ribadeneira* in *Flore Sanctor. Tom.* 2. *Beczkovſzky* in *ſua Hiſtoria*, cum *Mathia Boluleczkio* in *Roſa Bohemica*. Dicitur etiam fidem in Croatia circa Brnyam modernam, & Moduſſam prædicâſſe.

28 S. Euſebii Ep. Urbis Cibalenſis, quæ eſt inter Dravum, & Savum, (nunc Valpo dicitur) qui ibidem Martyrii lauream adeptus eſt. *Ex geſtis S. Pollionis M. Philipp. Ferrar.* Topograph. *in Martyrolog.* Verbo *Cibalis. Petrus de Natal. lib.* 4. *cap.* 94. item *Bolland.* Eadem die SS. Pollionis, & Tiburtii MM. *Cibali* in *Illyrico. Martyrol. Rom. Philip. Ferrar. loc. cit. Petr. de Natal. loc. cit.* refert ad diem præcedentem, ſed de utroque *Bolland. hâc die.* & Author Indicior. Sanctitatis Hung. *Szentivan. loc. cit.* omnes tres conjungit quaſi uno anno (qui ignoratur) paſſi fuiſſent.

VI. MAJUS.

3 S. Urſii Conf. filii Regis Dalmatiæ, qui peregrinus veniens ad Sabſenam Civitatem Italiæ, ibidem plenus virtutum quievit in Domino. Hæc *Martyrol. Uſuardi* auctum per *Molanum.*

9 Translatio Sanctiſſimæ Domûs Nazarethanæ, Natalis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & in qua VERBUM CARO FACTUM EST,

Digitized by Google

DIES

EST, ex Palæſtina Terſactum in Illyricum Angelorum miniſterio facta, A. C. 1291. *Bucellinus* in Kalendario Hiſtorico, & *Paulus Vitezovich* ſeu *Ritter* in *Chron. Croatiæ*. At *Petr. Franzetich* 10. Maji factam ſcribit in *Hiſtoria Sanctuarii Terſactani par. 1. cap. 1.* & *Valvaſorius lib. 12. pag.* 105. In Dalmatiam Turſellinus, & Bucellinus. Alii dicunt in Liburniam, alii in Croatiam ut *Franzetich*. Unde placuit generali voce Illyricum nominare. Manſit autem eadem Sacratiſſima Domus in Illyrico fere per quatriennium, ut *Turſellinus* notavit, cui concordat *Spondanus* ſcribens in Italiam transportatam A. D. 1295. Eadem die, Translatio S. Hieronymi Eccleſiæ Doctoris ex Bethlehem Judææ ad Baſilicam S. Mariæ ad Præſepe. *Martyrol. Rom. Petr. de Natal. lib. 4. cap. 145. Baron.* in Notis ad Martyrol. Videtur autem translationem hanc accidiſſe circa A. D. 642. ut *cap.* 27. declaratum eſt, ex Operibus *Cardinalis de Lambertinis*, quo Palæſtinam ſubjugans *Haumar* Saracenorum Princeps Sanctam quoque Urbem Hieroſolymam cœpiſſe creditur; juxta *Baron.* Eadem die, S. Hermæ diſcipuli S. Pauli Ap. & Ep. Dalmatiæ, ac Conf. *Martyrol. Rom. V. Beda.* Fuiſſe eum Epiſcopum Dalmatiæ notat *Arnoldus Mermann.* in Theatro Converſionis gentium, & *Tomko* in vita S. Triphoniæ. Eadem die, SS. Quirilli, Quindei, ſeu Gindei, & Zenonis MM. in Bulgaria. *Szentivan. loc. cit.*

11 S. Montiniani M. Syrmii. *Bolland. Szentivan. loc. cit.* & *Indicia Hung. Sanctitatis.*

15 S. Timothei M. Syrmii. *Bolland. Szentivan.* & *Indicia Sanctit. Hung.* Ad hanc diem *Bolland.* ponit Paſſionem SS. 7. Virginum, de quibus ſupra ad diem 9. *Aprilis* actum eſt.

17 SS. Heradii, Pauli, & Aquilini, cum duobus aliis innominatis MM. Novioduni urbe Myſiæ. *Martyrol. Rom.* & *Menologium Græcor. Antoninus Auguſtus* in Itinerario ſuo meminit Urbis Novioduni, quæ olim Nivoz dicebatur, ut ait *Philip. Ferrar.* in Topograph. Martyrologii.

18 S. Felicis Epiſcopi Spalatenſis in Dalmatia, & M. A. C. 308. *Martyrol. Rom.* & *Uſuardi. Ado. Petr. de Natal. lib. 5. cap.* 13.

20 S. Conſtantini Imperatoris cognomento Magni. Hic natione Illyrus Patre *Conſtantio Chloro* Cæſare, ex ſtemmate *Claudi* junioris Imperatoris, & genere Dalmatico Nyſſæ progenitus, Imperium iniit A. C. 306. Obiit Nicomediæ in Bithynia 11. Kal. Junii A. D. 337. Imperii ſui 31. Inde Conſtantinopolim delatus in veſtibulo Baſilicæ Apoſtolorum ſummo honore tumulatus eſt. Idem Sanctus una cum ſua ſancta Matre Helena colitur in Eccleſia Græca hac die. De hoc *Tomko Libro* de SS. Illyricis. *Bolland. S. Joan. Chryſoſt. S. Hieron. Lib.* contra Vigilantium. *S. Athanaſius Orat.* 1. contra *Arianos. Nicephor. lib. 8. cap. 55. Baron.* in Annal. Eccl. ad *A. C. 336. Pagius* in ſuis Criticis *ad A. C. 320.*

25 SS. Poſicratis, Valentionis, & aliorum duorum Anonymorum ſimul coronatorum MM. Doroſtori in Myſia. *Martyrolog. Rom. V. Beda*, & alii ex Actis S. Julii M.

27 S. Julii M. Doroſtori in Myſia capitali ſententia puniti circa A. C. 235. *Martyrol. Rom. V. Beda. Petr. de Natal lib. 5. cap. 56.*

29 S. Maximi Epiſc. Æmonenſis (hodie Labacenſis) & M. qui ad Urbem Aſſeſſiam (quæ nunc Bribi-

Digitized by Google

DIES | DIES

rium dicitur) ad confortandos Chriſtianos profectus, ibidem propterea lapidatus eſt circa A. C. 254. *Nicolaus Manzol.* Opuſculo de SS. Iſtriæ. *Schönleben* in Annalib. Carniol. ad A. C. 252. *Joan. Tabler* in Epitome Chron. Labacen. *Philip. Ferrar.*

31 Suſceptio Corporis S. Felicis M. in Conventu Ordinis noſtri Lepoglavenſi in Slavonia ſuperiori. Ex MS. ejuſdem Cœnobii ad A. S. 1685. Porro Feſtum hujuſmodi ſuſceptionis Reliquiarum habetur ſæpius memoratum in *Martyrol. Uſuardi aucto.* Ut 27. Febr. 11. Auguſt. 3. Nov. & 3. Decembris.

VII. JUNIUS.

4 S. Quirini Ep. Siſciani, & M. qui in Savo fluvio, olim Noaro dicto (ut *Joan. de Jordan* in Apparatu Geograph. *pag.* 57. notat) alligato collo ejus lapide molari ſubmerſus eſt A. C. 308. *Martyrolog. Rom. V. Beda. Uſuard. Ado. Szentivan. loc. cit.* & alii plures. Meminit etiam ejuſdem *Venantius Fortunatus lib.* 7. cum ait: *Africa Cyprianum dat, Siſcia clara Quirinum.* Savum fluvium *Jornandes cap.* 52. nominat Aquam nigram. Sed & Mura fluvius à *Ptolemæo lib.* 2. *cap.* 16. pro Savo habebatur, ut ſupracitatus *Joa. de Jordan*, in eodem Apparatu Geograph. *pag.* 57. & 95. advertit, atque ab hoc Savo vetuſtam Romanorum coloniam Savariam, quæ nunc Sabaria dicitur denominatam opinatur. Atque hinc eſt, quod plerique ſcriptores S. Quirinum dicant Sabariæ in Sibari fluvio qui nunc Güntz/ ſeu Ginſium appellatur ſubmerſum fuiſſe, ſed hoc impoſſibile eſſe videtur ob exiguitatem fluvioli illius, qui hodiedum Sabariam præterfluit, illud bene admiſerim S. Quirinum Siſcia à *Maximo* Præfecto Sabariam miſſum fuiſſe (ut *P. Matth. Fuhrman*, Vet. & Nov. Auſtriæ *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *tradit*) atque ibidem in ſupremo Tribunali, cui *Amantius* præerat, judicatum, & condemnatum Siſciam remiſſum, indeque Savo fluvio ſubmerſum extitiſſe: quantumvis & *Fuhrmanus* eum Sabariæ paſſum ſcribat. Eadem die, S. Metrophanis Ep. & Conf. genere *Illyrus Syrmienſis* ex *Domitio Probi Imperatoris fratre* progenitus. Hic fuit primus Patriarcha Conſtantinopolitanus, obdormivit in Domino A. C. 325. *Martyrol. Rom. Menolog. Græcor. Tomko de SS. Illyr. Baron. Series Patriarch. Conſtantinopolit.*

15 S. Heſichii Militis Chriſtiani, qui capite plexus eſt *Doroſtori* in *Myſia* in *Martyrol. Rom. Petr. de Natal. lib.* 5. *cap.* 56. & 119.

19 S. Bonifacii Ep. Boſnenſis, & M. qui paſſus eſt in Ruſſia A. C. 1008. *S. Petrus Damiani* in vita S. Romualdi. *Surius. Petrus de Natalib. lib.* 5. *cap.* 88. *Ladislaus Radoſſanii* in Epit. *Antiquarii Camaldulen. cap.* 18. & 19.

24 S. Ivani Eremitæ, & Conf. *Goſtomili Dalm. & Croat.* Regis ac Eliſabethæ Reginæ filii, qui in baptiſmo Divi Joannis Chriſti Prodromi nomen ſuſcepit, indeque Slavo more *Ivan* dictus eſt. *Pr. Nicolaus Salius* in *Annalib. Bohemor. Surius, Tomko. Bollandiſtæ. Wenceslaus Hagek.* in Chron. Bohem. *Ratkajus* in Memoria Regni Illyr. *Albertus Chanovsky.* Obiiſſe S. Ivanum circa A. C. 910. *Peſſina* ſcribit. *Dubert* ex *Hagecio*, & *Pontano* univerſim eum vitam Eremiticam duxiſſe Annis 56. notat. Eadem die, S. Arnonis Archi-Ep. Salisburgenſis, & Conf. qui in Regionibus

DIES

pus Slavonicis de rectæ fidei inſtitutione egregie proſpexit; Obiit A. C. 821. *Schönleben. Tomko, Pagius ad A.C.803.* ex *Anonymo Scriptore* vitæ S. Ruperti. De eodem tractat etiam *Chronicon Chronicorum* ex *Joan. Alberto Widmanſtetter* & *Beyerling in Catalogo Epiſcopor. Salisburgenſ.*

27 S. Ladislai Regis, & Conf. qui primus ex Hungarico Sanguine Rex Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ poſt obitum Regis *Demetrii Zvonimeri*, cui ſororem ſuam in Conjugem dederat, hac invitante Regna illa ſuſcepit, & Hungariæ adnexuit coronæ. Hic Rex obiit A. C. 1095. 27. Junii *Laurentius Surius. Tomko. Bonfin. Dec. 2. lib. 3. Szantivan. Synopſi 8. Baron.* in Notis ad Martyrolog. *Timon. in Epit. Rerum Hung. Joan. à S. Felice.*

29 S. Petri Apoſtolorum Principis, Primique Chriſti in terris Vicarii, qui de Illyrico Regno bene meruit, apud quos Eccleſias inſtituit, Sanctosque Domnionem, & Hermagoram Epiſcopos conſtituit. Romæ Cruci affixus A. C. 69. ſui Pontificatus 25. *Bozius lib. 4. de ſignis Eccl. cap. 1. Baronius. Cornel. à Lap.* Eadem die, S. Pauli Apoſtoli, Doctoris Gentium, & nominatim *Illyriorum*, quos tum per ſe, tum per Diſcipulos ſuos Evangelicis erudivit doctrinis, demum Romæ eodem anno, & die, quo *S. Petrus* gladio cæſus eſt. *S. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi* 17. de S. Paulo ait: *Ab Hieroſolymis usque ad Illyricum diſſeminavit Evangelium.* Eadem die S. Hemæ Duciſſæ Carinthiæ, quæ Patre *Engelberto Cilienſi* Comitatus Præfecto, & *Tuta* Matre progenita, neptis fuit per lineam maternam *S. Henrici* Imperatoris, & in eodem Comitatu Cileenſi plurium Caſtrorum Domina. Obiit piiſſime A. D. 1045. hac die: ſepulta honorifice in Eccleſia à ſe extructa Gurcenſi. *Albert. Reiſchart, in Breviar. Hiſtoriæ Carinth. Valvaſor. in Annalib. Carn. P. Gregor. Kolb S. J.*

VIII. JULIUS.

3 S. Adalberti Ep. Comenſis 15ti natione Illyrii Siſcienſis. Obiit A. C. 615. *Ferdinand Ughelius in Italia Sacra Tom. 5. Col. 242. Schönleben in Annal. Carniol.* ad *An. cit. Valvaſor. lib. 8. pag. 497.* Comum civitas *Italiæ*, eſt in regione Inſubror.

4 SS. Innocentii, & Sebaſtiæ, ac 30. Sociorum MM. *Syrmii. Martyrol. Rom. V. Beda. Roſweidus* in veteri Kalendario Rom. *Szentiv. Catal.* 75. Sed pro *Sebaſtia* nominat *Sabbatiam.*

12 S. Hermagoræ primi Ep. Aquilejenſis, & M. Hic fuit Civis ejusdem Urbis, & diſcipulus S. Marci Evang. à quo in fide eruditus, & Romam ductus, ibidem per S. Petrum Apoſt. conſecratus eſt Epiſcopus, & Aquilejam remiſſus. Hic etiam inter alios Dalmatis fidei lumen prædicavit, finaliter poſt ſuperata multa tormenta in ſuo Epiſcopatu in carcere decapitatus cœleſtem meruit coronam. *Martyr. Rom. Petrus de Natalib. lib. 6. cap. 86. Bozius* de ſignis Eccl. *lib. 4. cap. 1.*

13 S. Juſtinæ Virginis, & M. Chriſtianis parentibus ortæ, 14. annorum exiſtens Chriſtianiſmi accuſatæ, ac cum Zenone Satellitum Officiali Tergeſti decollatæ, A. C. 289. *Nicol. Manzolius* opuſculo de SS. Iſtriæ. *Schönleb. ad A.C. 287. Joan. Nadaſi in Anno Cœleſti.*

16 S. Domnionis M. qui Cubicularius Imperatoris Valeriani exiſtens, occultè Chriſtum coluit, at-

atque ideo decolatus, & in Dalmatiæ Urbis Salonæ ſepultus eſt. *Thomas Archidiaconus.* in *Hiſtoria Salonitana cap. 3. Martyrol. Rom.*

17 S. Benedicti Eremitæ, & M. qui è Dalmatia oriundus à Latronibus interfectus A. C. 1012. *Bollandiſtæ. Tomko. Bonfinius. Inchoſfer* & *Annal. Ord. noſtri.*

18 S. Æmiliani M. Doroſtori in Myſia, hodie Bulgaria dicitur. *Martyrol. Rom. Menolog. Græcor. Baron. ad A. C. 362. & Theodoretus.*

23 S. Apollinaris Ep. Ravennæ, & M. qui Evangelium prædicavit in *Myſia Illyrici Provincia. Breviar. Rom.* & *Surius.* Eadem die, Plurimorum SS. Martyrum, in *Bulgaria*, quos *Nicephorus* impius Imperator occidi fecit. *Martyrol. Rom. in Notis.* & in *Annalib. Baronii* ad A. C. 811.

24 S. Cunegundis, ſive Kingæ *Belæ IV.* Hungariæ, Dalm. Croat. & Slav. Regis filiæ, Illyricis etiam Principibus cognatione Sanguinis junctæ. Obiit hæc A. C. 1292. in Monaſterio Sandecenſi in Polonia à ſe conſtructo. *Joan. Longinus* (vulgo *Dugloſs*) *Canonicus Cracovien. Wadingus* in *Annalib. Minor. Ladisl. Turoczii* in *Hungaria compendio.*

IX. AUGUSTUS.

1 S. Leonis Anachoretæ natione Dalmatæ Arbenſis, fuit arte Lapicida. De eo *Petr. de Natalib.* in vita S. Marini ad diem 4. Sept. *Philipp. Ferrar* in Topogr. Verbo Leopolis.

3 S. Iſaacii Anachoretæ Dalmatæ. De quo *Kalend. Græcor.* & *Martyr. Uſuardi* auctum per *Melan.*

11 S. Suſannæ V. & M. nobili genere Dalmatico natæ, fuit filia *Gabini* viri doctiſſimi, Neptis S. Caji Papæ, & Proneptis *Diocletiani* Imperatoris ex Fratre. Martyrium paſſæ, A. C. 295. hac die. *Mombritius*, & ex eo *Surius. Petr. de Nat. lib. 7. cap. 49.* & *P. Cornel. Graſius Szentiván. loc. cit.*

14 S. Urſicii M. gladio cæſi in *Illyrico* Martyrol. Rom. & *Menol. Græcor.* paſſum vero ad A. C. 308. habet *Joan. Tabler.* ex *Baron.*

16 S. Serenæ Imperatricis uxoris *Diocletiani Auguſti* natione Dalmatæ, quæ in acerbis Chriſtianorum perſecutionibus fidem orthodoxam conſtanter tenuit: *S. Suſannam Virginem* martyrio coronatam honorifice ſepelivit, ac tandem poſt plurima pietatis opera in Domino conquievit Romæ. *Martyrol. Rom. V. Beda. Uſuard. Baron. in Notis* ad A. C. 294. Eadem die S. Arthemiæ V. & M. *Diocletiani*, & *Serenæ Auguſtorum filiæ*, quæ juſſu *Maximini Tyranni Romæ* Martyrii palmam accepit, A. C. 308. *Bollandiſtæ. Baron. Tomko.*

18 S. Helenæ Imperatricis *Conſtantii Chlori Imperatoris conjugis*, & *Conſtantini Magni Matris*, quæ eum Niſſæ in Illyrico ad ſummam Eccleſiæ Chriſtiano-Catholicæ felicitatem genuit. Obiit Romæ octuagenaria A. D. 326. *Martyrol. Rom. & Uſuardi. Tomko. S. Helenam* Illyram cenſet *pag. 70.* ejusque Patriam urbem Bulgariæ Sophiam dicit *P. Piacbevich* in ſua Geographia. De ea *Baronius. Tomko loco cit.* & *pag. 130. Cornelius Graſius.* Eadem die, SS. Flori, & Lauri Lapicidarum MM. in Illyrico. *Martyrol. Rom. Menolog. Græcor.*

21 S. Anaſtaſii Cornicularii M. Salonæ in Dalmatia ob fidem orthodoxam decollati. *Martyrol. Rom. & Uſuardi. Petr. de Natal. lib. 7. cap. 88.* Cornicularii nomen ſignificat: *Nobilis ordinis Equitem in militia caſtrenſi, à corniculo, quod erat ornamentum militare, ſic di-*

Digitized by Google

DIES

dictum. Ut habet *Baron. in Notis* ad Martyrol. ex *Livio.* Eadem die, SS. Fratrum Donati, Eccleſiæ *Singidunenſis* in Myſia ſuperiore Diaconi, & Vetuſti, qui in perſecutione *Diocletiani* comprehenſi ſunt, & trucidati A. D. 303. Ita *Monumenta Forijulienſia. Ferrar.* in Catal. SS. Italiæ. *Joan. Maranus* in *Theſauro Parochor. lib. 2. cap. 1. num. 39.*

29 S. Baſillæ V. & Chriſti famulæ eximiæ, quæ apud *Syrmium* poſt vitam pie traductam ſancto fine quievit. *Petr. de Natalib. lib. 11. cap. ult. num. 231. Szentivan. loc. cit.*

X. SEPTEMBER.

2 S. Martiniani Ep. Comenſis natione Illyri Siſciani, diſcipuli S. Adalberti itidem Ep. Comenſis. qui obiit A. C. 628. *Ferdinand. Ughellus* in Italia ſacra *Tomo* 5. *Schönleb.* in *Annal. Carniol. Valvaſor. lib. 8. pag.* 523. *Philip. Ferrar.* in *Topogr.* Verbo *Comum.*

4 S. Marini Diaconi, & Eremitæ, natione Dalmatæ ex civitate *Arbenſi.* Hic A. D. 257. obiit in ſua ſolitudine 10. millibus paſſuum ab *Arimino* diſſita. Martyrol. Rom. *Philipp. Ferrar. in Topograph.* Verbo *Ariminum, Petr. de Natal.* in ejus vita, ad quem Lectores dirigit *Baron. in Notis* ad Martyrolog. Meminit etiam ejus *Marulus lib. 4. cap.* 5.

10 S. Pulcheriæ Auguſtæ Virginis pietate, & religione inſignis, hæc, utpote munimen orthodoxorum, Illyricas etiam Regiones ab hæreticis Neſtorianis infectas, & preſſas, purgavit, & defendit. Obiit Sancte Conſtantinopoli A. C. 453. de ea Martyrol. Rom. *Baronius. Leo Papa Epiſt. 39. Sozomenus lib. 9. cap. 1. Nicephor. lib. 14. cap. 2. Marcellin. in Chron.*

DIES

12 S. Nicolai Ordinis S. Franciſci Seraphici M. *Vidini* in *Servia* A. C. 1396. *Martyrolog. Franciſcanum,* & ex eo, Indicia Sanctit. Hung. *Pr. Szentiv. loco cit.*

15 S. Nicetæ in Myſia, qui juſſu *Athanarici Gotthorum* Regis ob fidem Chriſti igne concrematus eſt. Martyrol. Rom. & *Surius Tom.* 5. *Szentivan. loc. cit.* qui dicit eum paſſum eſſe A. C. 401.

17 SS. Valeriani, Macrini, & Gordiani MM. Novioduni in Myſia inferiori. Martyrol. Rom. & *Uſuardi. Philipp. Ferrar.* in Topogr. ex *Adone.*

20 S. Evilaſii M. qui variis Illyrici urbibus Præſidis officio præfuit, & adhuc Gentilis S. *Maximilianum Cilejæ* ſupplicio affecit: poſtea pro Præſide ad urbem Cyzicum miſſus, dum S. Fauſtam Virginem tormentis perſequitur, miraculo viſo commotus, inque Chriſtum credens baptizatur: tum ab alio Præſide comprehenſus poſt equuleum in ollam plumbo bulientem immiſſus, inter pſallendum mortuus eſt. Martyrol. Rom, *Metaphraſtes. Surius Tom. 1. ad diem 6. Febr. Petr. de Natal. Philipp. Ferrar.*

28 S. Salomonis Regis Hung. dein Eremitæ, qui in ſua ſolitudine obiit A. C. 1077. corpus ejus ſervatur Polæ in Iſtria. *Inchofer. in Annal. Eccl. Hung. Andreas Illyes. Annal. Ord. noſtri lib. 2. c. 1. Manzol. in Deſcriptione Iſtriæ. Indicia ſanctitatis Hungaricæ.*

30 S. Hieronymi Presbyteri, & Eccl. Doctoris, qui è cellula ſua Bethlehemitica migravit ad Chriſtum A. C. 420. *Marian. Victor. Baronius. Franciſc. Haræus. Cornel. Graſius. Jacobus Cavacius &c.*

XI. OCTOBER.

4 S. Petronii Ep. Bononienſis, & Conf. qui ex ſtyrpe Illyrica, utpote

Digitized by Google

DIES

Conſtantii, & *Conſtantini* Imperatorum, natus, obiit ad A.C.425. *Petr. de Natalib. lib. 9. cap. 20.* & *Beyerling* in Theatro Verbo: *Epiſcopus. Martyrol. Rom. Genadius, Ado in Chron.*

8 S. Simeonis Juſti. qui, juxta *Evang. S. Lucæ cap. 2.* Infantem JEſum in ulnas ſuſcepit, Virginique Deiparæ incruentum prænuntiavit Martyrium. Corpus ejus integrum ſervatur Jadræ in Dalmatia argenteæ incluſum tumbæ, quam curavit *Eliſabeth* Conſors *Ludovici I.* Hungariæ, & Illyrici Regis. De hoc Sancto *Martyrol. Rom. Uſuard. Baron. ad A.C.1. Timon in Epit. rer. Hung.*

11 S. Placidiæ Virg. Filiæ Valentiniani Imperatoris hujus nominis III. & genere Illyrici. Hæc poſt funeſtam Patris cædem, & Romam à *Genſerico* Rege Vandalorum occupatam captivâ cum Matre *Eudoxia*, & Sorore *Eudocia* in Africam abducta, virginalis inſtituti perpetuo tenax, ſpretisque initi matrimonii voluptatibus, aulæ, & ſæculi pompis Verónam ſe contulit, ubi jejuniis, eleemoſynis, orationique intenta obdormivit in Domino miraculis clara. *Martyrol. Rom. Tomko. Petr. de Natal. Ferrar.* in Topograph.

12 S. Maximiliani Ep. & M. Cileæ in Illyrico, & vicinis partibus per Annos 20. Evangelicum prædicavit: tandem *Evilaſii* Prætoris juſſu Cilejæ decolatus eſt A.C. 284. *Martyrol. Rom. Joan. Tabler. in Epit. Chron. Labacen.* ait: *Cilejæ* Epiſcopum conſtitutum A.C. 256. *Inchoffer* in Annalib. Eccleſ. Hung.

18 S. Lucæ Evangeliſtæ *S. Pauli Apoſt.* in Evangelicis laboribus Socii, hic præterquam quod in aliis Regionibus, etiam in Dalmatia, & Macedonia Evangelium prædicavit. Martyrium ſubiit A.C. 61. ſuſpenſus in Oleæ arbore, ut tradit *Nicephor.* & *Michaël Glicas lib. 3. Annal.* Eadem die, S. Triphoniæ uxoris quondam *Decii* Imperatoris, genere Illyrici. Hæc ſuſceptam Religionem Chriſtianam nil mota ſævis adverſus eam concitatis perſecutionibus, conſtanter tenens, ſancto fine quievit *Romæ. Martyrol. Rom. V. Beda.* Eam notam Bibali (vel forte Cibali) in Pannonia Savia prope Syrmium cenſet *Tomko de SS. Illyricis*: & oſtendit Conjugem fuiſſe *Decii*, non junioris, ſed ſenioris, & Imperatoris, ut in Actis *S. Laurentii M.* perhibetur. Ad Chriſtum vero converſam fuiſſe occaſione paſſionis S. Hypoliti M. ſcribit *Petr. de Natal. lib. 9. c. 70.*

21 S. Hilarionis excellentiſſimæ perfectionis Eremitæ, natione Palæſtini, *D. Antonii Magni* diſcipuli. Hic obiit A.C. 372. *Martyrolog. & Breviar. Rom.* Item *Martyrol. s. Hieron. Baronius* in Notis ad Martyrol. & Catena temporum. Idem Sanctus Illyricum etiam ſua præſentia, & prodigiis illuſtravit, nempe apud *Epidaurum.* Ita *S. Hieron. in ejusdem Vita.*

23 S. Joannis Capiſtrani, Ordinis S. Franciſci Seraphici Conf. qui à Summo Pontifice miſſus in Hungariam multos populos ſub Crucis Labarum collegit ad reprimendam Turcarum potentiam, quos etiam Bellgradum oppugnantes repelli, & profligari fortiter adjuvit: multos præterea, *hæreticos, Schiſmaticos*, & *Judæos* ad *fidem Catholicam* adduxit: Pie demum obiit *Villaci* in *Slavonia inferiore* A.C. 1456. De hoc *Martyrol. Franciſcan. Vadingus in Chron. Ord. minor. Indic. Sanctit. Hung.*

S. De-

Digitized by Google

DIES

26 S. Demetrii Militis, & M. qui ob militarem prudentiam, & fortitudinem Proconſul Græciæ conſtitutus, cum fidem Catholicam ſtrenue defenderet, incarceratus fuit, cui eo tum apparens cœleſtis genius, coronamque imponens dixit: *Pax tibi Athleta Chriſti, eſto fortis.* Atque talis perſeverans pro veritate fidei lanceis confoſſus glorioſum agonem Theſſalonicæ conſummavit, A. D. 304. Hunc Syrmii eſſe prognatum ſcribit *Joan. Dlugoſz* in *Legenda SS. Poloniæ*; & *Vetus Breviarium Ordin. noſtri.* Item *Petrus Ranzan* in *Epit. Rer. Hung. Metaphraſtes. Surius Tom. 5. Martyrolog. Rom. Baron.* in Annalib. ad An. Chr. cit. ex *Glica*, *Cedreno*, & *Zonara*.

28 S. Cyrillæ V. & M. filiæ *s. Triphoniæ* Imperatricis. Hæc mortua matre à Præſide urbis comprehenſa capite plexa eſt Romæ, A. C. 270. *Martyrol. Rom. Uſuard. Petr. de Natal. lib. 9. cap.* 118. *Baronius* in Annal. A. D. cit. *Tomko*, qui & eam Syrmii natam fuiſſe, antequam Pater ejus *Decius* Imperator crearetur, cenſet.

XII. NOVEMBER.

4 S. Emerici Regii Hungariæ Principis, & Ducis Slavoniæ, qui animam cœlo reddidit A. S. 1031. Albiæ Regali in Hungaria. *Cartuitius Ep. Surius Tom. 6. Inchoffer in Annal. Eccl. Hung. Tomko de SS. Illyr. Orbinus lib. de Regno Slavor. Anton. Wramecz Serm. de S. Emeric. Bozius lib.* 11. *de ſignis Eccl. cap.* 7.

19 S. Eliſabethæ Viduæ, filiæ *Andreæ II.* Regis Hung. & Conjugis *Ludovici Landgraſſii Thuringiæ.* Hæc defuncto marito tertium Ordinem pœnitentium S. Franciſci ingreſſa, in eodem ſanctiſſime obiit Marpurgi Haſſiæ A. C. 1231. *S. Antonin. par.* 3. ſummæ, *tit.* 9. *cap.* 11. *Marcus Ulyſſiponen. in Chron. Surius Tom.* 6. *Tomko* ex *Matthæo Radero.* Sancta hæc vidua duplici ratione ad Illyricum pertinere videtur. *Primo:* Quia Soror fuit *Colomani* Ducis Slavoniæ, juxta Turoczium in Hungariæ Compendio *lib.* 2. *num.* 19. *Secundo:* Quia ſanguine juncta Regibus Serviæ: fuit namque Abneptis Uroſſi Serviæ Regis, *Bela* enim II. Rex Hung. Conjugem habuit *Helenam* filiam Uroſſi, ut tradit *Joan. Nidan* in *Genealogia Regum Hung.* & citatus *Turoczius num.* 11. Ex dicta autem *Helena* genitus eſt *Geiſa II.* Rex Hung. qui fuit Pater *Belæ III.* qui genuit *Andream II.* Patrem hujus *S. Eliſabethæ.*

DIES

20 S. Daſii Ep. & M. qui cum nollet Saturni immolationi conſentire gladio cæſus eſt Doroſtori in Myſia. *Martyrolog. Rom. Menolog. Græca. Ferrar.* in Topogr.

23 S. Clementis Papæ, & M. qui primo Epiſcopus Sardicæ in Illyrico fuit, ut *Petr. de Natal. lib.* 6. *cap.* 100. *Tomko in vita s. Triphon.* & *Beyerling* Verbo Epiſcopus notant, deinde Pontifex Romanus A. C. 93. creatus, propter fidem Chriſti *Trajani* Imperatoris juſſu in exilium miſſus ſolitudinis *Cherſonæ* urbis, ubi dum Chriſti fideles in fide confirmaret anchora collo alligata in mare demerſus fuit. Poſtea corpus ejus per *Cyrillum* Slavorum Apoſtolum Romam delatum. *Martyrol. Rom. Dorotheus Ab.* in *ſua Synopſi.*

26 S. Niconis Monachi Armeni, à continua pœnitentiæ prædicatione: *Pœnitentiam agite*, dicti. Hic Armenos ab hæreſibus purgavit, Græciam miraculis illuſtravit, peſtem precibus propulſavit, & in Bulgaria multos Chriſto genuit: floruit ad A. S. 981.

Digitized by Google

DIES

981. *Martyrol. Rom. Menol. Græc. Baron. in Annal. Incboffer* ad *A. C.* 982. *Szentivan. Synopſi* 7. *ad An. eund.* Eadem die S. Valeriani Ep. Aquilejen. & Conf. Eccleſiam illam ab *Ariana labe* expurgavit, & Eccleſiaſtica diſciplina illuſtravit, adeo, ut habita ſit quaſi chorus Sanctorum: floruit ad A. D. 381. quo Concilium Aquilejenſe contra Arianos, per Illyricum etiam ſuæ pſeudo doctrinæ venena fundentes celebratum fuit, ac demum clarus meritis quievit in pace. *Martyrol. Rom.* & *Officium propr. Diœceſis Aquilejenſ. S. Hieron. in plurib. ſuis Epiſt.* Eadem die, S. Virgilii Ep. Salisburgen. ordine VIII. Hic zelum Apoſtolicum extendit & ad finitimas Slavorum nationes, quas Chriſto aggregare laboravit. Poſtquam Eccleſiæ ſuæ præfuiſſet Annis 30. ad prœmia migravit meritorum A. C. 784. *Matthæus Raderus in Bavaria ſancta par.* 1. *Szentivan. Catal.* 75. *Schönleben ad A. D.* 758.

XIII. DECEMBER.

1 S. Natoliæ Uxoris S. Adriani M. patria Syrmienſis. *Martyrol. Rom. Petrus de Natal. lib.* 1. *cap.* 18.

6 S. Nicolai Ep. Myrenſis, etiam in Illyrico ſementem Evangelii diſſeminavit, ac Boſnenſes, & Valachos ad Chriſtum convertit. *P. Szentiv.* in Miſcellaneis *Synopſi* 8. §. 2. & *Author Libri* Ratio ſtatus animæ *pag.* 193. Obiit circa A. C. 326.

7 S. Ambroſii Ep. Mediolan. & Eccl. Doctoris. Hic Illyricas provincias iteratis vicibus ingreſſus Orthodoxa fidei negotia ibi fortiter egit. Obiit A. D. 397. *S. Paulinus Ep. Baron. in Annalib. Pagius. Martyr. Rom. Philip. Ferrar.* in Topographia.

10 S. Bubiani natione Siſcienſis. Hic ob eximiam pietatem, & ſapientiam factus fuit Epiſcopus Comenſis in Italia, ordine XIV. Obiit A. S. 591. *Ferdin. Ugbellus Tom.* 5. *Italiæ Sacræ. Schönleben ad A. C. cit. Valvaſor lib.* 8. *pag.* 567. *Vitezovich* in *Chron. Croat.* ad A. D. 593. *Ferrar. in Topogr.* Verbo: *Comum.*

DIES

16 S. Euſebii Ep. Vercellen. & M. Adverſus hæreſim *Arianæ* impietatis invicta fide, & conſtantia dimicavit, atque in Illyricum ſubinde digreſſus reparandis illic fidei jacturis incubuit: ut videre eſt in *Breviar. Rom.* Obiit *Vercellis* A. S. 371. Martyrem vocat. *S. Ambroſ. serm.* De ejuſd. Laudibus, agunt de eodem *Maranus* in *Theſauro Parochor Lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 109. *Baron.* & *S. Hieron.*

28 SS. Innocentium MM. qui pro Domino Neo-nato Salvatore mundi *Herodis* Regis ſævitia occiſi leguntur in Evangelio *Matth. cap.* 2. Horum corpus unum aſſervatur in Eccleſia Cathedrali Zagrabienſi, à Republica Veneta *Paulo* hujus nominis I. ejuſdem Diœceſis Epicopo donatum, occaſione, qua Legatum *Ludovici I. Hungariæ Regis* pro impetrandis Reliquiis S. Pauli primi Eremitæ apud eandem Rempublicam egerat. Ita *Vetuſtum Breviar. Ordinis noſtri ad diem* 14. *Novembr.* Eadem die, S. Antonii Monachi *Lirinenſis*, qui natus in civitate Valeria ad ripam Danubii in Pannonia olim parte Illyrii, relicta ob Barbarorum frequentiores incurſiones patria, Chriſto Duce in Italiam venit, inque ſolitudinem ſecedens, altiſſimum, & præruptum montem conſcendit, vitamque auſteritatis plenam duxit abſconditus; tandem ad Lirinenſis inſulæ monachos tranſiens, ibi per biennium vir-

Digitized by Google

DIES

virtibus micuit, carnisque ſarcinam deponens, lucem præſentis ſæculi perpetui Luminis adeptione mutavit. Ex *Ennodio Ep. Ticinen.* & *Bibliotheca Veterum Patr. Ferrar. in Topograph.* Verbo; *Lirinum.* & *Martyr. Rom.* Valeria olim dicta Regio inter Dravum, & Savum. Ita *Cluverius* in Introductione Geograph. *lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 379. Quo tempore hic Sanctus obierit, non reperitur. Floruit tamen circa A. C. 500.

31 S. Hermetis Exorciſtæ, qui Rhætiariæ in Illyrico piæ vitæ meritis claruit. *Martyrolog. Rom. Uſuard.* & *Ado.* Porro Rhætiaria eſt Urbs hodie dicta Nicopolis in Myſia ſuperiore, ſeu Bulgaria ad Danubium, ut *Philip. Ferrar.* in *Topograph.* ad *Martyrol.* ait, ſed pro Myſia ſuperiore dicendum inferiore.

APPENDIX I.

Catalogus Sanctorum Illyrii, quorum dies certus obitus, vel memoriæ haberi nequivit.

S. ANonymus Presbyter Syrmienſis, juſſu *Valentis Cæſaris* inquiſſime occiſus. *S. Hieron. in Chron.* ad A. C. 375. & *Baronius* ad A. 372.

S. Conſtantinus Philoſophus, Pater *SS. Cyrilli*, & *Methodii*, Slavorum Illyricorum Apoſtolus, floruit A. D. 758. ut *Schönleben* in Annal. Carniol. notat. De eo *Officia propria Eccleſiarum Poloniæ* de *SS. Cyrillo*, & *Methodio.* Item *Joannes Lucius* in Notis ad *Diocletem*, de eodem *Conſtantino* in Regno Slavorum *num.* 11. ſcribentem. *Marcus Marulus.*

SS. Manuel, Georgius, Petrus, & Leo Epiſcopi: Paroclus Presbyter: Joannes, & Leo Tribuni: Gabriel, Sionius & alii 377. MM. à *Crunno VIII. Bulgariæ Duce*, ob fidem Chriſti comprehenſi, in captivitatem abducti, & ad dirum ſupplicium reſervati fuere: qui quia non uno die paſſi ſunt, aliquorum ex eis nomina *P. Szentivanii* ad diverſos Menſis Januarii retulit dies, prout ſibi, ut ipſe *Catalogo* 75. fatetur, opportunum videbatur. Et quidem *S. Manuëli* Archi-Epiſcopo Hadrianopolitano, per medium ſecto, diem 23. Januar. *SS. Georgio*, & *Petro* Epiſcopis inhumaniter laceratis, ac capite plexis, diem 24. *SS. Leoni* Epiſcopo Niceæ per ventrem diſſecto, *Parodo* Presbytero, lapidibus obruto, ac *Gabrieli*, & *Sionio* enſe conciſis, diem 25. ac tandem *Leoni*, & *Joanni* Tribunis, reſiduisque 377. quos idem *Tyrannus Crunnus* gladii ſupplicio ſubjecit, diem 30. conſecravit. Agit de his *Schönleb. in Annal. Carniol.* ad A. C. 813.

S. Gaudentius Ep. Abſarenſis, floruit A. C. 1050. Obitus dies, & annus incompertus. De eo *S. Petrus Damiani Libro de Abdicatione Epiſcopatus.* Meminit etiam *Lucius lib.* 2. *cap.* 11.

Hic eſt Catalogus celebrium ſanctitate perſonarum, quarum pleraſque Illyricum modernum vel progenuit, aut mundo per temporalem, aut cœlo per ſpiritualem nativitatem; vel nutrivit ut patriotas, vel ſuſcepit ut patriotarum in fide Chriſti Nutritios: & quarum pleræque Illyricorum zelantes, æternam ſalutem, ipſemet ſeſe ad implantandam,

Digitized by Google

vel fovendam vineæ Evangelicæ radicem ſtrenuos obtulerunt operarios, nihil formidantes ſanguinem quoque ſuum fundere, ut proximum Chriſto lucrentur, eumque prœmiorum regni cœleſtis participem faciant: pleræque item domeſticæ, quæ agnitam ſemel, ſuſceptamque Orthodoxam Religionem firmiter confitentes, glorioſo eam Martyrio illuſtrarunt: denique quarum pleræque incrementa fidei Catholicæ in Illyrico ſæpius ſparſo ſemine Verbi DEI conſervarunt, vel detrimenta repararunt. Sed cum præſentem produxerim catalogum, jam etiam hic *Illyricos Populos omnes*, conterraneos, & fratres in Chriſto meos exhortatos, & animatos eſſe cuperem, ut cum illis ſub tot, & tantis *Tutelaribus* fiducialiter exclamare valerem: *Nos ergo populus veſter, nos hæreditas veſtra, ad vos clamamus, à fame nos liberate, in peſte innoxios ſervate, in bello protegite, noſque fortes, & generoſos efficite, ut inimicos fidei noſtræ Catholicæ è patria pellere, eosque profligare queamus, denuoque orthodoxi dogmatis populos in partibus iis, quæ ſub Mahometico jugo adhuc gemunt, pro gloria DEI omnipotentis, veſtroque honore implantare valeamus. Noxas quidem noſtras non negamus, ſed vos mediatores noſtros non ignoramus. Per vos ô Patres nobis placandus eſt DEUS, per vos exorandus omnipotens.* Denique cum *S. Ildephonſo* ſuadeo vobis *O Illyrici incolæ!* ut prærecenſitos in catalogo ſanctos omni pietatis, devotionisque affectu, humili cultu, fiducialique vultu deprecemini, quatenus tempore quovis, ſint noſtri protectores in proſperis, defenſores in adverſis, ſubmoveant noxia, ſuggerant profutura, admittant preces ſupplicantium intra Sacrarium Divinitatis, nobisque impetrent conſortium beatitatis.

APPENDIX II.

Catalogus Beatorum Illyricorum.

PRæter Sanctos, quos ubique locorum, & ſemper omni, publicæ etiam venerationis cultu proſequi licet, dantur & aliorum hominum in Cœleſti illa Hierarchia animæ, quæ quamvis in cœlis reſiduorum inſtar Sanctorum beatitudine fruantur æterna, nullum tamen eis in terris fas eſt publicum exhibere cultum, non obſtante, quod ipſorum corpora, vel inſignes reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur, niſi Ordinarii locorum eas approbaverint, & eo tum ſimilibus Beatis, eorumque Reliquiis, prævia ſtricta de identitate earum inquiſitione, inquiſitionisque examine ponderoſo, ac tandem ſuper ſingulis gravi, ac maturo judicio, debitam fidelium venerationem (prout hactenus ſervatum fuit) exhibendam cenſuerint, ſed abſque Officio, & Miſſa: vetantibus idipſum Conſtitutione *Pii* hujus nominis *Papæ V.* die 11. Auguſt. Anno Chriſti 1691. emanata, & Decretis S. Congregat. Rituum, quæ *Urbanus Papa VIII.* laudavit, & approbavit. Quemadmodum autem Alia Regna, & Provinciæ plurium de gremio ſuo Beatorum virorum, ac Mulierum animos cœleſti jam gloria perfruentes enumerant, ita & Illyricum noſtrum his non vacuum, eos ſequenti exhibet Catalogo.

B. Jacobus Pizenus Ord. S. Franciſci, rem Chriſtianam cum *S. Capiſtrano* in Illyrico ſtrenue promovebat ad A. C. 1453. obiit die 9. Januar. De quo *Szentivan. in Diſſert. paralip. Catal. 75. Vadingus* in Annal. Minor.

B. Ca-

Digitized by Google

B. Carolus Cſaky, Demetrii Bani Slavoniæ filius, Ord. S. Dominici. Obiit Jaurini A.C. 1337. die 17. Jan. *P. Sigism. Ferrar. in Hiſt. Prov. Hung. Ord. Prædicat. P. Timon in Synopſi Chronol.*

B. Margaritha V. Filia Belæ IV. Hung. Regis nata Cliſſæ in Dalmatia. Obiit A. D. 1270. die 18. Januar. De ea *Sigism. Ferrar. loc. cit. Joan. Tomko* in Fæcunditate Sanctitatis Illyricanæ, & *Petr. Ribadeneira.*

BB. Quinque Martyres Ord. S. Franc. Vidini in Bulgaria, paſſi ad A. C. 1369. die 12. Febr. *Vading.* in Annal. Minor. & *P. Timon.* in Imagine Hung. novæ *cap. 18.*

B. Antonius de Saxonia, Ord. S. Franc. Martyr. paſſus Vidini in Bulgaria A. S. 1396. *Ex Martyrol. Franciſci Arturi, & P. Szentiv. Catal. 75.*

B. Budimirus Patre Sadimiro natus, Dalmatiæ, & Croatiæ Rex, per S. Conſtantinum Philoſophum in lege Chriſtiana edoctus, & baptizatus, regnavit Annis 40, qui relicto in Throno filio ſuo Szvetolico Obiit 17. Martii, & ſepultus eſt in urbe Dioclea. Annus Obitus incompertus. *Diocleas Presbyter* in Hiſtoria Regni Slavorum, & *Joan. Lucius* in Notis ad Eandem.

B. Mauritius Cſaky, Ord. Prædicator. filius Demetrii Bani Slavoniæ. Triginta Religioſæ vitæ annis eſu carnium abſtinuit. Obiit Jaurini A.D. 1336. die 20. Martii. *Bollandiſtæ* ad diem eand. *Sigism. Ferrar. loc. cit. Fridericus Spiell* in Ephemer. Hung. Ord. Prædicator.

B. Vladimirus Rex Croatiæ, & Mart. Poſt obitum Petriſzlavi Patris avitum Regnum in ea Croatiæ parte, quam Rubeam vocabant, ſuſcepit, ac tenuit, usque ad A. S. 981. Quo in captivitatem pro pace, & quiete ſuorum, Samuelis Regis Bulgarorum ſe ipſemet tradidit, unde tandem per ejusdem Regis Samuelis filiam nomine Coſſaram Matrimonio eliberatus, ſuisque reſtitutus, tandem poſt decurſum 36. Annorum ſpatium, mortuo Samuele Rege, per Vladiſlaum inhiantem Regno Vladimiri, dolo perfido evocatus in Prepſa urbe decollatus eſt, circa A. C. 1017. die 22. Maji. Vitam, & Martyrium ejus refert *Diocleas Presb. Lib. de Regno Slavor.* N. 33. *Caſimirus Freſchotus in Memoriis Hiſt. Dalm. Paul. Ritter. Orbinus Ab. Lucius. Szentiv. Cat. 90.*

B. Auguſtinus cognomento Gazottus Tragurii in Dalmatia genitus. Hic à Benedicto ejus nominis XII. Pontifice vacanti Eccleſiæ Zagrabienſi circa A. S. 1303. Antiſtes datus, migravit in cœlum A. C. 1332. *Joan. Tomko loc. cit. Sigism. Ferrar. loc. cit.* De hoc ſub titulo Beati de licentia Sacræ Sedis agitur in Diœceſi Zagrabienſi Officium & Miſſa die 3. Auguſti, qua & obiiſſe dicitur.

B. Raynerius Archi-Epiſc. Spalatenſis, & Martyr, ob defenſa jura Eccleſiæ à Slavis Caciclis lapidatus occubuit A. D. 1180. die 11. Auguſti. *Thom. Archi-Diac. Spalaten.* in *Hiſt. Salonitana cap. 22. Lucius lib. 3. cap. 10. Tomko in Vindiciis S. Felicis pag. 20.*

B. Joannes Theutonicus Ord. Prædic. Episc. Boſnienſis, poſtquam zelo fidei plura ſua in Diœceſi utiliſſima egiſſet, depoſito Præſulatu ad ſuos rediens Generalis electus, pientiſſimeque ſuam Religionem gubernans obiit Argentinæ A. S. 1253. die 4. Novemb. pluribus miraculis clarus. *Sigism. Ferrar. loc. cit. P. Tarnoczy* in Indiciis Sanctit. Hung.

B. Salomea Leſci Sandomiriæ Ducis filia, Conjux Colomani Ducis Slavoniæ, filii Andreæ II. Regis Hung. cum quo de mutuo conſenſu Virginitatem intaminate ſervavit. Vidua effecta Sancti Monialium cœtum ingreſſa pie obiit A. D. 1268. die 17. Novemb. *Vading.* in Annalib. Minor. *Tarnoczii* in Indiciis Sanctitat. Hung. *Timon* in Epitome Rer. Hung. ad A. C. 1237. & 1241. Qui Colomanum Cſasmæ

 ſepul-

ſepultum ponit, & Slavoniæ Ducem nominat, uti & *Ladiſl. Turoczii* in *Hung. Compendio lib.* 2. *num.* 19.

B. Joannes Dominici, patria Florentinus ex Ordine Prædicatorum, Archi-Epiſc. Eccleſiæ Raguſinæ in Dalmatia, & S. R. E. Cardinalis, obiit A. D. 1418. die 7. Decembr. Budæ in Hungaria, ac in Eccleſia Ord. S. Pauli pr. Erem. ſepultus. *Sigism. Ferrar. loc. cit. Plodio* in Chron. Ord. Prædicat. *Szentivan. catal.* 75.

B. Buzadus Ord. Prædicator. ex familia *Banfi* (qui erant Comites *Veröcenſes* in Slavonia) à Tartaris Hungariam depopulantibus in Eccleſia ante aram in formam Crucis extenſus, orans, Chriſtoque ſe offerens Lanceis confoſſus obiit A. C. 1243. die 8. Decembr. *Sigiſmundus Ferrar. par.* 1. *cap.* 7. *Fridericus Stiell*, in *Ephemeridib. Dominicanor.* 8. *Decem. Ratkaji* in *memoriis Regum Croat. & Slav. pag.* 78. *Franc. Ladany* in MSS. *De geſtis Banorum Slavoniæ lib.* 2. ſcribit, hunc Buzadum fuiſſe Banum Slavoniæ A. D. 1226. ab Andrea Rege poſitum, & dein diviſo inter filios Patrimonio Religionem S. Dominici ingreſſum, poſtquam dignitatem Banalem quinquennio laudabiliter geſſiſſet.

B. Gertrudis V. filia Belæ II. Reg. Hung. genita ex Helena filia Uroſſi Regis Serviæ. Hujus obitus Annus, & dies incompertus. *Ladisl. Turoczii* in *compend. Hung. lib.* 2. *num.* 11.

B. Joannes Epiſcopus Traguirienſis in Dalmatia. Floruit A. C. 1105. ut ad eum Annum de eo habet *P. Timon.* in *Epit. Rer. Hung. Joan. Lucius pag.* 88. & 114. Diem obitus nullus notat.

B. Protogenes Epiſc. Sardicæ (quondam Thraciæ, dein Bulgariæ Urbis) clarus meritis, & nobilis ſanctitate floruit ad A. S. 325. *S. Anaſtaſius* Oratione 1. *contra Arianos. Baron. in Notis ad diem* 6. *Maji.*

APPENDIX III.

Catalogus Illyricorum Venerabilium Virorum Dei.

TErtii quoque Ordinis dantur in cœlis Animæ hominum, quæ æque ac aliorum Sanctorum & Beatorum viſione beatifica fruuntur, quamvis hæ in terris neque Sanctorum, neque Beatorum titulo honorentur, ſed *Venerabilium Virorum Dei* tantum vel etiam *Venerabilium Servorum Dei* nomine compellentur. His nullus omnino cultus publicus deferri valet, ſed neque imagines eorum radiis illuſtrari queunt, privatim tamen pro cujuslibet pietate honorari, eorumque icones in domibus ſervari poſſunt. Ex horum numero recenſentur quoque in noſtro Illyrico plures, ſuntque ſequentes, quorum nomina duntaxat adnotare libuit, & ubi compertum de Obitus Anno & die fuerit, id quoque non ſubticetur.

V. S. D. Domitius Epiſcopus Byzantinus Frater Probi Imperatoris, natione Syrmienſis. Obiit A. C. 308. *Tomko* in vita S. Metrophanis. & *Martyrol. Rom.* ad diem 26. *Aug.*

V. S. D. Probus Epiſcopus Byzantinus, Probi Imperatoris natione Syrmienſis ex fratre Nepos. Eccleſiam Byzantinam pie rexit arduis illis temporibus, quibus *Licinus* in Chriſtianos ſæviebat. Obiit A. D. 314. *Tomko* in vita S. Metrophanis. *Nicephor. lib.* 8. *Hiſtoriar.*

V. S. D. Petrus Illyricus, S. R. E. Cardinalis, pietate clarus floruit ad A. S. 423. *Joan. Maranus in Theſauro* Pa-

Parochor. lib. 1. pag. 35. Piampinus lib. de veterib. monument. Baron. ad A. C. 423.

V. S. D. Glycerius ex Imperatore Epiſcopus Salonitanus. Qui nobiliſſima Dalmatiæ Urbe progenitus, ſub Valentiniano Imperatore Militum Tribunus fuit. Imperium poſtea voluntate Romani Exercitus ſuſcepit A. C. 473. Vix autem Anno expleto à *Julio Marcellini* Patritii nepote ſolio deturbatus Salonæ in Dalmatia Epiſcopus creatus eſt. A. D. 474. Annus, & dies obitus ejus incertus eſt. De eo *Tomko in Vindiciis S. Felicis pag.* 9. & in *Fœcunditate Sanctitatis Illyricanæ pag.* 175. Extat præclarum *Epigramma* de Glycerio *Ennodii Ticinenſis*, & ponitur apud *Szentivan.* & *Lucium* in Catal. Epiſcopor. Salonitarum ordine 12mus.

V. S. D. Michaël Rex Bulgariæ, ante Baptiſmum Bogoris dictus, abjectis Regni curis Monachus effectus in ſancta converſatione vitam pie traduxit. De quo plura *Incboffer* in *Annal. Eccl. Hung.* ad A. C. 894. *Pagius in Critica ad Baronium* ad A. D. 868. *Graveſon in Hiſt. Eccl. Tom.* 3. *pag.* 121.

V. S. D. Lucas *Banffi* (ex Illyrica Banffiorum Veröczæ Comitum ſtirpe progenitus) Archi-Epiſcopus Strigonienſis, famâ ſanctitatis clarus, obiit A. S. 1179. Ex *P. Ladislao Turoczii* in *Compend. Hung. lib.* 1. *num.* 56. & 58. *P. Szentivan. Catal.* 12. *P. Timon in Epit. rerum Hung.* ad A. S. 1231.

V. S. D. Paulus Ordinis Prædicator. Cœnobiarcha in Dalmatia, à Paganis vivus concrematus circa A. D. 1243. *Sigismundus Ferrar. in Hiſt. Ordinis Prædicat. Prov. Hung.* qui plures pro eo citat ibid. Scriptores.

V. S. D. Isquirinus Ordinis S. Pauli pr. Erem. Religioſæ vitæ cultu clarus, condidit ſui Ord. Monaſterium Remetenſe ſupra Zagrabiam. Obiit A. D. 1270. *Ex Annalib. Ordejusd. Vol.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *Eggerer in Pharmacopæa cæleſti Præambulo* 1. ac *Monumenta Cœnobii Remeten.*

V. S. D. Paulus Draskovich Epiſcopus Scardonenſis ab impio Bano *Mladino* occiſus A. C. 1322. *Joan. Tomko* in *vita B. Auguſtini Ep. Zagrab. Ratkajus pag.* 672. *Franc. Ladanii* in MSS. *Hiſt. Familiæ Draskovichianæ.*

V. S. D. Angelus à Verboſa, Ord. S. Franciſci, incorruptus quieſcit Fojnizæ in Boſna. Ex *Chron. minor. Bagatta par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3 *num.* 220. Hujus obitus Annus, & dies incertus.

V. S. D. Monaldus Dalmata, Ord. S. Franciſci Martyrio coronatur A. S. 1332. *Spondanus* in *Auctario ad Annal. Baronii. Arturus à Monſtier.* in *Martyrol. Franciſc. ad diem* 15. *Martii. Bollandiſtæ* ad eandem diem.

V. S D. Jacobus Illyricus Ord. S. Franc. cujus corpus incorruptum ſervatur *Biſcebi.* Ex *Chron. Minor. P. Bagatta in Admirandis Orbis par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 220. Obitus Annus, & dies incognitus. Cultus ejusdem immemorabilis approbatus eſt à *Clemente* hujus nom. Papa XI. A. D. 1700. ut refert *Benedictus XIV. Papa lib.* 2. de *Canonizatione Sanct. cap.* 24. §. 30.

V. S. D. Gregorius Tragurius Dalmata, Ord. S. Franc. ab hæreticis interemptus A. C. 1370. Ex *Annal. Franciſc. Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib.* 7. *cap.* 27.

V. S D. Nicolaus Sibinicenſis Dalmata, Ord. S. Franc. à Mahometanis occiſus Hieroſolymis ad A. D. 1389. *Thomas Bozius de ſign. Eccl. lib.* 7. *c.* 27. Ex *Hiſtoria Franciſcana.*

VV. SS. D. Anonymi 32 Religioſi Ordinis Prædicat. in Boſna, & Dalmatia à Turcis ſubmerſi. *P. Sigismund. Ferrar.* in Hiſt. Ord. S. Domin. Prov. Hung. *par.* 1. *cap.* 9. *pag.* 64. Ex *aliis ibid. citatis.* Sed Annus ſubmerſionis incertus.

VV. SS. D. Anonymi complures Religio-

ligioſi Martyres Ordinis S. Pauli pr. Erem. in Monaſterio S. Petri de Zlath à Turcis jugulati A. S. 1393. Ex Annalib. Ord. ejusd. ad A. S. 1451. Meminit eorundem Nicolaus hujus nom. Papa V. in Bulla incorporationis dicti Monaſterii ad Clauſtrum Kamenſzkenſe.

V. S. D. Hedvigis filia minor Ludov. I. Regis Hung. progenita ex Eliſabetha filia Stephani Bosnæ Bani, Sanctiſſime obiit A. D. 1399. Ex *Ladislao Turoczy* in *Compend. Hung. l. 1. num. 63. & lib. 2. num. 27. Sanctam* nominat *Joan. Maranus lib. 1. c. 37. num. 26.* Ex *Oldoino.*

V. S. D. Petrus de Zalankemen, Ord. S. Pauli pr. Erem. Prior Generalis, propter ſuæ ſanctitatis claritudinem omnibus fuit venerandus. Floruit ad A. S. 1490. De quo Annales Ord. ejusd. *Vol.* 1. item *Vol.* 2. in *Catal. Generalium.* & *P. Gyöngyeſſinus* in Chron. Ord. ejusd.

V. S. D. Thomas Bacocius (alias Bakacs) ab Erdöd S. R. E. Cardinalis, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis, natus eſt in oppido Erdöd inferioris Slavoniæ, ejusque Comitatu Valponenſi. E vita deceſſit A. C. 1520. die 2. Junii, & Strigonii in Sacello Mariano à ſe extructo ſepultus. De eo *Purpura Pannonica.* Item *Vitezovius in Chron. Croat. ad A. C.* 1517. *Pr. Ladisl. Turoczii in Compendio Hung. num* 65. *Timon in Epit. rerum Hung. Maranus* loc. cit. ex *Ciacconio.*

V. S. D. Georgius Draskovich, Epiſcopus olim Zagrabienſis, dein Archi-Epiſcopus Colocenſis, & S. R. E. Cardinalis, pietate, & zelo inclytus. Obiit A. S. 1588. Ex *P. Timon* in Purpura Pannon. Plura de eo habet *Georgius Eggs* in *Purpura docta lib.* 5.

V. S. D. Ludovicus Vilaky Epiſc. Veſprimienſis, antiqua ſtirpe Ducum Sirmienſium ortus, ab Hæreticis interfectus A. S. 1605. Ex *Nicolao Iſtvanffii* in *Hiſt. Hung. lib.* 34. *p.* 829. *P. Franc. Kazy* in *Hiſtor. Hung. ad A. C.* 1605.

V. S. D. Nicolaus Mikalius, natione Siſcienſis, Epiſcopus Zagrabienſis, poſtea Varasdinenſis, ab Hæreticis multa paſſus, & ærumnis in carcere confectus eſt, circa A. D. 1610. De quo *Author. Libri*, cui Tit: *Propugnaculum Reipublicæ Chriſtianæ in Hungaria.* Typis Academicis Tyrnaviæ editi A. D. 1725.

V. S. D. Marcus Criſinus in Slavoniæ ſuperioris (jam vulgo dictæ Croatiæ) Regia Urbe Criſienſi, unde & nomen duxit, in lucem editus, circa A. D. 1580. Caſſoviæ ab hæreticis Calviniſtis quater captus, & tandem poſt plura tormenta decollatus fuit A. S. 1619 die 7. Sept. & per Illuſtr. Domin. Catharinam Palfy, Sigism. Forgach Hungariæ Palatini Conjugem Tyrnaviam translatus, in Eccleſia Sanctimonialium Divæ Claræ debito honore ſepultus. Martyrem nominat Cardinalis Petrus Pazmanii Archi-Epiſcopus Strigonienſis in Epiſtola ſummo Pontifici ſcripta pro impetrando ejus publico cultu. *Ladisl. Turoczii* in Compendio Hung. *num.* 184. *Szentivan. Catal.* 75.

V. S. D. Petrus Domitrovich Epiſc. Zagrabienſis, pius, & innocens Præſul in foſſato Urbis Varasdinenſis ab impiis, quos ad frugem vitæ Chriſtiano-Catholicæ reducere conabatur, demerſus eſt A. D. 1628. Ex *Ratkajo. Georg. Patachich* in *Gloria Collegii Bononienſis*, ubi Eundem ut Martyrem laudat.

V. S. D. Joannes Keglevich Ordinis S. Pauli pr. Erem. Clericus, pietate dum vixit, & humilitate cum confuſione perſonarum inferioris conditionis excelluit; Sanus adhuc coram ſuperiore ſuo ſe brevi moriturum prædixit, quod & ad A. C. 1654. die 31. Octobris evenit. *Annal. Ord. ejusd. Vol.* 1. *pag.* 360. *Carolus Dufreſne* in *Illyrici vet. & nov. Hiſt. pag.* 229.

V. S.

Digitized by Google

V. S. D. Nicolaus Rattkaj, Croata, Societatis JEſu Indiarum Miſſionarius, ubi in zelo animarum conſumptis 36. Annis, ad extrema veniens, plenus meritis A. S. 1662. die 3. Martii, ætatis ſuæ annorum 69. obiit in Civitate *Tuna Inſulæ Salſetianæ*. Hæc ex relatione *Patrum Luſitanorum Societatis JEſu*. Item ex Litteris P. *Procuratoris* Collegii *Agrenſis Regni Mogor* (qui hujus P. *Rattkay* morti interfuit) ſcriptis ad Collegium Varasdinenſe A. C. 1664. *Viennâ* tranſmiſit R. P. *Gruether* ex *Sinis* veniens.

V. S. D. Joannes Rattkay, Soc. JEſu Miſſionarius Apoſtolicus in Inſula Tarahumaræ Americæ, veneno à quodam barbaro ſublatus eſt. A. S. 1680. De quo copioſius Liber ſub Tit. *Undeni Græcenſes Academici ſuo Sanguine purpurati*. A. D. 1727. typis Academicis Græcii editus.

V. S. D. Joannes Adamus Portenperger, Ord. S. Pauli pr. Erem. Sacerdos, *Caprontæ* in *Slavonia ſuperiore* progenitus: hic relicta pia ſuæ Sanctitatis opinione deceſſit Romæ A. C. 1684. die 2. Julii. *Annal. Ord. ejusd. Vol.* 2. P. *Adamus Kolleczany* in *Manuali Fratrum converſorum*.

V. S. D. Martinus Borkovichius natione Croatus, Ord. S. Pauli prim. Erem. ter electus Generalis, tandem Epiſcopus Zagrabienſis, & Archi-Epiſcopus Colocenſis, nonagenarius eximia ſuæ Sanctitatis opinione relicta piiſſime obiit Zagrabiæ A. S. 1687. die 31. Octobr. Vitam ejus copioſe concinnavit Rmus Dom. Thomas Kovachevich, Cathedralis Eccleſiæ Zagrabienſis Cuſtos, & Canonicus in Opere ſuo MS. *de Epiſcopis Zagrabienſibus*. Meminit ejusdem *Carolus Peterffi par.* 2. *Conciliorum Hung. pag.* 398. Eumque nominat *Magnum virum*, qui ſui felicem memoriam exhauſtis pro Domo DEI laboribus, & exacta è Regno toto hæreſi reliquit. Scribunt quoque de eo Annales Ord. ejusd. *Vol.* 1. & 2.

V. S. D. Gregorius Jakſich, Ordinis S. Franciſci à Turcis in ditione Syrmienſi occiſus. A. D. 1693. *Marangoni in Theſauro Paroch. pag.* 478.

V. S. D. Auguſtinus à Plumbo, Ord. S. Franciſci, Parochus in Illok, ditionis Syrmienſis, à Turcis multa paſſus, obiit circa A. C. 1694. *Joan. Marangoni Canonicus Anagninſis* in Theſauro Parochorum.

V. S. D. Laurentius de Salinis, Ord. S. Franciſci, Parochus Ratczkæ in Syrmio, à Mahometanis crudeliter tormentatus obiit A. D. 1695. *Joan. Marangonius loc. cit.*

V. S. D. Nicolaus Olovenſis, Ord. S. Franciſci, Epiſcopus Boſnenſis à Schiſmaticis interfectus A. S. 1700. die 14. Auguſti. Sepultus honorifice in ſuorum Patrum Conventu Naſſicenſi in Slavonia. *Joan. Marangoni loc. cit.*

V. S. D. Nicolaus de Novi, Ordinis S. Franciſci, Parochus Goriani in Slavonia, à Schiſmaticis interemptus A. D. 1703. *Joan. Marangoni loc. cit.*

CONCLUSIO OPERIS,
ET SIMUL
PROTESTATIO AUTHORIS.

HÆc ſunt, quæ de *Natali Solo*, & de *Sanctiſſima vita* Magni Eccleſiæ Doctoris *Hieronymi* oculis Benevoli Lectoris ſubjicere volui, nihil aliud, niſi gloriam DEI, ejusdemque glorioſi Sancti honorem (cujus meritis hoc meum levidenſe opus crevit, cujus precibus ſtat, cujus tutela defenditur) auctum cupiens. Atque ideo concluſurus laborem meum, utor

Digitized by Google

verbis *Cornelii à Lap.* qui in *Proœmio* in Minores Prophetas *ad finem* hæc habet: „ Hominum judicia, aut „ plauſus non moror, tibi enim ſoli „ placere cupio, & diſplicere timeo, „ dicoque cum Apoſtolo: *Mihi pro* „ *minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab* „ *humano die. Sed neque me ipſum ju-* „ *dico: qui autem judicat me, Dominus* „ *eſt.* „ Et cum *S. Hieronym. Præfat. lib.* 2. Comment. *in Oſeam* ſic diſſerente. „ Optarem mihi illud con- „ tingere, quod *Titus Livius* ſcribit de „ *Catone*, cujus gloriæ neque profuit „ quiſquam laudando, neque vitu- „ perando quiſquam nocuit; cum „ utrumque ſummis præditi fecerint „ ingeniis. „ (Significat autem *M. Ciceronem*, & *C. Cæſarem*, quorum alter laudes, alter vituperationes ſupradicti ſcripſit viri) proſequitur dein in ſua diſſertatione *Hieronymus* ſequenti tenore: „ Dum enim vi- „ vimus, & in vaſe fragili contine- „ mur, videntur amicorum prodeſſe „ ſtudia, & nocere æmulorum op- „ probria; poſtquam autem reverſa „ fuerit terra in terram ſuam, & tam „ nos qui ſcribimus, quam eos, qui de „ nobis judicant, pallida mors ſub- „ traxerit, & alia venerit generatio, „ primiſque cadentibus foliis virens „ ſilva ſuccreverit, tunc ſine nomi- „ num dignitate, ſola judicantur in- „ genia, non honorum diverſitate, „ ſed operum merito. Si quid in me, „ meiſque dictis, & ſcriptis eſt veri- „ tatis, virtutis, pulchritudinis, to- „ tum quantum quantum, tuum eſt „ O DEUS Une, & Trine, qui es pri- „ ma, increata, & fontalis pulchri- „ tudo. Ergo non nobis Domine, „ non nobis, ſed nomini tuo da glo- „ riam: Omnia enim noſtra bona, „ tua ſunt dona. Si quid vero in me, „ meiſque eſt erroris, vitii, deformi- „ tatis, uti plurimum omnino eſt, „ totum ex me eſt, totum mihi de- „ puto, in me recipio, & ſupplex „ veniam poſco. Tibi itaque laus, „ tibi decus omnis boni, mihi dede- „ cus omnis mali, & confuſio faciei „ meæ: Tibi benedictio, & claritas, „ & ſapientia, & gratiarum actio, & „ virtus DEO noſtro in ſæcula ſæ- „ culorum. Amen. „ Hæc *Hieronymus*. Hujus exemplo inſtructus, & ego viliſſimus quidem ſcriptor, tenaciſſimus attamen Sacræ Congregationis Cardinalium Decretorum A. D. 1625. & 1634. editorum, juxta declarationem SS. Domini noſtri *Urbani*, hujus nominis, *Papæ VIII.* A. S. 1631. factam, Sacræque Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus filius, omnia, & ſingula hoc in Libro contenta, ſive ea ex aliis deſumpta, ſive à me adjecta ſint, Catholicæ cenſuræ ſubjecta eſſe volo, atque ita intellecta cupio, ut quæ non tanquam à Sede Apoſtolica examinata, atque approbata ſint, ſed à ſola ſui Authoris fide, ſimplicique, & hiſtorica narratione pondus obtineant. Si quid porro impie, imperite, vel indecore inſertum pii Lectoris mentem ſollicitaverit, irritum, caſſum, nullumque, & præter voluntatem meam irrepſiſſe fateor, revoco, deleoque, ut tanto magis glorificetur DEUS, qui cunctorum hominum eſt Alpha, & Omega, id eſt: Principium, &

F I N I S.

AD-

ADJECTUM TRACTATUS
DE
DIGNITATE CARDINALITIA
S. HIERONYMI
DALMATÆ SRTIDONENSIS,
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTERI,
ET EXIMII DOCTORIS.

AUTHORE
R. P. ALPHONSO CIACONIO, Natione Hiſpano, Ordinis Prædicatorum Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctore, & Pœnitentiario Apoſtolico.

PROOEMIUM.

Qualiter Tractatum præinſinuatum pluribus in locis avidè inquiſiverim, & inquiri curaverim, & quidem etiam Romæ, *Par. 2.* hujus operis, *cap. 10. num. 4.* expoſui, & cum pro eo tempore, quo ea, quæ *loc. cit.* leguntur, ſcripſi, dictum Tractatum habere nequiverim, Argumenta Authoris pro dignitate Cardinalitia *S. Hieronymi* probanda omittere coactus fui: ſubmiſſa tamen, quæ fuerant, ex opere alio Ejusdem, ac aliorum quoque Scriptorum digeſtis in eodem merito producere *ibid.* non intermiſi. Quia vero ex poſt etiam *loc. cit.* nominatus A. R. P. noſter ad *Curiam Romanam* Procurator Generalis de inveniendo cupito *Ciaconii* Tractatu ſollicitus, nequivit quieſcere, usque dum ipſum in quadam Bibliotheca non reperiſſet, eundemque *Venetiis* apud *Dominicum Nicolinum* A. C. 1583. impreſſum de verbo ad verbum deſcribi curaſſet, mihique ad manuandum transmiſiſſet. Quem, quamvis tardius, ſummo tamen cum gaudio acceptum, cum attente legiſſem, ſolidaque in eo ad manutenendam *S. Hieronymi* Cardinalitiam dignitatem fundamenta perpendiſſem, non abs re facturum exiſtimabam, ſi integrum memoratum Tractatum huic meo Opuſculo adjectum reimprimi curavero: ut qui Lectorum deſideraverint *S. Hieronymi* Cardinalatum defendere, ſolidiora habere valeant ad manus argumenta: qui vero contrariæ potius adhærere opinioni ſtuduerint, neceſſum habeant, quatenus in anteceſſum ſingula *Ciaconii* monumenta, & munimenta apprime diſcutiant, diluantque, atque eo tum contrariam ſuam ſententiam novis, firmisque conſolident argumentis. Sic igitur de Dignitate Cardinalitia *S. Hieronymi* ſicut eruditiſſime, ita ſoliſſime diſſerit prætitulatus *Alphonſus Ciaconius.* I.Ve-

Digitized by Google

I. VEtus controverſia denuo ſuſcitatur; fuerit ne *B. Hieronymus ſimplex*, an *Cardinalis* S. *R. E. Presbyter?* partim enim conſentientibus, partim repugnantibus eruditiſſimorum virorum teſtimoniis, qui in ea re exploranda non nihil & laboris, & ſtudii adhibuere. Sunt enim, qui credunt ſimplicem tantum illum *Presbyterum* fuiſſe, à ſecretisque *Damaſi* R.mi Pontificis, nullaque unquam *Cardinalitia* functum dignitate. Sunt rurſus, qui S. R. E. *Cardinalibus Presbyteris* adnumerent, & pro certo, ac indubitato hoc affirment.

II. Priores in eam ſententiam induxit, nihil hujusmodi in ſuis Scriptis *B. Hieronymum* meminiſſe, quum minoris longe momenti pleraque de ſe ipſo retulerit: quod nunquam ſubſcripſerit ſe *Cardinalem*, *Presbyterum* ſæpiſſimè, quam utique rem neutiquam ſilentio præteriiſſet, ſed utcumque, ſi ita ſe res haberet ſignificaſſet. Auget vehementius eam opinionem, obſcuros, & ignotos eſſe Auctores, qui teſtes ad id comprobandum inducuntur; parum ſibi conſtare dum variant, & contraria ſentiunt, & hi *Hieronymum S. Laurentii M.* illi *S. Anaſtaſiæ Presbyterum Cardinalem* faciunt: Proinde nulla eis videtur adhibenda fides. Non deſunt præterea, qui ignorantiâ Hiſtoriæ decepti, ſæculo *D. Hieronymi* ortam, ſeu à quoquam Pontifice inſtitutam *Cardinalitiam* dignitatem negent; quare ceu figmentum quoddam illius *Cardinalatum* explodunt; His præcipue rationibus adducuntur, qui *Cardinalatui D. Hieronymi* adverſantur.

III. Poſteriores autem firmiora tum monumenta, tum antiquorum, longe aliter ſentientium, teſtimonia movent. Quorum profectò ſententia tanto præclarior, & veriſimilior videtur, quanto magis à pluribus probatur, & ab univerſa fere multitudine non ſine ingenti plauſu, & conſenſu ſuſcipitur. Qui profectò eo libentius homines docti, & pii ſubſcribere debuiſſent, quo intelligunt honeſtiorem, & acceptiorem ſingulis fore, veterumque teſtimoniis inniti. Quod ſi non perſuadero, ſaltem ſuadere aliquibus potero, paucos Authores in medium producendo, qui hujus rei valeant facere fidem: nihil ſubinde repugnans, aut minus bene cohærens deprehendent, qui huic denuo ſententiæ acquieverint. Quod ſi demum Objectiones à principio propoſitas diluere pergam, omnis prorſus concertationis materia dirimetur. Cumque ordine quodam cuncta præſtitero, finem ſuum mea hæc conſequetur Tractatio.

IV. Nemo erit tam inopis ingenii, qui neſciat diverſos fore de quæſtionibus diverſis Profeſſores conſulendos, neque unum cuncta præſtare poſſe. Concertationes de *DEO*, aut *Religione* ad *Theologos* examinandas deferimus: eas, quæ de *Senſu*, & *Interpretatione Legum*, ad *Juriſconſultos*: ſi morbi infeſtant, adverſaque laboramus corporis valetudine, ad *Medicos* accurimus: ſi de *natura*, aut *motu* quæſtio agitatur, *Philoſophi* conveniendi: ſi de *Syderibus*, & *influxu corporum cœleſtium*, *Aſtronimi*: ſi de Terræ deſcriptione, *Geometræ* adeundi: ſicut de *Numeris*, *Arithmetici*. Stultus namque, & valde eſſet, qui gravi corporis morbo laboranti, *Theologos* adhiberet, aut ad *Medicos* res *Fidei* deferret: Quod *Medicorum* eſt, permittantur *Medicis*; tractent ſua *fabrilia Fabri*. Quisquis is eſſet, non minus incuſandus veniret, quam qui *diſtinctionem colorum à cæco*, *muſicorum à ſurdo* quæreret. Neque ſecus profectò faceret, qui negotium hoc, quod in præſentiarum tractamus, ab aliis, quam à propriis, & genuinis fontibus deducere curaret, *Hiſtoriographis* inquam, aut qui *Hiſtorias* ſuis

Seri-

Scriptis miſcuerunt. Proinde ſi *D. Hieronymus Presbyter ſimplex*, an *Cardinalis* extiterit non eſt à *Theologis* ſciſcitandum, quaſi illud vel negare, vel aſſerere ſit Pietati, vel Religioni contrarium: Neque *Philoſophorum* ſententia expectanda, cum id neque à natura pendeat, neque neceſſitatem ita eſſe, aut unquam fuiſſe ullam inducat: Neque ad *Aſtronomos*, & *Geometras* hoc negotium deferendum, qui demonſtrationes *Mathematicas* non exigimus, quibus illud comprobemus. Finibus itaque propriis contenti, alienis limitibus abſtinebimus, *Hiſtoriis* namque dumtaxat juvari volumus, aut *Authoribus*, qui aliquid ſuis Scriptis hiſtoriarum inſeruerunt, *Conjecturis*, antiquisque *Traditionibus*, ac communioribus etiam *opinionibus*. Quibus hæc non ſuffecerint, alia, quæ ultra ſufficiant, non habemus. *Primæ*, *Mediæ*, *Infimæ Claſſis Authores* anteriori loco proponam, dein ad reliqua ſuo ordine properabo.

V. Inter primæ claſſis Authores, qui conjuncti fuerunt Sæculo ipſius *D. Hieronymi* nobis occurrit *Cyrillus Hieroſolymitanus* Epiſcopus, qui vixit ſub *Theodoſio* Imperatore A. C. 400. Is ſcribens ad *S. Auguſtinum* de vita *B. Hieronymi* ſic inquit: *Hieronymus, dum in Romana adhuc eſſet Urbe, os Damaſi Papæ, & Sacræ Bibliothecæ ſcrutator Divinorum Decretorum Voluminum, dum per triennium continuo charus, acceptusque popularibus veneraretur, omniumque judicio Pontificatu dignus decerneretur, ordinatusque à præfato Papa Cardinalis fuiſſet: quidam ex clericorum, Monachorumque ordinibus pro petulantia, ingluvieque ſordentes, ad effugandum de Urbe eundem Hieronymum, qui utrorumque ſcribens vitia, eos reprehenderat, inſidias paraverunt.* Hucusque *Cyrillus*. Eadem prorſus leguntur in *Sermone* de vita *B. Hieronymi*, qui *Sermo* additus fuit à *Cyrillo*, ut in antiquiſſimis manuſcriptis exemplaribus habetur: neque incerti eſt Authoris, ut quidam, ſed falſò probare nituntur. Conſentit huic *Euſebius Cremonenſis* diſcipulus *D. Hieronymi* ſcribens ad *Theodonium*, Senatorem Romanum, & ad *Damaſum* Epiſcopum Portuenſem. *S.* item *Petronius* Epiſcopus Bononienſis, qui floruit A. C. 440. in Tractatu *Apophtegmatum* Selectorum SS. Patrum. Qui manuſcriptus extat, hæc ait: *Hieronymus, vir in omni doctrinarum genere abſolutiſſimus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, quum ab æmulis ſuis accuſaretur, ex Voluminibus Origenis innumera in ſua tranſtuliſſe opera, dixit: Laus, quæ debet Origeni offerri, maxima eſt, & quod illum in meis operibus imitatus ſum, illum imitari propoſui, quem nobis, & omnibus prudentibus placere minime vereor.* Conſtat autem *S. Petronium* coævum *D. Hieronymo* fuiſſe, utpote qui ex hac vita migravit A. C. 422. & optime ſubinde callere hoc potuiſſe. *D.* etiam *Auguſtinus Serm.* 25. ad Heremitas: *Legimus* (inquit) *S. Patrem Hieronymum Cardinalem fuiſſe in Eccleſia S. Laurentii M.* Scio continuo quosdam reclamaturos: *Sermones illos non eſſe D. Auguſtini, neque à Poſſidio in Indiculo illius operum recenſeri: proinde tanquam ſpurios, & nothos rejiciendos fore.* Non deſunt tamen, qui illos *Sermones* ut *Auguſtini* legant, inter eos eſt *D. Thomas* in quibusdam locis ſuæ ſummæ Theologicæ, ſed non eſt nunc probandi locus. Faciamus illos *Sermones* non eſſe *Auguſtini*, ut iſti volunt, ſaltem alicujus Authoris eſſe fatebuntur, quantumvis proprium Nomen ignoretur: nam à nemine hominum conſcriptos fuiſſe, aut fieri, aut intelligi nequit. Erit igitur Author iſte vel *Recens*, vel *Vetus*: *Recens* eſſe non poteſt, cum in vetuſtiſſimis manuſcriptis exemplaribus *D. Auguſtini* operibus hi *Sermones* interſerantur: erit ergo *Vetus*, ex veteribus autem nemo, niſi vel ob ſingularem doctrinam, vel pietatem inter opera *Auguſtini* admiſſus eſt; quales fuerunt, ſi Hiſtoriam reſpiciamus, inter

Digitized by Google

ſuos Diſcipulos, & Coætaneos, *Fulgentius*, *Euſebius*, *Proſper*, *Primaſius*, aut *Oroſius*; & inter recentiores, ſi ad Diſputationes, & Tractatus referamus, *Beda*, *Gratianus*, *Lombardus*, aut *Lanfrancus*, qui ſummopere Doctrinæ hujus *S. Doctoris* fuerunt addicti. Quisquis horum *Author* illorum *Sermonum* dicatur; momentum aliquod, & pondus hujusmodi Teſtimonium habere poteſt, & debet: niſi velimus multa *Theologorum* Dogmata, multa præſentiſſima *Medicinæ* remedia, multa *Philoſophiæ*, & *Aſtronomiæ* documenta, multas demum egregias *Hiſtorias* refellere, quod earum Authores ignorentur. Porro illius ſæculi homines melius res geſtas, & noſſe, & tradere poſteris valuerunt, quam è recentioribus quispiam: imo unicus illius temporis teſtis plus firmitatis, & roboris habet, quam recentiorum ſimultanea caterva: nam hic, quod novit, iſti, quod neſciunt, edocebunt. Si igitur è veterum, & priorum numero eum Authorem merito exiſtimamus, nec fallere, aut decipere quemquam in eare voluiſſe, credendus eſt; præſertim cum ex hujusmodi commento nihil ſibi utilitatis accreſceret, non favorem humanum aucuparetur, aut auram popularem captaret, nec aliud inde eſſet emolumenti reportaturus, quam mendacii argui, quod notior tunc, & manifeſtior ea res eſſet, quam nunc ſit. Aut certe, ſi hæc non ſatisfaciunt, proferant nobis ipſi ex antiquioribus aliquem, unum etiam ignotum, qui hoc neget, ſicut nos producimus, qui affirment: nam qui aſſerat quempiam, qui inficietur neminem, quod ſciam, reperimus.

VI. Et ut ſingula expendamus, *hiſtoria* de illo *Sermone* tradita, aut omnino *recipienda*, aut omnino *refellenda*? aut *partim recipienda*, *partim refellenda*? Si omnino *recipienda*? nulla erit poſt hac controverſia, cum idem omnes ſentiamus. Si omnino *refellenda*? ſtare utique nequit, cum multa ex his *B. Hieronymus* fateatur *Epiſt.* 99. ſcribens ad Aſellam, ubi ob ſevere vitia reprehenſa inſidias ſibi quasdam paraviſſe aſſerit, falſaque crimina imponere voluiſſe, &c. Si *partim* rurſus *recipienda*, *partim refellenda* hujusmodi *hiſtoria* venit? præter rationem utique fiet, admittere, quæ velis, recipere, quæ nolis: nam ſi fides adhibenda *paucis*, cur non *ſingulis*? cur non *omnibus*? quod ſi non *ſingulis*, neque *aliquibus* denique fides adhibenda erit: nam qui in paucis mendax deprehenditur, ubique ſuſpectus eſt, & fide omnino caret. At iſti facili confitentur omnia, & ſingula fere admittunt, ſolum factum *Presbyterum Cardinalem Hieronymum negant*, quod iſte Author inter cætera aſſeverat, verum, quam recte faciant, ipſi viderint. Oporteret enim cauſas aliquot producere, quare *hiſtoriam* rei geſtæ *partim rejiciant*, *partim admittant*: quod ſi firmas, & juſtas cauſas non proferunt, pro libitu, & temere agere videbuntur, incuſandique potius *depravati affectûs*, quam *recti judicii* venient. Refutatur enim hiſtoria aliqua, aut quia *res*, & *perſonæ non conveniunt*, *locus diſſentit*, aut *tempora non cohærent*: in hujusmodi autem hiſtoria neque *res*, aut *perſonæ diſſident*, neque *locus*, *aut tempora diſcordant*, conſequitur ergo, difficile à quoquam redargui poſſe. Nam ſi de *rebus* loquamur, conſtat, nihil repugnare, quo minus id fieri valuiſſet. *Romani* enim *Pontifices* erant, *Cardinales Presbyteros*, & *Diaconos* creabant, *novos titulos* erigebant aſſumebant *viros graves*, *maturos*, *literatos*, & *undique locorum quæſitos*, qui oblatum *Magiſtratum* probe adminiſtrarent, ſi *perſonas Damaſi*, & *Hieronymi* attendamus: fuerunt benevolentia, & amicitia conjunctiſſimæ. *Damaſus* diligebat *Hieronymum*; *Hieronymus* obſervabat, & reverebatur *Damaſum*; *Damaſus* res Fidei, & Religionis quæſtiones demandat *Hieronymo* ut do-

ctiſ-

Digitized by Google

ctiſſimo, & maxime orthodoxo; *Hieronymus* in gratiam *Damaſi* novum Teſtamentum partim correxit, partim è Græco tranſtulit in Latinum; *Damaſus* in gratiam *Hieronymi Hallelujach* ſecundum Hieroſolymitanæ: & Gloria Patri in fine Pſalmorum ſecundum Antiochenæ Eccleſiæ uſum cantari in Eccleſia Romana præcepit; officiis alter in alterum certat, ut uter utri gratiſſimum cedendum ſit, neſcias. Quis credat hoc unum *Damaſi* officium defuiſſe, Hieronymum dignitate Cardinalitia inſignire? Quod ſi ad locum deſcendas: unus fuit utrique communis, una urbs *Roma* ambos excepit, una, ut creditur, domus, habitatio fuit utriusque: In partem oneris Pontificii levandi Hieronymus à Damaſo aſſumitur. Si tempus ſpectes: triennium Hieronymus cum Damaſo tunc Romano Pontifice transegit ſumma cum familiaritate, & amicitia, multorum namque Pontificum Hieronymus jam adultus ſæcula vidit: *Liberii, Damaſi, Siricii, Anaſtaſii, Innocentii, Zozimi, & Bonifacii.* Conſentiunt igitur res, perſonæ, locus, & tempus, quid eſt, quod ultra deſiderari queat, ut fides hiſtoriæ adſtruatur? Si enim honor, & dignitas quædam, etiam illo tempore, Presbyteratus Cardinalis erat, quid eſt, quod Damaſum avertere potuit, ut conjunctiſſimum ſibi amicum, illo munere non impertiretur? Si enim potuit, & non voluit: non tantopere, ut dicitur, illum diligebat. Si voluit, & non potuit: valde authoritas Pontificia conſtricta, & exhauſta erat, cum liberum præſertim Pontificibus eſſet in novos Titulos Eccleſias erigere, & demortuis Cardinalibus alios viros egregios ſubrogare. *Occaſionem aliquam* (dices) *Damaſus expectabat, nulla tamen interim conveniens ſe obtulit, ut Hieronymum Cardinalitio titulo ornaret. Sæpiſſime namque prætermittunt facere Principes, quæ volunt, quia commode, & opportune facere non poſſunt.* At nulla potuit præclarior ſuccedere, ut Hieronymum Damaſus honeſtaret, quam quæ ſubſecuta eſt: nam per idem tempus non longe, à *Theatro Pompejano* ædem *D. Laurentio M.* Sacram Damaſus à fundamentis ædificaverat, in *Cardinalitiumque Titulum* erexerat, ut cuipiam viro celebri commendaret. Quid quæſo convenientius Damaſus facere poterat, quam Eccleſiæ denuo à ſe extructæ, & ſibi imprimis charæ Hieronymum præficere, cujus ſanctimonia, & Litteræ toto orbe celebres maximam novo Titulo gratiam apud omnes, & authoritatem conciliarent? Cui conjunctiori perſonæ poterat Templum ſibi conjunctiſſimum committere? Pulchre igitur quadrant, Damaſum ædificare Eccleſiam, in Titulum conſtructam erigere, Hieronymum ad illius miniſterium delegare. Si igitur recte, ut dicimus, conſentiunt omnia, *res, perſona, locus, tempus, occaſio, oblata opportunitas,* & *Titulus,* cur maligne hiſtoriam illo tempore ad Eremitas traditam, & fidem ſimul Authoris labefactabimus? nam ſi *conſentanea* & *rationi,* & *veritati* dicit, recipiendus procul dubio nobis eſſet, ſin minus, oporteret *diſſidium,* & *repugnantiam hiſtoriæ* demonſtrare, ut Author nobis ſuſpectus, relegandus longius foret, manifeſtique poſſit mendacii convinci. Damnare enim quempiam non convictum præter rationem fieret, cum Jura ipſa reclament. Iterum, ſi *Ethnicos Authores* tanto ſtudio à calumniis tuemur, cur Piorum ſimili cura monumenta non defendimus? cur famam illorum traducemus? cur illos, ceu mendaces, & impoſtores diffamabimus? Abſit hoc à Chriſtiana pietate crimen, ut falſitatis quempiam Authorem arguamus, ſi manifeſtiſſima nos mendacia non coëgerint. Sed de his tandem dixiſſe ſatis ſit.

VII. Ad alios *mediæ claſſis* Authores accedamus, qui inter vetuſtiſſimos,

Digitized by Google

& recentiores medii collocantur. Inter hos primus ſe offert *Joannes Keldė Pariſienſis Theologus*, qui vixit A. C. 1200. in eo Libro, quem *de Vitis Sanctorum* inſcripſit, *B. Hieronymi* meminit in hæc verba: *Hieronymus ſub ſex Pontificibus fuit Romæ, & Cardinalis S. Laurentii: unde cum Romanos reprehenderet de avaritia, deriſus ab eis, Roma egreſſus eſt cum Paula & Euſtochio, quas in fide Chriſti erudierat.* Item *Vincentius Beluacenſis* Ordinis Prædicatorum, Vir inſignis, qui floruit A. C. 1244. *lib. 16.* Speculi Hiſtorialis *cap. 18. D. Hieronymum* cum ætatis 39. annorum eſſet, *Presbyterum Cardinalem Romæ* aſſerit. Idem quoque affirmat *Joannes de Columna*, *Hiſtoricus Romanus*, Ordinis Prædicatorum, & Archi-Epiſcopus *Meſſanenſis*, qui vixit A. C. 1300. *Sub Theodoſii* (inquit) *Imperio multi viri claruerunt inſignes, & imprimis B. Hieronymus, qui ex Dalmatiæ partibus filius Euſebii fuit: qui Romam veniens, ibi baptizatus eſt, & paulo poſt anno 39. ætatis ſuæ Presbyter Cardinalis eſt creatus. Joannes* item *Andreas Bononienſis*, Juriſconſultus, qui vixit A. C. 1300. urgenti devotione, ut ipſe fatetur, edidit Librum, quem inſcripſit: *Hieronymi Opus*, qui Liber in *Bibliotheca* aſſervatur *Vaticana*: inibi namque legitur: *Hieronymus cum eſſet annorum 39. Cardinalis Presbyter ordinatus eſt ad Titulum S. Anaſtaſiæ, in quo faſtigio cum multa dignitate*, &c. *Joannes* etiam *Turre Cremata*, Ordinis Prædicatorum, *Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis*, qui floruit A. C. 1440. in Quæſtionibus, quas ſuper Evangelia totius anni diſputavit: & in ſumma Eccleſiæ *Lib. 2. cap. 83.* latiſſime probat S. Hieronymum Presbyterum Cardinalem S. Anaſtaſiæ à *Liberio* Papa fuiſſe creatum, diluitque ſingulas objectiones, quæ ab aliquibus in contrarium adferuntur. *Author* etiam ſequentiæ, quæ in Miſſa ipſius S. Doctoris in Eccleſia canitur (quam puto antiquiorem eſſe, quam debeat in numero Authorum *mediæ claſſis* adſcribi) eandem affert ſententiam, inquiens:

Cardinalis poſt effectus,
Ad Orientem profectus
Eſt, abjecto onere.

In Lectionibus item vitæ ipſius Hieronymi, quæ in Breviario *Ordinis S. Hieronymi* leguntur, & dicuntur decerptæ ex *SS. Auguſtino, Ambroſio, Liberio, Gregorio*, idem habetur: Hieronymum fuiſſe Romæ Presbyterum Cardinalem. Et ne pergamus moleſti eſſe, de Authoribus *mediæ claſſis* ſimus ſatis.

VIII. Veniamus ad *Recentiores*, quos in *extremæ claſſe* collocavimus. Quorum primus occurrit *Joannes Nauclerus* Præpoſitus Tubingenſis, qui vixit A. C. 1500. In *ſecundo* ſuæ Coſmographiæ *Libro Generat. 15.* Hieronymum Doctorem ſanctiſſimum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem profitetur. *Philippus* item *Bergomenſis* Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui vixit A. C. 1493. in *lib. 9.* ſupplementi *Chronicorum*, ejusdem eſt cum ſuperioribus ſententiæ. Conſentit *M. Antonius Sabellicus lib. 9. Æneadis 7.* Romæ Presbyterum Cardinalem D. Hieronymum nominatum. *Andreas* item *Barbatia Syculus*, patria *Meſſanenſis*, inſignis Juris-Conſultus in *Tract.* de Præſtantia *Cardinalium Quæſt.* 1. ajens: *Communem fere opinionem eſſe, D. Hieronymum fuiſſe Presbyterum Cardinalem.* Scripſit autem illum *Tractatum* ad *Beſſarionem Nicenum* S. R. E. Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum, tunc Bononiæ Legatum, A. C. 1470. *Philippus* præterea *Probus*, non ignobilis, nec contemnendus Author, *in 6. Decretalium:* Tractatu de Hæreticis *Cap. per hoc*, in ſententiam aliorum deſcendit. *Claudius à Rota Doctor Theologus*, Ordinis Prædicatorum in vita ipſius Hieronymi, ſubſcribit etiam ſententiæ ſuperiorum. *Laurentius* item *Maſſoril-*

Digitized by Google

rillus Fulginas in Hymno *D. Hieronymo* dicato, ſi canit:

Hunc tantum aſpiciens generoſi Paſtor ovilis,
Fulgure Cardineo fecit honore virum.

Paulus ulterius *Morigia*, Ordinis Jeſuatorum, in eo Libro vulgari, quem *de Origine, & Progreſſu Cunctarum Religionum* inſcripſit, idipſum multis *cap. 16.* adductis argumentis confirmat. Superſedendum cenſeo à *Recentioribus* reliquis, qui, licet plurimi ſint, non eſt otium, nec conſilium ſingulos evolvere, tum quia ingens fatigatio eſſet, tum ne faſtidium, & moleſtiam legentibus afferamus. Si enim propoſiti non ſufficiunt, quantumque plures apponamus, non facient ſatis.

IX. Ad conjecturas ergo tranſeamus, quæ fortaſſis alicujus momenti erunt, ad hoc factum comprobandum. Conſtat *D. Hieronymum* ordinatum fuiſſe Presbyterum cum 30. ageret annum, à *Paulino* Epiſcopo Antiocheno, ut ipſemet teſtatur *Epiſt. 61.* ad *Pammachium*, & *Epiphanius Epiſt. 60.* ad *Joannem Hieroſolymitanum* Epiſcopum. Cum igitur omnes fere conveniant, *Hieronymum* factum Presbyterum Eccleſiæ Romanæ, peculiare aliquid ſignificare volunt. Nam citra conſuetudinem, & uſum Eccleſiæ Romanæ erat, alios, quam Cardinales Presbyteros, aut Diaconos Eccleſiæ Romanæ appellari. Nam ſi ideo quisqiam *Presbyter Eccleſiæ Romanæ* cenſebatur, quia ſecundum illius ritum, eſſet ordinatus: omnes pariter *Presbyteri*, & *Diaconi* totius orbis, Eccleſiæ Romanæ & Presbyteri, & Diaconi dicerentur. Si autem ideo *Hieronymus Presbyter Eccleſiæ Romanæ* dicatur, quia Romæ fuit ordinatus, fieri prorſus nequit, ut idemmet unus Antiochiæ, & Romæ ordinaretur, niſi velis fateri, bis illum in Presbyterum ordinatum, quod ſacrilegum eſſet cogitare. Supereſt igitur, ut Antiochiæ ordinem Sacrum ſuſceperit, Romæ Cardinalitius Titulus accedens ornamenta dederit Presbyteratus; Et cum 30. anno à Paulino Epiſcopo Antiochiæ, 39. Romæ creatus Presbyter dicatur, neceſſario colligimus, in altero de ſimplici Presbytero, in altero de Cardinalitio ſermonem factum. Sic enim conſuevit dici: *Aliquot Epiſcopos Presbyteros creari, qui antea Epiſcopi erant, & Presbyteri.* Sed creari, aut ordinari dicuntur excellentiori modo priſtinum gradum Presbyterii, aut Præſulatus obtinere. Quod autem *D. Hieronymus Presbyter Eccleſiæ Romanæ* ſpeciatim & diceretur, & eſſet, extat inter cætera teſtimonium Adonis, viri Sanctiſſimi, pariterque doctiſſimi, Archi-Epiſcopi Trevirenſis, qui ante annos extitit 500. tempore *Gregorii VII.* & ob vitæ ſummam integritatem, tantæ extitit authoritatis, ut ab eodem Pontifice ad componendas res inter *Henricum*, & *Rudolphum*, qui de Romano Imperio contendebant, una cum duobus collegis de Latere Sedis Apoſtolicæ Legatus deſtinatus fuerit: Hic in Libro, quem edidit *de Vitis Sanctorum*, ubi de *Hieronymo* Sermonem facit, *Hieronymus* (ait) *veſtem Chriſti puer Romæ ſuſcepit, ibique litteris Græcis, ac Latinis apprime eruditus eſt. Poſtquam autem omnium mundanarum ſtudium litterarum adeptus eſt, probatiſſimorum quoque Monachorum habitum, factumque imitatus eſt, R. E. poſtmodum Presbyter ordinatus.* Hæc *Ado.* Quæ etiam eodem tenore leguntur in *Tomo 4. Aloyſii Lippomani fol. 212.* & in Lectionibus *Breviarii Dominicanorum*, quæ leguntur in Natalitiis *D. Hieronymi*, cum Decreto *Julii III. Romani Pontificis*, judicio, ſtudio, & diligentia Virorum doctiſſimorum, quibus illud negotium fuit in Comitiis Generalibus Salmanticæ celebratis commendatum, ut amputarentur ab illo

Digitized by Google

Breviario omnia, quæ videbantur *Apocrypha*, & minus cohærentia, in quo de B. Hieronymo legimus: *Hieronymus ingenti doctrina, & ſanctitate celebris Romam revocatur, ac Presbyter efficitur.* Presbyterum autem R. E. inſtitui, aliter intelligi nequit, quam novo Titulo inſigniri, ut quia antea ſimplex, ſpeciatim deinde *Presbyter Romanæ Eccleſiæ primarius* diceretur. Primarii autem Presbyteri idem prorſus ſunt, qui Cardinales, ut colligitur *ex cap.* Conſtantinus. *Diſtinct.* 96. Ubi hæc verba referuntur: *Viris etiam diverſi Ordinis Reverendiſſimis Clericis S. R. E. Servientibus, illud culmen ſingularis potentiæ, & præcellentiæ habere ſancimus, cujus ampliſſimus noſter ſenatus videtur gloria adornari.* Neque ambigendum eſt, nomine Reverendiſſimorum intelligendos Cardinales venire, cum adeo honorificum nomen nonniſi perſonis in magna dignitate conſtitutis conveniat, juxta ea, quæ habentur *cap.* in nomine Domini. 24. *Diſt.* Trahitur rurſus & aliud Argumentum ex Verbis ipſius *D. Hieronymi* in explicatione *cap.* 3. *Iſaiæ*, quamvis perperam à *Gratiano* referatur 16. *cap.* 1. ex *Epiſtola* ad *Ruſticum*: *Eccleſia habet Senatum, cœtum Presbyterorum, ſine quorum conſilio nihil Monachis agere licet: Senatum quoque Romani habebant, cujus conſilio cuncta agebant, & nos habemus Senatum noſtrum cœtum Presbyterorum.* Quam ſententiam cum Archi-Diaconus explicuiſſet, dicebat: *Nomine Senatus Presbyterorum, quosdam Romanam Eccleſiam intelligere, quæ dicitur habere Senatum, id eſt, Collegium Cardinalium, quibus Conſtantinus authoritatem Senatorum conceſſit.* Ut habetur in ſuperius citato *cap.* Conſtantinus 96. *Diſt.* erumpens in illa verba, ut idem bis repetamus: *Viris etiam diverſi Ordinis Reverendiſſimis Clericis S. R. E. ſervientibus illud culmen ſingularis potentiæ, & præcellentiæ habere ſancimus, cujus ampliſſima videtur noſter ſenatus adornari gloria.* Id eſt: *Patritios*, & *Conſules* fieri, nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Cum ergo dicat ipſemet *Hieronymus*: *Nos Senatum habemus.* Videtur Cardinalium Collegium inſinuare, & ſeipſum, ut Collegam connumerare. Quam quidem ſententiam probat Innocentius de re judicata.

X. Eſt & alia conjectura deducta ex verbis ipſius B. Hieronymi, ſcribentis ad *Ageruntiam*, & *Monogamiam* laudantis; quæ ſic ſe habent: *Ante annos plurimos, cum in Chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem*, &c. Ex qua ſententia facile colligere licebit, Hieronymum ex Primariis Urbis Romæ Presbyteris extitiſſe. Munus namque adeo præclarum, reſpondere conſultationibus, quæ ad Pontificem ex Orientis, & Occidentis Synodis deferebantur, ut illius ſententia aut probarentur, aut improbarentur, vero haud ſimile apparet, alteri Presbyterorum, quam Cardinali demandari debuiſſe, neque Provincia hæc ingens, & ardua ad alios honeſtius, quam ad Cardinales Presbyteros ſpectabat. Quod certo clarius probat *Damaſum* miniſterio Cardinalium in ſimilibus muniis uſum, non autem ſimplicium Presbyterorum, aut Diaconorum. Extat enim antiquiſſima Membrana manuſcripta in Eccleſia Cathedrali Aretina, Donationem referens, quam quidam *Zenobius* Senator *Romanus* eidem Eccleſiæ tempore ipſius *Damaſi* Pontificis fecerat, in qua eſt hujusmodi ſubſcriptio: *Et ego Joannes S. R. E. Diaconus Card. ex parte Damaſi Pontificis laudo, & confirmo.* Suboleo ſugillaturos quosdam vim hujus rationis, reſpondentes: *Hieronymum à ſecretis Damaſi Pontificis fuiſſe, juviſſeque eum in Eccleſiaſticis chartis, conſultationibusque Synodicis reſpondiſſe: nihil præter miniſterium Hieronymi, in eo munere,*

re,

re, *in quo inſerviebat Damaſo ſignificare. Qui ut Magiſter Epiſtolarum oracula ipſius Damaſi ſcribebat, dictabat, transmittebat ubique locorum, ſicut de more habent, qui à ſecretis Principum Miniſtri aſſumuntur.* Verum hac occaſione tam facile elabi nequeunt. Hieronymus namque, ſi hujusmodi Miniſterium ſignificare vellet, voce non uteretur arrogantiori, & inſolentiori, juvare inquam, ſed potius diceret: *inſervire*, aut *miniſtrare Damaſo in chartis ſcribendis*; neque adderet: *reſpondere Synodicis conſultationibus*, ſed mitius loqueretur: *Scripſiſſe, reſponſa dediſſe, tranſmiſiſſe, ordinaſſe*, aut *expediviſſe*, non *reſpondere*, veluti authoritatem uſurpans, quam ex ſolo miniſterio non habebat. Miniſtris namque non convenit juvare Principes, ſed illis obſequi, & inſervire. Hæc ad eos præcipue ſpectant, quibus Principes arbitrium negotiorum committunt, ſe ab hujusmodi cura ſubtrahentes. In hunc morem Romanus Pontifex facit, qui in partem Eccleſiaſticæ gubernationis Cardinales aſſumit, quorum opera, & conſilio ardua, & graviſſima negotia diſponit. Hi utique juvare Pontificem proprie dicerentur, unde Fratres eos, & Coadjutores Papa vocat, non Miniſtros, aut Servos, ſicut illos, qui à Secretis, à Cubiculo, à Calicibus, à Triclinio miniſtrantes aſſiſtunt. Aliud igitur longe eſt Miniſtrum agere, aliud Coadjutorem, & Collegam, & diſſimilibus vocibus Miniſtro utendum, quibus non utitur Conſors. Nec credibile eſt *D. Hieronymum*, qui tanta ubique modeſtia, & ſubmiſſione utitur, tumidioribus ſolito verbis ſuum miniſterium expreſſiſſe. Quare cogatur nemo aſſentire, *Hieronymum Damaſo* à Secretis fuiſſe hoc unico teſtimonio propoſito, quod in eam rem ſatis eſt ambiguum, & obſcurum. Cum aliqui nolint tot teſtimoniis adhibitis, tot conjecturis deductis *Hieronymum Presbyterum Cardinalem* agnoſcere. Quod ſi libere plerique agere volunt, plurium teſtimonia contemnendo, quare etiam alius liber non erit, ut unicum teſtimonium ob ſummam imbecillitatem refellat? Quidam ex hoc loco arguunt *Hieronymum à Secretis Damaſi*, alii ex eodem fonte Presbyterum Cardinalem deducunt. In quem ſenſum, quibus potior adhibenda fides? aliorum eſto judicium. Quamquam, ſi Magiſtrum Epiſtolarum *Damaſi*, & Cardinalem Presbyterum poſt pauca creatum *Hieronymum* fateamur, nihil piaculi admittemus, cum utrumque poſſet ſucceſſive obtinere, & ambo Cardinalis, & à Secretis munia obire: Sicut & hodie videmus *Ptolomæum Gallium* Ampliſſimum *Cardinalem Novocomienſem Magiſtrum* Epiſtolarum, Gregorii XIII. Pont. Max. Et *Hieronymum Ruſticucium*, Illuſtriſſimum Cardinalem Fanenſem apud S. mem. Pium V. idem munus præſtitiſſe. Accedit denuo alia conjectura ex ſententia *S. Auguſtini*, quæ à Gratiano in Decretis recitatur *Cap.* Quamquam 2. *quæſt.* 7. in hæc verba: *Quamquam ſecundum vocabula, quæ uſus obtinuit, Epiſcopatus ſit Presbyterio major, Auguſtinus tamen Hieronymo minor eſt.* Ubi dicit *Gloſſa*: *Quod Hieronymus fuerit Presbyter Cardinalis.* Idem dicit *Authar Gloſſæ finalis* in *cap.* Placet 16. *quæſt.* 1. Quibus conſentit Cardinalis *Turre Cremata* in Summa Eccleſiæ *Lib.* 7. *cap.* 83. exponens idem *cap.* Quamquam *ſupra citatum*, & inquiens: *Quamquam Epiſcopatus ſit Presbyterio major, ſcilicet Ordine, Auguſtinus tamen Hieronymo minor eſt, adminiſtratione ſcilicet, & dignitate, quoniam Hieronymus Presbyter Cardinalis fuit, & omnis Presbyter Cardinalis major eſt quolibet Epiſcopo non Cardinali, ut quidam dicunt, & refert Hugo in Gloſſa.* Hæc ſunt verba *Joannis* de *Turre Cremata Epiſcopi Cardinalis Sabini.* Ex quibus, & ex textu *S. Auguſtini*, & *Hugonis* interpretatione alicujus ponderis Argumentum ſumitur. Et ut lucis his

Digitized by Google

nonnihil addamus, nomen Epiſcopatus potius eſt Ordinis, & Officii, quam Dignitatis, licet utrumque concernat. Cardinalatus autem Dignitatis eſt Inſigne, non Ordinis. Hinc Pontifex Romanus, cum Ordinem exprimere vult, Epiſcopum ſe nominat, cum autem Dignitatem, Papam, vel Pontificem Maximum: quod ea Dignitate cunctis emineat, & univerſa ei ſubſit *Eccleſiaſtica poteſtas*.

XI. Addamus poſtremam conjecturam, quaſi coronidem quandam, quæ reliquis ſuperioribus adjumento ſit, ex Verbis ipſius *Hieronymi Ep.99.* ad *Aſellam: Antequam domum* (inquit) *S. Paulæ noſſem, totius in me Urbis ſtudia conſonabant, omnium pœne judicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar.* Unde colligere licet, tam *Clerum*, quam *Plebem Romanam* propenſiſſimam in *Hieronymum* fuiſſe, digniſſimum Pontificatu acclamaſſe, ſtudiaque illorum eo maxime inclinaſſe, ut mortuo *Damaſo Hieronymum* ſubrogarent. Avertit eorum animos ſevera vitiorum reprehenſio, quam *Hieronymus* adverſus *plebem*, & *Clerum* rigidus intonabat. Si igitur *Clerus*, & *Plebs Romana* oculos in *Hieronymum* conjecerant, ut in *Damaſi* locum ſubſtituerent, conſequens eſt Presbyterum illum Cardinalem fuiſſe: cum ſæculo *D. Hieronymi*, & multis retro annis nullus ad dignitatem Pontificiam, niſi Cardinalis aſſumeretur; quod clarius exempla Pontificum manifeſtant. Sanctiſſimi namque re & nomine *Pontifices Marcellus*, *Melchiades*, *Magnus Sylveſter*, ex *Presbyteris Cardinalibus*: *Marcus*, *Julius*, *Liberius*, *Damaſus*, & Succeſſores ejusdem *Siricius*, *Innocentius*, *Cæleſtinus*, *Leo Magnus*, *Hilarius* ex *Diaconibus Cardinalibus* in *Romanos Pontifices* aſſumpti fuerunt, ſex ſucceſſive Pontifices ante *Damaſum*, octo poſt *Damaſum* Cathedram Petri *Cardinales* aſcenderunt. Nam Superioribus poſt *Damaſum* tres alii *Cardinales Presbyteri* adnumerandi *Zozimus* ſcilicet, *Bonifacius*, & *Sixtus III.* Si igitur nullus, qui eſſet extra Collegium Cardinalium eâ aſſumebatur ætate adminiſtrando illi Summo Magiſtratui, miraculi loco eſſet, oculos conjicere in *Hieronymum*, ut *Pontifici non Cardinalis* ſubſtitueretur. Multa hujusmodi poſſent in confirmationem hujus ſententiæ adduci, & replicari; ſed ne diutius moleſti ſimus, ad Traditiones veniamus, quæ maximum habent, & ſemper habuerunt momentum ad veritatem aliquam roborandam.

XII. Ante annos 300. conſuevit D. Hieronymus in muris Templorum, & in Tabulis tum publicis, tum privatis depingi cum *Cardinalitiis Inſignibus*, *Paludamento* ſcilicet, *pileo*, & *galero purpuratis*. Extant enim, & durant ad hunc uſque diem picturæ antiquiſſimæ, quæ hodie in Templis, etiam vetuſtiſſimis, viſuntur quæ deprehenduntur 300. annos vel attigiſſe, vel ſuperare, teſtimonium ſubinde reddentes tanquam taciti, & muti teſtes D. Hieronymum Presbyterum fuiſſe Cardinalem, quadam veluti *Traditione* per tot tempora deducta, & à majoribus ſuſcepta, & probata res procul dubio confirmatur. Non aliter certiores reddimur D. Chriſtophorum proceræ, & giganteæ cujusdam magnitudinis extitiſſe, quam picturarum atteſtatione, quæ ſolent in Templis, & ubique locorum eſſe frequentiſſimæ. Et licet Sæculo *D. Hieronymi Purpura* non induerentur Cardinales, nec Galero, aut Rubro pileo uterentur, cum Pileus ruber primum ab Innocentio IV. ad honeſtandum Magiſtratum excogitatus ſit A. C. 1244. Purpureæ autem Veſtes à Paulo II. Pont. Max. *Veneto* A. C. plurimum, minimumve 1466. tamen viri pii eo modo depingere conſueverunt ornamenta, & inſignia Cardinalium Antiquorum;

Digitized by Google

qualia nunc in uſu Recentioribus exiſtunt. Sic *D. Petrus*, & illius in Pontificatu ſucceſſores, usque ad *Sylveſtrum* Magnum *Mitratos*, & *Pluviatos* depingimus, quamquam nondum usque ad ætatem *Conſtantini Cæſaris* ea ornamenta à Pontificibus geſtari ſunt ſolita. Sic *SS. Virgines* habitu, quo nunc puellæ incedunt: *SS. Apoſtolos*, & *SS. Martyres* veſtibus depingimus nobis familiaribus. In eundem ferme modum *Antiquos Cardinales* purpuratos, *Pileo*, & *Rubro galero* inſignitos exprimimus, quod *habitum*, *ornamenta*, & *inſignia*, quæ ſua ætate geſtaverunt, ignoramus. Accedit ad hæc conſenſus multis retro ſæculis non ſolum *Popularium*, ſed etiam *Virorum eruditorum*, qui in ea communiter perſiſtunt ſententia, ita autumant, ita ſcribunt, ita docent in publicis, & privatis colloquiis, ut nullus cuipiam dubitandi locus relinquatur. Quotus enim quisquam eſt, qui ſe audeat opponere multitudini? Eruditi favent, ineruditi affirmant, viri, & fœminæ, ſenes, & juvenes, puellæ, & pueri in eandem conjurant ſententiam. Quid eſt, quod nos etiam non concordare debeamus? Non eſt profecto contemnenda concors, & unanimis multorum ſententia, quæ ſi non efficax argumentum, maximam ſaltem rei, in cujus confirmationem adducitur, vim, & opinionem facit. Deſcendamus tandem ad *Objectiones propoſitas* diluendas, quod ultimo nos loco facturos polliciti ſumus.

XIII. Nemini admirationem moveat *D. Hieronymum* à plerisque Presbyterum ſolum dici, nec ipſum aliter, quam Presbyterum ſe ſubſcribere; id nomen ſemper in *Eccleſia Romana Honoris* fuit: Legimus enim duos Presbyteros ab uno, vel altero Pontifice ad Concilia miſſos, ut in eis loco ipſorum Pontificum præſiderent. Quod neutiquam fieret, niſi illi, qui ſimpliciter Presbyteri dicuntur eſſent Cardinales. Alii enim Simplices Presbyteri in Conciliis nec loquendi quidem, tantum abeſt, ut cæteris præſidendi locum unquam conſecuti fuerint. Abſurdum namque eſſet ſentire Summos Pontifices, adeo illis excellens Miniſterium demandaſſe, quo univerſis Epiſcopis in Generalibus Synodis congregatis ſuperiores conſtituerentur. Multoque minus admirandum erit, ſi ipſe *Hieronymus* eo titulo non utatur, cum hoc ætate Hieronymi commune fuerit, ſemper eam excellentiam in ſubſcriptionibus ſupprimere, nec ſe, niſi rariſſime, Cardinales appellare. Quum enim in Conciliis à *Beatiſſimis Pontificibus Simacho I.* & mox *Gregorio Magno* celebratis, quamplures tum Presbyterorum S. R. E. tum Diaconorum ſubſcriptiones inveniantur, nemo tamen illorum ſe Cardinalem appellat, ſed ſic ſubſcribunt: *Ego Ludovicus S. R. E. Presbyter Tit. S. Laurentii me ſubſcripſi.* Inibique nusquam (quod certo animadverſione dignum) Cardinalis eſt mentio. Cum tamen nemini ambiguum ſit ea tempeſtate & Presbyteros, & Diaconos Cardinales plures extitiſſe. Ideo vero ab ea appellatione veteres illos abſtinuiſſe crediderim, tum quia per illam in ullo peculiari ordine reponerentur, quos Eccleſia Sacros vocat, tum verò ſubmiſſionis cauſa, cum ſublime aliquid ſaperet Cardinalis nomen, quo *Primarius*, & *Præcipuus* inter cæteros *Presbyteros*, aut *Diaconos* notabatur. Accedit ad hæc, quod id nomen, illis temporibus, erat quidem Titulus additus Officio *Presbyterorum Parochorum*, qui ob excellentius Miniſterium potiori nomine vocabantur, & ferè, ut nunc, diceremus: *Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus*, ſic tum Cardinalis Presbyter dicebatur. At nunc, qui quæſo *Cardinalium* ſe *Illuſtriſſimum*, & *Reverendiſſimum* ſubſcriberet? Ita SS. Martyres Laurentium, & Vincentium Diaconos Cardinales à Xiſto Papa creatos conſtat,

quos tamen nonniſi *Levitas* veteres appellavere. Quod autem eſſent Diaconi Cardinales liquet, tum quod Xiſto Sacris miniſtrabant, quod munus nemini, præterquam *Cardinalibus* conceſſum: tum quia illorum alter *Laurentius* ſcilicet, Theſauros Eccleſiæ ſub cuſtodia ſua aſſervabat, qui ſemper alicui Cardinalium, quem hodie Camerarium vocant, diſpenſandi, & aſſervandi committuntur.

XIV. Tranſeamus ad alteram objectionem, qua opponitur: *Authores*, qui hanc hiſtoriam memoriæ tradidêre, varios inter ſeſe eſſe; parum ſibi conſtare, dum hi *S. Anaſtaſiæ*, illi *S. Laurentii M. Hieronymum Presbyterum Cardinalem* faciunt. Quibus facile eſſet reſpondere, utrumque ſucceſſive potuiſſe fieri, & quod primo ad *Titulum S. Anaſtaſiæ* ſit nominatus, deinde à *Titulo S. Anaſtaſiæ*, ad *Titulum S. Laurentii* ſit translatus. Nam quotidie videmus hujusmodi mutationes fieri, & de uno *Titulo*, in alium quempiam *Cardinalem* à Pontificibus transferri: aut quia Tituli ſunt honoratiores, vel opulentiores. Sic olim factum ſatis compertum eſt, ut in antiquiſſimis Diplomatibus videre licet, & quod hodie in uſu ſit, ab antiqua mutandi *Titulos* conſuetudine emanavit. Colligitur ergo duos ſucceſſive *Titulos* ab eodem *Pontifice Damaſo* collatos *Hieronymo*, ita, ut uno relicto, alterum obtineret. Intellexi enim intra paucos dies Pontificatu Sanctiſſimi Pii V. *Cardinalem* quendam quatuor *Titulos* mutaſſe. Quare mirandum non erit, ſi *D. Hieronymus* unum intra annos aliquot ſolum mutaverit. Quod autem *Joannes à Turre-Cremata* Cardinalis Sabinenſis, à Liberio *Hieronymum Cardinalem* factum cum 39. ageret annum *Tituli S. Anaſtaſiæ*, præter aliorum opinionem tradat, ingenue fateor, me intelligere non potuiſſe, nec veriſimile apparere, cum ratio temporum ſatis diſſentiat: conſtat enim *D. Hieronymum* ex hac luce migraſſe Nonagenario majorem A. C. 422. unde ſi retrocedamus per tempora *Romanorum Pontificum*, reperiemus natum illum 16. Pontificatus *Magni Sylveſtri* anno, à 16. autem *Sylveſtri* Pontificatus anno usque ad obitum *Liberii Papæ* 36. tantundem anni fluxerunt. Quare ſi à Liberio Papa *Cardinalis* factus eſt *S. Anaſtaſiæ Hieronymus*, non potuit 39. annorum ætatem attingere, ut iſte *Author* affirmat, vir alioquin doctiſſimus, & de *Chriſtiana Religione* meritiſſimus. Condonandus eſt Lapſus, ſi pro *Damaſo Liberium* repoſuit. A *Damaſo* igitur, & non à *Liberio Hieronymus Presbyter Cardinalis* creatus *S. Anaſtaſiæ* primum, deinde *S. Laurentii M.* Nec obeſt hæc parva offenſiuncula, ſi uno Authore nonnihil ceſpitante, cæteri concordes ſcopum attigerint, & *D. Hieronymi Cardinalatum* citra calumniam, & impoſturas defenderint.

XV. Sed jam tandem ultimum, quod nobis objiciebatur, diluamus. Ætate, inquam, illa Cardinalis nomen inauditum, & inconſuetum fuiſſe: Quare errare eos, qui in illorum Magiſtratus ordinem *D. Hieronymum* reponunt. Sed procul dubio decipiuntur ipſi, totoque cœlo à veritate deviant. Nam initium & Titulorum, & Cardinalium antiquiſſimum in Eccleſia Romana fuiſſe ambigit nemo, qui ſaltem in hiſtoriis mediocriter eſt verſatus. Nam *Damaſus* in Libro, quem inſcripſit de *Vitis Summorum Pontificum*, conſtitutionem *Titulorum* tribuit *Clero*: quod etiam ex *Damaſo* refert *Anaſtaſius Bibliothecarius*, & ex utroque *Ptolomæus* à *Luca* probatæ fidei *Author*, qui vixit A. C. 1200. in eorundem Pontificum hiſtoria, quæ in *Bibliotheca Vaticana* aſſervatur. Hic *Clerus*, ut *Damaſus* ſcribit, & ex *Damaſo* refert *Bibliothecarius*, viginti quinque *Titulos* in Urbe ordinavit. Deinde *Hyginus*, octavus poſt *S. Petrum Apoſtolum* Pontifex, circa A. C. 190.

in

Digitized by Google

in unoquoque *Titulo*, ſeu *Paræcia* plures eſſe Presbyteros ordinavit, cum unus, ut antea erat, creſcente *Chriſtianorum* numero, non ſufficeret. Quod, ut diximus, ex Verbis *Damaſi* repetit *Anaſtaſius* in hæc verba: '*Hic Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus; hinc prodiit prima Cardinalium inſtitutio, ut is Presbyter Cardinalis, ſeu Principalis diceretur, qui cæteris in eodem Titulo ſuperior exiſtebat.* Satis enim conſtat aliquot annis poſt *Hyginum*, etiam ante *B. Sylveſtri* tempora *Cardinalis* nomen in Romana Eccleſia uſurpari cœptum fuiſſe, quod non niſi ex *Hygini Papæ* inſtituto oriri potuit, cum ante eo nomine opus non eſſet, quod ſinguli Presbyteri, ſingulis Titulis ſine aliorum conſortio præſiderent. Quod autem *D. Hieronymus* ex his Presbyteris unus eſſe potuerit, qui Cardinales ſunt appellati, neque temporum ratio, nec inſtitutio Titulorum, aut ipſorum origo Cardinalium repugnat, quo minus id credere debeamus: cum ante ætatem *Hieronymi* 100. annos, vel circiter, non ſolum nomen, ſed & dignitas *Cardinalitia* in Eccleſia Romana viguerit. Siquidem in *Synodo Romana* ſub *S. Sylveſtro I.* cui interfuit *Conſtantinus Imperator*, A. C. 324. *cap.* 3. ſic legitur: *Presbyter autem Cardinalis, niſi 44. teſtibus: Diaconus autem Cardinalis, alias Cardinarius conſtitutus Urbi Romæ niſi 36. non condemnabitur.* Quod *Gratianus* in Decreta tranſtulit 2. *quæſt.* 5. in hæc verba: *Præſul non damnetur, niſi 72. teſtibus, Presbyter autem Cardinalis, niſi 44. non deponatur, Diaconus autem Cardinalis Urbis Romæ, niſi 28. non condemnabitur.* Quod Decretum citatur à *D. Thoma* 2. 2. *quæſt.* 7. *art.* 2. *in* 3. Argumento; & *cap.* 6. ſtatuitur, *ut Diaconi non eſſent plures per Paræciarum examen, quam duo: Cardinales autem Urbis Romæ 7. ita tamen, ut Dalmaticis uterentur, & palla linoſtina eorum læva tegeretur.* Et in 7. *capitib.* ejuſdem Synodi ſunt hæc verba: *Ita quoque Sylveſter clara voce dicebat ad Epiſcopos, qui 284. in in ea Synodo præſentes erant, ut à ſubdiacono, uſque ad Lectorem omnes ſubditi eſſent Diacono Cardinali Urbis Romæ, in Eccleſia honorem repræſentantes eidem.* Priſca igitur *Cardinalitia dignitas*, & ampliſſimus iſte *Senatorum Pontificiorum* ordo ante Hieronymi ætatem inſtitutus, & propagatus eſt, ut nemini hinc liceat dubitare Hieronymum in illum Senatum à quovis ſui temporis Pontifice cooptari potuiſſe. Nec movere quemquam debet, quod in *cap.* Sacræ Romanæ Eccleſiæ, 15. *Diſt.* dum *Authorum piorum* Opera recenſentur, & eorum lectio fidelibus commendatur: Opuſculum etiam *B. Hieronymi Presbyteri* interſeratur, non tamen addatur Presbyteri S.R.E. vel Cardinalis, ſicut factum eſt, cum opuſcula *S. Joannis Chryſoſtomi* referuntur, dum dicitur: *Opuſcula B. Joannis Chryſoſtomi Epiſcopi.* Quod ſi *D. Hieronymus Cardinalis* fuiſſet, non eſſet ea commendatione deſtitutus, ſicut non prætermiſſus eſt *S. Joannes Chryſoſtomus*, quin Epiſcopus ſimul Conſtantinopolitanus inſinuaretur. Non inficior in illo *Gelaſii Papæ* Decreto Hieronymum non Cardinalem, ſed Presbyterum duntaxat vocari: à contrario *Cyprianum, Athanaſium, Baſilium, Hilarium, Auguſtinum Epiſcopos*: Verum non fuit adeo curioſus, & ſollicitus Pontifex in hujusmodi Titulis congregandis, contentus docuiſſe, quos Authores legere, vel fugere Chriſtiana plebs debuiſſet: præſertim cum nomen Presbyteri ſæpiſſime cum *Presbytero Urbis Romæ*, aut *Presbytero Cardinali* apud priſcos coincidat. Quod inter alia egregie probat contextus accuſationis, & purgationis *Polychronii Hieroſolymitani* Epiſcopi, Pontificatus Xiſti III. quæ refertur *Tom.* 1. Conciliorum ab *Archidamo* Presbytero *cap.* 7. in hæc verba, *Xiſtus Epiſcopus Urbis Romæ convocavit univerſam Synodum Epiſcoporum, & Presbyterorum Romanorum, Clericosque in Baſilicam Conſtantinianam, & ibi ſedens cum Epiſco-*

piſcopis, Cleroque de omni Urbe Romana adſtante. Sedentibus itaque 81. Epiſcopis, & 48. Presbyteris, & 6. Diaconibus &c. Presbyteros vocat, & Diaconos eosdem, qui & Cardinales erant. Nam paulo poſt ſubjungitur: *Ordinavit autem univerſa Synodus, & elegit de ſuo ordine 3. Epiſcopos, Caſtum, Felicem, & Abundium, & 3. Presbyteres Urbis Romæ, Archidamum, Petrum, & Demetrium, & Diaconos cives Romanos Lallionum, & Leonem, & miſit eos Hieroſolymam.* Et *cap. 8.* hæc habentur: *Et ſubſcripſerunt omnes in ejus damnationem Epiſcopi numero 76. & 2. Diaconi Cardinales Romani, & 3. Presbyteri, & 3. Epiſcopi, qui directi fuerant, concluſerunt ſubſcribentes in ejus damnationem.* Qui antea ſimplices Diaconi referebantur, poſt pauca Cardinales dicuntur; idemque prorſus de Presbyteris concipio. In *Epiſtola* item, quæ à Concilio Africano ad *Bonifacium I.* Urbis Romæ Epiſcopum mittitur, hæc referuntur: *Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiſcum egerint Sanctificatus noſter, Coëpiſcopus Fauſtinus, & Compresbyteri Philippus, & Aſellus, &c.* Quos Compresbyteros appellat, conſtat Cardinales extitiſſe: Et pro *Bonifacio Pontifice Romano* legentes præſediſſe in eodem Concilio. Quo etiam loquendi modo utitur *Damaſus Hieronymo* ſcribens: *Damaſus* (inquit) *Fratri, & Compresbytero Hieronymo in Domino Salutem.* Et ibidem in fine ſubjungit: *Peto ergo per Fratrem, & Compresbyterum noſtrum Bonifacium, ut lubeat fraternitas tua rei hujus nobis aperire veſtigia.* Liquet autem *Bonifacium* hic à *Damaſo* Compresbyterum appellatum, Cardinalem fuiſſe, & ex Cardinali Pontificem Romanum creatum poſt *Damaſi, Siricii, Anaſtaſii, Innocentii, & Zoſimi* Pontificatus. Quare eosdem Presbyteros tantum, & Presbyteros R. E. item R. E. Presbyteros Cardinales aliquando appellatos deprehendo. Quare non abs re mihi colligere videor, & à *Gelaſio Hieronymum* antonomaſtice Presbyterum appellatum, quod cum poſt pauca *ibidem Oroſium*, & *Sedulium* recenſeret, non illos Presbyteros dixit, qui tamen procul dubio erant, ut aliquid in *Hieronymi* Presbyterio peculiare inſinuaret. Unde ordinem quendam ſecutus, primo loco Epiſcopos numerat, mox Hieronymum adjungit, poſtremo *Sedulium*, & *Oroſium* commemorat. Sed *Hieronymum* Presbyterum inducit, reliquos autem ſupprimit, eum ſoli *Hieronymo honorem* attribuens, qui non ſimplex, ſed S.R.E. Presbyter habebatur. Accedit ad hæc, Tempore Sanctiſſimi Papæ *Gelaſii*, qui vixit in Pontificatu A. C. 492. minorem multo rationem Cardinalium habitam, atque nunc proceſſu temporis factum eſt, electione Pontificum ad Cardinales devoluta, abrogato etiam abuſu Cæſarum deſignandi Epiſcopos Romanos, aut confirmandi Clero item, & Populo Romano à ferendis ſuffragiis, ut ſolebat, excluſo, ut ampliſſimus hic *Ordo* & *Senatus*, clariſſimusque, ſicut hodie videmus, evaderet. Qui plurimis deinde Titulis, & Favoribus à diverſis Pontificibus honeſtatus, *Innocentio IV.* præſertim, & *Paulo II. Veneto*, in ſplendorem, ac gloriam præſentem erupit. Cum parum ante *Gelaſium* Cardinales longe Epiſcopis inferiores haberentur. In Synodo namque *Nicæna Oſius* Epiſcopus Cordubenſis duos Presbyteros Cardinales præceſſit, qui ſimul cum ipſo Legationis vices pro Beatiſſimo Papa *Sylveſtro* fungebantur. Primus *Oſius* ſedit, propoſuit, & Decretis Concilii in hunc modum ſubſcripſit: *Oſius Epiſcopus Civitatis Cordubenſis, Provinciæ Hiſpaniæ, dixit, ita credo, ſicut ſuperius ſcriptum eſt.* Demum Cardinales Presbyteri ſubſequuntur: *Victor, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ, pro Venerabili Viro Papa, & Epiſcopo noſtro Sylveſtro ſubſcripſimus, ita credentes, ſicut ſupra ſcriptum eſt.* Et poſt *Gelaſium* identidem in Concilio Ro-

Romano, ſub *Gregorio I.* tempore *Mauritii, Tiberii*, & *Theodoſii Auguſtorum*, Pontificatus ejusdem *Gregorii* anno 5. qui incidit in A. C. 594. prius cuncti Epiſcopi ſubſcripſerunt, poſterius 35. Cardinales Presbyteri, qui in illa Synodo interfuere: Nullus etiam illorum Cardinalis enuntiatur. Unde non eſt difficile colligere, Cardinales, qui ea ætate vivebant, Presbyteros duntaxat, aut certe Presbyteros Romanæ Eccleſiæ de more vocitatos, eſſe, quam dici Cardinales, utique malebant. Quam conſuetudinem ſui temporis ſecutus Beatiſſimus Papa *Gelaſius*, ſolum Presbyterum vocavit Hieronymum, non ſimplicem, ſed R. E. Cardinalem, aut Primarium innuendo. Et de objectionibus propoſitis tandem ſatis, quibus pro tenuitate ingenii mei videor abunde reſpondiſſe.

XVI. Nihil igitur reſiduum nobis eſt, quod ultra præſtare debeamus; ad id, quod à principio polliciti ſumus, ſatis, ſuperque abſolvimus. Si ergo, quæ diximus, tot illuſtrium virorum teſtimoniis conſtantia, & firma ſunt, quid nitemur *Sanctiſſimum Hieronymum* quantulacunque gloriola deturbare? ſi adeptus, ſi prudenter eum *Magiſtratum* adminiſtravit, cur nolumus illum habuiſſe? Repeti non poſſunt, quæ 30. annis pacifice poſſidentur; & poſt mille ab Hieronymo quæ cunctarum gentium conſenſu, & pace obtinuit, auferemus? Paucorum temporum ſpatium ſufficiens eſt, ut res etiam aliena in Dominium tranſeat bona fide occupantis, & tot, quæ præteriêre ſæcula non ſufficiunt, rem ſibi propriam Hieronymo vendicare. Reclamet, & litiget quantum velit *Eraſmus*, debacchetur in *Patres Purpuratos*, & *S. Hieronymum* à Collegio, & ſocietate Cardinalium nitatur deturbare, nusquam tamen proficiet, quod tentavit. Retrahere enim homines ab ea opinione non poterit, quam ſemel imbiberunt; imo eo tenacius inſidebit animis piorum, quo ipſe acrius labefactare conatur. Neque valde curandum eſt, ſi unus nobis *Eraſmus* adverſetur, homo ad calumnias, & irriſiones natus, qui nihil ſibi antiquius duxit, quam *Traditiones* impugnare, *Cæremonias* ſingulas evertere, & demum demoliri, quæ *Pietatem* ſapiunt, *cuncta*. Atque is præterea fide caret, cujus monumenta omnia, Religioni infenſa, Romana cenſura, ut ſuſpecta abrogantur. Quod ſi paucorum teſtimonia rem ambiguam, cur multorum non facient certam? Si paucorum ſententiæ ſat ſunt ad refellendum, cur tantorum non ſufficient prorſus ad probandum? Monumenta pleraque periere *Priſcorum Authorum*, ſi extarent, forſitan non laboraremus: nunc quia reparari intercisa nequeunt, ſelectorum virorum lectione deſtituimur; fidem paucis, qui ſuperfuerunt, neceſſe eſt, tribuamus. Et quando cætera præſidia defuiſſent, communis conſenſus, & antiqua traditio adſtruendam fidem præſtitiſſent. Si enim *Gentilitia Inſignia* marmoribus vetuſtis, aut ſepulchris inſculpta antiquitatem, atque nobilitatem alicujus familiæ teſtantur, cur non picturæ, & ſculpturæ tam longa ætate in Templis aſſervatæ, & à majoribus quadam approbatione ſuſceptæ, longe firmius teſtimonium reddent *Cardinalatus Hieronymi*? Cur igitur *Collegium* Illuſtriſſimum *Cardinalium* tanto *Collegâ* privabimus? Cur illis tantum *Lumen* eripimus? cur ab ampliſſimo *Ordine* Sanctiſſimum *Doctorem* invidentes ſubtrahimus? Quid incommodi ex hujusmodi fide alicui inferimus? Quid injuriæ irrogamus? Quid gloriæ cuique adimimus? Si in cœlis aliqua gloria pro eo *Magiſtratu* probe adminiſtrato reſpondet, in terris par eſt, humana etiam conferatur. Si juſta, conſentanea, ſi veriſimilia ſuademus, quid ob-

Digitized by Google

obſtat, quo minus ea recipiatur ſententia, quæ pietati concors, honori & gloriæ *Sanctiſſimi Hieronymi* ſuffragetur? Si demum teſtimonia *primæ*, & *mediæ*, & *infimæ claſſis Authorum* conſentiant, ſi *conjecturæ* docent, ſi *traditiones* eandem nobis veritatem inſinuant, non eſt profecto, quod de *Presbyteratu* Hieronymi Cardinalitio dubitemus.

Hæc de dignitate *Cardinalitia D. Hieronymi*, à *Proſpero* Cardinali *de Lambertinis*, nunc Romano-Catholicam Eccleſiam feliciter gubernante *Benedicto XIV.* laudatus (ut *par. 2. cap. 10. num. 3.* inſinuavi) *Alphonſus Ciacconius*, quemadmodum eruditiſſime, ita (ſi mihi pro vili perſona mea, imbellique ingenio meo judicare liceat) victorioſiſſime ſcripſit, typisque vulgari fecit, *Venetiis* apud *Dominicum Nicolinum* Anno reparatæ Salutis 1583.

A. M. D. G.
ET
S. H. H.

Digitized by Google

INDEX
SECUNDÆ PARTIS.

A.

Abdiam Prophetam interpretatur Hieronymus in Eremo. *Pagina* 23.
S. *Abundantius* Martyr. Theſſal. 196.
S. *Acutius* Mart. Syrm. 195.
S. *Acutus* Mart. Syrm. *ibid.*
S. *Adalbertus* Ep. Comenſ. 201.
S. *Adalbertus* Archi-Ep. Prag. M. 198.
Adeodatus præſtantiſſimi ingenii juvenis. 91.
S. *Adrianus* Mart. Nicom. 196.
Adverſarii S. Hieronymi, quanta tentaverint. 51. *ſeq.* 85. 95.
Ægypti Monachos inviſit Hieronymus. 59.
S. *Æmilianus* Mart. 202.
Africa Epiſcopi damnant Pelagium & Cœleſtium. 107.
Patefaciunt fraudes horum hæreticorum. 108.
Alani cum Vandalis Gallias devaſtant. 105. *ſeq.*
UniverſumOccidentem concutiunt. 114.
Alaricus Gothorum Rex Italiam armis infeſtat. 86.
Capit Romam. 114. *ſeq.*
Albina Matrona Romana audit S. Hieronymum. 33. 51.
Alleluja ſuaſu Hieronymi in Officiis Divinis additum. 35.
S. *Alexander* Mart. Theſſal. 196.
S. *Alexander* Mart. Dalmat. *ibid.*
S. *Alexander* Miles & Mart. Illyr. 197.
Alipius S. Auguſtini itineris Socius. 91.
Hieroſolymam peregrinans viſitat Hieronymum. 33. 51.
Mittitur ab Auguſtino ad Hieronymum. 118.
Alphabetum Slavonicum tribuitur S. Cyrillo & Hieronymo. 126.
S. *Ambroſius* Lætitia perfunditur, videns Auguſtinum ad Chriſtum Converſum. 91.
Fidei negotia fortiter egit in Illyrico. 206.
S. *Amphilochius* Dux & Mart. Syrm. 197.
Anachoretarum vitæ ratio. 60.
Illorum Princeps Paulus Thebæus. 61.
Illuſtrator Antonius. *ibid.*
S. *Anaſtaſia* Mart. Syrm. 195.
S. *Anaſtaſius* Mart. Syrm. *ibid.*
S. *Anaſtaſius* Mart. Dalm. 198.
S. *Anaſtaſius* Cornicularius Mart. Solonæ. 202.
Anaſtaſius Papa acerrimus Origeniſtarum Oppugnator. 83.
Rufinum Romam citat. *ibid.*
Origenis hæreſim condemnat. 85.
Librum Origenis Periarchon proſcribit. *ibid.*
Angelus à Verboſa Ord. S. Franciſci incorruptus quieſcit. 211.
Anima S. Hieronymi apparuit Auguſtino. 138.
Anonymi 32. Religioſi Ord. Prædicat. à Turcis ſubmerſi. 211.
Anonymi complures Religioſi Ord. S. Pauli primi Er. à Turcis jugulati. 212.
Anthia Mart. 198.
S. *Antigonus* M. Syrm. 196.
S. *Antigonus* M. Theſſal. *ibid.*
S. *Antiochianus* M. Salonæ. 198.
Antiochia fit S. Hieronymus Presbyter. 30.
S. *Antonius* Abbas Vitæ Eremiticæ Illuſtrator. 61.
An fuerit Ordinis Carmelitici. 67.
S. *Antonius* Monachus Lirinenſis. 206.
B. *Antonius* de Saxonia Ord. S. Franciſci M. Vidini. 209.
Apollinarem Laodicenſem audit S. Hieronymus. 11.
S. *Apollinaris* Ep. Ravennæ & M. 202.
Aquileja ſubſtitit S. Hieronymus. 8.
S. *Aquilinus* M. Novioduni. 199.
S. *Arno* Ep. Salisburg. 200.
S. *Artaxus* M. Syrm. 195.
S. *Arthemia* V. & M. 202.
Aſella S. Hieronymi ſtudioſa fœmina. 34. 51.
S. *Aſterius* Mart. Salonæ. 198.
S. *Auguſtinus* Tagaſtæ natus 89. ruit in vanos amores. *ibid.*

Hæreſi Manichæorum depravatur. 90.
Magiſter Rhetorices Mediolanum ſe confert. ibid.
Frequentat S. Ambroſium. ibid.
Baptizatus in Africam remeat. 91.
Ordinatur in Presbyterum. ibid.
Fit Epiſcopus. 92.
Ejus Encomia. ibid.
Monaſterium Monachorum inſtituit. ibid.
Literas acriores Hieronymo ſcribit. 93.
Ejus Diſſenſio cum Hieronymo. ibid. ſeq. per tot.
Poſt longiorem altercationem Sanctus Amor & conſtans familiaritas cum Hieronymo. 103. 168.
Cognovit, quid Pelagius hominis ſit? 106.
Oppugnavit ejus errores. ibid.
Ejus judicium de Origene. 73. ſeq.
Libros ſuos ſubmittit cenſuræ Hieronymi. 118.
Difficillimas quæſtiones ei ſolvendas proponit. ibid.
Miſit Oroſium & Alipium ad eum. ibid.
Miro fulgore radians anima Hieronymi ei apparuit. 138.
Multis Encomiis Hieronymum proſequitur. 169.
B. Auguſtinus Gazotrus Ep. Zagrabienſis. 209.
Auguſtinus à Plumbo Ord. S. Franciſci à Turcis multa paſſus. 213.

B.

S. Baſilla V. Syrm. 203.
Barabanus Judæus S. Hieronymi Magiſter in Idiomate Hebraico. 26
Barbanina Hebræus erudit Hieronymum. 62.
Benedictus XIV. Pont. Max. ſuſcipit defenſionem Hieronymi. 54 ſeq.
Siricium Papam vindicat. 81. ſeq.
S. Benedictus Eremita & M. Dalmata. 202.
Bethlehemi ad Præſepe Domini elegit Hieronymus perennem ſuam habitationem. 64.
Quantum diſtat à Jeruſalem. 77.
Bleſilla vidua Romana, Paulæ filia Literis exculta. 33. 51.
Ejus obitus. 111. ſeq.
Bonaſus Aquilejenſis. 8.
S. Bonifacius Ep. Boſnenſis & M. 200.
Bonoſus compatriota & collactaneus S. Hier. 5. 7. ſeq. 17.
B. Budimirus Dalmatiæ & Croatiæ Rex. 209.
B. Buzadus Ord. Prædicat. à Tartaris Lanceis confoſſus. 210.

C.

S. Cajanus M. Salonæ. 198.
S. Cajus Papa & M. Dalmata. ibid.
S. Calanus M. Theſſal. 196.
Calix & Caſula, quibus Hieronymus uſus fuerat, Romæ aſſervantur. 36.
S. Carolus Magnus Imperator. 195.
B. Carolus Cſaky Ord. S. Dominici. 209.
S. Caſimirus Confeſſor. 196.
Caſtorina Matertera S. Hieronymi. 9. 18.
Centurio Monachorum. 61.
Cerinthus Author hæreſis Millenariorum. 109.
S. Claudius M. 195.
S. Clemens Papa & M. 205.
Cæleſtius Pelagii Collega didicit à Rufino negare peccatum Originale. 86.
Condemnatur una cum Pelagio. 107.
Ex condicto cum Pelagio ſe Romam confert, quærellas depoſiturus. ibid.
Verus Catholicus à Zoſimo Papa dolis circumvento declaratur. ibid.
Fraude detecta una cum Pelagio denuo damnatur. ibid.
S. Columbinus Ordinis Jeſuatarum S. Hieronymi Inſtitutor. 179.
S. Conſtantia Virgo. 196.
S. Conſtantinus M. Imperator. 199.
S. Conſtantinus Philoſophus. 207.
Putatur Inventor Literarum Slavonicarum. 124.
S. Coronida M. Comentarienſis. 197.
Cultus particularis Sanctorum Patriæ ſuadetur. 182. ſeq.
Cultus publicus Sanctorum Generalis à Summo Pontifice decernitur. 160.
S. Cunegundis. 202.
S. Cutes M. 196.
S. Cyrilla V. & M. 205.
Cyrillus Ep. Hieroſol. vidit animam S. Hieronymi ab Angelicis manibus in cœlum geſtatam. 138.
Ejus Epiſtolæ ſpuriæ dicuntur. 141. ſeq.
Vindicantur. ibid.
SS. Cyrillus & Methodius Conf. Pont. 196.

D.

Dæmones ad Corpus S. Hier. ab obſeſſis exeunt. 141.
S. Danaces M. Illyr. 195.
Damaſus Papa conſulatur à S. Hieronymo. 22.
Conſulit Hieronymum. 25.
Graves Hieronymo injungit functiones. 35.
Hieronymi Opera & conſilio utitur. 50.
Ejus judicium de Libris Lactantii. 24.
S. Daſius Ep. & M. 205.
S. Demetrius Diaconus M. Syrm. 197.
S. Demetrius Miles & M. 205.
S. Deſignatus M. Syrm. 197.
DEUS vult honorari in Sanctis ſuis. 163.

Digitized by Google

Diabolus Silvanum Epiſc. Nazarethanum dehoneſtans confunditur. 145.
Didymus Alexandrinus à parva ætate cœcus. 58. Scientiarum peritiſſimus. *ibid.*
Huic ſe concredidit Hieronymus in diſcipulum. *ibid.*
Erroribus Origenis inquinatus. 59.
Ejus ſcripta. 58.
Judicium Hieronymi de eo. 59.
Diem ſupremum timuit Hieronymus. 66.
Domitius Ep. Bizant. 210.
S. Domnio Ep. & M. Salonæ. 197.
S. Domnio Cubicularius Valeriani Imp. M. 201.
Donatus Grammaticus S. Hieronymi Romæ Magiſter. 6.
S. Donatus Diaconus M. 203.
Dormitantius appellatur Vigilantius ab Hienymo. 105.

E.

Eccleſia B. M. Majoris. 165.
Ibi reconditum eſt Præſepe Domini. *ibid.*
Item corpus S. Hieronymi. *ibid.*
Varia ejus nomina. 167.
Electa à S. Joanne Evang. in fide confirmata. 34.
S. Eleutherius Ep. & M. 198.
S. Eliſabetha Vidua. 205.
S. Emericus Dux Slavoniæ. *ibid.*
Emericus de Uvamos Hungarus à S. Paulo primo Eremita caſtigatus. 189.
S. Epiphanii contentio cum Joanne Ep. Hieroſolymitano. 76.
Suſcipit S. Hieronymum. 57.
Epiſtola Euſebii Cremonenſis, Auguſtini & Cyrilli de Apparitionibus & Miraculis S. Hieronymi dicuntur ſpuriæ. 141. *ſeq.*
Vindicantur. *ibid.*
Epiſtola Auguſtini ad Hieronymum ſcripta dolo Rufini & Melaniæ intercepta. 93.
Epitaphium Paulæ S. Mulieris. 112.
Evagrius S. Hieronymi Socius itineris. 10.
Suſtentat Hieronymum & ejus Socios in ſolitudine. 12.
S. Evilaſius Cilejæ Præſes Mart. 203.
Evodius S. Auguſtini itineris Socius. 91.
S. Eugenda M. Syrm. 195.
Euſebius Pater S. Hieronymi. 5.
Euſebius Cremonenſis S. Hieronymi diſcipulus. 143.
Ejus Epiſtolæ dicuntur ſpuriæ. 141.
Sancte obit. 147.
S. Euſebius Ep. Cibalenſis M. 198.
S. Euſebius Ep. Vercellenſis & M. 206.
Euſtochium filia Paulæ virginitatem Deo conſecrat. 33. 51.
Sequitur Hieronymum in Bethlehem. 65.
Obiit. 112.

F.

Fabiola Romana Amica Hieronymi. 111.
S. Felicis corporis ſuſceptio in Conventu Lepoglavenſi. 200.
Felicitas S. Hieronymi ſtudioſa Fœmina. 34.
S. Felix Ep. Spalatenſis. 199.
Florentius Pater Pauperum. 8.
S. Florianus Mart. Syrm. 195.
S. Florus Mart. Syrm. *ibid.*
S. Florus Mart. Illyr. 202.
S. Fortunatus Mart. Syrm. 197.
S. Fortunius Mart. Theſſal. 196.

G.

S. Gabinius Presbyter & M. Dalmata. 196.
S. Gabriel Mart. 207.
S. Gaudentius Ep. Abſarenſis. 207.
Georgius Comes à Zrinio Lutheranam hæreſim in Inſulam Muro - Dravanam diffundit. 148.
S. Georgius Ep. & Mart. 207.
Georgius Draskovich Card. & Archi-Ep. Colocenſis. 212.
Geraſimo Eremitæ adſcribitur Miraculum cum Leone. 69.
B. Gertrudis V. filia Belæ II. Reg. Hung. 210.
Glagola, quid? 127.
Glagolitæ utuntur in Divinis Idiomate Slavonico. *ibid.*
Glycerius ex Imperatore Ep. Salon. 211.
S. Gordianus Mart. Novioduni. 203.
Gothi Europam cladibus afficiunt. 113.
Romam obſident & capiunt. *ibid. ſeq.*
Gregorius Nazianzenus amice agit cum S. Hieronymo. 31.
Gregorius Niſſenus. *ibid.*
Gregorius Tragurius, Ord. S. Franciſci Dalmata. 211.
Gregorius Jakſich, Ord. S. Franciſci occiſus. 213.

H.

Hæreſis Origenis condemnatur. 78.
Hæreſis Vigilantii jugulatur ab Hieronymo. 105.
Hæreſis Manichæorum. 39. *ſeq.*
Hæreſis Millenariorum. 108.
Hæreſis Montaniſtarum. 109.
Hæreſis Pelagiana damnatur. 107. *ſeq.*
Hæreſis nova poſt obitum S. Hieronymi. 146.

Digitized by Google

Hæreticorum aliorumque objecta contra S. Hieronymum ſolvuntur. 130. *ſeq.*
Hæreticus blaſpheme de corpore S. Hieronymi loquens, igne cœlitus delapſo abſumitur. 141.
Hedwigis filia Ludovici I. Reg. Hung. 212.
S. Helena Conſtantini M. Mater. 202.
S. Hema Duciſſa Carinthiæ. 201.
Helvidiani hæretici. 37.
Helvidius Hæreticus ab Hieronymo confutatur. 36. *ſeq.*
S. Heraclius Mart. Novioduni. 199.
S. Heriſſus Mart. Syrm. 195.
S. Hermagoras Ep. Aquil. & M. 201.
S. Hermas diſcipulus S. Pauli Ep. 199.
S. Hermas Ep. Syrm. & Mart. 197.
S. Hermes Exorciſta. 207.
S. Hermyllus Mart. 195.
S. Heſichius Miles. 200.
Hexapla Origenis. 73. 120.
S. Hieronymus, Patre Euſebio, Stridone naſcitur. 5.
Datur Magiſtro Orbilio ad erudiendum. *ibid.*
Mittitur ſtudiorum cauſa Romam. 6.
Audit Donatum Grammaticum. *ibid.*
Studiis incumbit altioribus. *ibid.* 7.
Paulò ſolutiorem vitam, accepto baptiſmate, emendat. *ibid.*
Totus piis officiis deditus. 7.
Abit in Galliam. *ibid.*
Redit in Italiam. 8.
Aquilejæ amicitiam contrahit cum viris præſtantibus. *ibid.*
Venit in Patriam Stridonem. *ibid. ſeq.*
Ejus de ſorore pia ſollicitudo. *ibid.*
Lis cum Matertera. *ibid.* condonatio. 18.
Accingit ſe itineri longiori & venit Antiochiam. 9. *ſeq.*
Inviſit Eremi Patres. 11. 59.
Secedit in ſolitudinem Syriæ. 12.
Ejus vitæ ratio & auſteritas in Eremo. 13.
Diſcit Idioma hebraicum. 20. *ſeq.*
Tentatur à Semiarianis. *ibid. ſeq.* 25.
In Eremo cœpit ingenii ſui vela pandere. 23.
Quot Annis vixit in Eremo. 26.
Peregrinatur Jeroſolymam. *ibid.*
Caſtigatur ſeverius ob Ciceronis Lectionem. 28.
Ordinatur in Presbyterum Antiochiæ. 30.
Audit Conſtantinopoli S. Gregorium Nazianzenum. *ibid.*
Contrahit amicitiam cum S. Gregorio Nyſſeno. 31.
Cum Epiſcopis Paulino & Epiphanio pergit Romam ad Concilium. 32.
Functiones à Damaſo Papa ei impoſitæ. 35.
Ejus pia vitæ ratio & Sacrarum Literarum ſtudia Romæ. *ibid. ſeq.*
Quæ tunc ſcripſit, interpretatus & emendatus eſt. *ibid.*
Quos hæreticos & Schiſmaticos confutavit. 36. 37. *ſeq.*
An tunc factus fuerit S. R. E. Cardinalis. 40. *ſeq. per totum.*
Ejus dignitas Cardinalitia propugnatur. 44. *ſeq.* 216. *ſeq. per totum.*
Reprehendit pravos Romanorum mores. 51.
Contumeliis appetitur. *ibid. ſeq.*
Ejus quærimoniæ adverſus Romanos. 53.
Ceſſit Roma. *ibid.*
Redit Jeroſolymam. 57.
Proficiſcitur in Ægyptum & Didymum Alexandriæ audit. 58.
Revertitur Jeroſolymam & incumbit ſtudio Linguæ hebraicæ. 62.
Univerſam Palæſtinæ terram propriis colluſtrat oculis. *ibid.*
Bethlehemi ad Præſepe Domini perennem deligit habitationem. 64.
Ædificat Monaſterium, ſibi ſuiſque perneceſſarium. 65.
Ejus vitæ ratio in Monaſterio, & virtutum exercitatio. *ibid. ſeq.*
An fuerit Ordinis Carmelitici? 67.
Leoni quaſi hoſpiti adventanti obviat. 68.
Origenem hæreſeos redarguit. 77.
Ejus Librum Periarchon refutat. *ibid.*
Certamen ejus cum Joanne Ep. Hieroſolymitano. 71. 77. *ſeq.*
Diſſidium & diſputatio cum Rufino Aquilienſi. 79. *ſeq.*
Librum Periarchon à Rufino non bona fide ex Græco in Latinum converſum Romam mittit. 80. *ſeq.*
Per Marcellam Viduam Romanam Rufinum confundit. 81.
Iniquiis à Rufino laceratur calumniis. 83.
Ternas adverſus Rufinum conſcripſit Apologias. *ibid.*
Omnia in ſe jactata jacula retorquet in Adverſarium. 84.
Quanta paſſus ſit ab Adverſariis. 51. *ſeq.* 85. 95.
Ab illatis ſibi calumniis ſe purgat. 85.
Ejus innocentia triumphat. 86.
Innoteſcit S. Auguſtino per Alipium. 93.
Diſſenſio cum Auguſtino. *ibid.* 97.
Ejus & Auguſtini animorum conjunctio. 103. 168.

Digitized by Google

Hæreſim Vigilantii jugulat. 105.
Pelagii errores confutat. 107.
Contra Millenariorum hæreſim ſcribenti caute incedendum erat. 109.
Horum inſanias ſapientiſſime refutat. *ibid.*
Refutat Montani mendacia. 110.
Amicorum ſuorum mortem deplorat. 111.
Ejus adverſitates. 113.
Humanitas & miſerationis affectus erga Romanos fugitivos. 115.
Ex toto Chriſtiano orbe ad eum veluti ad Oraculum cœleſte omnes confugiunt. 116.
Innumeris quaſi reſpondet Epiſtolis. *ibid.*
Sex alebat Amanuenſes. 118.
Vetus Teſtamentum ex hebræo in Latinum convertit. 121.
Novum Teſtamentum juſſu Damaſi Papæ diligenter ab erroribus correxit. 122.
Humilis ejus ſtylus. *ibid.*
Ejus verſio recepta eſt ab univerſali Eccleſia. 123.
In exponendis Sacris Scripturis Doctoris Maximi titulo condecoratus. *ibid.*
Sacram Scripturam in Illyricum ſeu Dalmaticum idioma traducit. 124.
Eſt Inventor Characterum Slavonicorum. 126. *ſeq.*
Corporis ejus ægritudines. 128.
In ſcribendo alacritas & in dictando promptitudo. *ibid.*
Nobilium parvulos erudire dignatur. *ibid.*
Scripta ejus nonniſi gloriam & amorem Dei ſpirant. 130.
Objecta contra ejus ſcripta & perſonam reſolvuntur. *ibid.* & *ſeq.*
Ejus Opera & Lucubrationes. 131. *ſeq.*
Opera genuina & indubitata. 134. *ſeq.*
Opera dubia & ſuppoſititia. 135. *ſeq.*
Pius obitus. 138.
Corpus ejus cilicino ſacco involutum ſepelitur in Sacello ad Præſepe Domini in Bethlehem. *ibid.*
Quot annos vixerit. *ibid. ſeq.*
Animam ejus Angelicis manibus in cœlum geſtatam vidit Cyrillus Hieroſol. *ibid.*
Apparet S. Auguſtino & aliis. *ibid.* 144.
Sancta vita & pius ejus obitus miraculis comprobantur. 140. *ſeq.* 145.
Apparet Euſebio Cremonenſi ſuo diſcipulo. 146.
In Horâ extremâ eidem adeſt. 147.
Quô ritu fuerit canonizatus? 158. 160.
Compendioſa totius ejus vitæ deſcriptio. 158. *ſeq.*
Ejus corporis Levatio. 163.
Secunda ejusdem corporis ex Bethlehem Romam Translatio. *ibid. ſeq.* 199.
Reconditur ad S. Mariam Majorem. 167. 199.
Multis Encomiis celebratur ab Auguſtino. 169. *ſeq.*
Ab aliis Orthodoxis Elogiorum laudibus accumulatur. 173. *ſeq. per tot.*
Ordo ejus Religioſus. 178.
Quando migravit in cœlum. 138. *ſeq.* 203.
Ejus ſuaſu Glorificationis verſus: *Gloria Patri &c.* cuilibet Pſalmo adjunctus. 27. 35.
Item *Alleluja* in Officiis Divinis additum. 35.
Conſuevit depingi cum inſignibus Cardinalitiis. 224.
S. Hilarion Caput Monachorum in Syria. 60.
Illyricum illuſtrat. 204.
Hyllas, Hieronymi ſocius. 9. 12. 17.
Hoſpitalitas S. Hieronymi. 71.
Hunnorum irruptio. 113.
Ad Adriaticum Mare perveniunt. *ibid.*

I.

S. Jacobus Ap. in albo equo, contra Saracenos pugnans viſus. 189.
B. Jacobus Picenus Ord. S. Franciſci. 208.
Jacobus Illyricus Ord. S. Franciſci. 211.
S. Januarius M. Theſſal. 196.
SS. Innocentes MM. 206.
Innocentius S. Hier. itinerum & Eremi Socius. 9. 12. 17.
S. Innocentius Mart. Syrm. 201.
Joannes Ep. Hieroſolymitanus Origenis defenſor. 72.
Ejus certamen cum Epiphanio Epiſcopo Salaminæ. 76.
Cum S. Hieronymo. 77. *ſeq.*
In ruborem agitur ob condemnatam hæreſim Origeniſtarum. 86.
Ab erroribus Origenis probabiliter reſipuit. 87.
S. Joannes Eremita. 200.
S. Joannes Capiſtranus. 204.
S. Joannes Tribunus M. 207.
B. Joannes Theutonicus Ord. Præd. Epiſc. Boſnen. 209.
B. Joannes Dominici Ord. Præd. Archi-Ep. Raguſ. & Card. 210.
B. Joannes Ep. Traguerienſis. *ibid.*
Joannes Keglevich Ord. S. Pauli pr. Eremitæ Clericus. 212.
Joannes Rattkay, Soc. JEſu Miſſionarius in America. 213.
Joannes Adamus Portenperger Ord. S. Pauli pr. Eremitæ. *ibid.*

Digitized by Google

S. *Joſephus* Nutritius J. C. Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Patronus. 196 *ſeq.*
In Reſurrectione Chriſti cum SS. Joachim & Annæ corpus reaſſumpſiſſe traditur. 197.
Joviniana hæreſis deformes libidines invexit in Urbem. 39.
Jovinianus Pſeudo-Monachus à S. Hieronymo frangitur. 36. 37.
S. *Irenæus* Ep. Syrm. M. 197.
S. *Iſacius* Anachoreta Dalmata. 202.
B. *Iſidorus* Hiſpanus Saracenos proſternit. 189.
Iſidorus Presbyter occultus Origeniſta. 78.
Isquirinus Ord. S. Pauli pr. Eremitæ. 211.
S. *Jucundus* Mart. Syrm. 195.
S. *Julius* Mart. in Myſia. 199.
S. *Juſtina* V. & M. 201
Juvenis ſurdus ad corpus S. Hieronymi auditum recipit. 141.

L.

Lactantii Opera nonnulla erronea. 24.
S. *Ladislaus* Rex Hungariæ. 201.
Laurentius de Salinis, Ord. S. Franc. 213.
S. *Laurus* M. Illyr. 202.
Lea S. Hier. ſtudioſa fœmina. 34.
Lectio Operum Origenis non eſt penitus improbata. 87.
Leo quaſi hoſpes à S. Hieronymo ad Monaſterium ſuſcipitur. 68.
Leo III. Pont. Max. Oratione ad SS. Ap. Petrum & Paulum hoſtes Saracenos fundit ac fugat. 189.
S. *Leo* Anachoreta Dalmata. 202.
S. *Leo* Ep. & Mart. 207.
S. *Leo* Tribunus & Mart. *ibid.*
S. *Leopoldus* opitulatur Auſtriacis. 189.
Liber Apogryphus, quis? 142.
Liber Periarchon Origenis refutatur ab Hieronymo. 77.
Mala fide à Rufino Latine redditus. 80.
Magno detrimento à Rufino Romæ vulgatus, proſcribitur ab Anaſtaſio Papa. 88.
S. *Libius* Mart. Syrm. 196.
Lingua Hebraica Matrix. 26.
S. *Lucas Evang.* Evangelium in Dalmatia prædicavit. 204.
Lucas Banffi, Archi-Ep. Strigon. 211.
Lucifer Calaguritanus Schiſmaticus. 37. Palinodiam canit. 38.
Luciferiani hæretici. *ibid.* & 36.
Ludovicus Vilaky Ep. Veſprim. 212.
Lupus de Oliveto Ord. S. Hieronymi Reformator. 180.
S. *Lupus* Ep. & M. Syrm.

M.

S. *Macarius* Mart. Theſſal. 196.
S. *Macrinus* M. Novioduni. 203.
Malchus Sanctiſſimus Monachus. 10.
S. *Manuel* Ep. & M. 207.
Marcella vidua Romana diſcipula Hieronymi. 33. 51.
Notificat Hieronymo quid rei Rufinus Romæ gereret. 80.
Accipit à Magiſtro Reſponſum. 81.
Fuit Origo damnationis hæreticorum Origeniſtarum. *ibid.*
Errores Montani ad Hieronymum defert. 110.
Confundit Rufinum. 81.
Ejus obitum deplorat Hieronymus. 111.
S. *Marcus* Mart. Syrm. 197.
Marcus Criſinus Caſſoviæ à Calviniſtis decollatus. 212.
B. *Margaritha* V. 209.
S. *Marinus* Diaconus & Eremita. 203.
Martinianus Ep. Comenſis. *ibid.*
S. *Martinus* Ep. ſuis Turonenſibus & Pannoniis auxilio ſuo adeſt. 189.
Martinus Borkovichius Ord. S. Pauli pr. Erem. Generalis, dein Epiſcopus Zagrab. 213.
BB. *quinque Martyres* Ord. S. Franciſci. 209.
Matronas Romanas erudit Hieronymus. 33. 51.
B. *Mauritius* Cſaky, Ord. Prædicat. 209.
S. *Maurus* Mart. Salonæ. 198.
S. *Maxima* Mart. 197.
S. *Maximianus* Mart. Syrm. 195.
S. *Maximianus* Ep. Raven. 196.
Maximilla Montani Pſeudo-Prophetiſſa. 109.
S. *Maximilianus* Ep. & M. 204.
S. *Maximus* M. 195.
S. *Maximus* Ep. Labacenſis. 199.
Melania Matrona Romana cum Rufino in Ægyptum & Jeroſolymam proficiſcitur. 79.
Hæreſeos Origenis Patronam agit. *ibid.*
Repatriare ſtatuit. 80.
Româ cum ſuis recedens ſe iterum Jeroſolymam confert. 87.
Errorum Origenis Maculas diluit, & pie moritur. *ibid.*
S. *Metrophanes* Ep. Syrm. 200.
Michael Rex Bulgariæ Monachus efficitur. 211.
Millenariorum vetus error plurium mentes invadit. 108.
Author hujus hæreſis Cerinthus. 109.
Mira fiunt ad Sepulchra Sanctorum. 57.
Miracula S. Hironymi. 141. 154. *ſeq.* 147. 163.
S. *Moderata* Mart. Syrm. 195.

Mona-

Digitized by Google

Monachi olim non erant certi Ordinis. 60.
Monachi duo Turonenſes vident animam S. Hieronymi in cœlum ferri. 138.
Monachorum Ægypti & aliarum ſolitudinum ingens numerus. *ibid.*
Monaldus Dalmata Ord. S. Franciſci M. 211.
Monaſterium, quid? 61.
Monaſterium à S. Hieronymo in Bethlehem ædificatur. 65.
Monaſterium Lupienſe, Ord. S. Hieronymi præcipuum. 180.
S. Monica plangit Auguſtini filii vitam vitioſam. 89.
Mediolanum veniens filium commendat S. Ambroſio. 90.
Obit in Domino ad Oſtia Tiberina. 91.
S. Montanus Presbyter & Maxima Conjux cum aliis 40. MM. Syrm. 197.
Montanus hæreticus. 109.
Laqueo ſe ſuſpendit. 110.
S. Montinianus M. Syrm. 199.
Mutus ad Corpus S. Hieronymi loquelam recipit. 141.

N.

S. Natolia Uxor S. Adriani M. 206.
S. Nicetius Ep. Bulgariæ. 195.
S. Nicetas igne concrematus. 203.
S. Nicolaus Ord. S. Franciſci M. Vidini. 203.
S. Nicolaus Ep. Myrenſis. 206.
Nicolaus Sibinicenſis Ord. S. Franc. 211.
Nicolaus Mikelius Epiſc. Zagrab. 212.
Nicolaus Rattkay Soc. JEſu, Indiarum Miſſionarius. 213.
Nicolaus Olovenſis, Ord. S. Franc. Ep. Bosnen. *ibid.*
Nicolaus de Novi, Ord. S. Franc. 213.

O.

Octapla Origenis. 73. 120.
Orbilius, rigidus S. Hieronymi Magiſter. 5.
Ordo Jeſuatarum S. Hieronymi. 179. *ſeq.*
Ordo S. Pauli primi Eremitæ patrocinium ejusdem S. Patris experta. 189.
Origenes, Patre Leonida, Alexandriæ natus. 72.
Ardens deſiderio Martyrium ſubeundi, Patrem in Carcere detentum per Litteras ad fortiter ſubeundum Martyrium cohortatur. *ibid.*
Caſtitatis cuſtos adeo, ut ſe ſe eviraverit. *ibid.*
Ejus præclara ſtudia circa interpretationem Sacrarum literarum. 73.
Ingenio plus indulgens Librum Periarchon denſioribus refertum erroribus divulgat. *ibid.*
Errores ejus Auguſtinus & Hieronymus exponunt. *ibid.* 74.
Evocatur Romam. *ibid.*
Poſt mortem hæreſis infamatur. 76.
Hæreticus declaratur. 78. 88.
Ejus hæreſi infectus Didymus Alexandrinus. 59.
Item Rufinus & Melania. 79.
Origo Dignitatis Cardinalitiæ. 45. *ſeq.*
Oroſius mittitur à S. Auguſtino ad S. Hieronymum. 118.

P.

S. Parodus Presbyter & M. 207.
Paſſio SS. ſeptem Virginum Syrm. 197. 199.
Paula Vidua Romana. 33. 51.
Hieronymo devota Matrona. *ibid.*
Propter Hieronymum infamiæ periculo liberatur. 52.
Decernit Romam deſerere atque Jeroſolymam pergere. 51.
Venit poſt Hieronymum in Palæſtinam. 65.
Divitiis inclyta Monaſterium ab Hieronymo in Bethlehem inchoatum, ſuis ſumptibus ampliat. *ibid.*
Sacrum Bethlehemiticum locum adamat, in eodemque conſidet. *ibid.*
Duo Virginum Cœnobia erigit, iisdemque qua Mater præeſt. *ibid.*
Obit. 111. *ſeq.*
Ejus Epitaphium ab Hieronymo confectum. 112.
Paulina Euſtochii ſoror. 34. 51.
Paulinianus frater S. Hieronymi. 5. 9. 30.
Evocatur Romam ab Hieronymo. 32. *ſeq.*
Cum Fratre ſe Roma abſtrahit. 57.
Mittitur à Fratre in Patriam. 65.
Ordinatur in Diaconum & Presbyterum. 76.
Diſſidium propter hanc ordinationem. 30. 76.
S. Paulinianus Mart. Salon. 198.
Paulinus Nolanus Pelagium Litteris commendat Auguſtino. 106.
Præconiis celebrat Rufinum & Melaniam. 80.
Paulinus Ep. Antiochenus ordinat Hieronymum in Presbyterum. 30.
Aſſumpſit Hieronymum ſecum Romam. 32.
Hieronymum denuo hoſpitio ſuſcipit. 57.
S. Paulus Ap. per ſe ac per Diſcipulos ſuos Illyros erudit. 201.
S. Paulus primus Eremita Perſecutorem filiorum ſuorum caſtigat. 189.

Digitized by Google

Ejus vitam ſcripſit Hieronymus. 14. *ſeq.* 61.
Vitæ Eremiticæ Author. *ibid.*
Paulus Concordienſis. 7.
S. *Paulus* Mart. Novioduni. 199.
Paulus Draskovich Ep. Scardonenſ. 211.
Pelagius hæreſiarcha innoteſcit. 106.
Hæreſi ſua à ſe damnata abſolvitur. 107.
Redit hæreticorum more, ac ideo rurſus cum ſuis condemnatur. *ibid.*
Dat literas ad Zoſimum Papam, & ab eodem Catholicus declaratur. 108.
Fraudibus demum patefactis, Papæ ſententiâ cum ſuis damnatur. *ibid.*
Peregrinatio Jeroſolymam primis Eccleſiæ temporibus uſitata. 63. *ſeq.*
Periarchon Liber Origenis erroribus refertus. 73.
Mala fide à Rufino in Latinum translatus. 80.
S. *Petronius* Ep. Bonon. 203.
S. *Petrus* Ap. Epiſcopos in Illyrico conſtituit. 201.
S. *Petrus* M. Syrm. 195.
S. *Petrus* Thomaſius, Ord. Carmelit. Ep. Cret. dein Patriarch. Conſtant. *ibid.*
S. *Petrus* Ep. & M. 207.
Petrus Illyricus S. R. E. Card. 210.
Petrus de Zalankamen, Ord. S. Pauli pr. Er. Generalis. 212.
Petrus Domitrovich Ep. Zagrab. *ibid.*
SS. *Philetus* Senator, Lydia Uxor ejus & filii MM. 197.
S. *Placidia* V. 204.
SS. *Polion* & *Tiburtius* MM. Cibali. 198.
S. *Porphyrius* Ep. Gazæ. 196.
S. *Poſicrates* & Socii MM. in Myſia. 199.
Poſthumianus Jeroſolymam peregrinans apud Hieronymum in Bethlehem divertit. 117.
S. *Præpedigna* Mart. 196.
Præſepe Domini Romam transfertur. 165. *ſeq.*
Theca argentea includitur. 166.
Principia Marcellæ filia. 33.
Priſca Montani Pſeudo-Prophetiſſa. 109.
Probus Ep. Byzantin. 210.
Profuturus accipit literas ab Auguſtino ad Hieronymum ſcriptas. 93.
Promovetur in Epiſcopalem dignitatem. *ibid.*
B. *Protogenes* Epiſc. Sardicæ. 210.
Pſeudo-Prophetiſſa Montani hæretici. 109.
Pſeudo-teſtis adverſus Hieronymum conductus in vincula conjicitur. 52.
Ptolomæus Philadelphus ope 70. Interpretum Hebræorum vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum ſermonem transferri curat. 120.
S. *Pulcheria* Auguſta V. 203.
Purgatorium miraculo comprobatur. 146.

Q.

S. *Quindeus* Mart. in Bulgar. 199.
SS. *Quirillus* & Socii MM. *ibid.*
S. *Quirinus* Ep. & Mart. 200.

R.

B. *Raynerius* Archi-Ep. Spalat. & M. 209.
Reliquiæ Sanctorum vetuſtiſſimis temporibus jam cultæ. 161. *ſeq.*
Ritus Canonizandi Sanctos. 149. *ſeq.* 157. *ſeq.*
Robertus frater Minorum à S. Franciſco Seraph. lumen oculorum & corporis valetudinem recipit. 189.
S. *Rogatianus* Mart. Syrm. 196.
Roma à Gothis capta. 114. *ſeq.*
Romana ſuburbia à Saracenis ſpoliantur & ſuccenduntur. 188.
Romani fugientes Jeroſolymam perveniunt, & apud S. Hieronymum in Bethlehem divertunt. 114.
S. *Roſalia* Siciliam à peſte liberat. 189.
Rufina Euſtochii ſoror. 34. 51.
Rufinus Aquilejenſis. 8.
Inviſit Romam. 19.
Sigulari amicitia, Aquilejæ contracta, jungitur Hieronymo. *ibid.*
Petit cum Melania Jeroſolymam. *ibid.*
Carpit Hieronymum. 62.
Plura præſumit in Hieronymum. 79.
Didymum Alexandrinum audiens evadit Patronus hæreſis Origeniſtarum. *ibid.*
Redit Romam cum Melania. *ibid.* 80.
Gravis contentio illum inter & Hieronymum. *ibid. ſeq.*
Mala fide transfert Periarchon Origenis in Latinum. *ibid.*
Fraudulentis ſuis mercibus permultos in Origenis errores inducit. *ibid.*
Confunditur à Marcella. 81.
Confuſus repetere ſtatuit Aquilejam. *ibid.*
Ab Anaſtaſio Papa Romam citatus venire neglexit. 83.
Duos invectivorum Libros adverſus Hieronymum elucubravit. *ibid.*
Mortem minitatur Hieronymo. 85.
In deterius prolabitur. *ibid.*
In ruborem agitur ob condemnatam Origeniſtarum hæreſim. 86.
Profugus in Sicilia ex hac vita decedit. *ibid.*
Fuit Pelagii hæreſiarchæ Præcurſor. *ibid.*
S. *Rupertus* Ep. Saliſb. Slav. fines penetrat.
S. *Rutillus* Mart. Syrm.

S.

Digitized by Google

S.

S. Sabba Ep. Serviæ. 195.
Sabinianus hæreſiarcha poſt obitum S. Hieronymi opuſculum execrandi dogmatis Hieronymi nomine edit. 145.
Convincitur à Silvano Epiſc. *ibid.*
Mirabilis ejus exitus. *ibid.*
Sacerdotes Slavonicæ gentis Divina Officia idiomate Slavonico peragunt. 126.
B. Salomea Leſci, Colomani Ducis Slavoniæ conjux V. 209.
S. Salomon Rex Hungariæ. 203.
Sanctæ 7. Virgines & MM. 197.
Sancti, qualiter canonizari ſoleant. 149. *ſeq.*
Qui præcipue colendi. 191.
Sanctorum Patriæ cultus particularis ſuadetur. 182.
Saraceni Romana ſuburbia ſpoliant & ſuccendunt. 188.
S. Sebaſtia M. Syrm. 201.
S. Serena Diocletiani Imp. Uxor. 202.
S. Severianus M. Theſſalon. 196.
Silvanus Ep. Nazarethanus Sabinianum hæreticum falſitatis palam arguit. 145.
Ejus formam & habitum diabolus aſſimulans confunditur. *ibid.*
S. Simon Juſtus Jadræ in Dalmatia quieſcit. 204.
S. Sionius & Socii MM. 207.
Siricius Papa Hieronymi adverſariis favere videtur. 56.
Ejus credulitatem Benedictus XIV. Pont. Max. excuſat. 81. *ſeq.*
Solitudinis laus & prærogativa. 13. *ſeq.*
Soror S. Hieronymi Religioſæ vitæ ſtatum amplectitur. 9.
Stiliconis ſuaſu Vandali, Suevi aliique Barbari Occidentem univerſum concutiunt. 114.
Stridone in Dalmatia naſcitur S. Hieronymus. 5.
Huc iterum venit idem S. Pater. 8.
S. Strotonicus cum Socio M. Singiduni. 195.
S. Suſanna V. & M. 202.

T.

Tagaſtæ naſcitur S. Auguſtinus. 89.
S. Tatia M. Syrm. 195.
S. Telius M. 198.
Tertullianus, judicium Hieronymi de eo. 59.
Tetrapla Origenis. 73. 120.
Theodorus Jeroſolymitanus Romam fugiens tranſtulit ſecum Præſepe Domini. 167.
Theodoſii Senatoris animam vidit ſolitarius ad purgatorii tormenta deſtinari. 147.
Theodoſius Anachoreta. 10.
Theophilus Ep. Alexandrinus favet Hieronymo contra Origeniſtas. 78.
Significat aliis Epiſcopis hæreſim Origenis eſſe condemnatam. *ibid. ſeq.*
Thomas Bacocius Card. 212.
S. Tiburtius M. Cibali. 198.
S. Tiles M. Syrm. 195.
S. Timotheus M. Syrm. *ibid.*
S. Timotheus M. Syrm. 199.
S. Titianus M. Theſſalon. 196.
Tituli Cardinalium. 47. *ſeq.*
S. Titus Ep. à S. Paulo in Dalmatiam miſſus. 195.
S. Tobias M. Syrm. *ibid.*
Tranſlatio SS. Domus Nazarethanæ. 198.
Tranſlatio Præſepis Domini Romam. 167.
Tranſlatio Corporis S. Hieronymi Romam. 163. 199.
S. Triphonia Decii Imp. Uxor. 204.
Turonenſes Patrocinio S. Martini hoſtes fugant. 189.

U.

S. Valentio cum Sociis M. in Myſia. 199.
S. Valerianus M. Novioduni. 203.
S. Valerianus Ep. Aquil. 206.
Valerius Ep. Hippon. ordinat Auguſtinum in Presbyterum. 91.
Declarat Auguſtinum in vivis ſuum Coadjutorem & poſt obitum ſucceſſorem. 92.
Vandali cum Suevis & Alanis Gallias & Hiſpanias occupant. 105. 114.
S. Venantius Dalmata Ep. & M. 197.
Vetus Teſtamentum ex hebraico in Græcum ſermonem tranſlatum. 120.
Ab Hieronymo in Latinum converſum. 121.
S. Vetuſtus M. 203.
S. Victorinus M. Salonæ. 198.
Vigilantius hæreſiarcha commendatur S. Hieronymo. 104.
Ob inconditos ſermones diſplicuit Hieronymo. *ibid.*
Impugnat cultum SS. Reliquiarum & alia. *ibid.*
Vitam Monachorum vituperabat. 105.
Ejus hæreſis jugulatur ab Hieronymo *ibid.*
Vincentius Presbyter comitatur Hieronymum Roma Jeroſolymam. 57.
S. Virgilius Ep. Saliſburg. 206.
Vita Hieronymi ſuccincta deſcriptio. 158.
S. Vitus M. Syrm. 195.
B. Uladimirus Rex Croatiæ & M. 209.

Digitized by Google

S. *Urſicii* M. Illyr. 202.
S. *Urſus* M. Regis Dalmatiæ filius. 198.

Z.

S. *Zeno* Mart. in Bulgaria. 199.

Zoſimus Papa lenius agit cum Pelagio Sociisque ejus. 108.
Dolo circumventus Accuſatores Pelagii Calumniatores declarat. *ibid.*
Poſt fraudes Pelagii detectas eum una cum Sociis damnat & anathematizat. *ibid.*

ER-

Errata.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Corrige.*
Vicinam	10	2	23	viciniam
vicinis	16	2	34	vicinos
vacant	17	1	26	vocant
Ariſiam	18	2	2	Arſiam
Mare	19	1	45	*Mari*
Carauniis	20	2	17	Cerauniis
Authorem	21	1	8	Authorum
partem	21	1	4	partim
Gracam	22	2	41	Græcam
loquentem	22	1	7	loquens
Et	23	1	17	Ex
Rarſcianicam	23	1	22	Raſcianicam
Flandicam	23	1	28	Flandricam
incolarum	26	2	51	incolatum
S Krapinam	27	1	9	Krapinam
certum	27	1	10	Caſtrum
Kallokovich	27	1	13	*Kallakovich*
auxilia	29	2	38	auxilio
cumque	30	2	18	eumque
præda	30	2	25	prædæ
Duce	31	1	10	Ducem
invictis	35	2	9	invictus
qua	40	2	17	quæ
Baſſarabiam	41	1	27	*Beſſarabiam*
Batthanianam	51	2	8	*Battyanianam*
quam	55	2	30	quamvis
magnum	60	1	8	magnam
Plures	62	1	41	Plura
Vaticinium	64	2	23	*Vatinium*
dictorum	66	2	48	dictarum
expugnandum	68	2	29	expugnandam
do da nasnii ega	71	1	20	*do danúsnyega*
in	73	1	10	intra
providebat	73	2	29	prævidebat
expoſitiobus	76	1	23	expoſitionibus
ipſinuavi	80	1	32	inſinuavi
Joſos	83	1	23	*Jaſos*
vicinam	85	2	14	viciniam
veſtavit	89	1	25	vaſtavit
Panaonia	90	1	15	Pannonia
Italiam	99	1	44	*Iſtriam*
nimis	100	1	23	minus
earumque	100	1	37	eorumque
decantare	101	2	39	decantari
Barkovich	102	1	5	*Borkovich*
nominabatar	104	2	39	nominabatur
qua	104	2	39	quia
celeberrimo	105	2	6	celeberrima
qua	105	2	8	quia
nihilominibus	108	1	32	nihilominus
unius	110	1	46	unus
Majeſte	111	1	16	*Majerje*
quos	112	1	38	quas
Hertos	114	2	26	Herulos
terminati	116	2	12	terminari
Ariatica	122	2	51	*Aſiatica*
Herelos	124	2	7	*Hevelos*
Murriano	125	2	25	*Murſiano*

Errata.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Corrige.*
cum	128	1	35	eam
vixerit	129	1	4	fixerit
redeamur	133	1	38	redeamus
hoc	136	1	31	hos
præficiſcitur	138	1	18	proficiſcitur
Firmii	139	2	9	*Sirmii*
Romam	143	2	5	*Ramam*
hinc	143	2	11	huic
muneris	145	1	21	muneribus
Viſarienſis	145	2	38	*Visvarienſis*
hinc	145	2	48	hunc
repudiendam	146	2	4	repudiandam
inventivis	149	2	23	invectivis
acculis	149	2	44	accolis
verò	150	1	32	verè
metiovem	150	1	49	mentionem
occupatam	156	2	15	occupatum
additi	157	2	16	addidi
filius	159	2	12	filiis
adjudicare	162	2	12	abjudicare
uterque	163	1	11	utriusque
primum	163	1	40	primus
de *Slavonia*	165	1	5	de *Slavonia*
Regnum	166	1	24	Regum
genti	169	1	20	gente
Regas	171	2	23	Regia
probatum	174	1	41	probatorum
zavonchitel	174	2	49	*zavuchitel*
porodiſze ii	175	2	1	*porodiſze vu*
appoſitum	180	2	11	appoſitam
collicula	181	1	21	colliculo
antique	183	1	44	antiquæ
Lanſanam	185	2	26	*Lauranam*
hallucinanter	189	2	36	hallucinantur
Ludbrino	191	2	5	*Ludbring*
Hunni	192	2	19	*Hunnis*
Illyricus	192	1	38	*Illyricum*
Majesje	193	1	19	*Majerje*
Caloniarum	193	1	36	*Coloniarum*
diducere	194	1	25	deducere
&	194	2	25	ut
vetuſtiſſimus	194	2	39	vetuſtiſſimis
&	197	1	9	ex
nuncupatas	197	1	10	nuncupatus
Sclaunam	197	2	29	Szlavnam
privigiles	198	1	47	pervigiles
ipſum	201	2	47	ipſam
Graca	202	1	33	Græca
hanc	205	1	23	hunc
extraxiſſet	206	1	36	retraxiſſet
proput	207	2	31	prout
Szasztichius	211	1	44	*Szvastichius*
vita	216	2	48	vitæ
Lakffy	217	2	33	Laczkffy
conthorali	219	1	9	conthoralis
valebat	223	2	42	volebat
Nadaſtio	225	1	44	*Nadasdio*
Stirici	226	1	44	Stiriaci
Muro-Dravanæ	227	*in Titulo.*	2	Muro-Dravana
infra	227	1	5	intra

Petheo-

Digitized by Google

Errata.	Pagina.	Columna.	Linea.	Corrige.
Petheono	227	1	23	*Petheana*
roborata	227	2	24	roborato
lega	228	2	39	legam
Conventu	232	1	13	Conventus
Heneris	234	1	1	Heneticis
celerrima	234	1	26	celeberrima
aureos	235	1	19	*aureus*
Oratorio	237	2	23	aratorio
ſel	237	2	3	&
modulabantur	239	1	8	modulabatur
tractas	240	2	45	tractos
ſuſceptorum	241	1	4	ſuſceptarum
Aniqv.	242	2	27	*Antiqu.*
Croatia	244	1	4	*Croatia*
Kamarenſem	246	2	16	*Kamarcenſem*
Szentecenſem	246	2	26	*Szentcenſem*
obtemperantia	248	2	17	obtemperantia
Saroloſtadienſe	248	2	34	*Caroloſtadienſe*
indolis	252	2	16	indoles
Nutrito	252	1	28	Nutritio
Patriæ	252	2	29	Patria
Satholica	252	1	33	*Catholica*
virtutusque	253	1	2	virtutesque
Doctura	253	1	11	Docturæ
Zagrobia	253	1	13	*Zagrabia*
Societates	253	2	16	Societatis
Matthia	253	1	29	*Mathia*
idhoc	253	2	36	iſthoc
Dianecevich	253	1	40	*Dianeſevich*
remotionibus	253	2	47	remotioribus
liberaliter	254	1	14	liberalitate
Banalis	255	2	50	*Banali*
comparatio	255	1	37	comparati
Binæ	257	1	28	Beatiſſimæ
vocantiam	258	1	13	vacantiam
quandam	259	2	20	quondam
mulibri	260	1	14	muliebri
Regnum	263	2	9	Regni
Epiſcopi *Neoſtadien.*	264	1	38	Epiſcopo *Neoſtadien.*
exultos	264	2	27	excultus
Lepavienſi	264	2	29	*Lepavienſi*
Epiſcqum	264	2	36	Epiſcopum
incumbatat	265	2	5	incumbebat
animo	265	2	24	omnino
demantata	265	1	40	demandata
deſideramus	265	1	50	deſieramus
ſupramemorato	266	1	14	ſupramemorata
hæ	266	2	33	hæc
e	267	1	46	à
Peſcennis	268	2	49	*Peſcennius*
antiquam	270	2	11	antiquum
Eccleſiæ	270	2	48	Eccleſia
Zaſcad	271	2	29	*Zaszad*
Berda	272	1	9	*Buda*
Stranilovichiana	272	1	24	*Hranilovichiana*
ſorte	273	1	50	fortè
cauſatis	276	2	4	cauſantibus
parietis	277	2	6	parieti
ſi	279	2	13	ſive
pluveribus	283	2	6	pulveribus

Digitized by Google

Errata.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Corrige.*
centiſſimum	283	1	24	certiſſimum
ſuprerfluentibus	283	2	32	ſupereſtluentibus
e	283	1	49	à
eximiam	284	2	9	eximiarum
Luctuoſiorum	286	1	4	Luctuoſiorem
Cura	286	1	21	Curia
dicebantur	287	1	11	dicebantur
Lugbreginum	287	2	4	*Ludbreginum*
Sztratka	287	2	7	*Szratka*
Sztraka	287	2	45	*Szratka*
Deorum	288	1	8	Deam
admomonita	288	2	18	admonita
æduculam	288	2	33	ædiculam
deſignendum	288	2	48	deſignandum
quo	289	1	2	quia
verbisque	290	1	21	verbique
temporibus	292	1	16	temporis
ipſo	292	1	45	ipſa
Promontorii	293	1	30	Promontoriis
Zabanecz	293	1	32	*Zebanecz*
circumjectis	296	1	3	circumjecti
Sacra	303	1	39	Sacro
aſſent	306	1	19	eſſent
judicio	310	2	16	judico

Omiſſa.

107 2 2
Poſt ly: *Pannonia Inferior*, deeſt ly: *Pannonia Superior.*
173 2 22
Poſt ly: quàm, deeſt ly: in
209 1 26
Poſt ly: *Theodorum Capuanum*, deeſt ly: non
256 2 15
Poſt ly: *Zagrabienſis*, deeſt ly: *Segnienſis*
291 1 31
Poſt ly: tranſeundum eſt, deeſt ly: ad
Bannus, Banni, Bannorum &c. pluribus in locis legendum per ſimplex n.

PARTIS SECUNDÆ

Errata.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Legantur.*
cum	6	2	4	eum
tenebrarem	7	1	29	*tenebrarum*
quoque	7	2	2	quosque
dijiciendo	7	2	34	*dejiciendo*
&	11	1	33	ex
monchorum	13	1	2	Monachorum
generoſiſſio	13	1	22	generoſiſſimo
Papæ	15	2	9	Papa;
ut quæ	16	1	20	utquè
eſt	16	1	33	*es*
totus eſt	17	2	11	*lotus eſt.*
tum	20	1	25	*cum*
aliter	24	2	26	*alitur*
Hieroſymo	30	2	36	*Geraſymo*
quoquo	33	1	15	quoquè
liberavit	33	1	48	*libravit*

Errata

Digitized by Google

Errata.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Legantur.*
Sacra	34	2	41	*Sara*
unum	35	1	3	uſum
teſtatus	35	1	8	teſtatur
voci	35	2	22	vocis
ſupprebantquè	36	1	32	ſtupebantque
cum	36	2	44	eum
ſed	38	1	31	ſe
hanc	48	2	15	hunc
maximæ	51	2	31	maximè
furva	52	2	34	*fulva*
navigatus	52	2	50	navigans
eredere	53	1	10	*credere*
jactatæ	53	2	26	jactata
Vicarium	54	1	25	Vicariam
Pamchium	55	1	35	*Pammachium*
Prophyrii	62	1	38	*Porphyrii*
Palaſtina	64	1	8	*Paleſtina*
terræ	68	2	28	tetræ
&	71	1	12	*ut*
ac	74	1	24	ab
legatam	78	1	45	legatum
Joannisque	79	1	8	Joannique
ſubmiſſo	79	1	19	ſubmiſſa
clerius	82	2	13	celerius
Florentius	82	2	17	*Florentinius*
cum	83	2	23	eum
Libro	86	2	47	Libero
veni	90	1	24	vini
quopiam	92	1	12	quapiam
excitata	94	1	26	excitatæ
deſudens	98	2	8	*deſudans*
metuo	101	1	6	mutuo
implicaret	101	1	41	*implicarer*
capiam	101	2	24	copiam
nullo	102	1	27	*nulla*
Quicumquam	102	2	49	*Quicunque*
cinerario	104	2	13	*Cinerarios*
nefando	106	1	14	nefanda
dilatata	114	1	22	dilata
Urbs	114	1	42	Urbis
quos	124	1	39	quo
quoque	124	1	40	quosque
uno	128	2	13	una
& quæ	129	2	1	ex quo
connotabant	130	1	9	connotabat
in	131	1	18	qui
Calaritano	135	1	14	*Calaguritano*
grævi	141	1	48	gravi
pius	143	2	48	prius
propereret	144	2	43	properaret
procraſtinat	148	2	35	procraſtinantur
efficiebantur	150	2	26	afficiebantur
Africanæ	151	2	21	Africana
quorum	153	1	24	quarum
Miſſa	158	1	9	Miſſæ
Levatione	161	2	5	Levationes
profert	162	2	45	*proferas*
tum	165	1	19	dum
aliosque	166	1	8	aliasque
cubili	166	2	21	*cubilis*

Errata.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Legantur.*
aliquot	170	1	3	aliquod
Hieronymi	179	2	31	Hieronymitani
Hieronymi	179	2	39	Hieronymitani
ſola	184	2	28	ſolo
confidentur	185	2	38	confidenter
conflictionis	193	1	48	conflictationis
quo	197	2	32	quia
Goſetumili	200	2	33	Goſztumili
virtibus	207	1	1	virtutibus
ipſemet	207	2	29	ipſæmet
animos	208	2	10	animas
Varasdinenſis	212	2	5	Varadinenſis
facili	218	2	17	facile
extremæ	220	2	17	extrema

ORDO COLLOCANDARUM TABULARUM.

PARTE I.

Ad Titulum Tabula Frontiſpitii cum Angelo & Effigie S. Hier.
Ad Dedicationem Inſigne Batthyanianum.
Ad pag. 199. Tabula Inſulæ Muro-Dravanæ.
Ad pag. 266. Arx Chaktornia.
Ad pag. 271. Monaſterium S. Helenæ.
Ad pag. 296. Oppidum Stridon.
Ad pag. 305. Ara S. Hieronymi.

PARTE II.

Ad pag. 3. Effigies S. Hieronymi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0041006186

BR
1720
.J5
H4

Digitized by Google
MAY 5 18